F.o.
F.F. 01
F, 0, 23

ANNALES ECCLESIASTICI

Ab anno 1566.

UBI

ODERICUS RAYNALDUS DESINIT.

AUCTORE

JACOBO DE LADERCHIO

FAVENTINO

Congregationis Oratorii Presbytero

TOM. XXII.



ROMÆ MDCCXXVIII.

Typis, & ſumptibus Hieronymi Mainardi, apud theatrum Capranicenſe.

PRÆSIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO,
AC BEATISSIMO PATRI,
DOMINO NOSTRO,
BENEDICTO XIII.
PONTIFICI MAXIMO.

JACOBUS DE LADERCHIO,
Congregationis Oratorii Præsbyter,
perpetuam felicitatem.

Quidquid Romanis Pontificibus, à DEO Opt. Max. collatum, toto orbe diffuſa, Catholica profitetur Eccleſia, quodque Mellifluus Doctor S. Bernardus, Eugenium alloquens, complexus eſſe viſus eſt, cùm ſcripſit, eum eſſe: *Pontificem Summum, Sacerdotem Magnum, Epiſcoporum Principem, Apoſtolorum Hæredem, Primatu Abelem, Gubernatu Noemum, Patriachatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyſen, Judicatu Sa-* De Conſiderat. Lib. 2. Cap. VIII.

muelem, Poteſtate Petrum, Unctione Chriſtum; Quique proindè inter alios Cœli janitores, gregumque Paſtores, tantò glorioſiùs, quantò & differentiùs utrumque nomen præ cœteris hæreditavit; quia cùm aſſignatos ſibi greges haberent, ſinguli ſingulos; Ipſi planè univerſi crediti eſſent, velùt Unus Uni: neque ovium modò, ſed, & Paſtorum, Vnus omnium Paſtor exiſteret. Id, inquam, omne in Sanctiſſimo PIO. Quinto luculenter adeò patefactum eſt, ut qualis, & quanta ſit ea Divina propèmodum Dignitas, vel in hoc uno Summo Pontifice oculis quodamodo ſubjecta conſpiciatur.

Conſpectionem iſtam, veluti Viſionem magnam, Orbi Catholico aperire dixerim vigeſimum ſecundum hunc Eccleſiaſticorum Annalium Tomum. Exhibet enim eumdem PIVM, in ſupremo Apoſtolatus culmine collocatum, & ſe Epiſcoporum Epiſcopum geſſiſſe, Paſtorumque Paſtorem; & infracta cohibuiſſe virtute, fures, ac latrones Hæreticos, oves mactare, & occidere tentantes; Infidelium quoque luporum feritati ſeſe ſtrenuè oppoſuiſſe. Sanè, qualeſcumque deniquè ſint, noſtræ hæ lucubrationes, perſpicuum nihilòminus ex illis fiet, quàm verè, juſtèque, in Romano Breviario, nos Eccleſia doceat,

faiſſe

fuiſſe in eo: (*Religionis propagandæ perpetuum ſtudium, in Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda indefeſſum labòrem; in extirpandis erroribus aſſiduam vigilantiam, in ſublevandis egentium neceſſitatibus indeficientem beneficentiam, in Sedis Apoſtolicæ juribus vindicandis robur invictum.*) Ex Brev. Roman. ſub die V. Maji.

Quæ cùm ita ſint, cuinam id Operis meliore jure nuncupandum erat, in quò præclariſſima tanti Pontificis geſta proferuntur, niſi uni Sanctitati Veſtræ, in ſublimi præexcelſoque eodem dignitatis faſtigio collocatæ? Sed alia ſunt præterea, quæ prorsùs Tibi uni debitum Annalium hunc Tomum, peculiari quadam ratione manifeſtant, ſuntque Tibi, ac PIO communia; illudque, inter cœtera præcipuum, quòd eadem Mater, quæ Sanctitatem Veſtram peperit, præclariſſima nempè, Prædicatorum Religio, ipſamet etiam Pium toti Catholicæ Eccleſiæ feliciſſimè enixa eſt.

His, ſi, juxtà Ambroſium, addatur, quòd Auctoris, qui minimè diſplicet, Opus probandum ſit; quis unquàm exiſtimabit, à Sanctitate Veſtra probandum opus non eſſe; imò non gratanter, perbenignèque ſuſcipiendum, quod Sanctum PHILIPPVM Nerium, cui, ſingulari adeò clientela, te obſtrictum oſtendis, Auctorem habet? Enim verò, ſi, cùm in terris idem ipſe PHILIPPVS viveret, Eccle- De Virgin. Lib. 2. poſt med.

ſiæ

ſiæ labantis exæſtuans zelo (ut Cardinalis Baronius teſtatur) inſtabat jugiter eidem Operi, urgebat præſentia, verborumque ſtimulos admovebat , durus adeò ſemper , ac diurnus exactor , ut piaculum putaret , ſi, vel minimum, Baronius deflecteret, nedùm ab inſtituto ceſſaret ; quantò magis , in Cœleſtem nunc translatus Civitatem Dei, & ab hac digreſſus, in illa feliciter degens , quæ eſt primogenitorum deſcriptorum in Cœlis, majori charitate fervens , acerbioribusque , quàm unquàm fuerint, militantis Eccleſiæ ærumnis compatiens, quod, id curandis, idem ipſe optimum comparavit , medicamentum , comiter à te ſuſceptum, fotumque gaudebit ? Hoc ille è Cœlo à Sanctitate Veſtra expoſcere videtur : id in terris à clementiſſima benignitate Veſtra, humillimus ejuſdem cliens , & expectat, & ſperat , ſacroſque pedes devotiſſimè exoſculatus, magna enim verò ſibi fiducia pollicetur. Dabam Romæ , ex Ædibus Vallicellanis Quart. Non. Februarii *1728*.

In Præf. ad Tom. VIII. Annal.

PRÆ-

PRÆFATIO.

PLacuit tandèm aliquandò Deo Opt. Max. ut Annalium Eccleſiaſticorum Opus, à S. Philippo Nerio divinitùs inſtitutum, & à Cæſare Cardinali Baronio primùm executioni mandatum, deindè ab Oderico Raynaldo feliciter proſequutum, per ſexaginta, & ampliùs annos interruptum, à me, licèt tantis Scriptoribus longe viribus impari, reaſſumeretur. Fuere nonnulli, qui, ubi provinciam hanc mihi demandatam fuiſſe acceperunt, non à Pio Quinto, ſed altiùs iniri ſcriptionem oportere, velut ex trypode pronunciarunt: à ſarcienda, nimirum, ea Annalium parte, quam præfatus Odericus Raynaldus abſolvere minimè potuit, morte præventus. Et mihi quidem, fateor, longè ſatiùs fuiſſet, Operi, fermè completo, digitum admovere, quàm novum è fundamentis excitare. Is verò, cui primùm placuit id mihi, diù colluctanti, tantum onus imponere, prudentiſſimè cenſuit, neque congruum, neque æquum eſſe, nulloque modo neceſſarium, in alienam veluti meſſem manum immitti meam. Diù quippè antè, nempè ſub anno 1677. Opus illud typis traditum fuerat; & certè, Auctoris in primis honore integro, etſi omnibus illud numeris, morte tantùm inhibente, atque adeò citra culpam omnem, abſolvere non valuerit. Qui autem publica ipſùm luce dignum nihilominùs putaverant, imò curandæ illius editioni ſedulò incubuerant, quorum nonnemo fuerat in eminentiſſima conſtitutus dignitate, adhùc in vivis agebat eo tempore: quanam ergo ratione, citra temeritatis notam, additionibus, vel demptionibus illud corrigere, ferulamque propemodùm in ipſum exercere valuiſſem, quod, & quem innuebam, Cardinalis, & alii benè multi probaverant? Sed & illi demùm, qui poſt editum præfatum Opus, voce, ſcripto, imò cenſura quoque eidem appoſita, ultrò Lectori pandere innumera propemodùm ejus errata connixi ſunt; fateri nihilominùs ſunt compulſi, Opus idem, qualecumque eſſet, è publica utilitate haud parum

rum

rum eſſe poſſe. En ipſa illorum verba. [*Et ſanè conſilium fuerat, perpetuis illud tenebrarum damnare carceribus, ni, propter rerum in eo contentarum ubertatem, ea ſententia prævaluiſſet, ut qualecumque tamen, ad explenda ſtudioſorum deſideria, in publicum denique caſtigatum prodiret.*] Et aliquot interiectis. [*Ignoſce, igitur, & boni conſule, benigniſſime Lector, & ſi crebrò, in vulgares aliquas, minuſque proprias* dicendi formulas *incidas: utere facilitate tua: cum præſertim idem Auctor, plures Epiſtolas, & inſtructiones, Italico ſermone conſcriptas, à Romanis Archivis, totidem fere verbis in Latinum convertere, necnon Acta Conſiſtorialia, ſimplici ſtylo memoriæ demandata, in medium fideliſſimè producere contentus fuerit.*

Unum, nempe, quod eo in Opere ritè culpandum, coarguendumque Curatores, & Correctores putarunt, fuiſſe cognoſcitur, quod parùm latinè, vel etiam barbara dictione elaboratum fuiſſet; ob idque perpetuis illud tenebrarum carceribus damnandum nonnulli exiſtimarunt. At prævaluit cœterorum ſententia, magis rem [& jure quidem] quàm modum ſpectantium, & iſtis Grammaticorum nugis longè præponendam, judicantium, rerum ubertatem, maximè verò fidelitatem, in documentis ex Romanis Archivis in medium prolatis; quippe quibus, & ſincero ſtudioſorum deſiderio, & publico Eccleſiæ bono conſultum iri, prudentiſſimè cenſuere. Quæ cùm ita ſe habeant, quâ quæſo neceſſitate ductus ei me Operi recoquendo dediſſem, quod, & utile, & uberrimum, & fideliſſimè exaratum, ab iis ipſis, qui magis illud improbaſſe viſi fuerant intellexeram?

Quod verò ſpectat Opus hoc meum, erit qui fortè longè illud aberrare ab inſtituto cenſeat Baroniano: quòd, cùm ille duodecim ferè ſecula, duodecim dumtaxat Tomis complexus fuerit; Tomus hic meus unum, & alterum dumtaxat annum complectatur. Verumtamen, ſi rationem temporum, quorum res utrique noſtrûm ſcribendæ fuerunt, benigne Lector, habere dignaberis, agnoſces profectó, nec plures, ex duodecim Sæculis, quàm duocecim Tomos conflare Baronium potuiſſe; nec me uno Tomo, niſi biennium comprehendere. Pauca admodùm, & immenſo propemodùm labore è latebris eruta, priorum ſæculorum geſta, ab

co

eo fuerunt ſcripto tradita; adeòque pauca; ut non rarò, tota unius anni narratio, nil aliud extiterit, quàm annum conſignaſſe. At veró in recentiorum temporum rebus, ab innumeris feré Scriptoribus, diligentisſimé adnotatis, vix quidquam ſeú parvum, ſeu magnum accidit, quod eos fugerit, monumentiſque mandare prætermiſerint; unde fit, ut ex his, quæ, ſub uno anno conſignavere, facilè quis, non unum modó, ſed quandócunque vellet, plures condere Tomos poſſet; quin & plures Baronius haud dubio condidiſſet, ſi tanta perindé ſe illi obtuliſſet ſcribendi materies, nec materies Operi defuiſſet; ſed & ego rei compendium facillimé feciſſem credo, ſi in tanta Scriptorum, monumentorumque, ſcitu maximé dignorum, ubertate, pleraque, ad inſtitutum facientia, prætermittere, ac ſilentio premere maluiſſem.

Et hinc profectó effectum eſt, ut qui Annalium Eccleſiaſticorum Hiſtoriam, proximé poſt Baronium proſequutus fuit Raynaldus, Tria dumtaxat ſæcula, né novem quidem integris Tomis complecti valuerit, licét ſæcula ipſa, Scriptorum, monumentorumque inopia haud parum laboraverint. Quod æqué aliis eveniſſe, qui Hiſtoriis conſcribendis ſeſe dedere, ut in Ciaconii Opere, compertum eſt. Centum ſiquidem, & ſeptuaginta ſeptem Romanorum Pontificum vitam, & geſta, primus Operis ejuſdem exhibet Tomus. Secundus veró triginta & octo. Tertius tredecim. Et quartus demum duodecim tantúm Pontificum res commemorat; ut, collatis cum priori Tomo poſterioribus, illud uſurpari poſſe videatur. (*Fons parvus crevit in fluvium.*) Id porro, non Eſther. Cap. X. v. 6. in Ciaconii tantùm opere, Hiſtoriam noſtræ affinem referente, ſed & in Eccleſiaſticis Hiſtoriis aliis uſuvenit. Nàm Bollandiani, licét nova, & vetera, ſtatim ab initio ſcriptionis, producere propoſuerint; prioreſque Menſes, uno tantúm, & altero Tomo complexi ſint; deindé tamen, non niſi paucos cujuslibet Menſis dies ſingulis Tomis comprehendere valuerunt. Quod etiam in Bullario Romano, aliiſque Operibus cerni poteſt. Quæ quidem dicta velim, ut inconſultam quorundam objectionem obtundam, qua vitio mihi vertere forté connitentur, prolixiori ſtylo, ac Baronius, hanc me hiſtoriam concinnaviſſe.

Plurà nihilominús hoc opere complecti, quæ purgatiſ-

ſimo cuique oculo diſplicere poſſint, ultró fateor, cúm ea, né mihi quidem arrideant. Prolixæ enim ſingulorum Diplomatum, Monumentorum, Epiſtolarum, & his ſimilium exhibitiones, eorumque non ſenſum modò, ſed ipſiſſima verba, prout jacent, quàmfrequentiſsimé Operi eidem inſerta, uti ſcribenti mihi negotium plerumque faceſſerunt; ſic tibi, benigne Lector, haud parùm moleſtiæ, ac tædii allatura eſſe, ſatis novi; ſtatimque, forté menti occurret, Bullarium potiùs quàm hiſtoriam hos Annales inſcriptum iri. Verúm non niſi Baronii veſtigiis, ſi rem rité perpendere volueris, me inſtitiſſe deprehendes. Nil antiquius ſiquidem ille habuit, quàm ut Decreta, Pontificumque ſtatuta omnia Operi ſuo inſereret, eorumque né unum quidem prætermitteret; quod ad Eccleſiæ Hiſtoriam maximé pertinere intellexiſſet, nec ea modò referre, quæ illi geſſerint, verúm etiam quid, pro ejuſdem Eccleſiæ bono, docuerint, ac decreverint. Et ipſe quidem ea paucis retulit, quæ paucis dicta reperit; pluribus certé, uti nos, dicturus, ſi pluribus adnotata reperiſſet. Nec ideó pleraque omittenda exiſtimavit, quód in Gratiani Decretis, alibique jam edita eſſent. Noverat enim aliud eſſe, Sacrarum Legum volumen, aliud veró earundem Legum hiſtoricam narrationem; quippe quæ Legibus iiſdem propoſitis, earundem ferendarum cauſas; vim quoque, tempus, circumſtantias, Legiſlatorum denique mentem, animumque miré detegit.

Ad ea, nihilominús in medium producenda, hiſtoricé ſibi viam ſtraviſſe, iiſdem feré verbis, quibus tandem concepta referuntur, in documentis, per extenſum allatis; pari modo animum torquet meum. Veruntamen religio mihi fuit, in utroque quidpiam immutare: neque enim, quæ pollicebar, fidelisſimé prænarrare viderer, ſi verbis uti aliis maluiſſem, quàm quæ conſignata erant in documentis: verba quippe nihil æquivoca, aut luxata, ſed prorſùs æquipollentia, labore improbo fruſtrà quærerentur. Ad hæc Doctorum votis, Eruditorumque conſiliis acquieſcendum mihi fuit, qui nempe magis é re futurum publicâ cenſuere, ſi Diplomata, Bullas, & alia, uti ſunt, præ oculis ponerentur, quo illis, proút opus cuique foret, uti poſſet. Illud mihi ſemper iteratis vicibus ingerentes, ac inculcantes: Hiſtoriam

riam hanc non inanium Poetarum, ac Grammaticorum, vel [ut ſcribebat Hieronymus] ſcurrarum, ac paraſitorum voluptati, ac oblectationi, ſed communi utilitati elaborandam. Si quem verò Diplomata, & alia, prolixiori ſtylo explicata legere piguerit; eadem præterire poſſe, & ad ulteriora procedere. Quo planè fiet, ut productam longiùs, quàm ipſe cuperet, narrationem, protinus contractiorem habere queat, juxtà Poetæ illud.

Epiſt. Lib. VIII. Epiſt. 51. ad Domnionem.

[Si nimius videar, ſeraque coronide longus
Eſſe liber, legito pauca, libellus ero.]

Val. Martial. Lib. x. 1.

Illud etiam, quód, vel eaſdem ſæpé dicendi formulas adhibere; vel non raro, pro tanta rerum materiarumque diverſitate, ſtylum immutare, & modó hac, modó illa dicendi ratione uti, coactus propemodúm fuerim, equidem ægrè admodum ipſe tuli. Verùm, nec mihi, nec fortè ulli, cúm eandem ſæpiùs rem explicare neceſſe eſt, præfinitos dicendi modos egredi fas erit. Viciſſim verò, á Magno illo Caſſiodoro memini me didiciſſe, tria dicendi genera, non incaſſum, à prudenti antiquitate definita: quód, licét ab uno debeat pectore eloquium fluere, diverſis tamen oporteat alveis emanare: quando nemo eloquentis obtinet nomen, niſi qui trina iſta virtute ſuccinctus, ea uti, cauſis emergentibus, utiliter eſt paratus. Et reverá in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptione, innumeras propemodùm mutandi ſtylum paſſim emergere cauſas, non diffitebitur quisquis non ignoraverit, modò piorum ſtudia proſequenda eſſe, nunc impiorum ſcelera inſectanda: Jam Eccleſiaſtica propriis ſuis formulis recenſenda: profana quoque ſuis, & ſic de ſingulis, quæ vel indicare longum eſſet, quæque ſponté ſua intelligere valet quisquis Hiſtoriam hanc, modò alta, & ſublimia, modò communia, é medio petita, ac longé, latéque toto Orbe peracta, complecti debere cogitabit.

In Præfat. in Duodecim Lib. Variarum.

Et ſi veró tam varia iſtiuſmodi rerum genera complectatur Opus; nemo tamen in eo putet profana ſimul, & ſacra, Eccleſiaſtica, & ſæcularia miſceri, & coacervari. Quantum enim fas fuit, à ſæcularibus, profaniſque rebus abſtinui, neque ea attigi, niſi, né Hiſtoriæ integritati deeſſem, vel ubi meritò deſiderari id poſſe animadverti. Verùm, quo verſor tempore, quid quæſo per totum Orbem, memoratu

dignum accidit, quod non ad religionem, & Eccleſiam aliqua ratione pertineret? In Gallia, in Germania, in Anglia, in Scotia, in Pannonia, in Polonia, in Belgio, & ſi quæ aliis in regionibus, & Regnis, memoranda acciderunt [ſeditiones, nempè, tumultus, bella, & opiniones præliorum, comitia, peractaque negotia] vel à religione initium ſumpſere, vel non ſine religionis, aut ſpecie, aut etiam re agitata ſunt. Adeò ſiquidem infeliciſſimo hoc ævo, humana, Divinis, & ſacra profanis commixta fuere; ut nec bellum geri, nec comitia haberi, nec negotia tractari, nec legationes decerni potuiſſe viderentur, niſi unà ſimul in certamen quoque religio ipſa vocaretur: eademque una religio ſcopus quodammodò viſa eſt bellorum omnium, ſeditionum, ac tumultuum extitiſſe.

Cùm itaque, tam magna, tam multa fuerint, quæ religionis cauſa, in unaquaque regione acciderunt; ſapientium idcircò ſententiam ſequutús, non quidem (uti jam Cardinalis Baronius) ſingularum regionum geſta, per partes enarrare, ſed ſimul ea Lectori exhibere, ſatiùs duxi; nè, videlicèt olim dicta, ſæpiùs iterare compellerer, cùm & ejuſdem anni, & ejuſdem regionis res geſtæ narrandæ forent. Et quidem facile fuit Diſſertiſſimo Baronio, eo res ordine referre, ut non anno tantùm, ſed etiam ejuſdem menſibus, vel etiam diebus, in quibus acciderant, reſponderent, quòd, ut totiès diximus, perpaucæ admodúm ipſæ eſſent, vel paucis verbis comprehenſa, quæ ab antiquis paucíſque Auctoribus tradita, Operi ſuo inſerenda erant. Hìc autem, contra, & multa, & à multis ſcripta, & ea ſedulitate, & diligentia adnotata, ut ſingularum rerum originem, progreſſum, ac tandem exitum perſpicuè doceant; quo fit, ut perſæpè, non hunc, vel alterum tantúm, non dicam diem, vel menſem, ſed integrum annum occupaverint negotia ſingula, vel in una regione geſta. Si igitur temporum exactisſimam illam Cardinalis Baronii rationem habere ſtuduiſſem; neceſſitas proculdubio incubuiſſet, millies ejuſdem rei narrationem iterandi: dumque nova adderem, iterum ante narrata repetendi, vel ſaltem commemorandi, nè non intelligi ſatis poſſent, quæ deinceps narranda eſſent. Hoc autem, ſicút tibi Lectori minús fore jucundum; ſic tuo

ſtudio

ſtudio magis accomodum cenſui, ſi tibi præ oculis ſimul omnia proponerem, idque mihi quoque magis conſultum exiſtimavi; nè videlicet methodum aliam ſectatus, non tàm *Annales* conſcripſiſſe, quàm, *Menſuarium*, vel *Diarium* videri poſſem.

Jam verò, cùm Doctiſſimus Cardinalis Baronius, Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptioni ſe daturus, duo ſibi propoſuerit: commentitiam nempè mendacemque Centuriatorum Magdeburgenſium Hiſtoriam evertere; eademque ipſa ſcriptione, productis in medium pro re nata documentis, Catholica dogmata confirmare, quibus priorum ſæculorum teſtimonia, falsò, ac temerè Novatores illi ſubtrahebant: equidem quod ſpectat poſteriorem hunc finem, tanti Scriptoris veſtigiis inhærere ſupervacaneum jure exiſtimavi. Quamvis enim temporis hujus Hiſtoria, innumeras propemodùm contineat Hæreticorum blaſphæmias; ipſi tamen Hiſtoriæ minime innixæ deprehenduntur: nam quæ hoc tempore, ſive geſta, ſive ſcripta fuere, non iis fulciuntur teſtimoniis, (paucis admodùm exceptis, quæ convellere, pro viribus ſtudui) quibus ex profeſſo retundendis incumbere debuerim. Primum tamen illud, quod egregiè Baronius præſtitit, Scriptorum, inquam, præcipuè Hæreticorum hujus temporis, deliramenta ac commenta patefacere; id enim verò, quantum exilitati meæ fas fuit, præſtare conatus ſum, rerum earundem mendaces Scriptores reiiciendo, ſinceriſſima in medium producta veritatis luce, qua falſitatis tenebræ diſpellerentur.

Quam quidem veritatis lucem, ut purisſimam exhiberem, non modò à probatisſimis eam curavi mutuare Scriptoribus, ſed etiam, ex originalibus depromere monumentis, & Vaticanis regeſtis, ex arcanis Urbis Archivis, & celebrioribus Bibliothecis; præcipuè verò, ex conſcriptis, ad Sanctisſimum Pontificem Pium Quintum, ejuſque Pronepotem, Cardinalem Alexandrinum, Epiſtolis, expiſcavi. Nè autem circa hæc, & alia, dubitatio injici ulla poſſet, pasſim, ut innui, totidemque verbis ea protuli, Tibique, amice Lector, quodammodò fontes exhibui, ex quibus limpidisſimas aquas hauſi, ut ex iiſdem posſis ipſe quoque, percipiendæ veritatis ſiti, ſtudioque tuo, cumulatiùs uberiùſque ſatisfacere.

Quod

Quod tandem ad hujus Operis attinet editionem, miraberis fortè innumeris fere undequaque mendis, erroribuſque ſcatere. Verúm, ſi rem benignè perpendes, mecum miraberis potiús, etiam corruptiorem non evaſiſſe; uti evadere debuiſſet, cúm, nec ei ipſe incumbere, nec ullum, qui, qua par erat, ſedulitate ei incumberet, habuerim. Quapropter, ſi Baronio tot ſubſidiis undequaque ſuffulto dicere licuit: [*Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.*] Potiori jure illud mihi Evangelici Paralitici uſurpare fas fuit, quód Hominem nempé non habuerim, cujus auxilio in hanc piſcinam deſcenderem; unde mirandum multó magis ſit, non quód ægrè deſcenderim, ſed quód, quocumque tandem modo, deſcenderim. Errata non pauca, Typographorum quoque oſcitantiæ, & imperitiæ tribuenda non diffiteor; & quoad Nomina, & cognomina perſonarum, locorumque, ſi modó hac ratione, modó illa, adnotata reperies; ſcias, non meo, nec Typographorum vitio, ſed potiús Scriptorum varietati tribuendum, qui unum, & idem nomen diverſimodé protulerunt: quod ut exemplo palàm fiat, *Auriacenſis*, *Arauxonenſis*, qui ab aliis *Auriacus*, unus dicitur *Orangius*. Sic *Andius*, dictus reperitur *Andegavenſis*, & ſic de aliis, quæ recenſere longum eſſet. Quæ quidem obiter monenda duxi, ut, ſi quid boni in hoc Opere offendes, uni Deo, ſolique omnium largitori tribuas; erratis verò, pro tua benignitate, clementer indulgeas. Vale.

Iſaiæ Cap. 63 v. 3, Ioannis Cap. V. v. 7.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

APPROBATIONES.

ANNALES ECCLESIASTICOS, qui, Auctore Jacobo Laderchio Congregationis Oratorii Presbytero, ab anno 1566. ad exitum Anni 1572. procurrunt, c Ego, juſſu Reverendiſſimi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri, ſedula lectione excuſſerim, nihil in eis, quod Orthodoxæ doctrinæ, morumque probitati, ac veritati hiſtoriæ obverſaretur, offendi: ſed Opus laborioſum quidem, & ſalebroſiſſimum, magno auſu ſuſceptum, & feliciori productum ſucceſſu, uberrimaque prophanæ, & Eccleſiaſticæ eruditionis affluentia, miro ordine refertum; ſi publicis incudatur Typis, non ſolùm univerſo Chriſtianorum Orbi luculentiſſimum ornamentum, certò duxerim additurum, ſed locupletiorem Auctori quoque ſuo probatiſſimo, indubia ſpe, eximiam fore pariturum laudem. Quippè qui inter ſe veriora hujus emunctæ ætatis judicia æmulatus, eorum gloriam, qui ANNALES ECCLESIASTICOS jamdudum auſpicati fuerant, comparata ſibi ingenti veterum monumentorum ſupellectili, ingeſtaque impenſiori ingenii ſui induſtria, continuationem Operis interrupti, cæteriſque inacceſſi enixiori conatu aggreſſus eſt, ac faventiori numine eſt proſecutus.

Carolus Leopoldus Calcagninus Sac. Rotæ Auditor.

ECCLESIASTICOS ANNALES, qui præcipuè Sanctiſſimi Pontificis Pii V. erga Chriſtianæ Reipublicæ decorem, ac tutamen præclara facta depromunt, à Jacobo de Laderchio Congregationis Oratorii Presbytero conſcriptos, Reverendiſſimo P. Fr. Gregorio Selleri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro mandante, percurri. Demiratus ſum uſquemodò, & demirari proſequar, diligentiam, pietatem, ac eruditionem, qua Auctor in lucem profert, quæ oblivionis tenebris poterant adumbrari. Dum ergo præterita, narrationibus ſuis, veluti præſentia exhibet, ad earum dignitatem pertinere arbitror, ſi publici juris fiant, quod in futura ſæcula lumen effundant. In Conventu S. Mariæ ſuper Minervam 3. Kalend. Auguſti 1727.

Fr. Hieronymus Maria Rendina Ord. Prædic. Magiſter, Cleri Romani Apoſtolicus Examinator, Inquiſitor Generalis.

JUſſu Reverendiſſimi P. Fr. Gregorii Selleri, Sac. Palatii Apoſt. Magiſtri, ſtudiosè legi tomos plures manuſcriptos, quibus Jacobus Laderchius Presbyter Congregationis Oratorii S. Philippi, proſequens Eccleſiaſticos Annales, quorum Author fuit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius ejuſdem Congregationis Alumnus, nunquàm ſatis laudandus, laudabili ſanè ſtylo, diligenti methodo, accurataque geſtarum rerum narratione, hiſtoriam memoria dignam luculentiſſimè enarravit. Sum propterea ſummoperè delectatus in multa, magnaque rerum varietate, quas refert exactiſſimè præfatus Auctor, paucos annos, eos ſcilicet, quibus S. Pius V. Eccleſiam gubernavit, ad hiſtoriam redigens Eccleſiaſticam; ibi enim inter alia præcipuè ob oculos eruditorum ponit vitam Magni Pontificis, ſtudia nempè, labores & ſollicitudines, plus quàm humanas, quibus Sanctiſſimus Pontifex, multis, magniſque tempeſtatibus Eccleſiæ, ſibi commiſſæ, adeò jactatam naviculam, Prudentiæ ſuæ, Pietatis, Fortitudinis, Conſilii, ac Sapientiæ remis, veliſque clavum tenuit, ac rexit, ne Hæreticorum, Gentium, atque Principum fluctibus intumeſcentibus obrueretur. Miratus itaque ſum, atque obſtupui, conſiderans Virum, annis æquè, & vivendi genere religioſiſſimo fatigatum, tot tantaque potuiſſe meditari, aggredi, ac perficere, animo in cunctis, & ſingulis vivaciſſimo, atque brevi paucorum annorum curriculo, quæ vix alius, vel ætate florentiſſimus valuiſſet tentare. Etenim Solis inſtar, unius Urbis Cœlo affixus —

Omnibus omninò aſperſit ſua lumina Terris.

Tacebo Italiam, & indicabo Galliam, Belgium, Angliam, Daniam, cum cœteris Arctois Provinciis Europæis, Germaniam, Poloniam, necnon Eccleſias Africanas, & utriuſque Orbis Indici Regna, & Imperia, Legationibus, Miſſionibus, Epiſtolis, aliiſque id genus aliis ad Orthodoxam fidem, veramque Religionem, ac Pietatem excitata, promota, inflammataque. Indicabo denique totam Aſiam Othomanicam ſuo nomine repletam, ob ejus immaniſſimam potentiam, nedùm repreſſam, ſed victam, ſed fractam, ſed pœnè etiam attritam, in ipſomet inſolentiſſimæ fortunæ culmine, non tàm ſua, & Hiſpana, Veneta claſſe, quàm precibus, & apud Deum meritis propriis inſigniſſima victoria, de Turcis ad Echinadas reportata.

Miratus ſum, ac obſtupui hæc interim Hæreſum, & Hæreticorum omnium ingenium, pluſquàm vipereum, & malitiam ſanè dœmoniacam, quæ nedùm Sacras res, & Eccleſiaſticas peſſundare ubique anhelat, ſed politicas quoque, ac humanas ſus deque vertere non deſiſtit, ubi ſemel cœperit nova moliri in extremum Principum periculum, & Populorum excidium. Hæc quippe omnia monſtrorum portenta, S. Pio V. Pontifice Eccleſiam regente, ex Orco emerſa, in toto ferè Chriſtiano Orbe debacchari viſa ſunt. Sed his omnibus unum Pontificem invictum, aut victorem occurrere miratus eſt Orbis, ad totius S. Eccleſiæ utilitatem, ab ipſis hoſtibus quoque laude non modica ſibi comparata.

Mi-

Digitized by Google

Miratus denique ſum , ac obſtupui infandam noſtrorum temporum diverſiſſimam ab illis conditionem ; tunc enim omnes Principes , Potenteſque Catholici, Eccleſiæ , Filii, ubique Gentium, Romani Pontificis clavibus faſces ſubmittebant , ejus juſſa, ſanctioneſque verebantur , aut venerabantur , omnes Academiæ Sedis Apoſtolicæ Oracula , veiuti ex ore Dei deffinitiones prolatas ſuſcipiebant : nunc enim verò nihil minùs authoritatis habet, quàm Romani Pontificis dignitas , cui Poteſtas Laica ſubeſſe dedignatur , multiſque in locis, Eccleſiaſticæ ſe parem facere præſumit, itaut noviſſima nobis tempora imminere timendum non immeritò ſit , quippè qui videmus noſtris oculis , & auribus noſtris audimus initia illius diſceſſionis , quam Apoſtol. 2. ad Coloſs. cap. 2. manifeſtiſſimum futurum fore dicit ſignum , cùm revelandus erit filius perditionis, homo peccati ; inquit enim diſertè Angelicus Doctor in dictum caput lect. 1. quod diſceſſio, *ab Apoſtolo indicata, debet intelligi à Romano Imperio* , *ſcilicet à Fide Catholica Romanæ Eccleſiæ* . Hanc autem deſertam iri ab iis omnibus , qui tamquam membra ſub ſuo Capite, ſub Romano Pontifice ſeſe continere detrectant , non eſt qui ignoret .

Hac de cauſa , quammaximè cupio , ut typis detur hujuſmodi Opus, quo nullum arbitror in præſentiarum efficacius, ad inimicorum Sedis Apoſtolicæ, & Pontificiæ authoritatis detractorum inobedientiam , ſuperbiam , & pervicaciam convincendam , confundendam, & retundendam , tot argumentis ſolutione carentibus , quot egregiis factis à nullo negabilibus ; non ſic enim fuiſſe arguitur , & demonſtratur . Ita mihi videtur ſalvo ſapientiori Judicio .

Ego D. Auguſtinus Romanus de Floribus Lector Sac. Theologiæ emeritus , Abbas S. Romualdi de Urbe, ibique Ordinis Camaldulenſis Procurator Generalis, Theologicæ Academiæ Cenſor , Sac. Congregationis Indicis Conſultor &c.

Attentione, ac ſolertia, majori qua licuit, nec ſine peculiari animi mei voluptate, Reverendiſſimo P. Fr. Gregorio Selleri, S. P. Apoſt. Magiſtro præcipiente, percurri, quæ Vir præſtantiſſimus & Reverendiſſimus, P. Jacobus de Laderchio Congregationis Oratorii Urbis ECCLESIASTICORUM ANNALIUM Continuator, tredecim integris voluminibus MM. SS. docto, accuratoque exaravit calamo, ea enarrans, quæ ab anno ſexageſimo ſexto, uſque ad ſeptuageſimum ſecundum ſæculi decimiſexti, toto videlicet Pontificatu S. Pii V. & anno primo Gregorii XIII. memorabilia in Dei Eccleſia acciderunt. Ad ea autem avidiùs percurrenda, præter alia permulta, me, mirum in modum, extimulabat id, quod in Hiſtoria decet eſſe præcipuum, nempè veritas, & ſinceritas, quam certè maximam deprehendebam. Nam geſta ferè omnia, quæ ab Auctore deſcribuntur, non tàm ſuis, quàm præfatorum Summorum Pontificum, aliorumque Supremorum Principum, aut probatiſſimorum Auctorum verbis, & quidem ex ipſis Bullarum, Brevium, ſeu Epiſtolarum Originalibus fideliter tranſcriptis, expreſſa conſpiciuntur. Curandum propterea cenſeo, & exopto, ut, ſervatis aliàs ſervandis, quantocyùs prædicta volumina, ad communem, & publicam utilitatemque prœlo tradantur. Ex Collegio S. Pauli ad Arenulam Urbis, die 16. Junii 1725.

Fr. Paulus Lombardini, Ex-Generalis Tertii Ordinis S. Franciſci, & Theologicæ Academiæ Urbis Cenſor.

ID ipſum cenſeo, & exopto, poſt accuratam, ex mandato Reverendiſſimi P. Fr. Gregorii Selleri S. P. Apoſt. Magiſtri, eorumdem voluminum expenſionem; Ex Collegio S. Bartholomei in Inſula, Calendis Auguſti 1725.

Ego Fr. Antonius à Mazaria Ord. Min. Lector Jubilatus, & Sac. Congregationum Rituum, & Indicis Conſultor manu propria.

CUm plerique Viri, doctrina, ac pietate conſpicui, & Reverendiſſimo P. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro probatiſſimi, poſt accuratum examen, promeritis laudibus proſecuti eſſent, ac luce publica digniſſimam cenſuiſſent, ANNALIUM ECCLESIASTICORUM continuationem, S. Pii V. Pontificatum complectentem, à religioſiſſimo, doctiſſimoque P. Jacobo Laderchio Congregationis Oratorii Presbytero concinnatam; in eamdem quoque ſententiam, propria ſubſcriptione, anno proximè præterito conſignatam, me veniſſe memini; omnium quidem infimus, ſed qui tarditatem ingenii mei vigilantioris, ac fortè moroſioris examinis diligentia ſupplere curavi. Eam quippè, non ſide tantùm Orthodoxæ, morumque doctrinæ, per omnia conſonam deprehendi; verùm etiam ſinceris ubique nixam documentis, ad conſtabiliendam veritatem factorum, per Novatores, alioſque illis faventes obtenebratam, omninò idoneis, & cognitu neceſſariis. Perſto autem in eadem ſententia; cum nihil ſit adeò, cur ab ea vel latum unguem diſcedere auſim, ut gravatè admodùm feram diuturnam iſtam, undecùmque ortam, dormitationem Typographi. Sic cenſui, iterumque cenſeo, meliore Judicio ſalvo. Romæ ex Collegio S. Bartholomei in Inſula Nonis Septembris 1726.

Fr. Antonius à Mazzaria Ord. Minorum Reviſor Deputatus.

ECcleſiaſticæ Hiſtoriæ continuationem, à Jacobo de Laderchio, Congregationis Oratorii Præsbyt. conſcriptam, jubente Reverendiſſimo P. Fr. Gregorio Selleri S. P. Apſto. Magiſtro, ea animi voluptate perlegi, qua opus aliquod ſuis omnibus numeris abſolutum, hiſtoriæ cupidus percurrere conſuevit. Enim verò, quid in illa non ſerium, non amænum, non jucundum denique, ac ſuave? Profectò ſi materiam aſpexero, occurrunt oculis S. Pii V. Pontificis geſta, talibus monumentis referta, ut eminentia doctrinæ, ſanctitas vitæ, rerumque gerendarum peritia, ita inter ſeſe de primatu contendant, quod tandem ſimul ſociata, optimi Pontificis, ac Principis ideam videantur exhibere. Si ſcribentis mentem, àc ſcopum, ita omnia diſpoſita invenio, ut nec plus æquo Eccleſiaſticæ poteſtatis fines amplificet, nec juſto minus ſæcularis jurisdictionis terminos contrahat. Sed ſingula limitibus ſuis ita ſervat incluſa, ut inter pietatis, & juſtitiæ tantùm confinia permittantur ſpatiari. Si ſtylum denique, & elegantiam ſermonis, quanta illi dignitas, quanta venuſtas. Prodeat igitur in lucem Opus iſtud in nominis auctoris illius, in Orbis univerſi decus, fulcimentum, emolumentum. Romæ ex Collegio SS. Vincentii, & Anaſtaſii XII. Kal. Junii 1725.

Leo Bartolotti Sacræ Theologiæ Lector, & Clericorum Minorum Provincialis.

Mar-

MArcus Antonius Muretus, vir eloquentia, & multiplici eruditione clariſſimus, in funere Pii V. Pontificis Maximi, paucis ante annis, Sanctorum faſtis adſcripti, Orationem habiturus, ita præfandum putavit. *Jam quaſi theſaurum quemdam rerum pulcherrimarum, ac pretioſiſſimarum aperiens, ſpectandumque proponens evolvam, & explicabo vera illa, & divina bona, quæ ſemper illum bonis amabilem, improbis formidabilem, utriſque admirabilem reddiderunt.* At nequiit profectò Muretus brevi temporis ſpatio, conciſaque oratione, quæ animo concœperat, verbiſque ſpoponderat, ut par erat, differendo, fidem ſuam liberare, ſed capita quædam attigiſſe, & delibaſſe contentus, alteri adcurrendum lampada tradidit.

Excepit ergo Jacobus de Laderchio, & improbo labore, acrique judicio, pœnè omni Bibliotheca excuſſa, pluribuſque detectis veterum monumentis, quæ carie, & ſqualore obſita in tenebris latitabant, & multorum diligentiam eluſerant, pulcherrimam, omnibuſque numeris abſolutam, Eccleſiaſticam contexuit Hiſtoriam, S. Pii Quinti Pontificatum complectentem, rebuſque ab illo præclariſſimè geſtis, ſuis, quibuſque annis accuratè admodùm conſignatis, Acatholicorum calumniis, & criminationibus detectis, pœnitùſque profligatis; more majorum, qui juſſu S. Philippi Nerii, à Chriſto nato S. Pii Quinti temporibus tenùs, magno Orbis bono, & Catholicæ Religionis gloria ANNALES ECCLESIASTICOS conſcripſerunt.

Hæc porrò Laderchii Eccleſiaſtica Hiſtoria, ceù tabula affabrè picta coloribus, & locata bono in lumine, graphicè, luculentaque oratione, deſcriptum exhibet Pium Pontificem Maximum, modò Principis perſonam ſubeuntem, modò, ut ſummum Eccleſiæ Hierarcham decet, ſacra, divinaque impigerrimè curantem; utrobique eouſque politicarum, & chriſtianarum virtutum choro ſtipatum, ut jure omnibus, & in omnibus admirabilem dixeris. Animi magnitudine, ac vigore omnia Chriſtiani Orbis Regna complexum, negotiis illorum extricandis, maximè Chriſtianam pietatem concernentibus, ſe ſuperimpendendo, felicem exitum inveniſſe, ſeu bella hoſtium Eccleſiæ repellerent, ſeu ultrò inferenda putarent. Atque hinc tanta rerum, copia & producendi ſermonis orta neceſſitas, ut non niſi Hiſtoriæ eorum temporum magna jactura omitti potuiſſent.

Propterea, quoniam hos Annales, ex mandato Reverendiſſimi P. Fr. Gregorii Selleri, Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri, legenti mihi nihil omninò occurrit expungendum, titulo quòd bonis moribus adverſetur, aut fidei dogmatibus diſſonum ſit; ego digniſſimos judico, ut prœlo quantocyùs committantur, publicique juris fiant. Neque in hoc video ullum agi Laderchii negotium, etſi magnos illum labores exhauſiſſe, in his conſcribendis, diffiteri non poſſim; ſed Eccleſiæ potiſſimum Romanæ intereſſe ſentio, geſta, quæ ignorabantur hujus S. Pontificis publicari, intelligens pios indè plurimum ædificationis capturos; Hetherodoxis verò, & improbis in confuſionem ceſſuros. Ita videbatur ſub cenſura &c. Ex Conventu S. Franciſci ad Ripam Tyberis, die 25. Julii 1725.

Fr. Hieronymus de Monte Fortino Sac. Theologiæ Lector Emeritus.

Digitized by Google

ANNALES ECCLESIASTICOS, de anno 1566. ad annum 1572. à Reverendiſſimo Jacobo Laderchio Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Romæ, ingenti ſtudio elaboratos, ab univerſo literario Orbe, concupiſcenti animo anhelatos, ab ipſa Eccleſia diù deſideratos, pervadere tandem mihi conceſſum fuit. Quantam inde mentis jucunditatem, animi hilaritatem & delectationem percœperim, verbis explicare haud valeo. Quamvis ſiquidem pluribus in Operibus Auctoris ingenium ſimul cum pietate, eruditione, & doctrina pollens fuerim demiratus; hiſce tamen in Annalibus, levatum ſe ſupra ſe conſpexi: quandoquidem cum ſtyli elegantia ſolertiam bonam, rectum ordinem, ac optimam methodum, cum geſtorum multitudine, & rerum ſelectione, claritatem ſimul, & brevitatem non modicam adauxit: uno verbo dicam, ſuorum Prædeceſſorum veſtigia adamuſſim proſequens, dubio procul falſitatum *collegit zizania, & alligavit in faſciculos ad comburendum*: Veritatis *autem Triticum congregavit in Horreum Chriſti*. Quapropter, cùm, Reverendiſſimo Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro mandante, ſtudioſè illos revoluerim, & quidquid, vel bonis moribus, vel Sacris Fidei dogmatibus adverſatur, in illis non deprehenderim, imò favorabile omne repererim; in votis ſum, ut publico lumine fruantur. Dabat Romæ, die 36. Februarii 1725.

Fr. Leo à S. Felice Carmelita Diſcalceatus Sacrar. Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor.

ECCLESIASTICOS ANNALES, Auctore Jacobo Laderchio, Congregationis Oratorii Presbytero, Reverendiſſimo P. Fr. Gregorio Selleri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro mandante, non parva animi oblectatione perlegi. Veſtigia doctiſſimorum Prædeceſſorum ejuſdem Congregationis imitatus, diù laboravit Auctor, ut ſecerneret pretioſum à vili, verum à falſo, & ad Reipublicæ Catholicæ utilitatem, & Eruditorum jucunditatem, Opus, à pluribus exoptatum proferret. In varietate eventuum demonſtranda, non varius, & inconſtans reperitur, ſed firmus in amplexu veritatis. Non multus in verbis; magnus autem in rebus, prolixitatem devitans, dum brevis eſſe vult, obſcurus non fit; ſed claritatem brevitati adjungens, paucis multa complectitur. Quare, cùm nihil bonis moribus, aut noſtræ Fidei dogmatibus diſſonum contineat Opus, ſi Lector non lividis oculis aſpexerit, juxta votum, erit delectatio jugiter adhærens veritati. Dabam in Collegio S. Pancratii extrà, & juxta Urbem. Die 25. Januarii 1725.

Fr. Maurus Ab. Annunciatione Carmelita excalceatus Controverſiarum Lector.

Dii


Diù tandem deſideratum, Opus continuationis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de anno 1566. ad annum 1572. Auctore Jacobo Laderchio Faventino Congregationis Sancti Philippi Nerii de Urbe, ego infraſcriptus, præcipiente Reverendiſſimo P. Fr. Gregorio Selleri, S. P. Apoſt. Magiſtro, attentè legi, & pervolui, atque ſingulari doctrina, ordine, & methodo elaboratum reperi. In eo enim geſta Summorum Pontificum S. Pii V. ac nonnulla Gregorii XIII. exculta ſtyli elegantia, & compendioſa brevitate, luculenter, ac nervosè referuntur, ut quæ aut in aliis Scriptoribus deſint, vel ob defectum notitiarum omiſſa ſint, ſivè aſſerantur, quæ Sanctitatem tanti Summi Pontificis Pii V. obnubilant; ab eo, ex certis, ac indubiis fontibus eruta habeantur, & reſpectivè tot monumentorum, rationumque denſitate rejiciuntur, ut nullus vix hucuſque alius eruditus ità peragere excogitarit. Quamobrem. cùm eidem Operi apprimè congruat (S. Gregnrii Nanzianzeni elogium ad Nicolaum) *Hiſtoriam videlicet hanc conglobatam quamdam, & coacervatam Sapientiam eſſe, hominumque multorum mentem in unum collectam*; nihilque in eo ſit omninò non pium, nihil alienum à mente Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ, ac nihil non redolens inſignem ipſius Authoris, eruditione pari, cum pietate conjunctam, digniſſimum cenſeo, quòd in lucem prodeat, ut in omnes Chriſtianas regiones vulgetur, ad Dei gloriam, S. Rom: Eccleſiæ exaltationem, publicamque utilitatem. Romæ 7. Aprilis 1725.

Antonius Flavius de Sanctis Advocatus.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

TE DEIPARAM VIRGINEM, *ex ſterilibus, annoſiſque Parentibus Joachim, & Anna, voto concepto, genitam: trimulam in Templo præſentatam, ibique uſque ad nuptias cum Joſeph Virgine, maturæque ætatis Viro, commoratam. Quæ ab Angelo annunciata, ſingulari tuo aſſenſu, mundo ſuccurriſti perdito; Sponſoque tuo comite, ad Elizabetham viſitandam te contuliſti: Ac in Bethlem, abſque ulla prorſus naturali ſorde genito Salvatore, eum in Præſepio, in medio duorum animalium, Bovis videlicet, & Aſini humiliter reclinaſti; ac à tribus Magis Regibus, ſtella duce cognitum, & adoratum conſpexiſti. A quo, deinde baptizata, poſt ipſius Paſſionem, prima omnium, cum ex morte reſurrexiſſet, viſitata fuiſti. Quę demum ubi jam ad Patrem ille aſcendiſſet, Hieroſolymis mortua, & in Valle Gethſemane ſepulta, glorioſa reſurexiſti, & unà cum corpore ad Cœlos aſſumpta, & ſuper Angelorum Choros exaltata: in utraque Eccleſia, Solemnitatibus, præcipuoque cultu, ut decuit, ſemper ab initio, uſque ad noſtra hæc tempora, proſequuta es. Te (inquam) Matrem miſericordiæ, Sedem Sapientiæ, quæ cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo, omnium tuorum abiectiſſimus ſervus, qui præfata omnia de Te ſincero corde credit, & voce libera confitetur, humiliter exorat, & deprecatur, ut in tanto hoc Opere ſuſcipiendo, ſis ei adjutrix, præſidium, & virtus, nè oneri ſuccumbat, ac quidquid hoc in Tomo editum eſt, ad majorem ſit Omnipotentis Dei, Tui, & Sanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ gloriam. In nomine ſiquidem tuo, ſic incipit.*



ANNALES ECCLESIASTICI.

JESU CHRISTI ANNO 1566.	PII V. PAP. ANNO 1.	MAXIMILIANI II. IMP. ANNO 2.

I. REDEMPTORIS Annus milleſimus quingenteſimus ſexageſimus ſextus, Indictione nona, felicibus, fauſtiſque auſpiciis ingreditur; nàm die ſeptima Januarii, à vacatione Sedis, ob mortem PII Papæ IV. (qui juxtà nonnullos quinto, juxtà alios verò quarto Id. Decembris deceſſerat) nondùm elapſo menſe, S. R. E. Cardinales, maximo totius Catholici Orbis beneficio, Fr. Michaelem Ghiſlerium, ex Ordine Prædicatorum, Tit. S. Mariæ ſuprà Minervam, Præsbyterum Cardinalem, Alexandrinum nuncupatum, unanimi voto, adnitentibus præcipuè Carolo Cardinali Borromæo, Marco Scitico Cardinali ab Altaemps, ex Sorore Pii IV. Nepotibus, & Alexandro Cardinali Farneſio, Divino potiùs, quàm humano nutu, ad Sacroſanctam Petri Cathedram evehunt.

II. Et quidem divinitùs factam Cardinalis Alexandrini in Summum Pontificem promotionem, omnes palàm profeſſi ſunt, quos inter referre ſufficiat, quæ ex Epiſtola, à quodam Germano tunc in Urbe commorante ad Illuſtriſſimum Principem ſcripta, profert Archangelus Caraccia: [*Summi laboris* (Epiſtolæ ſunt verba) *ac moleſtiæ meæ ex itinere, duriſſimo anni tempore, acvla deterrima ſuſcepto, magna compenſatio illa fuit, quòd Reverendiſſimum D. Michaelem Alexandrinum, Pontif. Max. factum comperi, & ità factum, ut ejus* C *Pontificatum, Dei opus eſſe certiſſimum, omnium Cardinalium ſubitus, & ſummus conſenſus, tamquàm à vehementi Dei ſpiritu conflatus, comprobavit. Hic eſt ille Cadinalis, cui conſcientia optimæ mentis, ſententiæ libertas, ſpectata virtus, & integritas authoritatem dedit. Loquebatur in conſpectu Regum, & non confundebatur: non ſtudebat placere hominibus, & Servus Servorum Dei inventus eſt. Cum enim ſeptem filii Iſai adducerentur, ut primo Reg. 16.* D *non reſpexit Dominus vultum, neque altitudinem ſtaturæ eorum, ſed hunc perindè, ac illum Davidem, in ſumma præſtantis pietatis humilitate jacentem, elegit, qui in medio Fratrum ungeretur. Et qui ſemper Catholicæ Fidei cuſtos, ac tutor fuiſſet, meritò aliquandò eſſet ejus Princeps ac Summus Antiſtes*]. Sic apud Caracciam. Tanto enim & tàm repentino omnium conſenſu, Pontifex Cardinalis Alexandrinus renunciatus eſt, (alius ſcripſit) ut ſi cui fortè adhùc E dubium fuerat, hominum nè judicio, aut Divino numine, Summi Pontifices crearentur (quod tamen nemini unquàm bono dubium fuit), ea tota dubitatio, Comitiis pro ejuſdem in Pontificem aſſumptione habitis, ſublata eſſe viſa fuerit.

Arcang. Carac. de Geſtis Pii V. Epiſt. 1.

M. Anton. Muretum Orat. 20.

III. Cardinalium igitur, ex more, in Sacello, in quod renuens, ac reluctans perductus fuerat, adoratione peracta,

 re-

reliquum erat, ut deſignatus Pontifex propriæ ſe aſſentiri electioni, verbo, *Acceptamus*, profiteretur; ut id deindè, aſſueta ſtipulationis formula, monumentis traderetur. Inſtitit igitur Cardinalis Farneſius, uti S. R. E. Procancellarius, ut extemplò proprium, prolatione verbi præberet conſenſum. At ille cunctari cœpit, reſponſumque diſtulit, hinc indè variis, dubiis, multiplicibuſque mentis jactatus cogitationibus; ſummum ſiquidem honorem, importabile quoddam onus unà ſecum deferre, meditari cœpit, eique gerendo ſibi omnimodè vires non eſſe arbitrabatur. Ex adverſo verò occurrebat inſcrutabilis illa Dei Providentia, ſine cujus nutu nil evenit, quæ ultrò oblatum munus ſibi imponere, miro prorsùs modo diſpoſuerat, infirmaque mundi eligere conſuevit, ut fortia quæque confundat. Ei igitur tandèm innitendum intelligens, gemens tamen, ac tremens verbum emiſit, quod lex jubebat, & Pontificiam dignitatem aſſumpſit.

IV. *Ciccarell. in addit. ad Plat. Vit. Pontif. Ciaccon, & Carrier Cronolog. Pontif.*

In ſuffragiorum verò numero, quibus ad Apoſtolicam Sedem Alexandrinus evectus fuit, qui ea adnotarunt, diſſentiunt Scriptores: cum ex eis unus ſcripſerit, quinquaginta duobus, alii verò quadraginta novem ſuffragiis electum fuiſſe. Nihilominùs verior comprobatur poſterior ſententia, ex eo, quòd ſivè in Conclavi Cardinales fuerint quinquaginta, ſivè plures, nempè quinquaginta unum, vel duo: cum tamen inter hos Alexandrinus quoque connumeretur, evidens eſt hunc in ſe ipſum, proprium conferre nequiviſſe ſuffragium, ut contuliſſe neceſſe fuiſſet, ſi quinquaginta duobus ſuffragiis electio illius cõmprobata diceretur. Ex quo etiam alterius Scriptoris, quadraginta novem tantùm Cardinales ejuſdem Alexandrini creationi, ipſo non dempto, interfuiſſe aſtruentis, error convincitur: nam ſi eodem ſuffragiorum numero, quo electores recenſentur, electus fuiſſet, pariter ſequeretur proprium in ſe ipſum, electum eumdem contuliſſe ſuffragium; quod aſſerere omninò abſurdiſſimum eſſe, per ſe patet.

Ciacc. Chronolog. Pontif. Pio V.

V. Ex majorum conſuetudine, novus Pontifex nomen novum aſſumpſit, vocarique voluit, ac dici PIUS ejuſdem nominis V. id ſuadente, ac rogante Cardinali Borromæo, Prædeceſſoris avunculi memoriam in eo relevare exo-

A ptante. In Vaticanam Baſilicam deindè delatus, coràm Deo, atque univerſa populi multitudine juges lacrymarum imbres effudit. Sic enim abfuit, ut inanis cujuſdam lætitiæ tumor, ob inſperatum adeptum culmen, ipſum extolleret, quòd potiùs ſe ad ima deiiciens, in ipſo honoris apice tantò humiliorem, atque ad ſerviendum Deo arctiùs ſe promptiorem fore ex munere agnoverit; quantò ſe obligatiorem eſſe conſpexit in reddenda ſupremo Judici ratione. Nul-
B lam omninò ſe temerè, effuſèque efferentis ſpeciem præbuit; ſed & nihil excelſus ille animus aſſuetæ tranquillitatis amiſit; adeòut, cùm ſequenti, poſt ſuam aſſumptionem, nocte, ſe quieti dediſſet, tam gravem, inuſitatumque ſomnum cæperit, ut undecim continentes horas, vetante etiam dyſuriæ morbo, placidiſſimè conquieverit.

VI. *Jo. Eur. Haideger Hiſt. Papat. Eccleſ. Rom. period. 7. Carol. Stingel Abvas. ambus 2. Opt. Prelat. 1. pag. 153. Cornel. a Lapid. in Eccl. 12. 1. & Apocalipſis 3. 1.*

Idcircò, quæ in improbis, & commentitiis ſuis Hiſtoriis impiiſſimus Hæreticus, ſtatim ad Petri Cathedram eve-
C ctum, & ex noſtris ipſis Scriptoribus acceptum dixiſſe Pium refert, nempè: [*ſe Religioſum benè ſperaſſe de ſalute ſua; Cardinalem factum, cæpiſſe timere: Papam creatum penè de ea deſperaſſe*]. Ex quibus, videlicet, verbis perperàm conîcere ſtudet, ſupremum Dignitatis Apoſtolicæ apicem, ipſis Pontificibus noſtris in laqueum, & in ſcandalum viſum eſſe, quod tale reverà ſit: tamquam diſtortum, atque ineptum eorumdem verborum ſenſum contemni-
D mus. Qui enim iſtud effutire eſt auſus, Sacrarum Scripturarum, in primis (licèt earum uni, ac ſoli teſtimonio ſe plurimùm inhærere profiteatur) libros ignoraſſe, fateatur neceſſe eſt: in his ſiquidem legitur, quòd David etiam *deſperaverit*; cùm tamen uno, eodemque tempore protegentis Domini promeruerit auxilium. Alibi inſupèr ſe veniſſe in altitudinem maris, nec ultrà habuiſſe ſubſtantiam; imò ſe a tempeſtate profitetur demerſum; & nihilo-
E minùs à Salute Dei ſe ſuſceptum ſaſſus eſt; ut noſceremus, hæc, vel ſimilia deſperationis vocabula, uti in Davide, ſic etiam in Pio, nil, niſi vehementiſſimam ſignificaſſe propriæ ſalutis formidinem, quæ ritè unicuique incutitur, qui aliis præeſſe, & præcipuè in Eccleſiaſtica dignitate jubetur. Ex hoc enim non modico fuit terrore Paulus ipſe correptus; qui licèt, inquit Chryſoſtomus, Chri-

Primo Reg. 23. v. 26. Pſalm. 68. v. 1.

S. Io. Chryſoſtomus de Sacer. lib. 3. tom. 5. pag. 104.

A Chriſtum, præ cæteris, vehementiùs dilexerit, & nemo eſſet, qui apud Deum, præ ipſo gratioſior foret; poſt tot à Deo accepta privilegia, veritus tamen eſt, ac tremuit, principatus iſtius, ſubditorumque ſuorum gratia. Quæ igitur, ex animi, non dejectione, ſed humilitate, uti Paulus, Chryſoſtomus, & alii innumeri, qui Eccleſiis præpoſiti fuere, etiam Pius protulit, ritè comperiens, quanta Apoſtolici regiminis eſſet moles, & quàm ingens negocii illius difficultas; nullatenùs ad detra- B hendum Apoſtolicæ dignitati uſurpari queunt; nam ut Chryſoſtomus ipſe ſubdit (inſaniæ hujus, vel leviſſimam declinare volens ſuſpicionem), ſicùt, nec ferrum cædis, neque vinum ebrietatis, neque robur contumeliæ, neque fortitudo inconſideratæ audaciæ; ſed eos potiùs, qui præter quàm deceat, à Deo datis abutuntur, hujuſmodi criminum, ritè ac jure authores quiſque dicet: eodem planè modo, non Eccleſiaſticum culmen periculi, & damna- C tionis res, niſi iis efficitur, qui delata dignitate, vel abutuntur, vel tanti muneris partes non explent; quibus arbitrari ſatisfacere non poſſe, ut par eſt, non deſperati, ſed potiùs de ſe demiſsè ſentientis animi argumentum eſſe dignoſcitur.

S. Io. Chryſoſtomus ut ſupra.

VII. Sextodecimo autem Kal. Februarii, quo die S. Antonii Abbatis ſolemnitas recolitur, Pontificali corona Pius exornari voluit; cùm enim die ipſa editus in lucem fuiſſet, nova quadam, D felicique etiam quodammodò nativitate, Eccleſiæ renaſci voluit. Prohibuit tamen celebritatem illam, ſuperiorum temporum uſu, ſolemniter agi, vel feſtivo convivio, in quo mille aurei quotannis inſumebantur, excipiendiſque Cardinalibus, & Regum, Principumque Legatis conquiſitiſſimis epulis opiparè apparabatur; vel inconditæ populi multitudini, in S. Petri aream lætitiæ cauſa confluenti, diſperſa pecunia. Nam cùm fortuito hujus largitionis commo- E do pauci potirentur, & ii quidem, qui præ aliis validiores, minùs eâ egere videbantur; incommodum verò plurimi, ætate, aut viribus, vel adverſa etiam valetudine debiles, qui ab irruente turba multotiès attriti, & ſæpe etiam pedibus contuſi miserè peribant; inconſultam ideò hanc pecuniarum effuſionem, profanique aliquid redolentis con-

vivium abſtulit Pius, ut conſultiùs piorum egentibus cœnobiis, & verè indigentibus pauperum Familiis ſuccurreret.

Cæterùm Pium, ex hominibus & ab hominibus quidem aſſumptum, à Deo verò multiplicibus fuiſſe ſignorum indiciis ad Apoſtolicam præſignatum Sedem, cuncti ferè illius temporis Scriptores teſtantur; nam & Franciſcum Cardinalem Gonzagam, in Conclavi gravi morbo laborantem, ex quo obiit, Pii electionem præſenſiſſe, priuſquàm eveniret, tradunt; & idem ferè Geneſio Lucenſi, Fratrum Prædicatorum Cœnobii ad Minervam Præfecto accidiſſe referunt. Ipſam quoque divinitùs agnoviſſe S. Philippum Nerium, narrat Petrus Jacobus Baccius in vita ejuſdem; his verbis: *Pio IV. vita functo, quatuor, vel quinque circitèr dies, antequàm novus crearetur Chriſti Vicarius, Philippus, ex improviſo, fixis in Cœlum oculis, atque in extaſim propè actus: ſecunda, inquit, feria Papam habebimus. Interrogat, è ſuis unus, quemnam? Tibi, ſubiicit Philippus, rem aperiam. Die Lunæ ſub Veſperam Cardinalis Alexandrinus haud dubiè Pontifex fiet. Qui fuit Sanctæ, & glorioſæ mem. Pius V. quem multò ante Pontificem fore prædixerat.* Sic Baccius. VIII.

Petr. Iacob. Bacc. in Vita S. Philipp. Nerii lib. 1. cap. 6. num. 6.

Nèc Romæ tantùm, ſed alibi etiam, ad prænotandam divinitùs factam Pii aſſumptionem ſunt ſigna oſtenſa; uti illud, quod Galliarum Regis Tabellario, novi Pontificis creationem enunciaturo, & per diſpoſitos equos in Gallias properanti eveniſſe ſcribitur. Cùm enim ad Oppidum Boſchi perveniſſet (erat id Pii Patria, ut mox dicetur) præter conſilium, ab ordinaria, & recta, quæ extra loci muros eſt, via, declinans, ipſum Oppidum eſt ingreſſus; quod cum traiicere conaretur, quo vehebatur equus, in Foro ante Eccleſiam, tàm pertinacitèr ſubſtitit, ut quibuſlibet ſtimulis, ac calcaribus adhibitis, nullo modo ad cæptum repetendum iter, adduci potuerit. Confluentibus, ex incolis idcircò plurimis, equumque undequaque, & ipſis, ſed fruſtrà extimulantibus; tandèm Tabellarium percunctantur, undè veniat, quò vadat, quidve novi afferat. Fatetur ille novi Pontificis, Cardinalis nempè Alexandrini, creationis nuncium in Gallias deferre; quo dicto, en ſta- IX.

ſtatim equus, nemine tunc urgente, per ſe viam legere incipit, ſubindeque Tabellario iter ſuum feliciter proſequi licuit; cui obex tantummodò fuerat, miro ferè modo, aſſumptionem Pii, Patriæ ipſius ſignificare debuiſſe.

Sed præ omnibus, quibus Deus Pii hanc creationem in Pontificem teſtatam voluit, ea recenſenda ſunt proculdubiò portenta, (quæ tamen in Commentitiis Hiſtoriis ſuis, Hæretici pudore affecti reticuerunt) cœlitùs in Anglia demonſtrata. Dira ſiquidem Tyrannide Elizabetha Regina in Catholicos ſæviens, tunc eam inſulam premebat; quapropter, ut infrà narrabimus, ad exturbanda innumera Principis hujus, & immania flagitia, Apoſtolicæ animadverſionis gladio, Pius ipſam confodere coactus fuit. Quod igitur futurum erat, eodem tempore, quo Pius ipſe ad Petri Cathedram fuit evectus, miro ferè modo, Cœlum indicaſſe viſum eſt; nam Londini crinitus Cometes per eos dies apparuit, ignisque de Cœlo terribilis, ac ſanguinei coloris; truculentæque inſuper magnitudinis manus diſtrictum intentans gladium, minantis primùm, ac proindè percutientis Pontificis indicium fuiſſe; quæ ſubſequuta ſunt, ſatis, ſuperque comprobaſſe noſcuntur. De ipſa verò Pii in Pontificem electione, ad Henricum Cardinalem, deindè Luſitaniæ Regem, S. Carolus Cardinalis Borromæus ſcribens, hæc habet.

Epiſt. S. Carol. Borrom. ex Proceſ. Canonizat. Pii V. facto in Curia de mand. Cardinalis Millini anno 1616. & 1617. fol. 8.

XI. *Quia Cardinalis Alexandrini ſingularis pietas, integritas, ſolertia, ſenſuſque omnes pleniſſimæ Sanctitatis mihi jam pridem erant cogniti, & probati; putavi ab eodem percommodè, & divinitùs Chriſtianam Republicam poſſe adminiſtrari, ſi ad Pontificatum eſſet provectus. Quare omnem meam mentem contuli ad eam cauſam, it ut Pontifex crearetur; nec ita multò poſt, univerſi noſtri Ordinis incredibili conſenſu, & lætitia, Pontifex Max. eſt declaratus. Itaque hoc nomine tibi etiam valdè gratulor, quòd ſanctiſſimum, prudentiſſimum, & omni virtutum genere præſtantiſſimum habemus Pontificem, qui etſi ita flagrat ſtudio pietatis, ut nihil Sanctius fieri poſſit, tamen authoritate, & conſiliis tuis interdum, ſi non augeri, at certè excitari illius divina virtus poterit.* Hactenùs Epiſtola.

XII. Verùm. priuſquàm oſtendamus

A quiſnam fuerit Pius, cùm Pontificem geſſit; operæ prætium eſt, ut quænam ante Pontificatum geſſerat, ſaltèm breviter perſtringamus. Hæc ſiquidem de ipſo, Urbano VIII. Pontif. Max. tres Sac. Rotæ Auditores, nempè Joannes Baptiſta Coccinus, Philippus Pirovanus, & Clemens Merlini, Viri, tùm dignitate tùm ſcientia præſtantiſſimi, fideliſſimè retulerunt. *Pius V. antea Michael Ghislerius, natus eſt Boſchi, anno à partu Virginis 1504. die 17. Januarii, è nobili Ghislerioru Familia,*

Relatio trium Aud. Rotæ Urbano VIII. ex proceſſ. ſuper Canoniz. formati. ex Bibliot. Barb. M. S. 965.

B *quæ, relicta Bononia, natali ſolo hujus gentis, in varias Italiæ partes ſeſe diffudit. Decimoquarto ætatis anno, quod ab initio ætatis maximè optaverat, Sacro Prædicatorum Ordini nomen dedit, in quo divinis rebus maximè addictus, aſſidua oratione, piorumque librorum lectione frequenti, ingentes in vitæ ſanctimonia progreſſus fecit. Literis etiam adeò ſedulam navavit operam, ut Bononiæ per ſexdecim annos præſertim,*

C *atque Ticini, graviores diſciplinas publicè ſit profeſſus. Hinc ad majora gradum faciens, ſæpius ſui Ordinis Cœnobia, ſumma cum authoritate adminiſtravit, aliaque præclara in Religione munera adeptus eſt; ab his verò, cùm, propter humilitatem, maximè abhorreret, magiſque ad Sac. Inquiſitionis labores plenam adminiſtrationem propenderet, Comi primùm, Inquiſitor renunciatur; ubi, cùm plura hæreticorum volumina in Italiæ perniciem deſtinata retinuiſ-*

D *ſet, ac ſuppreſſiſſet; multorum odium incurrit, & Mediolanum primùm, deinde Romam ſeſe conferre coactus eſt. Plurimas Potentum inimicitias, minas, pericula vitæ, & capitis dimicationes ſubivit, ob ſingulare ſtudium ſervandæ veræ, ac Catholicæ Religionis, adversùs eos, qui illam, ulla ex parte, labefactare conabantur; quibus, majori cum laude, quàm anteà, ſuperatis periculis, Bergomum Inquiſitor dirigitur, ac poſtmodùm Romæ S. Officii Commiſſarius eligi-*

E *tur: Quo in munere cùm partes optimè impleſſet ſuas, ad Nepeſinum, & Sutrienſem, Epiſcopatum evectus, de anno 1556. tandem Sac. Purpura inſignitus, & Alexandrinus Cardinalis dictus, anno 1557. Incredile dictu eſt, quantam, in tanta dignitate, animi moderationem retinuerit, in ſe ipſum ſeverus, erga pauperes liberalis, in domeſticos, totamque Familiam benignus, ac*

comis,

comis, eorum tantùm commoda, non propriam voluptatem præ oculis habebat. Nihil unquàm ille, in dicenda ſententia, aut metui, aut gratiæ dedit; nunquàm, ad cujuſquam voluntatem, orationem ſuam accommodavit; nunquàm veritate quidquam prius, aut antiquius habuit. Summi etiam Inquiſitoris munus, quo decoratus fuerat, diligenter obibat; Montiſque regalis Epiſcopatui poſteà præpoſitus, illùc ſeſe contulit, & per aliquot menſes commoratus eſt, donec corruptos, & depravatos in illa Eccleſia mores, quoad fieri potuit, emendavit, atque compoſuit. Romam poſtmodùm reverſus, multiſque, ob Chriſtianam in dicendo libertatem, Aulæ Romanæ fluctibus agitatus, gravi etiam morbo laboravit, ex quo convaleſcens, non multò poſt in Conclavi, more Majorum, ſummoque omnium cenſenſu in Pontificem eligitur.

XIII. Hactenùs Sac. Rom. Rotæ Auditores, qui, eùm Pium, ex nobili Ghisleriorum, ex Bononia oriundum, licèt ex tenui tunc in Oppido Boſchi Familia, natum faciant; mendacii profectò arguunt ſubdolas Hæreticorum, ſed præcipuè Jacobi Auguſtini Thuani narrationes. Refert hic ſiquidem, blandientes quoſdam Pii fortunæ, poſtquàm in Pontificem creatus eſt, adinveniſſe, ex Bononia oriundam Ghisleriam Familiam, ob factiones olim eàdem in Urbe exortas, tandèm fuiſſe ejectam per portam, quæ ab eo tempore clauſa, demùm ſub hoc Pontifice aperta fuit, & Pia, de ejus nomine, nuncupata; additque alios ejuſdem Familiæ illuſtrandæ rationem adulatoriè commentatos, dum Conſiliarios, qui Romæ inter Familias nobiles habebantur, ità ob factiones nomen immutaſſe ſomniarunt, cùm priùs Ghislerii vocarentur; Et Pontificem, commentum hoc, authoritate ſua confirmando, eoſdem non ampliùs Conſiliarios, ſed Ghislerios deinceps appellari decreviſſe. Quæ omnia, licèt à veritate non ſint aliena, cum eadem ferè retuliſſe Catena videatur; tamen commentaextitiſſe, ad aſſentandum Pio, excogitata, audactèr nimis, & abſque ullo prorsùs fundamento, Thuanus idem, & alii pronunciaſſe cognoſcuntur.

Io, Enric. Heidegerus ſup. Fer. 7. Iacob. Aug. Thuanus

XIV. Cujus rei ea procul dubiò validiſſima argumenta ſint, quæ coævi illius Scriptores duo literis mandarunt, reli-

A ctis aliis pœnè innumeris, qui uno ore, ab inani hujus jactantiæ fumo, omninò expertem Pium profitentur; iique ſint Laurentius Surius, & Marcus Antonius Muretus; Primus enim hæc habet *Vir quidam Illuſtris Nepoti Pontificis filiam ſuam, Uxorem obtulit, cum dote egregia, ut poſſet Pontifici, ſanguinis affinitate, conjungi; ejus verò ergà ſe benevolentiæ Pontifex gratias quidem egit, ſed neque Ducis, neque Marchionis, neque Baronis titulis, ſuam ſe velle*

Hiſt. lib. 29. Fr. Lauren. Sur. Commerum in Orbe geſtar. anno 1566. pag. 220.

B *ornari Familiam, ait, quibus ea hactenùs caruiſſet.* Ex quibus profectò verbis apertè deducitur, non modò nobilitatis generis jactantiam, Pium nunquàm affectaſſe; verùm etiam ab ea, quæ ultrò ei offerebatur, nobilitatis ſpecie conſtanter abhorruiſſe. Cui verò magìs licuiſſet, quàm Oratori, qui poteſt juxtà Senecam, quæ parva ſunt approbare pro magnìs, & rursùm magna attenuare, & ad minima deducere; cujuſque eſt, Auditorij favorem

Senec. ad Paulin. de conſult.

C in primis, & gratiam ſibi vindicare, ſi Pio hujuſmodi deliramenta placuiſſent, iiſdem uti, ut ei aſſentaretur? Et tamen Marcus Antonius Muretus, in Oratione ad ipſum habita, pro Alphonſo II. Ferrariæ Duce, coràm Pontifice, imò Pontificem ipſum alloquens, iſta pronunciare non timuit. *Non enim fumoſæ majorum imagines, non invidioſa divitiarum magnitudo, non eblanditæ Principum commendationes viam tibi ad Pontificatum munierant; eadem*

Marc. Ant. Mures. Or. 20. pro Duce Ferrariæ.

D *illa virtus, quæ te ab ipſis incunabulis ſuſceptam perpetuò comitata erat, ſeriùs omninò, & votis noſtris, & meritis tuis, ſed tamen in iſto tandem celſiſſimo dignitatis, inter homines Deo proximæ, Solio, ſuis ipſamet manibus collocavit.* Quis temerè hæc, inquam, coram Pio, ſi ſtirpis ſuæ ingenuitatem jactitari voluiſſet, proferre auſus eſſet? Ejuſdem generis quoque ipſiuſmet Scriptoris alia ſunt reiicienda commenta, ut, vel ambitionem, vel crimina alia

E Pio impingat. Ridiculum verò, præ cæteris (quæ data opera omittimus) illud eſt, ob rei familiaris, nimirum, tenuitatem, Pium, S. Dominici Ordinem intraſſe: nàm, cum Sacrum eum Ordinem pauperes æquè ac divites ingredi conſueverint, nec pauperibus tantummodò pateat in ipſum ingreſſus: inter innumeros pauperes ſimul, ac divites, qui Sacræ in eo militiæ nomen de-

dedere,utDivinis liberiùs vacarent;qua ratione Thuanus, ut propriæ tantùm neceſſitati conſuleret,ſcire potuit, unum Pium in eumdem allectum?

XV. Quia verò præfati Sac. Rotæ Auditores ſilentio prætereunt, à quibus Pontificibus, ad Eccleſiaſtica onera ſubeunda paulatim Pius perductus fuerit; ideò audiendi, qui prolixiùs ipſius geſta ſcripſere; inter quos Archangelus Caraccia, cui cæteri concordant, tradit, à Julio III. inſtante Jo. Petro Cardinali Caraffa primario Congregationis Sac. Inquiſitionis Præfecto, Fr. Theophilo in Urbe S. Officii Commiſſario vita functo, in ejus locum Fr. Michaelem Ghislerium ſuffectum; A. D. 1551. menſe Junio, inquit Gabutius. Poſt mortem vero Julii III. ſubindeque Marcelli II. qui duos, & viginti tantùm dies Pontificatum tenuit, Anno 1555. decim. Kal. Junii, ad Petri Cathedram ſublimatus eſt,quem memoravimus,Caraffa Cardinalis, Paulus IV. appellatus, qui Nepete, & Sutrii Fr. Michaelem anno 1556. menſe Septembris, licèt invitum, dixit Epiſcopum; Sequenti verò anno 1557. Idib. Martiis, eumdem in ampliſſimum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptavit. Et tandem anno 1558. generalem, & ſupremum Inquiſitorem in univerſa Chriſtianâ Republica creavit; quod, nimirum, munus, ſicùt anteà, ità poſt, alteri collatum non fuit; imò ipſe ad Apoſtolatus apicem exaltatus Pius, ſoli Summo Pontifici id convenire declaravit, & ſtatuit. Mortuo verò Paulo IV. quint. dec.Kal. Septemb. anno à Chriſto nato 1559. qui ſubrogatus eſt,Pius IV. Fr. Michaelem Cardinalem Alexandrinum, à Nepeſino, & Sutrino Epiſcopatu, ad regendam Montis Regalis in Subalpinis Eccleſiam tranſtulit; è cujus adminiſtratione paulò poſt revocatur, & ad Supremam Sacræ Inquiſitionis adminiſtrationem, Romam revertitur; quo in munere, ob conſervandæ veræ, ac Catholicæ Religionis ſingulare ſtudium, multa perpeti coactus eſt; quòd nempè, adverſùs eos, qui ipſam, ulla ex parte, labefactare conarentur, implacabilem ſe ſemper oſtenderit: adeòut in illos, qui ab Eccleſia deſciviſſent, niſi aut ipſos erroribus, aut ipſis orbem purgaret, durum atque inexorabilem ſe præbuerit.

Archangel. Carac. De Vit. & geſt. Pii V. cap. 1.

Io. Ant. Gabut. Vit. Pii lib. 1. cap. 3.

XVI. At ex tali, & tanto fidei zelo, quo, A ſacro Inquiſitionis munere fungens, errores odio habuit, illorumque authores perſequutus eſt, viſa eſt in eo natura ſeverior, quàm Principi conveniret: quapropter Romanus Populus, Pii gratulatus non eſt electioni; metu enim interprete, omnia in deteriora vertente, mæror, ac pavor ingens evaſerat, nemine ferè ſibi non timente, ab hominis aſperitate, cùm aliud nihil, quod ei idem populus objicere poſſet, haberet. Verùm quàm citiſſimè evanuit fallax iſta B ſuſpicio, & Pius oſtendit, in hominibus non homines, ſed vitia tantummodò odiſſe, nàm ſicut hæc, implacabili, ut par erat, animadverſione inſectari nunquàm deſtitit; ſic qui eo, bonos, & rectos homines magis honoribus, favoribuſque proſequeretur, nemo fuit. Cum perſenſiſſet idcircò eam, de ſe Populi Romani ſententiam à Familiaribus ſuis; ut inconſultam meritò vociferationem refelleret *Confidimus, inquit, Deo, ejus ope nos ita facturos, ut majorem, ac lon-* C *giorem ex obitu noſtro, quàm ex hac ſuſcepta dignitate mærorem homines capiant*. Ad hoc inſuper Pii nomen ſumpſiſſe, ut conceptum de ſeveritate timorem, in ſpem benignitatis verteret, Thuanus & Spondanus ſcripſerunt; ſed ſine ullo prorsùs fundamento, nàm,ſicùt præfatam plebis opinionem, in ipſo creationis puncto, quo nimirùm hoc nomen aſſumpſit, a Familiaribus accepiſſe veriſimile non videtur; ità alia potiùs ſuadente ratione, nomen illud prælegiſſe, D probabiliùs adſtruitur, ut ſuprà adnotavimus.

Thuanus ut ſup. Spon. Annal. Ecc. ann. 1566. n. 1.

Ut conceptam igitur Severioris ingenii formidinem, in pietatis & clementiæ fiduciam verteret novus Pontifex, populumque à ſe fauſtiora expectare induceret, regimen à munificentia inchoavit: habita enim omnium, & ſingulorum pauperum ratione, & numero, per illos, quibus munus hoc mandaverat, eos effuſis eleemoſynis ſublevavit. XVII. E Virginum plurimarum, quibus, aut exiguum, aut nullum erat patrimonium, quarumvè idcircò pudicitia periclitabatur, pecuniis, dotis nomine, impenſiùs ſuppeditatis, pudori cavit; & aureis mille, ſingulis annis, dividendis Urbis Monaſteriis inopia laborantibus, voluntariæ paupertatis ſectatorum penuriæ ſubvenit. Triginta, & octo tenuioris cenſus Cardinalibus, viginti millia, & nongentos, vel, ut quidam ſcripſit, octo-

octoginta millia aureos, inter ſe viritim tradidit partiendos; & ſingulis Sac. Rotæ Judicibus ducentenos tribuit. Familiaribus verò Cardinalium, qui Comitiorum Conclavi præfecti, magnos labores, & vigilias ſuſtinuerant, aureorum decem millia dono dari, immunitateſque, & beneficia, antè in eos collata, nihil imminuta eſſe voluit.

XVIII. Præ cæteris verò nobilis illius animi, generoſis operibus, egregium ſanè illud fuit, quod in Comitem Annibalem Altaempſium liberaliſſimè contulit, beneficium. Is paulò antè, quàm Pius IV. obiiſſet, Caroli Cardinalis Borromæi ſororem, Uxorem duxerat, eâ promiſſione, ut dotis nomine centum aureorum millia Avunculus ei elargiretur. Cùm autem, ex Eccleſiaſtico Ærario pecunia hæc promenda eſſet, defunctus Pontifex hac de re Cardinales in Conciſtorio in conſilium adhibuerat, qui ferè omnes ipſius comprobarunt conſilium, præter Cardinalem Alexandrinum, qui adeò profuſæ Eccleſiaſtici cenſus largitioni conſtanter obſtiterat. Super ea re nihilominùs diploma conſcriptum, Pontificioque ſigno munitum, expeditum fuiſſe, ſcribit Gabutius. At contrarium tuetur Catena, qui diploma ipſum, duodecim poſt annos à ſe viſum atque diſcuſſum aſſerit; & cùm in eo verba illa neceſſariò apponenda. *Donatio cauſa mortis* deſuerint: meritò temeritatis arguit Scriptores, qui diplomatis primis, ac veris exemplaribus non perpenſis, juſtitiæ æquè ac generoſitati Pii, detraxere; excogitantes eum, ex centum millibus aureis, a Pio IV. Altaempſio donatis, quinquaginta millia ſubtraxiſſe; cùm potiùs oppoſitum evidenter appareat, ipſum, nempè, nihil ei omninò debuiſſe, poſt Prædeceſſoris mortem, cujus tantùm fato, promiſſa Avunculi non impleta, omnemque præreptam ſummam, Altaempſius ipſe tribuere debuit.

Gabut. Vita Pii lib. 2. cap. 9. pag. 30. Caten. Vit. Pii pag. 26.

IX. Quod igitur donationis jure, à præmortuo Pontifice factæ, ſe ritè expetere non poſſe Altaempſius cognovit; precibus à Pio obtinuit, cui, cum ſuperioris Pontificis in ſuos indulgentiæ adſtipulari non placeret, nec tamen excuſſum dimittere ſupplicitèr exorantem vellet; in eam tandem ſententiam deſcendir, ut aureorum qninquaginta millia Altaempſio eidem numerarentur; Ex quo ſiquidem munere innotuit, quàm inani opinione ducerentur, qui eum Pii IV. propinquis minùs benignum, aut præteritarum offenſionum vindicem fore ſuſpicabantur; Et rurſus quàm falsò aliquis ſcripſerit, ob in ſe collatam à Borromæo, & Altaempſio Pontificiam dignitatem, donum hoc conceſſiſſe; cum non niſi omnium fermè Cardinalium, & Ludovici Requeſenſii, Catholici Regis, in Aula Pontificia Oratoris rogatu, ipſum tribuerit. Decem millia aureorum autem Fabritium Sorbellonum Altaempſii Conſobrinum, ob egregia merita, & optimè navatam in Avenionenſi Præfectura operam, præmio decoravit; Et, ne aliquid deeſſet, quo excelſi illius animi liberalitas, generoſitaſque comprobaretur, cùm plurimi, ſtatim ac ille Pontifex renuntiatus eſt, qui eum injuriis, ac probris laceſſiverant, præteritarum ipſum injuriarum vindicem pertimeſcentes, de conſcſcendo ſibi exilio voluntario, conſilia inter ſe communicarent; à ſententia revocati fuere, non tantùm, quia Pium pro malo malum nunquàm redditurum, ſed inſuper, quia multiplicibus proſequuturum beneficiis, qui ſe conviciis affecerant, perſenſerunt: quod exitus comprobavit: cùm non modò plurimos in ipſos, favores, & gratias contulerit, ſed eas inſuper, quas benevolis, & amicis denegaverat, illis ultrò concedere beneficentiſſimè conſueverit.

Thuan. ut ſupra. Gabut. ut ſupra. Campan. Vit. Philip. II. lib. 18. Hadrian. Hiſtor. lib. 19.

Sub ipſo etiam ſui Pontificatus initio, XX. inſigne aliud edidit clementiæ ſpecimen, quo abſolutiſſimè nimiæ ſeveritatis notam evicit. Rem narrat Gabutius his verbis: *Nebulo quidam, evulgato maledico, & famoſo carmine, Pontificem petulanter inceſſit: is ſubindè comprehenſus, & in quæſtionem traditus, crimen eſt confeſſus. Quamobrem, ex legibus, ab aliis Pontificibus olim præſcriptis, cùm univerſis, quibus abundabat fortunis, tùm verò ſeveriſſimo genere mortis plectendus erat. Sed antequàm lege in eum ageretur, juſſit Pius eum coràm ſe ſiſti, & carmen ſuum recitare, tùm exponere, cujus vel conſilio, vel voluntate id conſcripſiſſet. Dicenti, ſe, non niſi mali Dæmonis id inſtinctu feciſſe: Si tu mihi, inquit Pius, uti ſummo Pontifici maledixiſſes, haud quaquàm ferres impunè; At verò, quia in Fr. Michaelem, in Monachum humilem, in Cardinalem Alexandrinum convicia jactaſti, abi liber, quò velis. Ego verò humili-*

Gabut. Vit. Pii lib. 6. cap. 7. pag. 216.

A *militatem generis, vitæ, & habitus mei ſemper, & animo retinebo, & libens confitebor, eroque vilis, & abiectus in oculis meis*. Demùm illum commonefecit, *nè ejuſmodi ſe ſcelere jam ampliùs obſtringeret, juſſitque, ut ſi quid unquàm ab ipſo minùs rectè factum ille comperiſſet, ſe conveniret, atque id ſibi renunciaret; nàm ad ſe ipſum emendandum benè paratum eſſe; atque ità reum dimiſit impunem* Hæc Gabutius, quæ quidem non modò præclaram Pii V., de qua loquimur, lenitatem, ac cle- B mentiam declarant, ſed ex nobilitate generis deſumptæ inanis jactantiæ, inſignem quoque contemptorem oſtendunt.

XXI. Sacerdotalem munificentiam ſimul, ac lenitatem in Pio, reliquæ quoque virtutes comitatæ ſunt: ſi primùm enim domeſtica, ac privata ſpectamus, eamdem in victu, cultuque parſimoniam retinuit, quibus à principio ſe, cùm adhuc in Monaſterio eſſet, aſſuefecerat. C Eadem Jejunia fuere, eædem preces, eadem ſtatis anni temporibus Adventûs, Quadrageſimæ, aliorumque dierum, quibus præcipitur, abſtinentia; quam, tàm exactè in omni vita ſervavit, ut nulla corporis infirmitate, vel ingraveſcentis ætatis onere, ſe ſacris ſolutum legibus voluerit; quin potiùs in gravioribus Eccleſiæ neceſſitatibus, & publicis ærumnis, graviori ſe quoque affligtabat inedia, qua, ad Divinam Miſericordiam promerendam, D corporis ſui hoſtiam ſe immolari debere, pro ſibi commiſſo Grege, arbitrabatur. Quam ad rem memorabile eſt illud, quod in vita S. Franciſci Borgiæ Andreas Scottus, ſeu potiùs Petrus Ribaduneira, his verbis narrat. *Abſtinentiæ immediæ causâ, dolorumque ventriculi imbecillioris, morbique cardiaci, viginti ferè annos, à piſcium eſu abſtinere Medici (Franciſcum) jubebant, quadragenarii jejunii tempore, niſi in diſcrimen caput, vitamque ad-* E *ducere vellet. Quibus quidem non parere durum videbatur, atque incommodum: evicit tamèn precatione, animique celſitudine. Audito enim, Pium Quintum Pontificem Max. ætate majorem, annua jejunia religioſè ſervare, nulla ætatis feſſæ, atque decrepitæ habita ratione, idem ſibi vel capitis diſcrimine tentandum putavit. Quod, cùm benè, feliciterque eveniſſet, abſque*

Andreas Scot. Vita S. Franc. Borg. lib. 4. Cap. v. n. 6.

valetudinis detrimento, diuturna illa verni temporis jejunia, & Quatuor anni partium, atque Adventus ſervare perrexit: mirantibus, qui corpuſculi imbecillitatem noſſent; ſed à Deo vires, quod res erat, celſo animo ſuppeditari exiſtimabant. Sic ille.

XXII. Cùm verò congeminatis jejunio diebus, ſe reficiendi ſuccedebat voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret: dicere ſolitus, gulæ illecebris addictum hominem, caſtum eſſe non poſſe; ideòque cibum, addebat, tamquam medicamentum, ad inſtaurandas tantùm corporis vires eſſe capiendum, ut actionibus quiſque ſuis operam dare valeret. Ut negociis liberiùs vacaret, ut plurimùm non prandebat, ſed valdè diluculò, ſacro peracto, breve jentaculum ſumebat, aut ſorbendo bino ovo, aut juſculi parùm ebibendo. Quandoque unica etiam comeſtio, prandium ei erat ſimul, ac cœna; ſed ſivè cænaret, ſivè pranderet, id publicè facere paſſim conſuevit, & tunc ad pellendam ſitim bis, teruè pocillum bene dilutum exhauriebat, ut refert Gabutius: Verùm Hieronymus Catena, qui rerum a Pio geſtarum teſtis, & ſpectator fuit, in parvo ſimplo, unà tantùm vice, primùm bibiſſe; deindè, monente Medico, qui non parùm dyſuriæ, quo laborabat, morbo, id obeſſe animadvertit, bis tantùm eodem in ſimplo vix potum admiſiſſe, aſſerit. Cibos autem, ut plurimùm, ex amaris oleribus, & magnâ ſimplicitate, ſale tantùm, ac oleo paratis, cùm potiſſimùm jejunaret, nec aromatibus, aut ſaporibus guſtum acuentibus volebat eſſe conditos; licèt eſculentiori victu uſus, priuſquàm ad Pontificatum aſcenderet. Dum edebat, ſilentium fiebat ſemper, nec, niſi nutu pincernam monebat, cùm bibere vellet; accumbenti verò ſibi, cùm magnam rerum omnium munditiam, tùm in primis Sacram perpetuò voluit lectionem adhiberi, quæ præcipuè erat librorum de Conſideratione, quos S. Bernardus ad Eugenium conſcripſit: quorum, Pontificibus perneceſſaria monita, auribus percipiens, tacitus conferebat in corde ſuo, ut ea pro temporis, perſonarumque opportunitate in praxim deduceret.

Gabut. Vit. Pii lib. 6. cap. 13. Caten. Vita Pii pag. 30.

XXIII. Quòad veſtitum, eadem, quæ priùs, interioris indumenti aſperitas; exterior au-

Digitized by Google

autem amictus, idem fuit, quo anteà Paulus IV. uſus fuerat; eoque quidem cootentus extitit, donec hooeſtè eædem exuviæ adhiberi potuerunt; neque item per anoum totum indumenti quidquam innovavit, præter laoeam tuniculam, qua, loco lioeæ ſubuculæ, ſe ſemper contexit; increpuitque miniſtrum, qui ei ejuſmodi tunicam ex ſubtiliori panoo confici curaverat; quam etiam, ob id prorſùs omninò reſpuit, priorem, quæ vilior erat, & craſſior, repetens. Et eodem pari modo oblatum ſibi, ex laoa Conchenſi, panni munus, rejecit, quod pretioſius, ac delicatius exiſtimaret, quàm ſua ferret conſuetudo. Dormire non priùs cupiditas, quàm neceſſitas fuit: tantò eoim antè lucem exurgebat, ut ad eum cooſulendum, prælatis facibus accederetur; jeotaculo ſiquidem valdè, ut diximus, manè ſumpto, ſtatim ſe negotiis audiendis dabat: quo in labore, æſtate quidem, ad horam uſque nonam; hyeme verò ad ſolis occaſum, ſæpè etiam ad multam noctem, prorſùs immobilis perſeverabat. Confluentibus omoibus benigniſſimè aures præbebat; ſed præcipuè pauperibus: quibus auſcultandis ounquàm ſe moleſtiâ affectum, defatigatumque oſtendit; inconſideratas ſæpenumerò, & æquo prolixiores ipſorum ratiocinationes, imperturbabili animo ſuſtineos; quin & depoſitis Pontificalibus indumeotis, ut ex habitus qualitate, diminutâ majeſtatis formidine, audentiùs ſibi, quæ diceoda habebant, patefacere poſſent, monaſtico tantùm habitu indutus eos excipere conſuevit. Loquentem neminem uoquàm interpellabat, & ipſe beoignè, raro, ac ſeriò loqui conſuevit, ſæpè laborans io verborum, quæ propria & ſignificantia eſſe ſibi viderentur, inventione; atque in hoc tàm accuratam diligeotiam adhibuiſſe fertur, ut nullum propemodò ex ejus ore verbum prodierit, quod non, aut ad Dei laudem, vel ad propriam ſalutem, vel ad eorum, qui aderant, emendationem pertioeret. A Medicis, & Familiaribus commonitus, ut è tàm aſſiduis, diuturniſque laboribus prolixarum adeò audientiarum temperaret, nè, hanc ob cauſam, citiùs ſibi vitam præſcinderet; reſpondit, planè dignam Pio ſententiam: Se, videlicet, à Deo in eo gradu cooſtitutum, non ut ſuis, ſed alienis ut commodis conſuleret: Principiſque

A eſſe, conſcientiæ magìs, quàm corpori ſatisfacere.

XXIV. Quotidie ferè ſacrificabat; ſi id non poterat, omninò tamen Sacroſancto Miſſæ Sacrificio iotererat. Orationis verò ſtudio adeò erat addictus, ut ante lucem, perſoluto Horarum Canonicarum quotidiaoo Officio, io ea diù immoraretur, & itâ defixus, ut ad ſe ioterpellandum accedeotes, niſi veſtis tractu ſibi reſtitutus, vix exaudiret. Ex illa demùm ſic extrà ſe raptus rece- B debat, ut percunctantibus, ad rem ſatìs non reſponderet: ità, quamquàm in terra poſitus, verſari videbatur in Cœlo. Quæcumque agere, & aggredi meditabatur, cum Patre luminum conferebat, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta procedunt opera: dicere ſolitus, orationem, unum, verumque Pontificum eſſe præſidium. Beatiſſimæ Virgiois Roſarium, licèt innumeris præpeditus negociis, nunquàm recitare omiſit; atque Defunctorum, ſu- C blevandis animabus, quotidie etiam ſacras preces adhibere conſuevit. Et hanc quidem vitæ rationem, à primo ſuæ aſſumptionis die, ad mortem uſque immotam retinuit.

XXV. Tota quoque Pii Familia, Domini ſui veſtigiis inhærens, optimè compoſita fuit; id in primis, eo ipſo expoſceote, qui alios probè regere voleoti, ſe ipſum in primis, domumque ſuam benè moderari debere, dicere conſueverat. Quapropter, licèt ſibi totius Domioici D gregis curam demandatam agnoſceret, peculiari tameo modo, hac ipſa de cauſa, domeſticorum ſuorum commiſſam ſibimet ſollicitudinem exiſtimabat; quod, nimirum, ab una ſua Domo, cæteras quoque Urbis, & Orbis Eccleſiaſticorum Familias ſuſcepturas arbitrabatur, quod ſectarentur exemplum. Idcircò, hoc ſui Pontificatus ioitio, iis accerſitis, penès quos erat rerum domeſticarum cura, ſe, nonniſi ſpectaræ iotegritatis homines, domeſticos habe- E re velle, iiſdem edixit. Ipſos autem omnes convenire juſſos, gravi adhortatiooe excepit, qua, præ omnibus, ſolius Dei honorem, & mandatorum cuſtodiam, æternæ vitæ retributiooem, ſpretis hujus ſæculi rebus ſectari docuit; quam ut faciliùs cooſequi valerent, præſcripta quædam inviolabiliter ab illis ſervanda propoſuit. Io his fuere, ut unuſquiſque nomen ſuum, & quibus

eſſet initiatus Ordinibus, quibuſvè Eccleſiaſticis potiretur beneficiis, exponeret; Quod nempè ſcire voluit, ne ſuorum quis plura, quàm jure poſſet, beneficia poſſideret; vel ab Eccleſiis, quæ reſidentiam exigunt, longiùs abeſſet, vel ut demùm compertum haberet, quibus eorum, quæ conferenda erant beneficia, ritè, ac jure conferre poſſet. Cunctos verò ſuæ Familiæ Sacerdotes ter ſaltem in hebdomada ſacrum facere juſſit; qui verò Diaconi, aut Subdiaconi eſſent, quintodecimo ſaltem die ſacram communionem percipere indixit; imò ipſemet non rarò, tùm Clericis, tum laicis cunctis Pontificiæ Familiæ, Dominicum diſtribuere Corpus, manu propria conſuevit. Omnes autem, qui Clericali militiæ nomen dediſſent, vel Eccleſiaſtica bona obtinerent, Clericalem etiam gerere habitum talarem, & tonſurato capite incedere juſſit. Lanea tamen cuncta ſuorum voluit eſſe indumenta, nec ex holoſerico interiùs, exteriuſvè ipſis aliquid addi permiſit; imò ſæcularibus ſuis pennulas, & galeros, præterquam ad arcendam pluviam, & inſupèr linearum ſubucularum elaboratas plicaturas, & turgida fæmoralia pœnitus interdixit. Demùm ſic Pius Familiam compoſuit, ut cùm, multis in locis, Principum Familiares, quique in Aula Regum ſunt; vel quia mollibus veſtiuntur, vel arrogantiâ, & cæterorum contemptu, & dicendi, & faciendi quidquid collibuerit, licentia, diſtingui ab aliis ſoleant; ipſe ſuos ità inſtituerat, ut nulla re magìs, quàm ſingulari modeſtiâ, & præcipuâ quadam Sanctimoniâ vitæ, a vulgaribus dignoſcerentur.

Ex M.S. Cod. Bibliot. Chiſian. Tomo 1589. pag. 1.

XXVI. Ter inſuper in hebdomada in Apoſtolico Palatio Sacram Lectionem haberi juſſit, cui omnes intereſſent; libroſque ad pietatem animum inflammantes præſtò eſſe mandavit, ut iis legendis aulici ſedulò incumbentes, otium devitarent; & ne quis lectioni, aut lectionis auditioni ſeſe ſubduceret, de auditis, lectiſvè, eos inter ſe conferre præcepit. Utque vanas, inutiles, perverſaſque confabulationes eis omnino interdiceret, vel, ex libris, vel aliundè ſumpto argumento, de pietate, & iis, quæ ad religiosè informandam vitam ſpectabant, inter ſe etiam diſſerere juſſit. Imò ut Domi, foriſque ſe ipſos bonorum operum exemplum præberent, non niſi cum Religioſis, gravibuſque Viris conſuetudinem illos habere permiſit. Ne quis verò harum, ſimiliumvè, quæ facienda propoſuerat temerator exiſteret, Nicolaum Ormanettum elegit, qui cunctos admonere, ſingulorumque actiones perluſtrare deberet, facta ei etiam prævaricatores puniendi, atque ejiciendi poteſtate. Poſt ſecundam noctis horam, omninò è Sacro egredi Palatio cuique prohibitum fuit; qui ſecùs faciebat, vel ſaltèm facere moliebatur, is in ſchedula, quam Pontifex ipſe quotidiè legere voluit, notabatur. At, quia publicæ Eccleſiæ neceſſitati effuſiùs ſubvenire concupivit: idcircò non tantùm ſumptus quoſdam, quos dignitatis gratiâ prædeceſſores Pontifices facere conſueverunt imminui, & ad tenuem ſummam redigi mandavit; verùm etiam Famulorum turbam in paucos, & permaximè neceſſarios coegit; quos dimiſit, muneribus locupletavit: illis verò, quos apud ſe retinuit, duplicatum ſtipendium attribuit, ut eo contenti, nullatenùs penſionibus, vel Eccleſiaſticis bonis, nec pro ſe, nec pro aliis inhiarent. Et ne quid Paternæ, & Paſtorali ejus ſollicitudini erga Domeſticos univerſos deeſſet, Præfecto Cuſtodiæ corporis ſui indixit, ut ea omnia, quæ propoſuimus, pro viribus, perſonarum, temporiſque opportunitate, a militibus quoque ſuis præſtari curaret; quæ ut faciliùs peragere valerent, ter in hebdomada, quadrageſimali præſertim tempore, ab Helvetico Concionatore, vernacula lingua, ipſis concionem haberi imperavit.

XXVII. Nec tantùm ſuæ Domûs homines probitatem ubique redolere; verùm etiam domum ipſam, nil, niſi Sacrum, ac pium intuentibus præſeferre contendit. Idcircò inanium Deorum ſimulacra, Ethnicę ſuperſtitionis pretioſa quædam fragmenta, quibus à Prædeceſſoribus, Apoſtolici Vaticani Palatii Theatrum decoratum fuerat, ſtatim ac Pontifex renunciatus eſt, aliò aſportari mandavit; nec ea loco, nec locum eis convenire arbitratus; nàm, licèt nonniſi triumphalem Chriſtianæ fidei gloriam vetuſta ea gentilitatis monumenta conteſtari viderentur; tamen eidem fidei majorem collatura honorem exiſtimavit, ſi eodem in loco, in quo vicerant, ſe omnium obtutibus victa exhiberent;

ca-

captivitatiſque Chriſtianæ jugo conſpicerentur ſubacta, ubi jam tyrannicæ dominationis jura obtinuerant, in Romano, videlicet Capitolio; nàm, ut ibi collocarentur, Romano Populo liberaliſſimè ea eſt elargitus. Quod quidem inſigne tùm Religionis, tùm munificentiæ munus, Senatus Populuſque Romanus lætus accipiens, die decima quarta Februarii præſentis anni, in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Ara Cœli FF. Minorum, ut grati erga Pontificem animi argumentum expenderet, feſtivâ admodum celebritate, à Capranicæ Epiſcopo Sacrum peragi curavit, Sacris, quibus uſus eſt, vaſis eidem dono attributis; cui ſolemnitati (præter nonnullos Cardinales) Senator, & Urbis Conſervatores interfuere.

Ex Diar. Pii V. à Comel. firman. exarat. M. S. ex Biblioth. Ottbobonian. nu. 44. nu. 5.

XXVIII. Domeſticis rebus ſic probè, ſanctèque compoſitis, cœterorum quoque reformationi ritè Pius animum admovit; Cardinalitiæ ſiquidem Dignitati, quæ, poſt Pontificalem, prima in Eccleſia commendatur, novum nitorem, integritatis exemplis, additum concupivit. Idcircò in Conſiſtorio habito die undecima Januarii hujuſmet anni, paucis, videlicet, poſt ſuam creationem elapſis diebus, gravi Cardinales Sermone hortatus eſt, ut perfectioris vitæ arrepto inſtituto, cœteris quoque vivendi normam præberent. Id ab ipſis, & Eccleſiaſticum, in quo conſtituti erant, culmen, & temporum acerbiſſima expoſcebat conditio; cùm enim ipſis atque Epiſcopis Dominicum illud conveniret: (*Vos eſtis lux mundi, & Vos eſtis ſal Terræ*) perpendere profectò debebant, ſe ad aliorum illuminationem, & correctionem poſitos, doctrinæ lumine, & rectæ operationis ſale, præ ceteris, eſſe debere locupletiores; nàm nullum majus, quàm ab ipſis præjudicium inferri poterat, ſi ipſimet, qui ad aliorum regulam, & correctionem poſiti erant, de ſe exempla pravitatis dabant, peccareque ipſi conſpiciebantur, qui aliorum peccata compeſcere debuiſſent. Ut tanto igitur excelſæ dignitatis oneri reſponderent, par erat, ut ſolius Dei gloriam, animarum profectum, & Chriſtianæ Reipublicæ bonum præ oculis haberent, nec ad propria ſtudia vacarent, nec terrena concupiſcerent, neque humanam gloriam intenta mente captarent; nec eo ipſo quo cœteris prælati erant, ad agenda quælibet, majorem ſibi licentiam vindicarent; nec ſuſcepti ſpiritualis honoris faſtigium verterent ad ambitionis argumentum, Deique cauſam relinquentes, ad temporalia ſe ſe negocia converterent, neque demùm locum ſanctitatis obtinerent, & terrenis tantùm actibus implicati viderentur: Sed potiùs verbo, & opere in integritate, & juſtitia id ab eis præſtandum eſſe, quod Eccleſiæ Principes decebat, quorum vita, velut lucerna ſuper candelabrum poſita, omnibus qui in Domo Dei ſunt virtutum lumine ſplendere debet. Tamquàm igitur ſuper Familiam Domini divinitùs conſtituti, & proprio in primis, deindè ſuarum Familiarum profectui ſedulò incumberent, nil in eis prophani, nil quod pietatem non exhiberet, permittentes. Ad hæc, ſervanda ab ipſis eſſe Sacrorum Canonum, Eccleſiaſticarumque ſanctionum decreta, quorum Patroni, & Defenſores ſe eſſe ſcirent. Qua oportebat fidelitate, & ſapientia, Pontificis Conſiliariorum munere fungerentur, nil omninò, vel à ſe, vel ab aliis expetentes, quod ſacris legibus, ſed præcipuè Sacri Tridentini Concilii ſtatutis, quæ in praxim deducta omninò volebat, contrairet. Cœterùm, ſe plurimùm ipſorum juvandum monitis confidere; quapropter iis audiendis paratas ſemper aures præbiturum; nec cujuſvis rejecturum ſupplicationes, & preces, dummodò quæ poſtulari contigiſſet juſta, & rationabilia, Eccleſiaſtico, Divinoque Juri conſentanea reperirentur.

Ex Diar. Firman. ut ſup. — *Matth. 5.*

XXIX. Juxta hæc verba, ea fuere, quæ in proximè ſequentibus Conſiſtoriis, ab eo decreta ſunt; Nam hæc habentur in M. S. Diario Cardinalis Farneſii.

Die 23. Januarii 1566.

Ex Diar. Conſiſt Cardin. Farneſi: apud nos pag. 110.

(*Dixit quòd nolebat Franchitias in domibus Cardinalium, neque Principum Oratorum, neque in alio loco.*

Et ſub die 30. Januarii hujuſmet anni (*Decretum fuit, quòd ampliùs impoſterùm non admitterentur, neque reſervationes domuum, neque collationes beneficiorum, neque ulla alia in titulis cooptandis, à Reverendiſs. DD. Card.*) Sic ibi, alia plura ſuis locis dabimus.

Ibid. ut ſup.

XXX. Ut opere autèm comprobaret, quæ verbis promſerat, & ad Eccleſiaſti-

ſticam primævam gravitatem cuncta A revocaret, morem illum in primis abſtulit Pius, quòd, quoties Summus Pontifex Cardinalium Collegium cogebat, muſicis inſtrumentis Conſiſtorium perſonatet; qui, nempè faſtus, & prophanum, neſcio quid, redolere, nec perſonarum decori, & majeſtati congruere, nec ſeriam eodem in loco rerum tractandarum honeſtatem decere, arbitratus eſt; quare penitùs inolitam, eam conſuetudinem abrogavit.

XXXI. Ad informandos tamen Cardinalium animos id præ cunctis, quod in B proprio Nepote præbuit, exemplum prævaluit: Rem narrat Gabutius his verbis (*Jam enim duo, ab inito Pontificatu menſes abierant, cùm carni, & ſanguini non acquieſcens, aſſiduis Cardinalium, in primiſque Farneſii, ac Principum virorum precibus, vix adduci potuit, ut Michaëlem Bonellum, Sororis ſuæ Nepotem, Dominicani Ordinis Sacerdotem, Peruſii Theologicis ſtudiis operam navantem, legeret Cardinalem: ſtatuerat namque, ex propinquis ſuis, neminem ad altiorem gradum provehere; neque hunc, præſtanti alioquin virtute, probatiſque moribus, ac doctrina præditum, à perfectioris vitæ curſu, ad aulicas, licèt ſacras, dignitates avocare. Sed ſummis Viris id efflagitantibus, ac multa, quibus idem è Chriſtianæ Republica eſſe videretur, obtendentibus, demùm annuendum exiſtimavit, eumque in Ampliſſimum Collegium, ſtatis temporibus, poſt ſacros cineres ritè cooptatum, galero, tituloque ſuo decoravit, Alexandrinumque nuncupari voluit: Mox illum negotiis agendis ſibi adiutorem adhibuit, ut ipſemet tamèn intelligere, moderarique vellet omnia, graviora præſertim, nè per alios, deſes quieſcendo, Pontificatum adminiſtraret*)

XXXII. Hactenus ille. Accidit autem hæc Nepotis in Cardinalem creatio pridiè nonas Martii, ut Cornelius Firmanus in ſuo Diario adnotavit; qui etiam refert (quod alii quoque Scriptores tradidere), Cardinales omnes in ſecreto Conſiſtorio præfata die habito, Pium ſimul aggreſſos eſſe, & enixis precibus, & quadam vi, ut prædictum Nepotem in eorum Collegium cooptaret, coëgiſſe: Obtinere autem ab eo haud potuerunt, ut rubrum bitretum novo Cardinali concederet; nàm, ſicut in eo, quod

Ex Diario Firmani, ut ſupra.

ad ipſius creationem ſpectabat, ſe illorum onerare conſcientias profeſſus eſt, cùm nimirùm ſuorum neminem Eccleſiaſticis honoribus inſignire decreviſſet; Ità tamen ab hoc ſui animi propoſito, ſe receſſiſſe dixit, ut dignitatem, niſi eo fermè modo, quo eam tenuerat, Nepoti quoque conferret; quapropter uti ipſe olim, nonniſi monaſtico indumento, quamvis Cardinalis, inceſſerat, ſic Nepoti omninò incedendum eſſe pronunciavit. *Ibid. ut ſup.*

XXXIII. Cùm autem plerique inter novi Cardinalis Familiares certatìm adſcribi conniterentur; ſignificavit Pius, nolle, eum quempiam admittere, quem ipſe non deſignaſſet; domeſticos ejus, non tantùm cognitæ probitatis Viros, ſed etiam per paucos eſſe velle declarans; quia cùm ipſe pauper Cardinalis iam fuiſſet, eodem propè modo ſe pauperem inter Cardjnales Nepotem haberæ decebat. Hinc, non niſi moderatè, ex Eccleſiaſticis Beneficiis, quæ ad- C modùm erant neceſſaria, ei ſubminiſtravit, ſpe omni Epiſcopatus eidem adempta; unde & quædam opulentiora, quæ tunc vacabant, aliis contulit, nec, ex Eccleſiæ bonis facturum divitem dixit, opereque reipſa complevit. Cùm enim, paulò poſt, Orator Philippi Hiſpaniarum Regis, gratias Pio ageret de inſigni quodam Beneficio in Regem ſuum collato, adderetque, ipſum ingratum non futurum, nec Cardinalis Nepotis immemorem; reſpondit Pontifex, D ſe quidem gaudere, Catholicum Regem perſpectam animi ſui habuiſſe benevolentiam. (*Cæterùm* (*ſubjunxit*) *non eſt, quod Cardinalis Nepotis mei ſollicitudinem gerat. Hic ſiquidem Pauper natus eſt, in Religionem verò paupertatem devovit: quapropter in Cardinalitia etiam dignitate paupertatem haud abjicere debet; nè autèm quæ ad decorem bujuſce gradus neceſſaria ſunt, ei deſint, ad me ſpectat, qui haud difficulter inopiæ ejus conſulere potero. Quæ* E *igitur regalis munificentiæ beneficia in meum Nepotem conferre Rex tuus decreverat, aliis Cardinalibus tribuat* (*nonnullos ex eis nomine indicans*) *qui egeſtate laborant, nec quemquam habent, a quo eorum pauperies ſublevetur; Et ſi id præſtiterit, tamquàm in me, meumque Nepotem liberalitatis collatum munus exiſtimabo*)

Sic

XXXIV. Sic Pius: qui non modò Nepotem A hunc, inter Cardinales cooptatum, modicis redditibus locupletavit, ſed non diſpari etiam ratione cum cœteris quoque ſuis propinquis ſeſe geſſit, ut ex epiſtolis patet, à Fr. Archangelo Caraccia ſub hoc anno collectis, & ex ea præcipuè, menſe Aprilis ſcripta, in qua hæc leguntur [*Cùm his diebus Vir quidam primarius Pontificis animum laudaret, de compoſitionibus non admittendis, & de conſanguineis moderatè, ut fecerat, juvandis; idque conſolationem* B *maximam bonis omnibus afferre diceret, precareturque Deum, ut eam mentem ei, quandiù viveret, conſervaret: grato animo id Pontifex accepit, ſeque à Deo, dixit, vocatum eſſe ad Pontificatum, ut Eccleſiæ, non ut Conſanguineorum utilitati inſerviret; Et ità reverà videtur, cum duobus Nepotibus, qui in Collegio Germanico inſtituuntur, feciſſe, quibus exiguas aſſignavit penſiones, ex quibus pro ſtatûs ſui conditione, vivere poſſunt: ſingulis namque* 400. *annuæ* C *penſionis aureos dedit*) &c. In altera verò Epiſtola, menſe Majo hujuſmet anni exarata, dicit: (*Neptem quamdam, Cardinalis Alexandrini ſororem, cùm aliqui magni, & Illuſtres Viri Uxorem peterent, ut affinitatem cum Pontifice haberent; nulli eorum data eſt, ſed cuidam, conditione minùs diſpari, addita dote mille nummorum aureorum, vel duorum millium. Alii etiam Nepti dotem* 1500. *aureorum aſſignavit. Cùm autem quidam Vir diceret Summo Pon-* D *tifici, exiguas eſſe ejuſmodi dotes; reſpondit, ſe etiam dubitare de his moderatis, an bona cum conſcientia datæ fuerint*). Sic ille, qui etiam in reliquis Epiſtolis, eodem hoc anno ſcriptis, alia plura inſignis hujus Pii abdicationis exempla congerit; Nàm narrat, à Magno Principe oblatum ei annuum triginta millium aureorum proventum, partim in Cardinalem Nepotem, partim in alios, quos ipſe voluiſſet, diſtribuendum, invicto animo rejeciſſe. Et inſu- E per Oppidum Boſchi, in quo ipſe natus fuerat, quodque Hiſpaniarum Rex, utpotè in Mediolanenſis Ducatûs ditione poſitum, ei dono obtulerat, reſpuiſſe: quibus addit, quòd cùm Nobilis quidam, Oppidum aliud, Boſcho proximum vendere cuperet, illudque honeſto pretio Pontifici emendum exhiberet, ipſum, nimirùm, cuipiam ex conſanguineis ſuis relicturum: Reſpondiſſe Pium, ſe plurimùm admirari, quod id ei in mentem veniſſet, nàm ipſe nihil minùs in animo habebat, quàm potentatus propinquis, conſanguineiſque parare; ideoque, quòd ſibi Oppida, aut Dominia mercari neceſſe eſſet.

Vit. Pii V. Fr. Arcan. Carac. Ep. 3 ad quemdam prout rem Romæ ſcript.

Ibid. Ep. 4.

Adeò autem conſtitutum ſibi erat, XXXV. nè ſuorum opulentiæ, quavis ratione conſuleret, ut, non ſolùm ab aliis nihil accipere, quod ipſius libertatem minuere videretur; ſed nec de iis quidem, quæ aliis Pius ipſe elargiri debuerat, quidquam à ſe aliquem proximorum ſuorum ſuppliciter efflagitare permitteret. Quapropter, cum è Nepotibus unus, majori, quàm cœteri, præditus apud eum authoritate, cujuſdam hortatu, neſcio quid à Pontifice poſtulaſſet: quæſivit Pius, cujuſnam ſuaſione rem petiiſſet; atque ubi reſcivit, ſeveris admodùm verbis juſſit ei renunciari, propriæ domui regendæ ſollicitudini incumberet; in Pontificiæ verò Familiæ negotiis ſe ampliùs non immiſceret. Nepotem verò, ad ſectandam paupertatem enixis verbis hortatus eſt, & cum repulſa dimiſit. Hunc autem, & alterum Nepotem, quibus tenue admodùm ſubſidium ſuppeditaverat, in Germanico Collegio fuiſſe commoratum diximus. Verùm hoc ipſo anno è Collegios unum ex his egreſſum à Fratre Cardinali in proprias Ædes receptum fuiſſe, ex Epiſtola quæ legitur apud Caracciam, menſe Junio ſcripta educitur; In ea ſiquidèm hæc habentur. (*De Nepote qui fuit in Collegio Germanico, nunc autem apud Fratrem ſuum Cardinalem vivit, & ſuum habet ſeparatim magiſtrum, alloquutus eſt Pontificem Cardinalis ipſius Æconomus; cùm Familiam augeri diceret, oportere, Famulis Domino Antonio, Hieronymo aſſignandis: Tùm Pontifex, quiſnam verò eſt, inquit, iſte Dominus Antonius, Hieronymus? Cùm ille, Cardinalis Nepoois fratrem, reſpondiſſet; ſubiratus Pontifex: Cur, ait, Dominus Antonius? Antonius eſt, & erit Antonius, non Dominus Antonius: Eique famulum unum, vel alterum juſſit attribui, addens velle ſe, ſibimet ipſe miniſtraret, ut anteà*) Sic Epiſtola. At ex altera poſt ſcripta, nempè menſe Octobris, educitur, nec ea, quam Pius juſſerat, moderatione, Nepotem ipſum apud Cardinalem Fratrem diù ſtare per-

permiſſum; ſed, Pontifice ipſo præci- A
piente, Peruſiam ad ſtudia concedere
fuiſſe coactum. Imò in ea legitur,
Cardinalis ipſius Patrem, Pii ejuſdem
mandato, ex Urbe domum rediiſſe; &
cunctos etiam, qui eidem ſanguine juncti
erant, Cardinali, & Nepote altero,
qui in Collegio Germanico inſtituebatur,
exceptis, juſſos Urbe decedere.

XXXVI. Neque alia ratione cum omnium conjunctiſſimo, utpotè ex Fratre unico *Apud Carac. Epiſt. 9* Pronepote, Paulo Ghiſlerio nuncupa- B to, ſeſe geſſit. Fuerat is à Piratis captus, & triremibus addictus; quapropter benignus avunculus, miſeratione commotus, ipſum pecuniâ redimi, licèt exiguâ, (ignorantibus certè Piratis, eum Pontificis Summi conſanguinitate conjunctum) curaverat. Vinculis igitur ſolutus, Urbem adivit, quod cùm Pius reſciviſſet, illum videre, & alloqui voluit, non aliter tamèn, quàm pannoſo eo amictu circumdatum, quo in ſervitute poſitus, indutus inceſſerat. C Eum porrò graviter admonuit, ut ex tot, tantiſque ereptus calamitatibus, ingentes, omnium Domino, donèc viveret, gratias referre deberet, Deique ſubindè mandata diligentiùs cuſtodire ſtuderet. Hinc juſſit ad Confeſſarii pedes accedere, & anteactæ vitæ labe, quá præcipuè ſe inter infideles, Divinis, Eccleſiaſticiſque expers ſubſidiis, coinquinaverat, ſeſe expurgaret. Quod cum Paulus præſtitiſſet, eum Pius equo, officioque donavit equeſtri, *S. Petri* D vocato, undè centenos aureos, ſingulis annis haberet. Mox, quòd militiæ iam pridem nomen dediſſet, in qua egregiè ſe geſſerat, ſuburbanæ Regioni cuſtodiæque ſuæ præpoſitum delegit, atque annuam quingentorum aureorum penſionem, ac Suburbanam Villam, in qua ipſe domum extruxerat, & ab eo Pii prædioli nomen ſumpſit, eidem attribuit. Verùm, cùm ille, juvenili lapſus errore, Pontificiæ Familiæ præſcriptas leges violaſſet, ac prætereà culpam E mendacio tegere præſumpſiſſet: non tantùm ipſum officiis, & donatis rebus ferè omnibus expoliavit; verùm etiam ab ſe, & ab univerſa Romanæ Eccleſiæ ditione ſtatìm ablegavit, ea lege, nè deinceps Urbem repetere auderet, ut ſuo loco dicetur. Modò interruptum de Nepote Cardinali Sermonem repetamus.

Non tantùm Pius, & modico ipſi XXXVII. conſuluit cenſu, & perpaucos, inter Nepotis Familiares, admitti voluit; ſed inſuper, ut cœteris Cardinalibus exemplo eſſet, omnem eidem domûs cultum pœnitùs interdixit, ità ut, & Sericis utenſilibus, vel tapetibus uti prohibuerit, nec in menſa, aurea, argenteaque vaſa, ſed fictilia dumtaxàt, ut pauperem decebat, juſſerit adhibere. Ut autem omnimodam ſui, in anteacto Cardinalatus gradu, ſimilitudinem exhiberet, & Alexandrini, quod ipſe jam geſſerat, cognomentum, & S. Mariæ ſuprà Mineruam Titulum dedit. Montiſregalis verò Epiſcopatum, cui jam ipſe præerat, quòd propinquorum neminem eo inſignire honore decreviſſet, integerrimo, ac doctiſſimo Viro Vincentio Laureo Calabro, deindè inter Cardinales adſcito, regendum contulit. Enixo autèm ſtudio, avunculi veſtigia novum Cardinalem Alexandrinum legiſſe, & ex Epiſtolis Joannis Andreæ Caligarii ad Cardinalem Commendonum, & ex aliis, quæ infra ponenda erunt, liquidò patebit.

Hujuſmodi traditis & in ſe, & in XXXVIII. Alexandrino Nepote, cœteris Cardinalibus, perfectioris vitæ documentis, rectèque vivendi norma, ad eam amplectendam, ſedulis monitis ipſos extimulare nunquàm deſtitit. Quapropter eximiæ abdicationis a Carne, & Sanguine exemplar, quod in ſe ipſo præbuerat, non modò, ut imitarentur propoſuit, ſed quodammodò ſectari etiam compulit & amplecti, ſeveriſſimo, (ut legitur in Epiſtolis apud Caracciam, ſub hoc anno datis) promulgato diplomate, quo *Epiſt. apud Caracc. ſub die 12. Octobris 1566.* non tantùm interdicebatur, nè Eccleſiæ bona diſtraherentur, ſed etiam nè de cœtero id ulla ratione fieri poſſet inhibebatur. At quia difficilis admodùm pluribus videbatur hujus ſanctionis obſervantia, Pius, qui corruptæ libertatis fines conſtituere omninò voluit, adegit, ut qui jam Cardinales erant, ſe ipſi decreto, juramento obſtringerent; qui verò deinceps creandi eſſent, vel demùm ad Summum Pontificatum evehendi, eodem ſeſe devincire ſacramento cogerentur. Meditatam nihilominùs, præſenti anno, fuiſſe tantùm hanc legem, non verò editam (ut apud præfatum Caracciam refertur), ex ipſomet diplomate colligitur, quod ſequenti tantùm anno legitur ſubſignatum.

Ipſa-

XXXIX. Ipſammet etiam, quam in Familiaribus ſuis imperaverat veſtium moderationem, Cardinalium quoque aulicos, & Domeſticos obſervare diſtrictè juſſit, eamdemque ab eis morum honeſtatem ſervatam voluit, quam ipſe à ſuis exegerat. Quia verò Cardinales ipſos terrenis omnibus cupiditatibus optabat expeditos, quæque ſurſùm ſunt, tantummodò ſapientes, non quæ ſuper terram; hinc cum quoſdam ex eis, (quod graviſſimè legibus vetitum erat) de futuro Pontifice tractantes comperiſſet; acerrimè in Conſiſtorio in ipſos invectus, comminatus eſt, quicumque eſſent, ſe ſeveriſſimè animadverſurum in eos, qui ſic poſthabitis Eccleſiaſticis regulis, effrænato ambitionis inſtinctu, de his agere impoſterùm præſumpſiſſent.

XL. Vix autem Pius Apoſtolicam dignitatem aſſumpſit, quòd Cardinalium etiam titulos adauxit, ut narrat Cornelius Firmanus in ſuo Diario, ſub die ſexta Februarii præſentis anni. Ex Cardinalibus enim, anno præcedenti 1565. à Pio IV. die duodecima Martii creatis, nonnulli nondùm titulum obtinuerant; quapropter, cùm novi Pontificis eſſet, illorum ſingulis titulum conferre, nec tot Cardinalibus decorandis, antiqui à prædeceſſoribus inſtituti Tituli ſat fuiſſent; eis quatuor novos addere coactum fuiſſe Pium, Firmanus præfatus refert. Adiectorum tamen nomina hæc extitiſſe ſcribit, S. Joannis Baptiſtæ, Via Julia: S. Hieronymi Illyricorum, Via Flaminia: S. Euphemiæ; & S. Triphonis. Verùm, licèt diei, & tempori, quod recenſet, hanc à Pio Titulorum factam inſtitutionem convenire cenſeamus; tamèn veriſimilitudine non caret aliorum quoque narratio, qui tres duntaxàt titulos Pium conſtituiſſe ſcripſère; nempè S. Hieronymi Illyricorum Via Flaminia. S. Euphemiæ in Vico Patritio, & S. Triphonis. S. Joannis enim Via Julia Eccleſiam Cardinalitio Titulo fuiſſe inſignitam, aut aliquem ex Presbyteris Cardinalibus in Titulum eam obtinuiſſe; in Eccleſiaſticis monumentis, vel apud probatos auctores haùd reperiri unquàm contigit. At facilè cum ea Firmani, aliorum Scriptorum ſententia componitur; cùm enim Titulorum diſtributionem recens electis à Pio IV. Cardinalibus Pius V. fecit, ſeptem ex his tantummodò Romæ aderant, nimirùm, Patavienſis, Bobba, Vercellenſis, Craſſus, Santacrucius, Cribellus, Caſtellenſis; duò aberant, nempè Crequyus, & Commendonus, qui Germanicâ tunc legatione fungebatur, è qua, ſub finem tantùm hujus anni reverſum fuiſſe, in ejus vita Antonius Maria Gratianus teſtatur, his verbis. (*Germaniâ Venetias, Junio menſe venit, acceptus, cultuſque à Civitate, cùm publicè, tùm privatim omnibus honoribus &c. Ineunte Autumno Romam, vocatu Pontificis proficiſcitur &c.*) Nonis autem Novembris publicè Urbem ingreſſum, narrat præfatus Firmanus; qui decim. oct. Kal. Decembris, ex hac vita deceſſiſſe etiam refert Petrum Franciſcum Cardinalem Ferrerium. Cùm igitur decim. ſept. Kal. Decembris Commendono Presbyteralis Cardinalitius Titulus tradendus eſſet; in Conſiſtorio, ea die habito, contigit, Ludouicum Cardinalem Simonettam, dimiſſo ſuo S. Cyriaci ad Thermas Titulo, eum S. Anaſtaſiæ vacantem, ob pridiè ſubſequutam mortem Ferrerii, optaſſe. Quare Pius vacantem S. Cyriaci Titulum Commendono dedit, & S. Joannis, Via Julia, quem deſignaverat, alterum, cum neceſſitas tunc nulla novos Titulos inſtituendi incumberet, nemini tradidit. Cardinalem verò de Crequy, S. Triphonis Titulum accepiſſe, authores narrant. Quare utraque ſententia, Firmani, videlicet, & aliorum vera comprobatur. Verum ſiquidem fuit, juxta Firmanum, Pium quatuor Titulos deſignaſſe: Et verum itidem, juxtà alios, tres tantùm conſtituiſſe; quia quartum nimirum, quem meditatus fuerat, nemini unquàm attribuit.

XLI. Quòad eoſdem Cardinalitios Titulos, hæc inſuper à Pio decreta reperimus, in Conſiſtorio, decimaquinta Maji hujuſmet anni habito, prout in memorato Cardinalis Farneſii Diario habetur.

(*Decrevit Sanctiſſimus, quòd Cardinales præſentes in Urbe, & Domi infirmitate detenti, poſſint optare, ac ſi eſſent in Conſiſtorio; derogans decreto, ſi quod obſtaret, quo ad hoc*)

Qua ltidem die, ad Sac. Collegium ſpectantia, iſta inſupèr ſanxit, ut in eodem Diario legitur:

(*Decrevit Sanctiſſimus, quòd gratiæ impoſterùm non fierent, niſi per fabas,*

Ant. Maria Grat. Vit. Card. Commend. lib. 3. cap. 1. p. 141

Firmanus ibid. ut ſupra.

Firmanus in Diario ut ſup.

Ex Oldoino in addit. ad Ciacon. in Hygino.

bas, & juxtà Conſtitutiones, & quotieſcumque fit gratia per Sacrum Collegium, intelligatur etiam facta per Reverendiſſimum Relatorem de propria, & alitèr juxta Conſtitutiones Sacri Collegij) Inſuper.

(*Decrevit quod in poſterùm non fierent expeditiones, niſi plenæ, & claræ eſſent omnes probationes, quæ in expeditionibus faciendis requiruntur*). Sic ibi.

XLII Cœterum, cùm ſæpiùs fortaſſis quàm opportuerat, vel rei pecuniariæ anguſtiâ, vel ob nimios ſumptus, vel tandèm ob OEconomorum incuriam, Cardinales ſe ære gravare alieno, Pius comperiſſet; & propter excelſam ipſorum dignitatem, ſimul ac auctoritatem, non ſolùm creditores eos in jus vocare vererentur; ſed inſuper jus in ipſos dicere Magiſtratus cunctarentur; vel, ſi demùm dixiſſent, illud exequi lictores non auderent. Huic malo idcircò occurrere volens juſtiſſimus Pontifex, nè dignitatem, quæ ad iuſtitiæ cuſtodiam collata fuerat, contrà juſtitiam decertare pateretur; edixit, atque graviſſimè imperavit, ut aliqua in Iudiciis perſonarum ratio non haberetur, nec quidem Cardinalium, qui, ſi de ære alieno delati eſſent, & ipſos univerſum ſolvere debitum compelli voluit.

XLIII. Pari autem ratione, qua Cardinales, Epiſcopos etiam, quos noverat poſitos regere Eccleſiam Dei, ad perfectè implenda adeò ſublimis Ordinis munia, undequaque urgere non deſtitit. In primis verò illud ſummoperè præcâvit, nè aliquis, ambitioſo dominandi inſtinctu, hunc ſibi honorem ſumere plectenda temeritate auderet; ſed quos ad eum evexit, tamquàm à Deo vocatos, Ec leſiis præponi curavit. Id teſtatur, qui Epiſtolas ſcripſit, à Caraccia, ut pluriès diximus, collectas, his verbis: [*Quàm conſideratè, quàm prudentèr nunc dentur Epiſcopatus, qui vident facilè judicant, longè meliori loco futurum fuiſſe Reipublicæ ſtatum, ſi eadem ratio deferendi ſacrum illud, & grave munus ſuperioribus temporibus eſſet adbibita. Ornantur à Pio Pontifice Viris Eccleſiæ. non hominibus, aut penſionibus onerantur*] cui addendum quod refert Surius (*Ante coronationem* (dicens), *quæ celebrata eſt ſext. decim. Kal. Februarii, habuit Cardinalium Congregationem* (*Conſiſtorium enim, ut vocant, antè coronationem haberi non ſolet*); *Ea peracta, quidam ex inſigni Familia petiit Epiſcopatum quemdam. Reſpondit Pontifex, ſe quidem illi cupere ſummoperè gratificari, nec defuturum, ſi alia in re prodeſſe ei poſſet, ſed Epiſcopatum tamèn minimè collaturum, quòd ad tantam functionem parùm idoneus eſſe videretur, non ſatis literis, & eruditione inſtructus. Cùm autem ille ſuæ eruditionis teſtimonium proferret*: Ego (*inquit* Pontifex) *hac in re, quæ mihi ſatis cognita eſt, teſtimonium minimè requiro. Ità ille in ea petitione repulſam paſſus eſt. Porrò, ad Cardinales adhuc præſentes converſus Pontifex, hortatus eſt, nè quidquam ab ipſo peterent, quod, vel contrà divinum obſequium, vel contrà Concilium Tridentinum, vel contrà ordinem, & rem Eccleſiæ facere videretur. Addidit etiam, ſe quidem in rebus licitis, & honeſtis Chriſtianos Principes juvare conſtituiſſe; contrà verò, ſi quid prætèr fas, & decorem peterent, nulla ſe ratione illis daturum*). ſic Surius. Porrò hoc æquitatis paritèr, ac uerè Sacerdotalis libertatis propoſitum, in evehendis ad Epiſcopalem dignitatem cujuſcumque gradûs hominibus, inviolabiliter Pium ſervaſſe; quæ paulò poſt dicenda erunt, aliaque, quæ ad ſequentem annum ſunt rejicienda, profectò patefacient.

Epiſt. apud Carac. dat. quint. Idus Nov. 1566.

Sur. in Commentar. rerum in Orbe geſtar. Anno 1566.

XLIV. (*Cùm autem in Conſiſtorio* (verba ſunt Diarii Cardinalis Farneſii) *die 15. Februarii præſentis anni 1566, habito, ortum eſſet dubium, an deberet aliquid ſolvi pro pallio Officialibus, ſolitis ea indè habere certa emolumenta, & Sanctiſſimus D. N. mandaverit Reverendiſſimis DD. Morono, Peruſino, & Aracæli, ut ſuper hoc conſiderarent, & referrent. Ideò, poſt relationem dd. Reverendiſſimorum, idem Sanctiſſimus incæpit graviter improbare, & deteſtari abuſum, qui diù invaluerat, & fuerat toleratus, ut pro traditione pallii daretur, & exigeretur pretium, contrà tot decreta SS. Patrum. Inde vota ſingulorum exquiſivit ſuper eo, an novum decretum, & ſtatutum faciendum eſſe videretur coatrà dictum abuſum; quod omnibus ſanctum, & probabile factum viſum eſt: Sicque idem Sanctiſſimus D. N. decrevit, ſtatuit, & ordinavit, ſub privationis officiorum, & honorum, & indignationis Sanctitatis Suæ pœnis, nè de cætero, pro poſtulatione, conſecutione,*

Diar. Card. Farneſii ut ſup.

aut

aut traditione pallii aliquid detur; neque etiam aliquid à ſponte offerentibus, vel dantibus accipiatur; & multò minùs ab invitis exigi poſſit. Inſupèr decrevit idem Sanctiſſimus, quòd pecuniæ ad hunc effectum depoſitæ reſtituantur Archiepiſcopis, ſeù eorum Procuratoribus, qui eas depoſuerunt) ſic ibi: Et hæc quidem acta in Conſiſtorio ſub die 3. Aprilis hujus anni habito.

XLVI. Non modò verò ſe diligenti circumſpectione præcâvit, ut dicebamus, nè, contra Apoſtoli monitum, citò alicui manus imponeret; & quos tantùm ſcientiâ æquè, ac probitate præditos noverat, ad Epiſcopale munus evexit; ſed, cùm inſuper ſciret, eorumdem, poſtquàm Paſtores evaſiſſent, cœterorumque Epiſcoporum univerſalem ſibi manere ſollicitudinem; ùt creditum miniſterium illi implerent, totis viribus incubuit: quod ut efficere poſſent, egit ſeriò, ùt eos, qui, occaſione præcipuè arreptâ vacationis Sedis, Urbem petierant, ad propria reverterentur, reſidentiæ onere, nec quidem levari ipſos Cardinales, qui Epiſcopatibus fungebantur, edicens. Nè autem ejuſdem Reſidentiæ debito ſubdolè ſe quiſquam ſubtrahere conaretur, cognoſcendis cauſis, quibus Epiſcopi Romæ detinerentur, tres Cardinales præpoſuit, ut ſi idoneæ non deprehenderentur, Urbe egredi, eoſque ad Epiſcopatus ſibi traditos reverti compellerent. Qua de re iſta in præfato Cardinalis Farneſii Diario leguntur.

XLVII. (*Die 23. Januarii 1566. Sanctiſſimus dixit, quòd omnes Prælati deberent reſidere in ſuis Eccleſiis, & quòd decreta Concilii Tridentini de Reſidentia ſervarentur; & deputavit Reuerendiſſimos DD. Moronum, Peruſinum, & Piſarum, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalec, qui hanc ſuam voluntatem notificarent omnibus Epiſcopis, Romæ commorantibus, & ſi quis eorum, aliqua excuſatione uteretur, audirent, & Sanctitati Suæ referrent.*) Verùm, vel quòd remiſſiùs, quàm ipſe voluiſſet, in hoc ſe gerere præfatos Cardinales conſpiceret, vel alia de cauſa; paulò poſt in hujuſmodi pronunciandi cauſis, eaſque expendendi, jura Alexandro Riario Apoſtolicæ Cameræ Generali Auditori certum eſt tradidiſſe, ut patet ex hìc appoſito Mot. Prop.

PIUS PAPA V.

Motu proprio &c. Cùm aliàs per felic. record. Pium IV. Prædeceſſorem noſtrum, juxtà formam Concilii Tridentini, & aliarum Bullarum emanatarum, tàm ab ipſo Pio Prædeceſſore noſtro, quàm ab aliis Roman. Pontificibus, motu proprio, cujus tenores pro expreſſis haberi volumus, ex ipſius certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine fuerit mandatum Dilecto Filio Alexandro Riario, noſtro, & Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, ut omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & alias Eccleſiaſticas perſonas, curam Animarum habentes, non reſidentes, pœnas in dicto Concilio, & Bullis contentas, incurriſſe declaret, & ad illarum effectum executioni demandentur, per eumdem Alexandrum Auditorem noſtrum; nè de ejus Juriſdictione impoſterùm dubitari contingat: denuò eidem Auditori noſtro, authoritate noſtra committimus, & mandamus, quatenùs ſtatim, tàm contra Epiſcopos quàm Archiepiſcopos, & alios quoſcumque Prælatos, tàm in Urbe, quàm alibi, & ubique locorum exiſten., & in propriis Diœceſ. non reſiden. Conſlito ſibi, quantùm ſufficere videbitur, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſolà veritate inſpecta, & manu Regia, de inobedientia propria, uſque ad ſententiam excluſivè procedat, & deindè nobis referat, ut nos in Conſiſtorio noſtro ſecreto, de Fratrum noſtrorum conſilio, ut moris eſt, ad ſententiam privationis, & depoſitionis Prælatorum inobedientium hujuſmodi procedere valeamus, prout procedere intendimus. Quò verò ad alios curam Animarum habentes, uſquè ad ſententiam incluſivè procedat, & exequatur, juxta formam, & tenorem dicti Concilij, & literarum noſtrarum præfatarum, cum eiſdem facultatibus, ut ſuprà: & alia faciat, & exequatur, prout in dictis literis, ſivè Bullis, continetur, cum poteſtate citandi, inhibendi, excommunicandi, ſuſpendendi à Divinis, declarandi, interdicendi, aggravandi, reaggravandi, carcerandi, & brachium ſeculare decernendi, relaxandi, & exequendi; aliaque faciendi, neceſſaria quomodolibet, & opportuna, contrariis quibuſcumque non obſtantibus &c. Die 10. Junij 1566.)

XLVII. Quòd autem Riario contrà Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosque Præſules procedendi auctoritatem tribuerit, uſquè ad ſententiam excluſivè, ſecùs cum aliis, in quos, eum, & ſententiam proferre, eoſque pœnis animadvertere voluit; ad Parochos præcipuè pertinuit, qui creditum ſibi Gregem deſeruiſſent, quibuſque menſem indixit, quo, vel ad ſuas Eccleſias ſeſe conferrent, vel ſe jiſdem abdicarent, ut ex inferiùs ponendo Edicto conſtabit. Beneficiis verò hujuſmodi, quibus animarum cura eſſet annexa, tàm Parochos, quàm cœteros, qui quomodocumque Paſtoralem ſollicitudinem gerere viderentur, privatos eſſe voluit, ſi decreto non paruiſſent.

LXVIII. Nec pœnas tamen inobedientiæ, Beneficiorum privatione, nec è contra aliquem ſpontè ſua, nè reſideret, ea abjeciſſe, reperimus; vel, quòd Paſtores abnuere ſe non poſſe, quæ æquiſſimo jure Pius mandaverat, agnoverint; vel quòd comminatam, Pii nimia benignitate confiſi, eorumdem Beneficiorum jacturam non metuerint: quapropter eos, ut videbimus, ſequenti anno, novis inſequi minis compulſus fuit. Quò verò ad Epiſcopos, aliud inſupèr adiecit decretum, ut eorum nempè, qui in ſuis Eccleſiis non reſiderent, Epiſcopatuum proventus, & fructus ſequeſtro addicerentur.

XLIX. Nec modò Romæ, præfato Riario facta facultate, ſed alibi etiam Epiſcopos, aliosque ad reſidentiam ſingillatim urgere non deſtitit. Cujus rei teſtem afferre ſufficiat mandatum, Pii nomine factum Andreæ Mocenigo Epiſcopo Lymiſenſi, qui ſe illud ab Apoſtolico, apud Venetam Rempublicam, Nuncio, Jo: Antonio Fachinetto, Epiſcopo Nicaſtrenſi, accepiſſe, his verbis fatetur, prout ab ipſo Originali nos ipſum accepimus.

L. *Ex Origin. apud nos.* (*Ego Andreas Mocenigus Epiſcopus Lymiſenſis fidem facio, qualiter Reverendiſſimus Epiſcopus Nicaſtrenſis, Sanctiſſimi D. N. Nuncius, mihi legendum præbuit §. Epiſtolæ D. Cardinalis Alexandrini, ſub die 24. Auguſti 1566. tenoris hujus, inſtitiſſeque juxta ea quæ in eodem §. Continentur.*

— *D. N. juſſit, me, nomine ſuo, præcipere Dominationi tuæ, ut omnibus Epiſcopis, iſtic commorantibus ſignificet, ut ad Eccleſias ſuas contendere tandem ſtatuant; nè Sanctitas Sua, ad fructuum retentionem, & ad ipſarum Eccleſiarum, aliorumque Beneficiorum privationem demùm procedat; eodemque officio fungatur cum aliis quoque, qui Canonicatus, aliaque Beneficia, reſidentiam exigentia obtinent. In quorum fidem, hanc mea manu ſubſcripſi, hac die ultima Auguſti 1566. Venetiis: Ego Andreas Mocenigus Epiſcopus Lymiſen. affirmo, ut ſuprà,*) Et ità in Veneta ditione, Sacrorum Antiſtites (ut refert Gabutius, & nos inferiùs narrabimus) ſunt in ſua loca profecti.

Ubi verò, vel timore pœnæ, vel amore Juſtitiæ, plurimos, certum eſt, Pii imperio obtemperaſſe, præceteris, unus compertus fuit, qui, cùm, ob publicum Eccleſiæ bonum, Pius ipſe à reſidentiæ vinculo ſolvere vellet, tamen eo minimè voluit expediri; fuitque Carolus Cardinalis Borromeus, qui, cùm à Pontifice, quam ſummoperè concupierat, Provincialis Synodi, Mediolanenſis, præterito anno habitæ, ad componendos Eccleſiæ ejuſdem corruptos mores, approbationem, obtinuiſſet; expeditiſque aliis, quàm citiſſimè negotiis, nil moratus, ad Eccleſiam ſuam redire uoluit, ut refert Ripamontius his verbis: [*Ante omnia ſollicitus, anxiuſque erat, ut Concilii Provincialis decreta firmarentur Apoſtolica authoritate, adversùs licentiam hominum, ſemper vincula conſpernantem. Id facilè impetratum: Altero dein menſe, poſtquàm, Pontificis indulgentiâ rem cum, aliaque Mediolanenſis Eccleſiæ negotia, turbata propter avunculi mortem, ex animi ſui ſententia compoſuerat, Mediolanum rediit; multùm quoque luctatus cum ipſius recuſatione Pontificis, qui captus, uti fama fuit, ejus ſanctimonia, magniſque inſtitutis, participem ſibi curarum eum, & ſocium vitæ deſtinarat.*) ſic ille. LI.

Ioſeph. Ripamont. Hiſtor. Eccleſ. medio Canenſis Parte 2. lib. 2. pag. 120. Giuſſan. & alii.

Poſtquàm autem, ad cuſtodiendas cuique commiſtas Dominicas Oves, Epiſcopos reſidere Pius coëgit, ipſorum cœterorumque Antiſtitum curam minimè prætermiſit, ſed traditæ ſpiritualis villicationis munia, ab unoquoque perfectè adimpleri ſtuduit. In illud verò præcipuè incubuit, ut Sacroſancti Concilii Tridentini decreta ubique gentium evulgarentur, & in mores inducerentur; hoc ſalutari, & pœnè unico remedio, exiſtimans, hiſce temporibus in primis accomodato, tot depravatis collapſum moribus Eccleſiæ ſtatum, & eri- LII.

Gabut. Vit. Pii lib. 5. cap. 13. pag. 114.

erigi piè, & facilè reſtitui poſſe. Cum A
idcircò ſciret, hoc in primis Præſulum
curæ, ac laboris eſſe; ad omnes Chri-
ſtiani Orbis Antiſtites, Apoſtolicas li-
teras dedit, paſtoralis Officii, pater-
næque charitatis plenas, quibus eos ad
ipſius Concilii decreta, piè ſuſcipienda,
ritèquè exequenda, ſummoperè cohor-
tatus eſt. Nos unam hic dabimus, ad
Epiſcopum Palentinum ſcriptam, cui
aliæ in univerſum, ad omnes Epiſcopos
datæ, concordant, nè repetito ejuſdem
Epiſtolæ exemplari, fruſtrà lectores in B
his immorari cogamus.

LIII. *[Ven. Fratri Chriſtophoro Epiſcopo Palentino.*

PIUS PAPA V.

Extat in Regeſt. Epiſt. Pii V. edit. Antuerp. lib. 1. Epiſt. 1.

*VEn: Frater ſalutem, & Apoſtoli-
cam Benedictionem: Paſteaquàm,
ità providente Deo, Apoſtolicæ ſervitu-
tis officium indignis humeris noſtris im-
poſitum eſt, non ſine acerbiſſimo animi* C
*dolore, gemituque, miſerabilem, ac fle-
bilem Chriſtianæ Reipublicæ ſtacum ac-
tentè conſiderantes, eos omnes excitare,
commonere, & extimulare cogimur,
quos Deus in partem ſollicitudinis ſub
noſtra vigilia, ad Eccleſiæ ſuæ Sanctæ
regimen cnnvocavit; ut nobiſcum omnes
in hanc curam incumbant, & ad tàm
grave hoc magnumque onus ſuſtinendum
adiuvent, atque corraborent infirmita-
cem noſtram: ut dum caput membrorum,
& membra capitis mucuis falciuntur* D
*auxiliis, Eccleſia Dei, quæ tàm afflicta,
ac deformata reperitur, recreata tan-
dèm erigatur, & erecta ritè conforme-
tur; atque in tot, tantiſque calamitati-
bus, non ſolùm a domeſticis, ſed ab exter-
nis etiam inimicis defendere ſe, tutar i-
que poſſit. Non ignorat Fraternitas tua,
quàm longè, latèque ſeſe perniciosè dif-
fuderint hæreſes: neque te fugit, quàm
tercam, & efficacem bujuſmodi malo,
ad perdendas Dominicas oves, occaſionem* E
*dederit Paſtorum negligentia, & quàm
mugnam vim, ad hunc morbum augen-
dum habeanc, corrupti, ac depravati Ec-
cleſiaſticorum hominum mores. Jam ve-
rò perſpìcere potuiſti, quàm imminutus
inter Laicos ſit cultus pietatis, quàm
aucta licentia ſimul, & impudentia. At
planè intelligis, Frater, quantoperè ſint
percimeſcenda iræ Divinæ flagella, ob
naſtra, populique Chriſtiani peccata no-*

A *bis intenta. Ad has igitur, quibus af-
flicta laborat Eccleſia, toc cancaſque
plagas utcumque ſanandas, & ad iram
Dei aliquo modo avertendam acque pla-
candam, unicum nobis remedium ſu-
pereſt, diligens videlicèt Sacroſancti
Æcumenici Concilii Tridentini Decre-
torum cuſtodia, ac fidelis obſervatio.
Itaque, pro eo, quanci facis, Omnipotencis
Dei cultum, fraternitatem tuam admo-
nemus, ac rogamus, ut ejus, quam ſu-
ſtines, perſonæ, memor, & Officii, omnia.*
B *quæ in ipſa Synodo, tàm pio, prudenti,
ac maturo judicio, Deo favente, conſti-
tuta ac ſancita ſunt, deindè Sacroſanctæ
hujus Apoſtolicæ Sedis authoritate, &
decreco comprobata, & ut per Univer-
ſum Chriſtianum Orbem conſervaren-
tur, in uſumque inducerentur, promul-
gata, ac mandata fuerunt, plenè præ-
ſtare, & exequi omninò procures. Et ve-
rò, quoniam Sacri Præſules ſubditis ſuis
ad rectè vivendum exemplar eſſe debent,
ſecularesque homines mores ſuos ad Sa-*
C *cerdotum vitam, & exemplum inſtitue-
re, & conformare conſueverunt; Da
operam, Frater, atque effice diligenter,
ut Eccleſiæ tuæ Clerum, Populumque uni-
verſum, cùm ſalutaribus monicis, ac
præceptis, tùm etiam vircutum exem-
plis, & charitatis conſiliis, & officiis,
ad colenda pietatis ſtudia excices, ac im-
pellas; Cavens in primis, nè in te quid-
quam offendatur, quod animabus tibi
commiſſis peccandi occaſionem præbere
poſſit; aut malum exemplum. Curabiſ-*
D *que diligentèr, opportunè, & importu-
nè, ut Clerici, qui minùs honeſtè vivunc,
admoniti corrigantur: eos argue, obſe-
cra, increpa, ut probè vitam inſtituant.
ac, ſi opus fueric, Eccleſiaſticæ diſciplinæ
ſeveritatem in eos exerce. Clericorum
verò Collegium, quod proborum Sacer-
docum Seminarium, ac fundamentum
eſſe debet, ex ſalucari ejuſdem Concilii
decreto, ut quamprimùm erigatur, eni-
tere; erectumque omni ope, & officio pro-
ſequere. Denique Chriſti oves, curæ tuæ*
E *commiſſas, ab hæreticorum fraudibus,
tamquàm a lupis, aut carnificibus, auc
latronibus ſegregandas, & arcendas,
ſummo ſtudio concende; dabiſque ope-
ram, quàm accuratiſſimè, ut ſi quiſpiam
in iſto grege hac execranda peſte repe-
riacur infectus, ne is pernicioſo contagio
alios commaculet. Conſidera, Frater mi,
diligentèr, ac perpetuò recogita, poſt
fragilis hujus, & mortalis vitæ brevem*

curſum de Grege tibi commiſſo, ſummo, & æterno Paſtori, eidemque tremendo, ac Terribili Judici, rationem reddere oportere: Da igitur operam, ut, cùm in ejus divino conſpectu fueris conſtitutus, fidelis Servi mercedem, non autem pigri, & negligentis mercenarii pœnam, conſequi merearis. Ac ſcito, quemadmodum, ad Paſtorale munus noſtrum rectè præſtandum, auxilium tuum imploramus, ità plenè, ad officium tuum ſtrenuò obeundum, operam ac ſtudium noſtrum tibi non defuturum. Illud verò te monitum volumus, ut omni officio, ac diligentia, de Civitatis iſtius, Diœceſiſque tuæ Clericis, indagando, probè cognoſcas qui Catholicæ pietatis laude, morum integritate, probitate vitæ, ac doctrina præſtent, idoneique ſint, ut huic Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedi fidelitèr atque utilitèr inſervire poſſint. Ac de iis omnibus cenſu habito, indicem probâ fide conſcriptum, & manu, ſigilloque tuo obſignatum, cum uniuſcujuſque nomine, ac loco, ubi degat, ſingillatim adnotatis, ad nos cures perferendum. Nos enim qui omnium fidelium Patris perſonam, licèt indigni, ſuſtinemus, ejuſmodi virorum opera, ac induſtria, prout occaſio tulerit, ad eas res, quibus ad honorem Dei, & ad S. hujus Sedis Apoſtolicæ obſequia fuerit opus, uti, eoſque honeſtis laboribus, ad communem S. Eccleſiæ utilitatem applicare conſtituimus: Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, Kal. Februarii MDLXVI. Pontificatu noſtro anno primo.)

LIV. Bonorum Epiſcoporum viciſſim, qui Eccleſiæ Dei, non tàm præeſſe, quàm prodeſſe ſeriò deſiderabant, non modò Pii literas, ſed unum etiam in Summum Pontificem aſſumptionis ejus nuncium ſpem erexiſſe: eæ declarant Epiſtolæ, quibus ei Apoſtolicam dignitatem ſunt gratulati; quarum etſi plures, & quidem, originales, habeamus, unam tantùm, & alteram, à præclaro illo Card. Hoſio, & ab Epiſcopo Illiridenſi ſcriptas, afferre ſat erit.

Et ea quidem Cardinalis Stanislai Hoſii hujuſmodi eſt.

BEATISSIME PATER.

LV. *BEnedictus Deus, & Pater Dom. Noſtri Jeſu Chriſti, Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui, poſtea quàm viam univerſæ carnis ingreſſus eſt Pius IV. Pontifex, cujus memoria ſit in benedictione, nos modicum contriſtatos, & orphanos relictos, celeriùs opinione noſtrâ conſolari, deque tali Paſtore nobis providere dignatus eſt, qualem præſens hoc ſæculum requirere videbatur, ut rectè poſſimus illud uſurpare, quòd eſt in Proverbio, Deum ex improviſo nobis apparuiſſe; nàm à Domino factum eſt iſtud, cùm non ex hominibus, nèque per homines, verùm per Dei ſpiritum hæc facta ſit electio. Quis enim Piorum non vehementèr trepidabat? Quis non erat animo cumprimis anxio, & ſollicito? cùm, quo tempore magis Paſtoris indigebamus, & Imperii, & Regni hujus Comitiis inſtantibus, eripere nobis eum, & ad ſe vocare viſum fuit, tetræ quædam tenebræ, cæcæque nubes, & procellæ impendere videbantur; Sub quod tempus, cùm eſſet Gubernator ſublatus, quid aliud, quàm terribile naufragium ab omnibus expectabatur? cùm præſertim non raro factum eſſe meminiſſent, ut in longum extraherentur ea Comitia, quæ fuerunt eligendis Pontificibus inſtituta. Quod, ſi nunc etiam accidiſſet, neque citrà moram aliquam longiorem, unus ille fuiſſet à Deo conſtitutus, per quem ei viſum eſt unitatem in Eccleſia conſervare, quis erat, qui non metueret ſummam eſſe rerum omnium confuſionem ſecuturam? Ecce autem in hac tanta piorum omnium trepidatione, ſubitò diſcuſsâ caligine, nova lux effulſit, ac de repentè nobis apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti, qui, quamvis aliud peccata noſtra merebantur, eorum tamen immemor, memor autem infinitæ miſericordiæ ſuæ, de tali nobis Pontifice proſpexit, qualem his tàm perturbatis temporibus optare magis, quàm ſperare licebat: qui ad eum proximè accederet, qui Cœlis excelſior factus eſt; ut cujus vicem in Terris gereret, ejus exemplum ſibi proponeret imitandum, ejuſque ſanctis veſtigiis incedere conaretur; omnia priùs, & facere, & pati paratus, quàm, ut quidquam de ea cura, labore, diligentia prætermitteret, qua cupit ejus Gregis incolumitati proſpectum, quem, non corruptibili auro, & argento, ſed pretioſo Sanguine ſuo Redemptum, Chriſtus ipſe fidei ſuæ concredidit: quem, non doctrina magis, quàm exemplo paſcere; nec illi docendo tantùm*

tùm, verùm & vivendo præire promptus, & paratus foret; cum hac utraque re ſic excellat, vix ut ſtatuere quiſquam poſſit, doctior ne ſit, aut ſanctior.

Ego verò, Deo, cujus hoc ſolius beneficium eſt, immortales ago gratias, quòd nos oculis miſericordiæ ſuæ reſpexit, ac talem nobis Pontificem de Cælo miſerit. Veſtræ verò Sanctitati tàm excelſum locum hunc, quo nullus in Terris ſublimior eſt, gratularer, niſi certò ſcirem, quòd eum refugiendum ſemper eſſe potiùs, quàm appetendum judicavit; cùm non minùs oneris in eo, quàm honoris eſſet, perſpectum haberet. Quid enim ex eo S.V. conſecuta eſt, quàm curas; ſollicitudines, labores, & moleſtias, quibus nùnc multò gravioribus premitur, quàm unquam anteà; dùm omnia ſua, quin & ſalutem ipſam. Eccleſiæ, quàm gubernandam ſuſcepit ſaluti, poſtponendam putat? Quamobrem ipſi potiùs gratulabor Eccleſiæ, cui tam benignè Deus proſpectum eſſe voluit: quem ſupplex præcor, ut confirmet hoc, quod eſt operatus; & quam ſpem de S.V. pii conceperunt omnes, eam ſtabilem, & ratam eſſe velit; ſimul conſervet, ac vivificet S.V. promiſſique ſui memor, adverſùs eum portas Inferi prævalere non permittat; quin illud præſtet potiùs, ut videamus, illâ clavum rectè tenente, ſubverſam Babylonem, in qua tanta eſt linguarum, & opinionum confuſio; ædificatam autem, vel reſtauratam potiùs Civitatem Jeruſalem, cujus participatio in idipſum, ut congregatis diſperſionibus Iſrael, unus facti grex, unum ſub eo, qui ſub aſpectum non cadit Chriſto Paſtore, Paſtorem, & Epiſcopum Animarum agnoſcentes, uno ore unanimes glorificemus omnes Deum, & Patrem D.N. Jeſu Chriſti, qui nobis tantam hanc dedit felicitatem (Datum Heliſperæ 1. Martii 1566.)

Alia Epiſcopi Illeridenſis.

(BEATISSIME PATER.

LVI. *GRatulor primùm, ut debeo, S.V. in locum B. Petri, ut omnes Chriſti oves paſcat, ſucceſſiſſè, eique omnium Eccleſiarum Curam eſſe commiſſam: tùm autem hæc ei ità divino munere contigiſſe, ut vix uni, aut alteri noſtra memoria. Quo fit, ut omnes boni, hoc nuncio erecti ſint, & omnia tibi præclara ſpondeant afflictæ nimis, & jactatæ multis procellis Reipublicæ Chriſtianæ, nùnc tandèm aliquando ſubveniri poſſe. Noſtra quidèm certè Hiſpania magnam ſpem concepit in Pontificatu B.V. multò fore majore Chriſtianæ Religionis conſervatione, & tuitione ſplendidorem: Nulla impedimenta timemus, Epiſcopis iſthinc emanatura, vel in delictorum correctione, vel in impunitate calumniatorum, vel in ambientium cupiditate multorum beneficiorum refrænanda, vel in reliquis noſtri Epiſcopalis muneris functionibus exercendis. Audita eſt, & audietur, atque omnium prædicatione laudabitur Curiæ Romanæ, non reformatio, ut dicitur, ſed renovatio, quam vix aliquibus, ſinè offenſione licuit, ſuperioribus diebus expetere, ac deſiderare. Concilii quoque Tridentini, tàm in iis, quæ ad hæreſes extirpandas, quàm ad mores emendandos pertinent ſinè ulla variatione executio. Cùm hæc igitur ità ſe habeant; non potui me continere, quin S V. per literas gratularer, eique lætitiam meam, & omnium bonorum expectationem ſignificarem. De aliis autem rebus ad eum ſcripſi, qui has literas dabit, Michaelem Tomaſium doctum virum & probum, quem S-V. magnoperè commendo. Deus Opt. Max. Beatit. Veſtram in Eccleſiæ univerſalis gubernaculo, quàm diutiſſimè conſervet. Barcinonæ Idib. Februarii, MDLXVI.*

Sanctitatis Veſtræ.

Humil. Servus.

Ant. Auguſt. Epiſc. Illiriden.)

At Pium, à ſe minimè deſiderari paſſum eſſe juſtitiæ, ac Sanctitatis fructus, qui ab illo expectabantur, & quæ innuimus, & quæ ſuis locis inferiùs ponenda erunt, facilè declarant. Quia verò perſpicuè agnoverat, nullos graviùs peccare convinci, quàm eos, qui clericali militiæ adſcripti, vel per imperitiam, vel per reprobam vitam, dùm indignè ſacra miniſtrabant, quantùm ad ſe, & Divinorum Myſteriorum Sacramenta contaminarent, totique Sacro Ordini dedecori eſſent; idcircò crebris hortationibus, Epiſcopos commonuit, ut his malis, quæ in necem omnis Chriſtiani populi graſſari conſpiciebantur, occurrerent, vel in primis vitæ propriæ probitate, vel avulſis deindè, prò viribus, ſacerdotalis Ordi- LVII.

dinis ſcandalis Seminariiſque inſtiiutis,
in quibus honeſtæ vitæ rudimenta, qui
ad Sacros promovendi erant Ordines,&
ſcientiarum documenta perciperent;
quibuſque, & ſe bonorum operum
exemplar, & ſanæ verba doctrinæ po-
pulis promere poſſent. Eadem etiam,
quæ præfato Palentino mandavit Epi-
ſcopo (quod nempè de omnibus Cleri-
cis ſuæ Civitatis, & Diœceſis, qui Ca-
tholicæ pietatis laude, morum integri-
tate, probitate vitæ, ac doctrina præ-
ſtarent, indicem, proba fide conſcri-
ptum, & manu, ſigilloque ſuo obſigna-
tum, cum uniuſcujuſque nomine, ad ſe
perferendum curaret), à cœteris quo-
que Epiſcopis eſflagitaſſe Pium, teſta-
tur inſupèr Gabutius, qui Pontificem
ea mente hæc imperaſſe aſſerit, ut prœ-
mia, Sacerdotia, aliaque publica mu-
nera, cuique,prò meritis deferret; vel,
Sabut. Vit. Pii lib. 1. cap. 11. ut ipſemet Pius in præfata epiſtola di-
cit, ut honeſtis eos laboribus ad com-
munem S. Eccleſiæ utilitatem transfer-
ret. Ex maxima enim bonorum Sacer-
dotum penuria, qua univerſum pœnè
Catholicum Orbem laborare conſpicie-
bat, adactus, ubique ſeligere concupi-
vit, qui cœteris meliores viderentur,
ut illis, Eccleſiaſticis muneribus tradi-
ditis, eorum operâ, pœnè collapſus
religionis, & pietatis ſtatus primævo
ubique decori redderetur.

LVIII, Enim verò, ut, quæ alios Epiſco-
pos docebat, prior ipſe in praxim de-
ducere videretur, in ea potiſſimùm ſibi
commiſſa Romana Eccleſia, pro melio-
ri eiuſdem diſciplina, plura hoc anno
ſanxiſſe invenimus, Edicto, ſub die 30.
menſis Octobris,à Jacobo Cardinali Sa-
bello Vicario, promulgato, quod in
ejuſdem Pii Bullario, ſeorſim impreſſo
habetur, ac talis eſt; meritòque hìc in-
ſerendum duximus cum ex eo eximium
hac in re Pii ſtudium eniteat.

(Jacobus Miſeratione Divina Tit.
S. Mariæ in Coſmedin S. R. E.
Cardinalis Sabellus, SS. D.
N. PP. Vicarius Ge-
neralis.

Extat int. Bullas, & Conſtitut. Pii V. p. 240 *SAcroſancta Tridentina Synodus pro-
batæ eorum vitæ, & ſanctæ con-
verſationis exempla, qui ſe Divino Mi-
niſterio dedicarunt, præter Sancti In-
ſtituti neceſſitatem, ad univerſam quo-
que Chriſtiani Populi reformationem in*
A *plurimùm prodeſſe intelligens, ſalutari-
tèr ſtatuit, ut, quæ à Summis Pontifici-
bus, & à Sacris Conciliis de boneſta Cle-
ricorum vitæ, doctrinæ, cultûſque ra-
tione decreta fuiſſent, per eos, ad quos
cura pertineret, in uſum revocata, &
in mores inducta propagarentur. Nos
igitur, ejuſdem Sac. Concilii juſſa exe-
qui cupientes, nonnulla, ſine quibus re-
cta vivendi Clericorum diſciplina conſta-
re non poteſt, ex Sacris, & Canonibus,
& Conciliis collegimus, vel ad eorum*
B *mentem conformavimus, quæ ex autbo-
ritate SS. Domini noſtri Papæ, vivæ
vocis oraculo nobis conceſſa, inviolatè ob-
ſervanda, propoſuimus.*

*Ut igitur cum vitæ, & animi in-
tegritate externus etiam babitus, veſti-
tus, omniſque converſatio congruat.*

*Præcipimus omnibus, & ſingulis
Sacris Ordinibus initiatis, aut quæcum-
que Beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia
obtinẽtibus, cujuſcumq; gradus, aut digni-
tatis ſint, ut intrà quindecim dies, à præ-*
C *ſentium literarum publicatione numeran-
dos, Clericalem Tonſuram (quæ eſt mili-
tiæ ſpiritualis inſigne] uniuſcujuſque
Ordini, & gradui convenientem, perſpi-
cuè gerant. Præsbyteri verò ab ſuperio-
re labro barbam, ità tondeant, ne ſalu-
tare Corporis, & Sanguinis Chriſti Do-
mini Sacramentum ſumentibus, impedi-
mentum afferat.*

*Veſtem ſuperiorem, & interiorem
ſimplicem, & talarem omnes geſtent,
non reflexam, ſed compoſitè, & aptè ad*
D *collum annexam.*

*Pallium, quod Ferrajolum dicitur,
id babeant, ut Clericali decoro non ſit
alienum; idque tantùm in pluviæ, &
frigoris neceſſitate, ſemperque cum ta-
lari tunica induant. Quas tamèn veſtes
ad longioris itineris neceſſariam commo-
ditatem, breviores, modò Ordinis bone-
ſtati conveniant, adbiberi permit-
timus.*

*Caligis non inflatis, nec diſſectis
calceis, crepidiſve non inanitèr inciſis,*
E *ſed ſimplicibus, & integris utantur.*

*Camiſias ad manum, & ad collum
criſpas, & (ut dicunt) lactucas, aut arte
laboratas ne ſumant.*

*Pileos ne babeant, niſi valetudinis
cauſa, & eos ſimplices, neque turbina-
tos: quos ingredientes in Eccleſiam, vel
Ædes, maximè publicas, ſemper omit-
tant. Neque reticulum, aut ſubbiretum,
niſi valetudinis neceſſitas poſtulet, idque
ſinè*

Digitized by Google

ſine redimiculis. Nec annulos, niſi honoris, gradus, aut officii munus requirat.

Prætioſioribus pellibus, unguentis, & aliis odorum ſuavitatibus abſtineant.

Ab omni mulæ, & Equi inſtrumento, & ornamento, aurum, argentum, villutum, & omninò ſericum amoveant.

Veſtium colorem tantummodò nigrum, niſi alium magiſtratûs, aut honoris ratio poſtulet, adhibeant.

Veſtes boloſericas, aut ſerico ornatas, domi, aut foris, ne habeant.

Arma ne ferant, nevè perſonati incedant.

In omni denique Veſtitu, novitatem, tàm elegantiæ, & concinnitatis, quàm negligentiæ, ac ſordium ſuſpicionem vitent.

Qui in aliquo horum deliquerit, præter Veſtium, aliarumque rerum amiſſionem, vigintiquinque aureis mulctetur, Locis Piis, arbitrio noſtro attribuendis: carcere etiam, ac Beneficiorum privatione, majoribuſvè pœnis, pro delicti, & perſonarum genere, arbitrio noſtro puniatur.

Quoniam verò, qui habitant in Tabernaculis Domini, non ſolùm omnem impudicitiæ cauſam, ſed etiam occaſionem, ac ſuſpicionem à ſe removere debent, ideò præter ea, quæ de contubernio, & conſuetudine mulierum ſuſpectarum à Sac.Conc. ſtatuta ſunt. Eadem authoritate edicimus, nè in Ædibus ad domicilium, & uſum Canonicorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiæ ædificatis, fœminæ, etiam cum illis, quovis ſanguinis vinculo conjunctæ, ullo modo commorentur, in aliis verò, Canonicali, aut Clericali uſui non attributis, niſi ex cauſa tantùm, judicio noſtro probata.

Itèm ne Ædes Eccleſiæ, aut earum partes, in quibus ipſi habitant, vel habitare debeant, Laicis locent, niſi nobis locationis neceſſitas comprobetur. Quæ verò ab Eccleſiis ſejunctæ, etiamſi juris Eccleſiæ ſint, eas nemini, niſi is bonæ æſtimationis ſit, locare audeant.

Clerici, quos propter Chriſtum ſpectaculum fieri oportet Mundo, Angelis, & hominibus, maximè debent ab iis ſpectaculis, quæ Chriſtum non ſapiunt, abſtinere. Itaque decernimus, ne Comœdias, fabulas, choreas, haſtiludia, aut ludicrum, & profanum ullum ſpectaculi genus agant, vel ſpectent.

A *Nè talis, teſſeris, pagellis pictis, & omninò aleá, aut ullo prætereà vetito aut indecoro ludi genere ludant, nevè hujuſmodi ludi ſpectatores ſint.*

Non canes, accipitres, aut aliud venaticum animal alant, ullumvè genus venationis, adversùs Sacros Canones obeant.

Nè comeſſationibus, aut minùs honeſtis conviviis interſint, cauponaſque, aut tabernas nè ingrediantur, niſi longioris itineres causâ: nevè cuiquam propinent, B *aut provocati adhibendum reſpondeant; ſed ſobriè, & caſtè, ex doctrina Apoſtoli, vivant.*

Interdicimus autem eis procurationē, advocationem, patrocinium, & omnem actionem cauſarum, apud Judicem ſæcularem, exceptis cauſis jure permiſſis; quo caſu, ſcripta licentia à nobis impetretur; quibus prætereà, in rebus profanis omnem Notariatûs, & Tabellionatus officium, nec non artem medendi, maximè chirurgiam, probibemus.

C *Nullius tutelam, curamvè, niſi pietatis cauſa, idque conceſſione noſtra, ſuſcipiant.*

Mercaturam nè exerceant, nevè, in rebus contrahendis, ſe medios, vel interpretes adhibeant; prædia nè conducant, pro nemine ſpondeant. Principum, & omninò Laicorum negotia ne procurent, aut eis inſerviant, niſi cauſa id poſtulet, à Sacerdotali officio non aliena, qua in re tamèn conceſſio noſtra (quam hac iure, & aliis à nobis permittendis, gratis D *ſempèr fieri volumus) intercedat, eaque quotannis revocetur.*

Nè fœminas nobiles aſſectentur, nevè, officii cauſa, ſtent circa menſam, illis accumbentibus.

In famulatu verò Eccleſiaſticarum perſonarum, vilia officia, aut opera, quæ clericali decoro non conveniunt, minimè faciant.

Quicumque in iis, quæ à nobis ſuprà probibita ſunt, deliquerint, præter mulctam viginti quinque aureorum, E *ob ſingula delicta exigendam, & quemadmodùm diximus, in pios uſus erogandam, carcere, privatione Beneficii, & graviùs etiam, pro perſonæ conditione, & facinoris, ac flagitii modo, arbitratu noſtro plectentur.*

Mandamus autem omnibus, qui Ordinis, vel Beneficii, aut alia ratione canonicas horas recitare debent, ut eas nullo modo omittant; alioquin pœnas in

La-

Lateranen. Generali Concilio, ſub Leone Decimo celebrato, propoſitas, & alias arbitratu noſtro ſubibunt.

Inhærentes prætereà ejuſdem Tridentini Concilii decretis, per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti Domini Noſtri vehementèr hortamur Presbyteros, ut ſingulis Dominicis, & aliis Feſtis diebus, niſi juſtè impediantur, ſalutare Miſſæ Sacrificium faciant: Diaconos, & Subdiaconos, ut bis ſingulis menſibus, & ſemper cùm Miſſæ Sacrificio inſerviunt: Clericos deniquè, & inferiorum Ordinum gradibus initiatos, ut ſaltem ſemel Sacroſanctum Eucharestiæ Sacramentum ſumant.

Divinam Scripturam aſſiduè ſcrutentur, Sacros Sanctorum Patrum libros in manibus habeant, ex quibus vitalibus, & perennibus fontibus ſalutaris doctrinæ, & vitæ præcepta, & exempla hauriant.

Prætereà edicimus Clericis, aliiſque alio inferiorum ordinum gradu initiatis, ſi Clericalibus veſtibus uti voluerint, ut tonſuram quoque gerant, & reliqua, quæ præſcripta ſunt, propoſito eodem pœnæ periculo, obſervent.

Laicis verò, qui Clericali habitu uti conſueverunt, ut impoſterum, bireti ſaltem formâ, à Clericis, ſub eadem pœna, internoſcantur.

Quòd autem difficile eſt, proptèr multitudinem eorum, qui Urbem ex diverſis Orbis terræ partibus convenire ſolent, Clericos à Laicis internoſcere; Ideò jubemus omnes, & ſingulos Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, alioſque Beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, obtinentes, qui in Romana Curia commorantur, ad decem dies ab harum literarum promulgatione, eos autèm, qui poſthac in Urbem venturi ſunt à die eorum adventus numerandos, ſe in Curia noſtra ſiſtere, & nomen, cognomen, Patriam, Ordines, & Beneficia profiteri, & literas (ut vocant) *dimiſſorias oſtendere.*

Qui autèm aliquem eo gradu, & conditione, qua diximus, vel hoſpitii, vel famulatus, aliave cauſa domi habent, aut in futurum ſint habituri, illo de hac noſtra lege præmonito, ad præſtitutum tempus ad Curiam noſtram deferre.

Qui contra fecerit, viginti quinque aureis, & carcere, aliave pœna, judicio noſtro danda, punietur.

Volumus autem, & decernimus, ut his literis, in Locis ſolitis publicatis, & affixis, ità earum quoſcumque arctet executio, perindè acſi perſonalitèr unicuique intimata fuiſſet &c. Datum Romæ die 30. Menſis Octobris 1566. Pontificatus autem SS. D. N. Pii, Divina Providentia, Papæ Quinti, anno primo.)

Præter verò optima decreta, quibus Pontifex Romani Cleri reformationi proſpexit, plurima alia etiam ſtatuiſſe hoc anno, legitur in Epiſtolis apud Caracciam, quibus, & Eccleſiaſticorum licentiam cohiberet, vel eorumdem animos ad perfectioris vitæ carpendum iter exſuſcitaret; ut illud, quòd, qui peccatorum ſacras confeſſiones excipiebant, omnes à Vicario Urbis examinarentur, ac probarentur: nec quiſquam Confeſſarii obire munus permitteretur, niſi qui, tùm facultate, tùm idonea doctrina præditus fuiſſet; Et aliud, quòd ſi, prætèr formulam à Sacro Concilio Tridentino conſtitutam, cujuſvis generis Beneficia collata fuiſſent, ea omnia, ac ſi alicui non attributa, & proindè vacantia, eſſent exiſtimanda. Verùm id de collatione Beneficiorum ſtatutum, ad ſequentem potiùs annum videtur referendum, nàm Bulla, ſuper hoc expedita, hoc innuit, licèt ipſam præſenti anno probabilitèr Pius excogitaverit; Uti etiam alia, quæ ad ipſa Beneficia ſpectant, de quibus in literis, Menſe Junio hujus anni datis, apud præfatum Caracciam, ita habentur (*Tamètſi magnis pecuniæ difficultatibus conflictetur, nec monitores deſint, qui ad januam regreſſibus aperiendam* (*undè ingens vis pecuniæ conflaretur*], *impellant; nunquàm tamèn aſſenſus eſt. Nonnullas quidèm, ab Anteceſſore conceſſas, & obſignatas competitiones, jamque taxatas exigi puſſus eſt, eaſque ad opera pia addixit; ſed ipſe integerrimè Statuta Concilii obſervat, & exploratum eſt mihi, difficillimo eum tempore oblata ſibi* (*diſpenſationis antea concedi ſolitæ gratiâ*) *multa aureorum millia recuſaſſe; idque perpetuò ſervavit; Quin imò nùnc etiam ſtatuit, reſignationes Beneficiorum ſimplices, non admittere, quas antea moris erat fieri, ad reſignantis arbitrium; nec erat ferè in Curia quicquam, vel planius, vel uſitatius. Sed cùm videret, ſi hæc ſacerdotia à cognatis in cognatos, ab avunculis, vel patruis infratrum, aut ſororum*

quaſi

LIX.

Ex Epiſt: dat. 16. Novemb. 1566. apud Carac.

Ex Epiſt. V. apud eumd.

filios, reſignationis hæreditario quodam quaſi jure pergerent deſcendere [fore, ut Sacrum Jus profano paulatim miſceeretur, ac pollueretur; ſimul cùm ſciret, ad Eccleſiaſtica ſæpènumero Beneficia perſonas minimè idoneas promoveri, dictas reſignationes impoſterùm nullo pacto confirmare conſtituit; niſi, habitâ priùs diligenti examinatione, qui deſignantur, oneri non impares judicentur. Cùmque peritus intuliſſet, neſcio quis, hoc eſſe nimirùm Curiam deſtruere: minus malum eſſe, reſpondit, deſtruere Curiam, quàm cultum Dei negligere, & Chriſtianam Rempublicam turpiter perdere) Hæc ille. Verùm, licèt iſta hoc tempore acciderint, ut diximus, tamen quæ de Beneficiis ſervanda inviolabilitèr eſſent, non niſi tertio Pontificatûs ſui anno, decreto firmaſſe, ex Bulla ſuper hoc tùnc edita apparet. Conſtitutionem nihilominùs eam, quæ incipit. *Cupientes, ut Beneficia Eccleſiaſtica &c.*, quâ inhibetur in alma Urbe, ejuſque Diſtrictu, niſi prævio examine Cardinalis Vicarii, Beneficia curam habentia conferri; utpotè, quæ à Tridentino Concilio, omni cunctatione abiecta, à cunctis Præſulibus, ſed præcipuè, ad aliorum exemplum, à Summo Pontifice expetita videretur; licèt tempus, quo indicta fuerit non conſtet, tamen hoc anno prodiiſſe cenſendum eſt. Cujus rei argumentum eſſe inſuper poteſt, quòd ſequenti alteram promulgaverit, qua cunctis Archiepiſcopis, aliiſque Animarum regimen gerentibus, idem faciendum diſtrictiſſimè indixit. Veriſimile ſiquidèm non eſt, quæ priùs ipſe executioni mandari, in Urbe ſua Româ, non curaſſet, ab aliis tanta ſeveritate exequi imperaſſe. Ea Conſtitutio incipit (*In conferendis Beneficiis Eccleſiaſticis &c.*) ſub die decima ſexta Maji anno 1567., quæ refertur *in Bullar. Rom. tom.2. in ord.*

LX. Cùm, prætèr antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, rem Divinam, horis veſpertinis fieri, non tàm ab Urbis Eccleſiaſticis, quàm ab aliis extra Urbem conſtitutis, præſertìm in Paſchatis, Nataliſque Domini pervigiliis, comperiſſet, quorumdam privilegiorum cauſis aſſimulatis; hanc idcircò poteſtatem, utpotè, pro temporum ratione, multorum malorum cauſam, abrogandam cenſuit, diplomate ſuper hoc expedito, in quo, inter cœtera habentur [*quòd cùm ad ejus notitiam perveniſſet, nonnullas Cathedralium etiam forsàn, Metropolitanarum, Collegiatarum, & aliarum Eccleſiarum, antiquum S.R.E. ritum, in ſtatutis Miſſarum celebrandarum temporibus, pervertere ſatagentes, diverſas licentias, & facultates obtendere, quarum virtute, Miſſas, quæ media nocte, & ſeù in aurora Nativitatis, ac de mane Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & forsàn aliarum Feſtivitatum, juxtà prædictum ritum celebrari conſueverant; de ſerò, etiam forsàn, circa Solis occaſum vigiliæ Feſtivitatum earumdem, in ſuis Eccleſiis, & Cappellis celebrabant, ſeù celebrare faciebant; eaſdemque facultates ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, vel etiam Majori Pænitentiario, pro tempore exiſtente, variis prætextibus impetraſſe, illiſque jam pridem uſos fuiſſe: cùm hoc ab antiquo Catholicæ Eccleſiæ Inſtituto, Sanctorumque Patrum decretis deviare conſideraſſet, ac propterea hunc abuſum ab Eccleſia Dei ſubmovere vellet; omnes, ac ſingulas licentias, & facultates hujuſmodi hactenùs, etiam motu proprio, vel quorumvis, etiam Imperatorum, Regum, & aliorum Principum contemplatione, & ex quibuſvis cauſis quomodolibet conceſſas, ac Apoſtolicas, & alias literas deſuper confectas, illarum omnium tenores pro ſufficienter expreſſis habens Apoſtolicâ authoritate, ex certa ſcientia revocabat, ac omninò caſſabat, & annullabat &c. Die 29. Martii anno 1566. Pontificatus Primo.*)

Extat. in Bull. int. Pii Conſtit. ſub ann. 1566

LXI. Latinis inſupèr, nè græco, & Græcis nè latino ritu Sacra conficerent, hoc ipſo anno interdixit; cùm enim mos inoleviſſet, tàm in Miſſarum, quàm in aliorum Divinorum Officiorum celebratione, nonullos promiſcuè, de Apoſtolicæ tamèn Sedis licentia, pro libitu utroque ritu uti; hoc tamquàm à Catholicæ Eccleſię pervetuſto inſtituto devium conſiderans, pœnitùs abrogandum duxit. Quaproptèr, Conſtitutione decim. tert. Kal. Septembris promulgata, revocatis in primis quomodolibèt ab Anteceſſoribus Pontificibus, vel Apoſtolicæ Sedis Legatis, aùt à Majori pro tempore exiſtente Pænitentiario conceſſis privilegiis, & facultatibus, Regum etiam, Imperatorum, aliorumvè Principum intuitu: omnibus tàm Latinis, quàm Græcis Presbyteris, graviter edixit, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub

Extat. in Bullar. Conſtit. xiij.

ſub indignationis ſuæ, ac perpetuæ ſuſpenſionis à Divinis, pœnis, diſtrictiùs inhibuit, nè deinceps Græci, præcipuè uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu, hujuſmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quovis prætextu Miſſas, aut alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere præſumerent. Cœtera autem ab eo conſtituta, quæ ad horarum canonicarum rationem ſpectant, in ſequentes annos ſunt rejicienda.

LXII. Subindè, ut refert Gabutius, Patriarchales quinque Urbis Eccleſias inviſit, nempè S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, S. Pauli Via Oſtienſi, S. Laurentii extra muros in Agro Verano, & S. Mariæ Majoris; & ad earum ſingula Collegia gravem æquè, ac piam Orationem habuit, omneſque ad ſui muneris functionem, & ad vitam ſuam, utpotè ad quam populi mores ſoleant conformari, cum præcipuè Romani Cleri præſtantior, atque nobilior pars eſſent, ſanctiùs inſtituendam, & ad Divinum cultum, anteà negligentiùs curatum, majore ſtudio retinendum, vehementer, eſt cohortatus. Ac præterea ſtatim Viſitatores delegit, præſtantes Viros, qui ſacras omnes Urbis Ædes obirent, ſummâ cum poteſtate, & aulicos, & ſacratos homines quoſlibet, ad meliorem frugem corrigendi. In his fuere Nicolaus Ormanetus Veronenſis, & Alphonſus Binarinus Bononienſis, Viri ſpectatæ probitatis, & eruditionis, Chriſtianæque diſciplinæ ſtudio flagrantiſſimi, qui in hoc rerum ordinandarum negocio illi operam navarunt. Iſta ex Gabutio: Verùm, ex literis apud Caracciam habetur, quòd, cum à ſe inchoatam celeberrimi Vaticani Capituli Viſitationem, ut complerent, Viſitatores alios Pius inſtituere vellet; Canonici Eccleſiaſticam ſuam ſuperiorum temporum conſuetudinem obtruſerunt, petieruntque Pontificem, ut per ſe id munus obiret, perficeretque; ſed perſtitiſſe nihilominùs in ſententia Pium, additur, illius Viſitationis negotiis idoneis Viris datis; quo factum eſt, ſubiungit, ut illud quoque Collegium, in quo, inter Canonicos primarii Viri recenſebantur, Eccleſiaſticæ reformationi ſe ſubjecerit.

Gabut. Vit. Pii lib. 1. cap. 10.

Ex Epiſt. ſub die 10. Novembris apud Carac.

LXIII. Et ne quis, quovis prætextu, vel Viſitationibus, vel decretis, quibus Sacrorum Locorum decori conſulere cupiebat, & Clericorum licentiam multipliciter cohibuerat, ſe ſubducere poſſet; in Conſiſtorio, ſub die ſexta Septembris hujus anni, habito (*Admonuit Reverendiſſimos*, (verba ſunt Diarii Cardinalis Farneſii), *ut omnes Domeſticos, & Familiares ſuos, Beneficia obtinentes, quæ reſidentiam requirerent, ad eorum Eccleſias mitterent, curarentque, ut cæteri, qui Beneficia ſimplicia obtinent, habitu Clericali induantur. Alioquin Vicarium ſuum habere mandatum de eis pœnas ſumendi. Item monuit, nè quid prætermittatur, quin provideatur de omnibus rebus neceſſariis, tùm, & Cardinalium Titulis, tùm Eccleſiis, ipſis Titulis ſubjectis; quas omnes præceperat, ut viſitentur*) ſic ibi.

Ex Diar. Card. Farneſ. ut ſup.

Licèt verò innumeris, totius Chriſtiani Orbis oppreſſus negotiis, Pius per ſe Viſitationum ſingularum Eccleſiarum onus ſubire non poſſet, undè opus id aliis deferre cogeretur; tamen quotieſcumque occaſio tulit, non Romæ modò, ſed etiam alibi paſtorale hoc officium implere minimè prætermiſit; ut hoc eodem anno feciſſe legitur, cum Oſtia Tiberina pergere (ut inferiùs dicendum erit) adactus fuit; in ea ſiquidem Civitate voluit, (ut Romæ frequentèr fecerat), Eccleſiaſtici Viſitatoris officium gerere. Cumque multa, eâ in Eccleſiâ deſiderarentur, neſcio quot millia, mulctæ nomine, indixit; quibus pecuniis ea omnia reficerentur, & ornarentur, quæ Eccleſiaſtica diſciplina, & decor requirere videbatur. LXIV.

Ex litteris apud Carac. ſub die 16. Nov. 1566.

His autem Viſitationibus, cùm innumeros pœnè, qui inoleverant abuſus, perſpicuè comperiſſet, his evellendis plurima ſanxit. Eſt Romæ celeberrima Sanctæ Mariæ ad Martyres nuncupata Eccleſia; quam olìm Bonifacius Papa Quartus, expurgato Deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Martyrum dedicavit, tempore Phocæ Imperatoris. Hujus dedicationis ſolemniratem celebrem, & generalem idem Pontifex inſtituit agi, quotannis, in Urbe Roma. At, cùm Gregorius item Quartùs poſtmodùm decreviſſet, eamdem feſtivitatem, quæ variis modis jam in diverſis Eccleſiis celebrabatur, in omnium Sanctorum honore, Kalend. Novembris ab univerſa Eccleſia perpetuò obſervaretur; Templumque idem alii Romani Pontifices ampliſſimis condonationum the- LXV.

theſauris cohoneſtaſſent, adeout, ſi quis fidelium eò, pietatis, ac devotionis gratia, adiret oraturus in pervigilio, & Feſto omnium Sanctorum, plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam referret; innumera idcircò utriuſque ſexûs fidelium multitudo illùc confluere conſuevit. Sed deprehenſum eſt, ſolemnitatis pervigilii nocte, indulgentiarum occaſione, ac pietatis prætextu, innumera pœnè à perverſis hominibus flagitia committi. Quapropter, ubi hoc Pio innotuit, imperavit, & tota ea nocte Templum occluſum eſſe, omneſque, & ſingulas indulgentias eidem à Prædeceſſoribus attributas nullas eſſe edixit, quas tamèn interdiù ſuam obtinere vim velle declaravit; & ita flagitioſorum hominum, ex bonis mala facientium, temeritatem compeſcuit, & ſancti loci venerationi conſuluit.

LXVI. Quòd tamen nil eſſet, quod ad Divinum cultum ſpectaret, ac primævo ſuo, & nativo ſplendori reſtituere Pius non contenderet, aliud, quod in altera, S. Martyri Euſtachio dicata Eccleſia fieri prohibuit, facilè oſtendit. Si quis enim in Judicum Collegium, quos Rotæ Auditores vocant, præcipuumque eſt Urbis Tribunal, cooptandus eſſet, cùm publicè de utroque Jure diſſerere debuiſſet, huic ſe diſputationi in præfata Eccleſia palàm exhibere ſolebat. Morem igitur hunc ſubmovendum eſſe Pius cenſuit, ideòque, non tantùm, ut in ea Eccleſia, verùm nèc in altero quovis Templo, hujuſmodi diſputationes haberi interdixit; Loci Sanctitati indecorum exiſtimans, verborum contentionibus, clamoribuſque, quibus ſe temperare vix poſſunt, inter ſe diſceptantes, dicatas Deo Ædes deſtinaſſe.

LXVII. Has enim, utpotè Regis Regum domos, quas ſanctitudo decebat, non tantùm amotis, quæ recenſuimus, ſcandalorum offendiculis, vel etiam quod profani aliquid vix redolere videretur, primævæ fidelium venerationi reddere ſtuduit; ſed ut præcipuo cultu obſervarentur, intentatis pœnarum minis, diſtrictè mandavit; uti ex dato Romæ (extatque in Bullario impreſſum Conſtit.3.) Apoſtolico Edicto Kalend. Aprilis hujus anni apparet; in quo inter cœtera hæc habentur (*Ut Deo Opt. Max. Glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Grego-rii X. Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem innovantes, ac Statuta in Tridentino Concilio obſervari volentes, ſtatuimus, & ordinamus, ut ad Eccleſias ſit humilis, & devotus ingreſſus, quieta converſatio, devotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis Sanctiſſimum Sacramentum adorent, ad nomen Jeſu Chriſti Domini Noſtri, cum exhibitione reverentiæ, caput inclinent: nullus in dictis Eccleſiis ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat; ceſſent vana, fœda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes judiciorum, & alia quæcumque, quæ Divinum Officium perturbare poſſunt. Nullus intra Eccleſiam deambulare audeat, ſivè præſumat, dum celebrantur Sacra Miſſarum myſteria, & alia Divina Officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempſerint, prætèr divinæ ultionis acrimoniam, noſtri quoque arbitrii pœnas incurret: quæ omnia Locorum quoque Ordinarii in ſuis Eccleſiis facient obſervari. Quicumque verò in Eccleſia, dum ibi Sacrificium Miſſæ, & Divina celebrantur Officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad Sanctiſſimum Sacramentum irreverentèr ſedere, aut aliquid, quod ſcandalum generet, aut Divina perturbet Officia, facere præſumpſerit; pœnam viginti quinque ducatorum incurret, præter alias, arbitrio noſtro imponendas, & moderandas pœnas. Et qui non habebit in ære, luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui verò in Eccleſiis cum mulieribus impudicis, ſivè etiàm honeſtis, colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & Carceris per menſem. Qui in Eccleſiis, ut ſupra, obſcænis, & inhoneſtis verbis, aut ſignis uſus fuerit, aut alia fœda colloquia cùm perſonis quibuſcumque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur; aut aliàs corporalitèr puniatur. Mandamus prætereà omnibus, & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacriſtis, Oſtiariis, & aliis ipſarum Cuſtodibus, quatenùs præfatos omnes in Eccleſia delinquentes, admoneant, & ut in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltèm ipſis Ordinariis, vel Officialibus noſtris, puniendos deferant. Quod ſi facere neglexerint, pœ-*

Extat. in Bullar. Conſtit. 3.

nam duorum aureorum, vice qualibet, incurrent.

Pauperes quoque mendicantes, ſeù elemoſynas petentes per Eccleſias, tempore Miſſarum, prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum ire non ſinant; ſed eos ad valvas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda, pro qualibet vice, niſi eos ejici curaverint; & Parochis dimidii aurei. Religioſis etiam clauſtralibus, ſiuè Regularibus præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut in Eccleſiis ſuis deputent aliquem, qui tales ejiciat; & ſi negligentes fuerint, graviſſimè ab Ordinario corripiantur: quòd ſi illi parere recuſaverint, graviſſimas pœnas incurrent, & pro qualitate perſonarum, etiàm corporalitèr punientur arbitrio noſtro, ſiuè Superiorum.

Et ut in Eccleſiis nil indecens relinquatur, iidem provideant, ut capſæ omnes, & depoſita, ſeù alia Cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia omninò amoveantur, prout aliàs ſtatutum fuit; & defunctorum corpora in tumbis profundis, infra terram, collocentur.] *&c.*

LXVIII. Pratèr Conſtitutionem hanc, Kal. Aprilis hujus anni, ut diximus, editam, alterum etiam reperimus, à Jacobo Cardinali Sabello, Pii, ut innuimus, Generali in Urbe Vicario, ſub die 28. Novembris promulgatum edictum, quo diſtrictè prohibet Univerſis, & ſingulis Patriarchalium, Collegiatarum, Parochialium, & aliarum Urbis, & Suburbiorum Eccleſiarum Archipresbyteris, Canonicis, Præpoſitis, Rectoribus; necnon quorumvis Monaſteriorum, & Conventuum cujuſcumque Ordinis, in eadem Urbe, & Suburbiis exiſtentium, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis, Capitulis, & Præpoſitis, Hoſpitaliumque, & Confraternitatum, aliorumque piorum locorum Cuſtodibus, Guardianis, Gubernatoribus &c., nè de cœtero, ſub ducentorum ducatorum auri, totiès, quotiès contraventum fuiſſet, perſolvendorum mandati executivi; & in juris ſubſidium excommunicationis, aliiſque Cenſuris Eccleſiaſticis, ejuſdem Jacobi Card. Vicarii arbitrio imponendis; nè aliquis, inquam, eorum auderet, ſeù præſumeret, per ſe, vel alium, ſeù alios, in dictis eorum Eccleſiis, & porticis fabricare, vel fabricari facere, etiam ex cauſa Capellarum, Altarium,

Extat int. Conſt. Pii V. ſeorſim impreſs. Romæ pag. 150.

& Sepulcrorum conſtruendorum, ſeù aliquid innovare, aùt innovari facere, vel permittere: minùſque quibuſvis perſonis cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus. licentiam in dictis eorum Eccleſiis, & porticis fabricandi, ſeù fabricare faciendi, aut aliquid innovandi, ut ſupra concedere, ſine ſua expreſſa in ſcriptis licentia obtenta. Neque ſupra dictas Eccleſias, & porticus Cœmeteria, aliquas ſtantias, manſiones, vel habitationes conſtruere, vel conſtrui facere, aut id permittere, vel illas ad uſum privatum concedere; minuſque mortuos, niſi tantùm in Cœmeteriis, tumbis ſiuè ſepulcris, ad hujuſmodi officium fabricatis, ſepelire, vel ſepeliri facere, vel id permittere. Idcircò præfatos omnes requirit, & monet, quòd, infrà quindecim dierum ſpatium à publicatione ejuſmodi literarum computandum, ſub ſimilibus pœnis debeant, & quilibet eorum debeat quaſcumque feneſtras vicinarum domorum, & contiguarum Eccleſiis ſupradictis, etiam ipſorum, introſpicientes dd. Eccleſias removiſſe, obturaſſe, remuraſſe, removerique, & remurari feciſſe: necnon infra terminum prædictum, ubi Cœmeteria defuiſſent, tumbas, ſivè ſepulturas communes in dictis eorum Eccleſiis, ad ſepeliendum capaces, & ſufficientes, locis tamèn prius per ſe, vel per ſuum Viceſgerentem aſſignandis, conſtruxiſſe, & conſtrui feciſſe; alioquin ad prænominatas, & alias pœnas, arbitrio ſuo reſervatas, contra inobedientes, & præmiſſa non obſervantes procedendum ſcirent.

Nec minus cordi fuit Pio, hoc ipſo Pontificatus ſui initio, ut jam exiſtentibus in Urbe Eccleſiis debitus honor, nitorque, reſtitueretur; quàm ut eæ, quæ ſub Pio Quarto Prædeceſſore ſuo ædificari, vel potiùs expurgari cœperant, ex Diocletiani videlicet Thermis exſurgentia, inſignis Sanctæ Mariæ Angelorum Eccleſia, Monaſteriumque, tandèm abſolverentur. Cùm enim comperiſſet, magnificum, egregiumque illud opus, quin ad perfectum adduceretur, pecuniæ inopia præpediri, ea potiſſimùm ex cauſa, quòd aliquid in illud (quod cœteræ Domus Carthuſianorum, ad quos tùm ipſa Eccleſia, tùm cœptum apud eam Cœnobium pertinet, libentiſſimè fecerant), in Hiſpania exiſtentia Monaſteria conferre recuſarent: LXIX.

rent : graviſſimè ad Archiepiſcopum A Roſſanenſem, ſuum apud Catholicum Regem Nuncium, ſcripſit, ut, intentatis Apoſtolicis minis, eorumdem Monaſteriorum Præſules, ad parendum præfati Pii Prædeceſſoris ſuis mandatis, quibus id eis præceperat, compelleret. Epiſtola ad eum ſcripta, ſic ſe habet :

LXX. Venerabili Fr. Joanni Baptiſtæ Archiepiſcopo Roſſanenſi, Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ, in Regnis Hiſpaniarum Nuncio.

PIVS PAPA V.

Ex Arch. Vatic. ſign. num. 1406.

VEncrab. Frater &c. Mirati ſumus, cur Dilecti Filii Viſitatores, & Priores Monaſteriorum Ordinis Carthuſien. in Hiſpania, non ea, qua debuerunt reverentia, paruerint literis fel. record. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, ſuper ſubſidio, quod conferre debuerunt ad ædificandum Monaſterium in hac Alma C *Urbe in Thermis Diocletiani. Quia verò Eccleſia Sanctæ Mariæ, & Angelorum in iiſdem Thermis, ab eodem Prædeceſſore noſtro ædificari, ſumptibus Apoſtolicæ Sedis cæpta, jam eò perducta eſt, Deo favente, ut ibi quotidiè Sacra Miſſarum ſolemnia, ad Dei laudem celebrentur; noſque eam ædificationem, Deo dante, proſequi in animo habemus. Prædeceſſoris noſtri literas, ad Ven. Fr. Epiſcopum Cariathen: tùnc Apoſtolicæ Sedis, in Hiſpaniæ Regnis Nuncium, ſupèr hac re* D *ſcriptas, quarum tibi, unà cum his literis, tranſumptum authenticum miſimus, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium revalidantes, & confirmantes, Fraternitati tuæ mandamus, ut ſi dicti Viſitatores, & Priores, poſtquàm à te coràm, ſeù per literas admoniti fuerint, quod non credimus, parere recuſaverint; eas, Tu, literas, juxtà ipſarum tenorem ſedulò exequaris: cùm grave nobis videatur, Monaſterium illud, quod non ſine magna aliorum ejus Ordinis impenſa* E *egregiè inchoatum fuit, propter ipſorum contumaciam perfici non poſſe. Ad quod perficiendum, etiam ſine mandato Prædeceſſoris noſtri, ultrò ſubſidium impendere debuerant, Divini obſequii cauſa, & cùm proptèr Fratrum ſuorum commodum, tùm quod ad totius eorum Ordinis decus, tùm inſignis Eccleſia, & Monaſterium redundatura ſint. Tu ergo ità* A *eas literas exequi ſtude, ut diligentiam tuam in Domino laudare debeamus.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. Die xxx. Martii 1566. Pontif. noſt. anno primo.)

At, nè corruptæ hominum, & præcipuè Sacrorum conditioni, hæc omnia onera, quibus, & cultum rebus, Deo ſacris exhiberi, ac augeri, & tamquàm verè Dei miniſtros ſe gerere, qui Eccleſiaſtico ordine inſigniti erant, adigebantur, gravia, & importabilia vide- LXXI. B rentur, ac nè digito quidèm ea Pium movere velle, ſuſpicarentur; veterem (præter ſupra recenſita) ipſe conſuetudinem, rem divinam in Æde Principis Apoſtolorum, & in Sacellis, ex Xiſti, Paulique Pontificum Prædeceſſorum nomine nuncupatis faciendi, ità egregiè revocavit, ut eximia ejuſdem Pii aſſiduitate, & Cardinales, & reliqui Sacerdotes, ad eam Sacri Officii diligentiam incenderit. Præcipuis autem Solemnitatibus, mira ejus pietas, mirumque C exemplum, quo divinis intereſſe conſueverat, vel invitos adeſſe, cogere videbatur, ut ex literis, apud Caracciam, ſexto Kalend. Januarii hujus anni datis, educitur; In his ſiquidem hæc habentur: (*Enituit, his Natalitiis, ſingularis Religio, & Sanctitas præſtantiſſimi Pontificis, quæ nuſquàm non eſt eximia; ac primùm quidem, his feſtis diebus, totum ſe ad orationem, & rerum Divinarum contemplationem compoſuit, ac dedit; nihil voluit negotiorum* D *tractare; dein ad matutinarum precum celebritatem, hora noctis quinta præſtò fuit. Cum Patrum Cardinalium Collegio matutinis precibus, & primæ Miſſæ, quæ media nocte fit, interfuit; hinc ſeceſſit ad domeſticum ſuum Sacellum, ubi primam, ac ſecundam Miſſam devotiſſimè fecit, ac univerſæ ſuæ Familiæ Sacram Synaxim de manu ſua adminiſtravit. Poſtremò ad Divi Petri templum rediit, ac tertiam Miſſam, ſolemni Pontificio ritu, celebravit. A Prandio con-* E *cioni ſacræ interfuit, aliorum itèm Feſtorum celebritati non defuit: quod tanta ſedulitate fecit, ut cogerentur Cardinales, longè antè lucem ſurgere, nè tardiùs, quàm decebat, venirent, mira eſt enim Patrum Cardinalium erga Sanctiſſimum Pontificem reverentia*). Hæc ille, qui eximiam alibi Pii, ergà Deo Sacra, venerationem referens, in ſolemni ſupplicatione, quæ die Corporis Chri-

Chriſti habita fuerat, quamvis adverſa A
valetudine laboraret, & fortè tùnc ſub
Medicorum cura eſſet, non tamèn de-
eſſe voluiſſe, quominùs in publicum
prodiret, & Sanctiſſimum Sacramen-
tum, non ut alii conſueverant, in Sede
geſtatum, nec Regni, ut dicunt, dia-
demate redimitum (licèt juſtis, ſecùs,
alios feciſſe, piiſque de cauſis, creden-
dum ſit), ſed pedibus humillimè, ac
religioſiſſimè, circumtuliſſe narrat.
Ex literis mens. Maji 1566. (*Quæ res, ſubjungit, magnam Populo*
univerſo devotionem, ædificationemque B
attulit). Hebdomadâ inſuper majori,
ſeù Sancta, Pontificem ipſum, pedes, ex
Apoſtolico Palatio, pauciſſimis ſibimet
domeſticis comitantibus, ad ſeptem
Urbis Eccleſias inviſendas egreſſum
fuiſſe refert; quod ut maturiùs facere
potuiſſet, antequàm illuceſceret, ad
Sacrum faciendum ſurrexerat; & licèt,
tùm ætas, tùm valetudo ſecùs ſuade-
rent, totum tamèn oblongiſſimum illud
iter pedibus conficere, quòad poterat,
annixum eſſe, & miro prorsùs pietatis, C
& humilitatis exemplo tandèm perfece-
rat. (*quòd ſcio* (addit) *jam quemdam*
Cardinalem imitatum, ſeptem Eccleſias
omnes, pedibus adiiſſe.)

LXXII. Quanti demùm fecerit, ut Sancti
eſſent Dei Sacerdotes, ob Sancta, quæ
miniſtrare, vel quibus inſervire de-
buerant; illud oſtendit, quod in ea-
dem, data Kal. Aprilis, Conſtitutione
ſanxit, quâ in Simoniacos invectus, pro
viribus, mortiferam eorum tabem ab
Eccleſia, ac Eccleſiaſticis Viris, pœni- D
tùs convellere, aggreſſus eſt: dicit
Extat in Bullar. Conſtit. 4. circa medium. enim. (*Ut Simoniacæ pravitatis labes*
prorsùs aboleatur, Conſtitutiones Ante-
ceſſorum noſtrorum contrà ſimoniacos
editas; & præſertim Pauli II., invio-
labilitèr obſervari mandamus, & de-
linquentes, tàm in Sacrorum Ordinum
receptione, quàm in Beneficiorum aſſecu-
tione, ſtatutis etiàm inferiùs pœnis no-
ſtra authoritate affici volumus. Quicum-
que igitur deteſtabile crimen ſimoniacæ E
pravitatis commiſiſſe, convictus fuerit,
in conſequendis Ordinibus, eo ipſo ſit ab
illorum executione per decennium, ſinè
ſpe diſpenſationis ſuſpenſus; & per an-
num carceribus mancipetur. Qui digni-
tates Eccleſiaſticas ſimoniacè acquiſive-
rit, illis ſit, ipſo jure, privatus, & in
futurum inhabilis ad eas, & quaſcum-
que alias obtinendas: Qui Beneficium,
aut Officium Eccleſiaſticum ſimoniacè

A *adeptus fuerit, illis ſimilitèr ſit ipſo jure*
privatus, & ad fructuum omnium, quos
percæperit, reſtitutionem teneatur, &
perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quæcum-
que alia Beneficia Eccleſiaſtica obtinen-
da. Si quis autèm tale crimen pluriès
commiſiſſe convictus fuerit, præter ſu-
pradictas pœnas, etiàm corporalitèr pu-
niatur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis
degradatus, à Fidelium conſortio ejicia-
tur. Qui verò Ordines, & Beneficia
ſimoniacè contulerint, pœnis à Jure ſta-
B *tutis puniantur, cujuſcumque gradus,*
conditionis, & dignitatis, etiamſi Epi-
ſcopi, vel Archiepiſcopi, aut majores
fuerint.

Caveant prætereà quicumque, nè
in Sacramentorum exhibitione, ſimo-
niacum aliquid faciant, alioquin gra-
viſſimè puniantur per Locorum Ordina-
rios, qui hujuſmodi criminis reos, cum
maxima ſeveritate coercere procurent,
juxtà Concilii Tridentini Statuta].
Iſta Pius, qui ejuſmodi ſimoniacum ſce-
C lus adeò execratus eſt, ut vel leviſſimæ
ipſiuſmet ſuſpicioni ſubeſſe noluerit;
nàm pratèr ea, quæ in Pallii traditione,
Archiepiſcopis facienda, ſuprà ſanxiſſe
vidimus, cùm Philippus II. Hiſpania-
rum Rex, (uti iam à Pontificibus præ-
deceſſoribus obtinuerat), impetrare
quoque à Pio eniteretur indulgentia-
rum quaſdam conceſſiones, vt ea pecu-
nia, quæ in elemoſynam, atque opus
pium præſtabatur, ad indulgentias eaſ-
dem conſequendas, uteretur in ſubſi-
D dium belli, quod contrà Chriſtiani no-
minis hoſtes, vel Turcas, vel Saracenos
ſemper agitare conſueverat; ſuaſum
fuit Pio ipſi, ut partem ſaltèm immenſæ
ferè pecuniæ, quæ ex eo Indulgentia-
rum indultu, ex Fidelium oblationibus
cogenda erat, propriis ſublevandis ne-
ceſſitatibus, retineret. Verùm hujuſ-
modi conſilium ſtatim Pius rejecit, &
ad quinquennium Catholico Regi in-
dulgentiis conceſſis, ſe nolle, palàm
E profeſſus eſt, aliquem ſuſpicari poſſe,
vel calumniari, propter compendium,
indulgentias ſe fuiſſe elargitum. At de
his quidem Indulgentiis, pro quibus
conſequendis manus adiutrices porri-
gendæ erant, & quæ quæſtuandi facul-
tatem quomodolibèt continebant, quæ
ſanctiſſimè conſtituit, ad ſequentem
annum ſunt rejicienda.

Ut autem turpis lucri gratia ali- LXXIII.
quid ſacrum, aut quod ſacri redoleret,
vel

vel impertiri pœnitùs interdixit, vel tribui ab aliquo omninò noluit; ſic è contra Sacrorum Locorum, non minùs venerationi, ut vidimus, ac decori, quàm indemnitati, quantùm valuit, authoritate, & gratia conſuluit. Quaproptèr motu proprio, iſta ſanxiſſe reperimus (*Conſiderantes* (ipſius ſunt verba) *varia diſpendia, & incommoda, quæ Eccleſijs, Monaſteriis, & aliis Piis Locis, illorumque Rectoribus, Abbatibus, Archipræsbyteris, Prioribus &c., & aliis Beneficiatis, in Alma Urbe conſiſtentibus, inferuntur, ſi ad diverſa Tribunalia Urbis evocari, & proprium Vicarii noſtri in d. Urbe Tribunal deſerere cogantur, & ob id ſæpè jura, & inſtrumenta, monumenta, & ſcripturæ bonorum eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis, & Locis Piis deperduntur, in detrimentum eorumdem; Ideircò indemnitati eorum conſulere, prout tenemur, & occurrere volentes, per facultatem, & poteſtatem Dilecto filio Alexandro Riario, Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, per felic. record. Pii IV. Prædeceſſorem noſtrum, ſub variis conceſſionibus conceſſam, & attributam, quarum omnium tenores hìc pro ſufficientèr expreſſis, etiàm cum illarum Dat. haberi, ſeù inſeri poſſe, volumus, & decernimus, poteſtati, & juriſdictioni Dilect. Filii noſtri Jacobi Tit. Sanctæ Mariæ in Coſmedin Præsbyt. Cardinal. noſtri in Alma Urbe, ejuſque Diſtrictu Vicarii Generalis, circà perſonas Eccleſiaſticas, Loca Pia, illorumque Bona, quæ juriſdictioni præfati Vicarii ſubſunt, etiamſi inter eos contractus cum ſolita obligatione in forma Cameræ, ſeù Ripæ, & Ripettæ intervenerint, aliquod præjudicium factum uon fuiſſe; ſed quòd idem Vicarius Cardinalis, in omnibus, & per omnia, procedere poſſit, quoad perſonas, & Bona præfata, prout ante eum cæteri Vicarii, tempore, quo Franciſcus Albericus, & alii ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ Auditores prædeceſſores in dicto Auditoriatus Officio, tùnc fungebantur, procedebant, tenore præſentium, authoritate Apoſtolica declaramus &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum prid. Id. Septemb. Ann. Primo.*)

Extat in Bull. Pii V. ſeorſ. impreſ. pag. 49. & incipit) Etsi Dominus gregis.

LXXIV. Ex eo tamèn quòd ſæcularis Cleri reformationi, Divinoque Cultui reſtituendo, in iis potiſſimùm, quæ ad ipſum Clerum ſpectare videbantur, plurimùm inſtiterit Pius; Religioſorum familias neglexiſſe, nequaquàm putandum eſt, ſed potiùs, tàm temporalia commoda, & utilitatem, quàm ſpiritualem profectum utriuſque ſexus Regularium quæſiiſſe credendum: Imò, cùm Sacro huicOrdini ipſe primùm nomen dediſſet, peculiari idcircò quadam ei ſollicitudine providere, eumque fovere viſus eſt. Ampliſſimo igitur diplomate (cui cauſam dediſſe diſſidium quoddam, inter Mendicantes Religioſos, & Civitatem Bononiæ apparet) Dato apud Sanctum Marcum, ſub die vigeſima nona Julii hujus anni, Mendicantium Ordinum utriuſque ſexus perſonas ubilibet, per totum Chriſtianum Orbem diffuſas, & conſtitutas, illorumque Monaſteria, Cœnobia, Domus, Conventus, Eccleſias, Cappellas, Oratoria, ac alia Loca, etiàm unita, ac membra, & dependentia: necnon Terras cultas, & incultas, poſſeſſiones, prædia, agros, & alia omnia, & ſingula, mobilia, & immobilia, ac ſemoventia, & ubilibèt, ac in quibuſcumque rebus conſiſtentia bona; nec non eorum in dictis bonis laboratores, Colonos, Arrendatarios, & Affictuarios, negotiorumque ſuorum geſtores univerſos, quomodolibèt nuncupatos, nùnc, & pro tempore exiſtentes, in perpetuum, ab omnibus, & ſingulis publicis muneribus vacantes reddidit, tàm Urbanis, quàm ruſticis; necnon immunes fecit, datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impoſitionibus, & oneribus ordinariis, & extraordinariis, ac tàm realibus, quàm perſonalibus, meris, & mixtis, etiàm ſubſidio triennali, & augmento, ac focularibus, equorum taxâ, militumque hoſpitiis, ac aliàs quibuſcumque nominibus nuncupatis, quavis authoritate quomodolibet impoſitis, & imponendis. In eodem mandat prætereà Apoſtolicæ Cameræ Camerario, Præſidentibus Clericis, & Commiſſariis, Agentibus, & Officialibus quibuſcumque, ut omnibus, & ſingulis tàm Virorum, quàm Mulierum Monaſteriis hujuſmodi Mendicantium Ordinum, ſub temporali ſua Eccleſiæ ditione exiſtentibus, & mediatè, vel immediatè conſtitutis, ut tantum Salis, quantum pro eorum uſu ſufficeret, ſingulis annis, omni dilatione poſtpoſita, iiſdem tradant, ac eis, qui ſecùs fecerint, & indignationem ſuam, & excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ac duorum mil-

Extat in Bull. Pii V. pag. 1, 3.

Digitized by Google

millium aureorum,(quorum pars Sancti Petri Vaticanæ Baſilicæ, altera verò præfatis Monaſteriis, & Locis perſolvenda eſſet) pęnas, totiès quotiès hoc mandatum violaverint, comminatur. Patriarchis,deindè,Archiepiſcopis Epiſcopis, ſivè eorum in ſpiritualibus Generalibus Vicariis, aliiſque hujuſmodi quarumcumque Eccleſiarum Prælatis, ubilibet, & in quibuſcumque Regionibus, Terris, & Locis exiſtentibus, ac aliis, ad quos quomodolibèt ſpectabat, jubet, quatenùs ipſi, & quandò opus fuerit, ac quotiès pro parte Fratrum, Monachorum, Monialium, aliarumve Religioſarum perſonarum requiſiti fuerint, præſentes exemptionis literas ſolemnitèr evulgent, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, efficiant, ut ipſi præmiſſis, à ſe impertitis privilegiis pacificè perfruantur, & gaudeant. Contradictores quoſlibet, & rebelles, per prædictas, aliaſque opportunas Cenſuras, & pœnas, appellatione omni poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarando, Interdictum Eccleſiaſticum, apponendo, invocato etiàm ad hoc, ſi opus eſſet, brachii ſæcularis auxilio. Idque, non obſtante Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris ſui, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, decreto, dummodò ultrà tres dietas aliquis,pręſentium authoritate literarum, non extraheretur: omnia illa, quæ in contrarium, per quoſcumque Officiales, ac quoſvis alios, ac præſertim per illos Civitatis ſuæ Bononiæ adducta hactenùs fuerant, vel impoſterùm deducenda eſſent: necnon quaſcumque, de his lites, & Cauſas, tàm in Romana Curia, quàm extrà, ac coràm quibuſcumque Judicibus, etiàm Apoſtolici Palatii Cauſarum Auditoribus, ac S.R.E.Cardinalibus, inter quoſcumque quomodolibet pendentes, ac etiam inſtructas, & ad ſententiam deductas, imò etiàm ſententiâ terminatas, niſi hæc in favorem Eccleſiæ fuiſſet, abrogat, & irrita reddit. Litem verò, quam inter hujuſmodi Regulares, ac Cives, & Communitatem Bononiæ pendente dixerat, omneſque proceſſus, & ſcripturas productas, ac producendas, ac regiſtra, & ſententias, ubivis comparendi, tùm ferendas, tùm latas ad ſe avocat, imò

A pœnitùs extinguit, annullat, & delet, eique perpetuum deſuper ſilentium imponit. Demùm hoc ipſo diplomate, ſe inficere declarat, quibuſvis Apoſtolicis, ac Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editas generales, vel ſpeciales Conſtitutiones, & ordinationes, etiàm contra exemptos quomodolibèt prolatas, vel proferendas, ac etiàm juramento, Apoſtolica confirmatione, vel quavis firmitate alia roborata ſtatuta, & conſuetudines, privilegia, quamvis
B iteratis vicibus conceſſa, approbata, & innovata; pleniſſimoque jure exemptionum huiuſmodi Mendicantium Ordinibus conceſſis privilegiis, eos pacificè perfrui ſe omnimodè velle profitetur. Quòd autem, paucis demptis, iiſdem fere gratiis. quas modò Ordinibus Mendicantium elargitus eſt, cœteras quoque Religioſorum Familias proſequutus fuerit, quæ inferiùs ponenda erunt, oſtendent.

Hæc autem, quæ tùm ad decorem, LXXV.
C tùm ad utilitatem Regularium Pius contulit beneficia, eo animo impertitus eſt, ut his commoti (ut innuimus) Monaſticæ obſervantiæ diſtrictum iter, ferventiori ſtudio Regulares ipſi capeſſerent. Indè verò exorſus eſt, ut ſeveriſſimo feriret anathemate Religioſæ Militiæ deſertores Apoſtatas. Quod, cùm primùm Paulus IV. aggreſſus fuiſſet, obtinere ramèn ex ſententia, quæ decreverat, haud potuerat, cùm vagas, profugas, & perſæpè morbidas oves
D iſtas ad arctius iſtud Ovile revocare, non levis negocii res ſemper fuerit. Pius igitur, quæ Prædeceſſor cæperat, fine complere voluit, erranteſque pecudes in Religioſas intrare Domini caulas, non tàm monitis curavit, quàm etiàm intentatis compulit pœnis. Nè tamèn, ex deſperatione, miſeri deſertores, durius aliquid de ſe ſtatuerent, Religioſorum Ordinum Generales,omnes commonuit,ut eorum ſinguli ſuarum Familiarum Apoſtatas,omni conatu ad-
E vocare contenderent,redeunteſque paterna charitate exciperent,atq; foverent

Ex Epiſt. apud Carac. ſub die 9. Nov. 1565.

At, cùm abuſus inoleviſſet, quòd LXXVI. mulieres, virorum paſſim, ſed præcipuè Carthuſianorum Cœnobia, aſſimulatarum quarumdam facultatum ſpecie, ingrederentur; nè deinceps, quovis prætextu, per Monaſteriorum ſepta diſcurrerent, cujuſvis ſtatus, gradus, & conditionis fœminis diſtrictè interdixit;

Extat. in Bull. Conſtit. xx.

xit; evulgatâ ad hoc Conſtitutione, in A qua dicit, quòd Regularium Perſonarum, quæ, relicto ſæculo, ſe Dei obſequio dedicaverant, pro commiſſo ſibi officin, quieti conſulere cupiens, & ad ea removenda, quæ religioſum earum propoſitum impedire poterant. curam ſuam libenter intendens; cùm accepiſſet, & Carthuſienſium Ordinis, & aliorum Regularis vitæ profeſſorum quietem, non parùm perturbari, eo quòd mulieres, modeſtiæ matronalis oblitæ, Domos, ac Monaſteria eorum, contra B ipſorum inſtituta, Confeſſionalium, aut aliarum Apoſtolicarum Literarum prætextu, ingredi auderent, ipſis etiam Abbatibus, Præpoſitis. Prioribus, & aliis Præſidentibus aliquandò recuſantibus, & renitentibus, non ſine magna eorum moleſtia, nec ſine gravi etiam Laicorum offenſione, ac ſcandalo, ſi quandò admitti nimis facilè videbantur; Huic rei idcircò providere volens, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, omnes, & ſingulas facultates, ac licen- C tias ingrediendi Monaſteria, ac Domos Carthuſienſium, ac aliorum quorumcumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, ac quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiàm Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis conceſſas revocat, irritat, & inanes eſſe decernit. Diſtinctè prohibens mulieribus iiſdem, prædictas facultates D prætendentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua, poſtquàm ſuarum Literarum notitiam habuiſſent, abſolvi non poſſent, niſi à ſe, aut pro tempore exiſtente Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo, nè dictas domus, ac Monaſteria ingredi audeant. Ipſis verò Monaſteriorum, & Conventuum Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & aliis Præſidentibus, eorumque Monachis, Canonicis, & Fratribus, ſivè Mendicantibus, ſivè E non Mendicantibus, ſub privationis officiorum, quæ in præſentia obtinuiſſent, & inhabilitatis impoſterùm ad illa, & alia omnia obtinenda, & ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto, ſine alia declaratione, pœnis, nè eas introducere, vel admittere præſumant, graviſſimè edicit; Quam quidem Conſtitutionem, quæ data Romæ legitur, ſub die vigeſima quarta Octobris hujus anni, qui poſt Pium fuere Summi Pontifices Gregorius XIII. Paulus V., & Urbanus VIII. confirmarunt. Ipſum verò eamdem declarare coactum fuiſſe, ob quaſdam ex ea, & propter eam, obortas dubitationes, alibi dicendum erit; uti etiàm cœtera, quæ ad Religioſorum reformationem optima edidit decreta, ſuis locis ponenda erunt. Silentio tamèn prætereundum non videtur, quòd in Epiſtola apud Caracciam, ſub die ſecunda Novembris adnotata, habetur; ex quo eximium Pii ſtudium. nè Sanctæ Religionis Statutis minimum quid adimeretur, evidentiſſime elucet. (*Vehementèr fuit* (ibi dicitur), *Religioſiſſimus Pontifex adversùs Generalem Monachorum S. Petri ad Vincula, ſivè ji ſint Regulares Canonici, commotus, quòd ſeriò poſtulare eſſet auſus, ſibi, ſuiſque per Summum Pontificem, ut liceret ſola alba ſtola, quam Rochetum vocant, contentis, parvulam veſtem deponere, quæ Monachorum videtur eſſe propria, quo nomine fortaſſis patientiam vocant. Sciebat enim doctiſſimus Pontifex, etiamſi Monachum habitus non faciat, nec hic veſtibus, vel cæremoniis conſtet Religioſum vitæ inſtitutum, ac ſtatus, indicium tamen, illam fuiſſe petitionem debilitatæ Religionis, ac pietatis internæ, ac contemptus quidam obedientiæ, atque obſervantiæ Religioſæ, quæ his veſtibus, his cæremoniis, etiam ſi non conſtet; juvatur tamèn, ac quaſi externis adminiculis ſuſtentatur. Itaquè exemplum malum gravi pæna notavit, & illi Generali magiſtratum abrogavit: idem interminatus alteri, qui idem dicebatur eſſe poſtulaturus.*) Hæc ille:

Epiſt. apud Caracc. ſub die 2. Novemb. 1566.

LXXVII. Quòad Moniales, juxtà Tridentini Concilii decreta, & Conſtitutionem Bonifacii Papæ VIII., quæ incipit *Periculoſo*, in eodem Concilio approbatam, & innovatam, authoritate Apoſtolica ſtatuit, atque decrevit, univerſas, & ſingulas Moniales præſentes, atque futuras, cujuſcumque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Hieroſolymitanæ, quæ jam receptæ fuiſſent, vel impoſterùm in quibuſvis Monaſteriis recipiendæ eſſent, & tacitè, vel expreſsè religionem profeſſæ fuiſſent, etiamſi Converſæ, aut quocumque alio nomine appellarentur: quamvis, ex inſtitutis, vel fundationibus earum regulæ ad clauſuram non tene-

Extat. in Bull. Conſtit. xx.

rentur, nec ipſa unquàm, in ipſarum Monaſteriis, ſeù Domibus, etiàm ab immemorabili tempore ſervata, fuiſſet: impoſterùm (inquam) decrevit, ſub perpetua in ſuis Monaſteriis, ſeù domibus debere permanere clauſura. Quòd ſi aliquas forsàn reperiri contigiſſet, quæ, obſtinato animo, huic ſanctioni reſtitiſſent, aut quoquo modo reluctatæ fuiſſent, ab Ordinariis Locorum, atque earum ſuperioribus, omnibus Juris, & facti remediis compelli juſſit, eaſdemque tanquàm rebelles, & incorrigibiles, ad ſubeundas, & perpetuò obſervandas Clauſuræ anguſtias, cogi præcepit.

LXXVIII. Mulieres eas quoque, quæ Tertiariæ, ſeù de pœnitentia nuncupantur, in Congregationibus viventes, ſi tamèn ſolemne Religionis votum emiſiſſent, ad eamdem clauſuram teneri mandavit: quòd ſi voto hujuſmodi non ſe obſtrinxiſſent, ab iiſdem Ordinariis, & Superioribus ſuis moneri voluit, ut illud emitterent, ac poſt profeſſionem ſe Clauſuræ ſubjicerent; quòd ſi recuſaſſent, & aliquæ ex eis ſcandaloſam vitam ducere fuiſſent deprehenſæ, ſeveriſſimè punirentur.

LXXIX. Cœteris autem omnibus, ſic abſque emiſſione profeſſionis, & Clauſura vivere omninò volentibus, interdixit, & perpetuò prohibuit, nè in futurum ullam aliam prorsùs in ſuum Ordinem, Religionem, Congregationemve reciperent: Quòd ſi contra hanc ſuam prohibitionem aliquas recepiſſent, eas ad ſic vivendum omninò inhabiles reddidit, ac illarum quaslibet profeſſiones, & receptiones nullas, atque irritas fecit.

LXXX. Nè verò Moniales, ſeù Tertiariæ prædictæ propter hanc Clauſuram detrimentum, aut incommodum aliquod, in ſuis neceſſitatibus, ad victum præcipuè pertinentibus paterentur, ut eis opportunè conſuleretur, Ordinariis, & Superioribus illarum præcepit. His verò curare imperavit, fidelium eleemoſynas colligi per Converſas, quæ profeſſæ non fuiſſent, vel ſi profeſſæ, tamen quadrageſimum ætatis annum attingerent, & in contiguis domibus, extrà tamen Monaſterium, degerent, nec aliarum Monialium Clauſuram ingredi poſſent, preterquàm in Caſibus à Conſtitutionibus permiſſis. Ex præfatis tamen, Monaſteriis adiacentibus Domibus, pro hujuſmodi eleemoſinis colligendis, nec ipſis Converſis egredi, ſinè Ordinarii, vel Superiorum ſuorum licentia permitti voluit; & de cœtero alias hujuſmodi Converſas profeſſas, conſentientibus licèt Superioribus, vel Prælatis, ampliùs recipi prohibuit; Et ſi ſecùs factum fuiſſet, illarummet receptionem, inanem, & irritam dixit. Si verò præfato modo Monialium, & Mulierum Tertiariarum neceſſitatibus ſuccurri ſufficientèr non potuiſſet; Ordinariis, & earum Superioribus mandavit, alio quocumque uti medio, ut ipſorum inopiæ conſulerent, prout eis viſum fuiſſent, & nè deinceps, ob exceſſivum Monialium numerum clauſuræ obſervatio violaretur, diſtrictè inhibuit illarummet Ordinariis, & Superioribus, nè plures in earum Monaſteriis reciperent, vel recipi permitterent, quàm ex propriis ipſorum Monaſteriorum redditibus, vel ex conſuetis eleemoſinis commodè ſuſtentari potuiſſent.

LXXXI. Hanc Pius edidit Conſtitutionem quart. Kal. Junii hujus anni, apud Sanctum Petrum. Verùm, cùm circa ipſius interpretationem, in varios ſenſus, à Pii vera ſententia, ut plurimùm aberrantes, nonnulli raperentur; idcircò eamdem ipſummet explanaſſe oportuit, uti fecit Kalen. Februarii anno 1570. Præſenti autem anno Prid. Kalen. Aprilis, per Jacobum Cardinalem Sabellum, ſuum, ut diximus, in Urbe Vicarium, graviſſimè etiam edixiſſe reperimus quibuſlibet, cujuſvis gradus, & conditionis, utriuſque ſexus perſonis, cujuſvis cauſæ ſpecie, nè die, vel noctù ad Monialium clauſtra accederent, earum quaſlibet, etiamſi Abbatiſſas, vel Adoleſcentulas, nondùm Religioni addictas, allocuturi; vel ad eaſdem literas dare, quamvis ipſius Ordinis, ac Monialium Religioſi extitiſſent, prætèr approbatum Confeſſarium, vel Provincialem, niſi facta iiſdem in ſcriptis, vel ab eodem Jacobo Cardinali Sabello, vel à Protectoribus Monaſteriorum ipſa adeundi, vel ad Moniales ſcribendi poteſtate; legem hanc violantibus ſeveriſſimis intentatis pœnis. Nè verò, abſque clementiæ temperamento, reformationis aſperitatem universè omninò Monialibus porrexiſſe Pius videretur; prætèr exemptionum, & alia, quæ Mendicantium, aliorumque Ordinum Re-

Extat int. Pii Conſtit. ſeorſim impreſ. pag. 57

Religioſorum hominibus contulit, privilegia, quorum, fœminas quoque ipſorum Ordinum ſectatrices, voluit eſſe participes; eùm à ſingulorum Cardinalium mortuorum hæredibus quingenti aurei, annulorum nomine, exigerentur; eam pecuniam, ac prætereà aureorum decem millia, erigendo Sacrarum Virginum, Dominicani Ordinis, Cœnobio, quod in Quirinali Colle magnificè conſtructum eſt, attribui voluit.

LXXXII. Sed, cùm propemodùm abjectam, Eccleſiaſticæ vitæ cenſuram, in ſacro Ordine quibuſcumque conſtitutis, relevare Pius contendit; ad totius certè plebis, & præcipuè Romanæ, corruptos reformandos mores proſpexit; quippè qui ſciret, ruinam populi, maximè ex culpa Sacerdotum, Eccleſiaſticorumque ſcandalis fieri: ut igitur, pro viribus, his convellendis incubuit; ſic etiam, ut ferè deperditas Laicorum turbas, à perditione averteret, ſanctiſſimis, quæ edidit monitis, & ſtatutis totus fuit; Deo, in primis, rebuſque Divinis, ut diximus, debito cultu, in ſacris præſertim Templis, & Ædibus, reſtituto. Feſtis inſuper diebus, nè mercatum fieret, nec aliis profanis; ſervilibuſque operibus vacaretur; ſed omnes, qua par erat, pietate, Eccleſias, ſacraque Loca fræquentarent, rebus divinis, aliiſque religionis, ac pietatis officiis intenti, præcepit. (*Cùm verò* (Conſtitutionis ſunt verba) *dierum Feſtorum obſervatio ad Dei Cultum maximè pertineat, & in lege divina præcipiatur, cupientes, abuſus pravos, qui ex eorum inobſervantia invaluerunt, omninò corrigere; antiquorum Canonum Statuta renovantes, mandamus, ut omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum feriati, cum omni veneratione obſerventur, & omnes in diebus præfatis Eccleſias fræquentent, Divinis Officiis devotè intendant, ab omni illicito, & ſervili opere abſtineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & Judiciorum ſtrepitus conquieſcant. Qui verò, in diebus præfatis, opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter divinam ultionem, & amiſſionem animalium, quibus ad vecturam utetur, etiàm graves pœnas incurret, arbitrio noſtro, ſeù Vicarii noſtri in Urbe. In aliis autèm Locis, arbitrio Ordinariorum, vel aliorum Magiſtratuum, ita ut præventioni locus ſit. Quibus omnibus diſtrictè præcipimus, ut hæc diligenter obſervari procurent. Illas etiam Feſtivitates, quæ iuxtà conſuetudinem Locorum ſolemnitèr celebrari conſueverunt, juxtà laudabilem conſuetudinem, debita cum reverentia obſervari faciant, ſub pœnis, arbitrio ipſorum imponendis, & moderandis.*) Hæc ille, qui ad abolendum, Divino contrarium honori, nefarium, & execrabile blaſphemiæ ſcelus, adhùc majores exeruiſſe vires viſus eſt; dùm crimen, quod in antiqua Lege, morte Deus puniri mandavit, & Imperialibus quoque legibus vetitum erat; tunc autem, propter nimiam Judicum in puniendo ſegnitiem, ſeù potiùs deſuetudinem, ſuprà modum inoleverat; ſeveriſſimè plecti voluit. Noviſſimi igitur Lateranenſis Concilii, ſub Leone Decimo, ſtatuta innovans, decrevit, ut quicumque Laicus Deum, & Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, vel Glorioſam Virginem Mariam ejus Genitricem expreſsè blaſphemaſſet, pro prima vice, pœnam vigintiquinque ducatorum incurreret; pro ſecunda, pœna duplicaretur, pro tertia autem ducatos centum ſolveret, & ignominia notatus, exilio mulctaretur. Qui verò plebejus, nec ſolvendo fuiſſet, pro prima vice, manibus poſt tergum ligatis, ante Eccleſiæ fores per diem integrum conſtitueretur; pro ſecunda, per Urbem fuſtigaretur; pro tertia, lingua ei perforaretur, & ad Triremes mitteretur. Clericis quoque, ſi in id ſcelus prolapſi fuiſſent, præſtitutas pœnas decrevit.

LXXXIII. Non impari zelo, ut iſtud blaſphemiæ, cætera quoque vitia eſt inſecutus; præcipuè verò nefandum contra naturam crimen, proptèr quod ira Dei venit ſuper filios diffidentiæ. Curiæ ſiquidem ſæculari, quicumq; hoc crimine reus deprehenſus fuiſſet, puniendum eum tradi juſſit; quòd ſi Clericus extitiſſet, omnibus degradatus Ordinibus, ſimili etiam pœnæ ſubjici voluit. Omnes autèm Locorum Ordinarios monuit, imò eis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, præcepit, ut Concilii Tridentini Statuta contra Concubinarios, tàm Clericos, quàm Laicos edita, diſtrictè obſervari facerent; utque præfata facinora faciliùs noſcerent, & agnita, juſtâ animadverſione mulctarent, non per accuſationem, & inquiſitionem tantùm,

Ex D. Greg. Homil. 39.

Conſt. 5. edit. Kal. April. 1566. extat. in Bullar.

A ſed etiam ad ſimplicem, & ſecretam, in ſingulis caſibus, denunciationem, quoſcumque præcepit procedere Judices, aliàs tamen de Jure competentes. Nè autèm aliquandò ſic contingeret, prava nonnullos affectione ductos, non culpabiles deferre, ſed innocentes vexare; quicumque, ex calumnia, aliquem denunciaſſe deprehenſi fuiſſent, eos talionis debita puniri poena imperavit.

LXXXIV. Ad hoc verò, ut ea, quæ præceperat, executioni mandarentur, non modò Epiſcopos, alioſque Eccleſiaſticos Viros, ſed Laicos quoque Principes monendos duxit, ut, inter alia, ad Alphonſum Ferrariæ Ducem ſcripta ſequens teſtatur Epiſtola.

B

(Dilecto Filio, Nobili Viro Alphonſo Ferrariæ Duci.

Ex Archiv. Vatic. ſign. ut ſup.

Dilecte Fili &c. Commovit nos zelus honoris Dei, ac Sanctorum ejus, & Zelus ſalutis animarum, quibus rebus, pro commiſſo nobis officio, tota mente ſtudere, & invigilare debemus: ut ederemus Literas, ſub plumbo, quarum exemplum authenticum ad te miſimus, per quas homines à graviſſimis quibuſdam, nefandiſque peccatis, Divinam, præter cætera, iram provocare ſolitis, deterrerentur, & ad tribuendum debitum Deo cultum, Eccleſiaſque devotione, ac reverentia, qua convenit, adeundas, compellerentur. Eas literas ubique ſervari cupientes, univerſis Locorum Ordinariis, ut illas exequendas curent, mandavimus, atque præcipimus. Quam ad rem, Principum illis opem, & auxilium ſatis ſcimus, pleriſque in Locis, neceſſariò implorandum fore. Confidebamus, auxilium tuum ſanè, ut pii Principis, & hujus S. Sedis devoti, atque obſequentis filii, & Vaſſalli, etiàm ſine hortatione, Venerabilibus Fratribus Civitatum Ditionis Tuæ Epiſcopis paratum fore. Sed tamèn quod tua ſponte facturus eſſes, noſtris etiàm paternis vocibus admonitum, non dubitamus te facturum eſſe propenſiùs. Proindè Nobilitatem tuam hortamur in Domino, & ſummo ſtudio petimus, ut ſecum cogitans, quantoperè tàm gravia, & deteſtanda vitia Divinæ mentis oculos offendant, quantaſque populi calamitates, juſto Dei judicio invehere ſoleant: conſiderantſque, quantoperè deceat, Chriſtianos Principes, honoris, & poteſtatis ſuæ Authorem Deum, & honorare ipſos, & populos ſibi ſubjectos, ad Deum timendum, & colendum, cùm exemplo, tùm etiam pœnarum ſeveritate inducere: ad ipſas noſtras literas promulgandas, & exequendas, Epiſcopos, eorumque Vicarios, & authoritate Tua juves ipſe, & earum Civitatum, ac cæterorum Locorum tuorum Gubernatoribus, reliquiſque Magiſtratibus mandes, atque præcipias, ut eis ſuum auxilium, quotieſcumque opus fuerit, fidelitèr, ac diligenter ſubminiſtrent. Illud pro certo habeto, Dilecte Fili, quantò tu ſtudioſiùs, quantò acriùs, & diligentiùs populos Tuæ fidei commiſſos, ab eis vitiis arceri, & ſuum Deo, ac Sanctis ejus honorem tribui curaveris; tantò majus Te pietatis tuæ præmium ab eo conſecuturum eſſe; non ſolùm id Animæ tuæ profuturum, ſed ad famam glorioſum fore, & ad Status tui incolumitatem, & firmitatem vehementèr utile. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die 16. Aprilis MDLXVI. Pontif. noſt. anno Primo]

C D E

Inter hæc, etiàm graviſſimum de expellendis ab Urbe, atque omni Ditione Pontificia, Meretricibus, Edictum Pius evulgavit. Rem narrat Gabutius his verbis [*Eò namque meretricum, & numerus, & petulantia jam excreverat, ut egregias Urbis domos, ac vias publicas habitantes, piorum, & præſertim exterorum graviter offenderent oculos. At verò, Triumviris Urbis Conſervatoribus huic legi acritèr obſiſtentibus, idque à Republica non eſſe, maximè ob locandarum Ædium detrimenta, contendentibus; Pius illicò ſilentium impoſuit, ſcilicèt, Romani Senatus officium non eſſe, impudicarum mulierecularum cauſam tueri; ob idque Principis ſui auribus obſtrepere, ac pudicitiæ leges tollendas curare. Ad hæc indignatus adiecit: Niſi illæ Romà cederent, ſe, unà cum univerſa Curia ex Urbe migraturum. Exceſſere tandem; illæque præſertim, quæ præ cæteris offenſioni incautis hominibus fore, Divinæque Majeſtatis offendendæ majores occaſiones præbituræ videbantur, nominatim ſunt relegatæ. Nonnullas verò, ut pejora ſcelera vitarentur, remanere permiſit. Quas in unum Urbis angulum rejectas, ac remoto, ignobilique loco concluſas eſſe conſtituit;* LXXXV.

Gabut. in Vit. Pii V. lib. 1. cap. 10

tult; eâ lege, nè indè egrederentur, quæ ſecùs facerent, virgis cæſæ, in exilium pellerentur. Illis verò, duo, vel tria Templa, quò, ad rem Divinam, & ſacros Conciones convenirent, deſignavit: Hæ leges fuere ſtatim ſalutares; nàm, ex iis multæ, Viris in matrimonium traditæ; aliæ verò complures ſtudiosè, ac diligentèr conditionem exquirere, qua ex illa turpitudine, & contumelia eriperent ſeſe, laudabilemque vitam, ac piam inſtituerent. Adiecit etiàm, verè Pius Pater eleemoſinam ſuam non defuturam, uti non defuit, præſertìm iis, quæ propter paupertatem ſegniores ad pietatem fieri viderentur. Illud præterea multas à flagitioſa illa vita deterruit; quòd eas Pius decrevisſet ſacra carituras Sepultura, ac in ſterquilinio ſepultum iri, quæ in ea vitæ fœditate, abſque Sacramentorum communione, è vivis exceſſiſſent:). Hæc Gabutius: quibus conſona certè quæcumque cœteri illius temporis Scriptores ſcriptis tradidere, deprehenduntur. Rem nihilominùs alitèr, viroleoto (ut aſſuevit) calamo monumentis maodavit Thuanus, cœterique, ei ſimiles, impiiſſimi obtrectatores, qui nempè falſiſſimis narratiooibus, veri aliquid immiſcentes, hujus ſpecie, improvidis, mendaciorum, omni amariorem felle, calicem propinare ſolent. Refert ſiquidem allatus Thuanus, frequens, ac publicum, à multo tempore, mercimonium Meretricum Romæ fuiſſe: hac ratione fœdiſſimum corruptelæ crimen, præ omnibus, Urbi impingere intendens. Et quidem mercimonium id impuriſſimum quodque ſcortum exercuiſſe Romæ, non diffitemur; at cùm fateri neceſsè ſit, Meretrices, ſic dictas ſuiſſe à *merendo*, quod corporis abuſu, mercedem, quæſtumvè fecerint, de quo Ovidius:

Thuan. Hiſtor. lib. 29.

Stat Meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et meritas juſſo corpore quærit opes;

aut in ſua, cœteriſque in Regionibus aliis, ſcortum nullum extitiſſe aſſerere cogetur Thuanus; aut ſuiſſe: Si primum, utpotè à veritate alienum, mendacii procul dubiò redargutum, ſua ſpontè corruit; ſi verò aliis quoque in Regionibus Meretrices fuiſſe, diffiteri

A non poterit, cùm earum fuerit, quæſtum, mercaturamvè publicam corporis facere; imperitè idcircò id mercaturæ genus ſoli Urbi attribuit, ſi tamèn, eò effrænis impudentiæ ſcelus idem, fuiſſe debacchatum, in locis, in quibus natus Thuanus, vel verſatus eſt, dicendum non ſit, ut in eis impudiciſſima ſcorta, ſola expletæ inſatiabilis libidinis mercede contenta, (ut aliquandò eveniſſe legitur), quæſtu omni poſtpoſito, ultroneam ſui corporis co-
B piam fecerint, crimenque patrauerint.

Vide in Vit. S. Mariæ Egyptiac. inter Vit. PP.

Decretum deindè Pii refert Thuanus, quo juſſit, vel Meretrices quamprimùm Urbe excedere, vel nubere, & ſi non obtemperaſſent, publicis flagellis cædi: deindè [*Cùm verò moneretur*, (inquit), *inter tot cælibes, ſublatis fœminis, majoris vitii, quod Romanis jam olim B. Paulus exprobravit, periculum ſubeſſe; ità eas tulit, ut lupanari includerentur*, *nec, ut priùs liberè per*
C *totam Urbem interdiù, noctuvè vagarentur; ratus, pudore utrinque incuſſo, & illas priori vitæ renunciaturas, & viros infamiam veritos ad ea loca non ituros &c.*]. Vide execrabilem Scriptoris impudentiam ſimùl, atque ignorantiam. Scorta enim permittere, non priùs voluntas, quàm neceſſitas fuit, verùm hac conſtricta neceſſitate ea dumtaxàt loca fuiſſe, in quibus cœlibes plurimi morarentur, ſomniavit ipſe, qui cùm mores ſolùm noverit, & leges ſuę ipſius
D regionis, ſeù illarum, è quibus hæreſes cœlibatum eliminarunt, ut effrænem luxuriandi licentiam inducerent; improvidè idcircò è cælibum frequentia Romæ Meretricum oeceſſitatem educere præſumpſit. Quòd autem Apoſtolus, jam olim nefandum Romanis exprobraverit crimen; à Paulo, qua ratione id Thuanus didicerit, haud percipi valet: Interpretum certè neminem, prætèr Thuaoum ipſum, in hanc ſententiam, Apoſtoli verba deflexiſſe, reperire con-
E tigit; nec ex eo, quòd de præfato ſcelere ad Romanos ſcripſit Paulus, ritè educi poteſt, eidem eos fuiſſe paſſim obnoxios; nàm, cùm huic ſimilia crimina in his, ad quos Epiſtolas dedit, exprobrare conſuevit Apoſtolus, aliâ certè ſcribendi ratione ab eâ, quâ ad Romanos ſcripſit, uſus eſt; cùm enim Evangelium non erubeſceret, nec alicujus vultum pertimeſceret, palàm, ut plu-

LXXXVI.

Ibid. ut ſup.

plurimùm ſemper vitia coarguit, uti A [aliis omiſſis] ex epiſtola prima ad Corinthios apparet, in qua horrendum fornicationis, & talis fornicationis crimen, ut Uxorem Patris ſui quis haberet, licèt forſan occultum, publicè tamèn objurgavit. Quos autem Paulus inſectatus eſt, ad Romanos Catholicos ſcribens, non ad alios Romanos, adhuc Idololatras tantùm, ſed ad cunctos Idolorum cultores pertinuiſſe, ex ipſo (ut diximus) dicendi, aut ſcribendi modo, evidentèr elicitur; cùm B eos minimè de ſcelere increpaverit, ſed ſcelerum, dumtaxàt barathrum, in quod Ethnici corruiſſent, oſtenderit: cùm juſto ſiquidem Dei judicio hoc agatur, ut culpis culpæ feriantur; quatenùs ſupplicia fiant peccantium ipſa incrementa vitiorum; meritò, poſt Idololatriæ, quam retulerat, culpam Gentilibus cunctis, communem, Idololatriæ ejuſdem retulit pœnam, quæ videlicèt fuit, ut in deſideria cordis eorum traderentur, & contumeliis afficerent cor- C pora ſua in ſemetipſis. Si verò hujus ſceleris pœnam, ob Idololatriæ crimen, qui Idola venerati ſunt, ſubiere; non Romanos tantùm, ſed alios quoque, qui Idololatræ fuere, illam dediſſe fatendum erit. Si igitur dedere, qua ratione, ſpeciale crimen Romanis Thuanus impingit, quod univerſis pœnè Nationibus deprehenditur fuiſſe commune? Imò, cùm inter cœteras Europæ Na i nes, veræ Fidei Romanam, Italicamque primùm nomen dediſſe perſpe- D ctum ſit; cœteras ſegniùs, & tardiùs, ſcelus quoque, quod Idololatriæ pęna erat, Romanam, Italicamque citiùs abieciſſe dicendum erit, præ aliis, quæ, cùm ſeriùs veritatis lumen recepiſſent, Idolorumq; cultum ſpreviſſent; nefando idcircò obnoxias crimini, longè poſt Romanam impiæ incredulitatis luiſſe pœnas, meritò pronunciandum agnoſcitur.

P. ad Corinth. 5. 1. 2i 3.

LXXXVII. Nec ex eo, quod propoſuimus, à Pio vulgato contra Sodomitas Edicto, quo non Romæ tantùm, ſed in toto E etiam Catholico Orbe (ut ex ipſius verbis evidentèr percipitur) deteſtabile ſcelus evellere ſtuduit; ideò illud ediſſe dicendum erit, quod expulſis meretricibus, plurimi in illud miſerè corruiſſent; nàm, cùm longè antè hanc impudicarum mulierum expulſionem, ipſum promulgaverit, nempè Kalen. Aprilis hujus anni, ſeù primùm, (ut elici poſſe cognoſcitur, ex Epiſtolis apud Caracciam] menſe Februario hujuſmet anni exaratis; Edictum verò aliud in Meretrices, menſe Octobris, aut circitèr tantùm, prolatum fuerit; ineptum procul dubiò eſſet, id cenſuiſſe. Quòd autem ità Meretrices Pius permiſerit, ut tamen Lupanari includerentur, hoc egit, quod olim Ethnici, & poſtmodùm apud cunctas ferè Chriſtianas Nationes, ob Reipublicæ bonum, uſu receptum fuit, ut Antonius Beyerlinck fusè oſtendit; ſi tamen dicendum non ſit, eaſdem gentes, quæ primò Pii legem non probavere, poſtmodùm, ejuſdem cognitâ utilitate, illam proprias quoque in regiones invexiſſe. Cœterum, non procaci actos libidine, ſed, nè dumtaxàt pecuniarii detrimenti aliquid paterentur, Romanos regaſſe Pium, ut impudica ſcorta non ablegaret; Scriptores cuncti, & ji fide digniſſimi, teſtantur. Illud etiam, quòd, ea de re, votis Senatus Pontificem deprecatus fuerit, clàm à Sac. Ordine, qui palàm non eſt auſus, inſtigatus; cùm unicus tantùm Thuanus ſomniaverit, procul dubiò fabuloſum cenſendum erit. Si enim vera fuiſſent, quæ ſcripto Thuanus tradidit, faciliùs ea Pio, quàm Thuano ipſi, homini extero, longèque ab Urbe conſtituto, innoteſcere debuiſſe, meritò putandum eſt. Si verò innotuerunt, quis adeò Pii ingenium ignorare valet, ut cenſeat, & tàm gravitèr in Urbis Senatum, quòd pro Meretricibus interceſſiſſet, fuiſſe invectum; & impunem, deindè, qui, execrabiliori piaculo, eo interceſſore uſus fuerat, Sacrum Ordinem reliquiſſe? Adiiciens demùm mendaciis mendacia, addit Thuanus idem, ipſum Urbis Senatum Pio dictitaſſe, periculum imminere, nè non Matronarum pudicitia [Meretricibus ſublatis] inter tot Cœlibes integra eſſet; & inconcuſſam alitèr ſervari non poſſe, niſi priſtina libertas reſtitueretur. Anteà, nefandi ſceleris metu. Romanos à ſententia revocare Pium curaſſe dixerat, nùnc verò aſſerit, Matronarum deterruiſſe periculo; ut ex his intelligas; virùm, animo duplicem, [ut Scripturæ verbis utamur] inconſtantem fuiſſe in cunctis, quæ ſcripſit.

Ex Epiſt. apud Carac. Ep. 1. Kal. Apr. 1566.

In Epiſt. apud Carac. Epiſt. 7. Iul. di 21. Octobris 1566.

Theat. Vit. Hum. tom. 5 verbo Meretrix.

Cùm accepiſſet inſupèr Pius, improbos homines, non modò iis, quas recenſuimus, fœditatibus, Chriſtianæ vitæ LXXXVIII

vitæ mores dehoneſtare non veritos; A verùm etiam in magno ipſo, in Chriſto, & Eccleſia, Matrimonii Sacramento, iniqua commoliri auſos eſſe; uti evidentiſſima ea ſcelera, eorumque cauſas, pro viribus, evellere ſtuduit, ſic conſtructos in eodem Sacramento dolos, dejicere elaboravit. Conſtitutionem igitur, ſub die 5. Decembris hoc anno edidit, in qua primùm conqueſtus, nonnullos ſuæ conſcientiæ prodigos, ac propriæ ſalutis immemores, ut faciliùs à ſe, & Apoſtolica Sede diſpenſationes B Matrimoniales, & alias gratias, & conceſſiones obtinerent, gradus conſanguinitatis, & affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, ac ſcientiam illorum occultare, vel aliter, quàm eis à principio ab ipſis partibus ſignificatum, vel narratum fuerat, exponere præſumpſiſſe; imò, ſi matrimonia hujuſmodi adhuc contracta non fuiſſent, pro contractis narrare, ac aliàs diverſimodè veram facti ſpeciem, tàm in ipſis diſpenſationibus matrimonialibus, quàm in aliis C quibuſcumque gratiis, & conceſſionibus obtinendis imminuere auſos fuiſſe; quapropter, non ſolùm in hujuſmodi impetrationibus falſitatem narraſſe, verùm etiam in partibus, plerumque, pro ipſarum verificatione gratiarum, immutatam veritatem, & falſitatem fuiſſe commiſſam. His, & ſimilibus abuſibus, & fallaciis ſe obviare velle obnuncians, ſingulos, tàm Sacræ Pœnitentiariæ Procuratores, quàm Contradictarum, ſeù alios quoſcumque Sollicitatores, & D Scriptores, quos Copiſtas vocant, quivè facti veritatem, à narratione, quam ab ipſis partibus habuiſſent, quò ad eſſentialia, & qualitates neceſſariò exprimendas, diverſam feciſſent, ſeù quoquo modo invertiſſent, aut immutaſſent, depravarentvè, & per ſubreptionem, & obreptionem, gratias à ſe extorquerent, pœnam falſi incurriſſe, & ea puniri omninò debere decrevit, & declaravit.

LXXXIX. Duas alias quoque edidiſſe Conſtitutiones reperimus, quibus totidem Concilii Tridentini decreta explanavit, de impedimento affinitatis, ex fornicatione provenientis unum, de cognatione ſpirituali alterum, inter Maritum, vel Uxorem Suſcipientis, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, & Matrem, & quaſcumque perſonas alias, tàm Baptizantis, & Baptizati, quàm ex parte Suſcipientis. Hæ æquè quarto Kalen. Decembris hujus anni, apud S. Petrum editæ recenſentur, ipſiſque, & timoratarum conſcientiarum quieti providere, & inolitæ, effrænisque libidinis, quæ Sacras Dei, Eccleſiæque leges labefactare videbatur, impetus cohibere, non tàm Romæ, quàm alibi Pius contendit. Cœtera, quæ de matrimoniis clandeſtinis, juxtà ipſius Concilii Tridentini Statuta, ſancivit, ſuis locis ponenda erunt.

At, cum ſciret, quod eſcis refectus venter ſeminaria luxuriæ parit, nec prævalere mentem diſcretionum gubernacula moderari, ciborum pondere præfocatam; ùt luxuriæ inquinamenta idcircò pœnitùs ablegaret, ipſius fomenta evellenda duxit, quæ ex Hoſpitiorum publicorum, & Cauponarum fræquentatione potiſſimùm prodire cognovit. Graviter igitur, ſeverèque interdixit, nè quis eorum, qui Romæ degerent, convivandi, aut compotandi gratiâ, illas adirent; & quamvis complura nummorum aureorum millia, Vectigalis nomine, pro ipſarum Cauponarum vino, Ærario publico accederent, quâ pecunia, ſumptus, & Reipublicæ onera ſuſtentabantur; ad hæc tamen detrimenta, ut refert Gabutius, & alii, quàm ad tot flagitia, quæ cum Divini honoris contumelia, & animarum, privatarumque domorum pernicie perpetrabantur, Pius connivere maluit. Hoſpitia igitur, jam antiquo libera vectigali, & tamquàm ipſa ſibi reddita, à peregrinis tantùm, & advenis, quorum causâ inſtituta fuerant, frequentari, ipſorumque commoditati inſervire juſſit. Luxum inſuper Conviviorum, & Veſtium, ut præfati tradunt Scriptores, tota Eccleſiæ Ditione repreſſit. XC.

Sub Pius. Vit. cap. lib. 1. c. 10.

Quià verò, juxtà illud [*Sedit Populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*], ex commeſſationibus, & ebrietatibus, & libidinis incitamenta, & ludorum fatuitas initia ſumere E cognoſcuntur; ideò Pius, uti allata crimina, ità etiam ludorum nequitiam diſtrictè, ubique locorum, præcipuè verò in cauponis prohibuit. Qua de re audiendus eſt Natalis Comes [*Et quoniam ludi omnes* (inquit), *& alia præcipuè, ſunt res humanæ vitæ pernicioſæ, in quibus nemo vir bonus tempus inutiliter conſumpſerit, non minùs in aleatores, & luſores omnis generis animadver-* XCI.

Natal. Com. in Hiſt. ſui temp.

A *vertendum duxit, quàm in injurioſos,& ſibi ipſis pernicioſos homines, quos exilii condemnavit. Neque id ſolùm, quia nemo ſibi debet facere injuriam, ſed multò magis, quia Blaſphemiæ, & inimicitiæ, & latrocinia, & familiarum everſiones ſolent aleæ, pictarumque chartarum,& omnium horum ludorum, neceſſariæ eſſe aſſeclæ; inter quæ lenocinia laſciviæ, otii, intemperantiæ, qui vitam degat, is planè vir bonus eſſe non poteſt*] Hæc ille:

XCII. His,quæ hoc anno ſalubritèr Pius conſtituit, addendum eſt quoque,quod Medicis ſervandum propoſuit. Renovata igitur Innocentii Tertii Conſtitutione, qua Medicis præcipiebatur, ut, cùm ad ægrotos vocari contigiſſet, ipſos antè omnia monerent, ut animarum Medicos vocarent, nè, cùm eis hoc, in extrema ægritudine conſtitutis, ſuaderetur, in deſperationis articulum inciderent; ſtatuit inſupèr, & decrevit, quæ ſequuntur (*Quòd omnes Medici, cùm ad Infirmos, in lecto jacentes, vocati fuerint, ipſos antè omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua, juxtà ritum S.R.E. confiteantur, neque tertio die ulteriùs eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor, ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo ejus conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris, in ſcriptis factam, conſtiterit, quod infirmi, ut præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerint. Conjunctos verò, ac omnes Familiares, ac Domeſticos Infirmi, in Domino rogamus, & monemus, ut de infirmitate Parochum certiorem faciant,ac tàm Parochus, quàm conjuncti, & familiares præfati, infirmum ad confeſſionem peccatorum ſuadeant,& inducant. Quòd ſi quis Medicorum, præmiſſa non obſervaverit, ultrà pœnas in d.* (*Innocentii Tertii*) *Conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò ſint infames, & gradu Medicinæ, quo inſigniti erant, omninò priventur, & à Collegio, ſeù Univerſitate Medicorum ejiciantur, ac pœnâ etiam pecuniaria, arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur. Et ut hæc omnia inviolabilitèr obſerventur, volumus,& eadem authoritate præcipimus, & mandamus, ut nullus poſthàc, ubique locorum, in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibèt medendi facultas à quovis Collegio, & Univerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra Conſtitutione contenta, medio eorum juramento, coràm Notario Publico, & teſtibus, obſervare, in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint, & de hujuſmodi juramento, in privilegio, ſeù licentia medendi, ſpecialis mentio fiat. Quòd ſi Collegia, & Univerſitates præfatæ, non recepto à promovendis juramento hujuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promoverint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam privationis facultatis, alios ulteriùs doctorandi, incurrant. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ &c.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die octava Martii, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno primo.)

Extat.in Bullar.Con. ſtit.3.

XCIII. His autèm, atque àliis ejuſmodi inſtitutis, & exemplis, effectum eſt (inquit Gabutius, cui cæteri concordant), ut non modò, ut innuimus,Pontificis Aula, ſed, & Urbs ipſa tota novam quamdam, ac planè piam induiſſe faciem videretur. Nàm ludos, commeſſationes, fabulas, ludicra certamina, ac cœteras ſcelerum occaſiones obſoleſcere; Divina verò diligentiùs Officia coli, frequentari conciones ſacras; viſitari Hoſpitales, pauperum domos, Sacroſanctam, tùm Confeſſionem, tùm Communionem, tota Urbe, majori frequentia celebrari. Vectigalia, ac portoria partim ſublata, partim remiſſa; omnemque ejectam eſſe in rebus ſacris pecuniæ conditionem. Nullum fermè potentiæ, aut gratiæ locum relictum, ſpectatæ Religioni, ac virtuti omnia tribui.

Gabut. Vit. Pii V. lib. 1. cap. 10.

XCIV. Præ cœteris tamèn, in quibus Pii religio, pietas, ac paſtoralis vigilantia enituit, vehemens, ac ferventiſſimus ſervandæ Fidei zelus,procul dubiò fuit. Ampliſſimis idcircò Sacroſanctæ Inquiſitionis munus gerentes, decretis, & privilegiis communivit; & anathematis execrationem, & alias graviſſimas pœnas conſtituiſſe in eos, qui ſalutaris illius Officii Miniſtros, vel impedirent, vel offenderent, vel bona diriperent, aut carceres effringerent, aut ejus denique jura quodammodò violarent; quæ ſuis locis dicenda erunt, apertè monſtrabunt. Hoc verò anno, ſub die tertia Aprilis, ut habetur in Diario Cardinalis Farneſii, habito Conſiſtorio, in eo (*Sanctiſſimus D. N. fecit verbum de* con-

Diar. Card. Farneſ. pag. 110.

(Margin letters: B, C, D, E)

conceſſione Prædii Conchæ, Sacræ Romanæ Inquiſitioni, & fuit diſmembratum à Monaſterio Cryptæ Ferratæ] Et inſuper Pium eam edidiſſe Conſtitutionem, quæ, inter hujus Pontificis ſtatuta, prima ponitur (licèt tempus, quo lata fuerit, ex ipſa educi minimè queat) veriſimiliter tamèn cenſendum eſt. Statimac enim Pontifex eſt renunciatus, communire munus illud voluiſſe, novis ipſi attributis gratiis, & authoritate, (qua ipſe pleniſſimo jure, maxima totius Chriſtianæ Reipublicæ utilitate, functus fuerat,) exiſtimari meritò poteſt. *Extat. in Bull. Conſt. 1.* In hac igitur Conſtitutione negotia Fidei, cęteris cunctis præferri jubet, ac præcipit, eo quòd Fides (inquit) ſubſtantia, & fundamentum totius Chriſtianæ Religionis exiſtat. Omnibus ideò, & ſingulis Almæ Urbis, ejuſque diſtrictus Gubernatori, Senatori, Vicario, Cameræ Apoſtolicæ Auditori, & quibuſcumque aliis Legatis, Vice-Legatis, Gubernatoribus Provinciarum, & Terrarum, ſibi, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, mediatè, ac immediatè ſubjectarum, ac earum Locatenen., necnon Locorum Ordinariis, cœteriſque Magiſtratibus, & Officialibus, ac cujuſvis conditionis, & ſtatus hominibus, in omnibus, & ſingulis Oppidis, & Civitatibus, ac in tota Chriſtiana Republica exiſtentibus; ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ſuæque indignationis, & aliis, ſuo, & Cardinalium Inquiſitorum Generalium arbitrio imponendis, & exequendis pœnis, præcipit, ut eiſdem Cardinalibus Inquiſitoribus, ac eorum mandatis, & præceptis, in quibuſcumque Officium Sanctæ Inquiſitionis concernentibus, pareant, & obediant. Reges verò, Duces, Comites, Barones, & quoſvis alios ſæculares Principes, in Dei nomine rogat, ut iiſdem, eorumque Officialibus præſtò ſint, auxiliumque præbeant, & à ſuis Magiſtratibus, in negociis ad dictum Officium ſpectantibus, auxilium præberi faciant. In carceribus autem detentos quoſcumque, pro quibuſvis delictis, & debitis, etiam atrocibus, apud præfatum Inquiſitionis Officium quomodolibèt delatos, & denunciatos; aliorum inferiorum criminum cognitione ſuſpenſa, ad eoſdem Cardinales, & Inquiſitionis Carceres, ibidemque ad criminis hæreſis totalem cognitionem, & expeditionem, retinendos, & poſteà ad ipſorum Officiales,

A pro aliorum criminum expeditione, remittendos; ſine mora tranſmitti deprecatur, & jubet.

XCV. *Extat. in Bull. Conſtit. xxij.*

Duodecimo inſupèr Kal. Januarii præſentis anni, alteram certum eſt edidiſſe Conſtitutionem, qua ſententias in favorem Reorum, de Hæreſi inquiſitorum, à quibuſcumque Judicibus, contra tamen diſpoſitionem, vel ſtylum Juriſdictionis Officii Sanctiſſimæ Inquiſitionis, vel ferendas, vel latas, irritas, & nullas habendas eſſe, declaravit; B ideòque Cardinalium Inquiſitorum judicio, iterùm eſſe ſubijciendas. Quid verò fuerit, quod eamdem Conſtitutionem ſancire Pontificem compulerit, ipſemet explicat: [*Cùm nos in minoribus conſtituti, Sanctiſſimi Officii Romanæ, & univerſalis contra hæreticam pravitatem Inquiſitionis negotia pertractaremus; tandèm, ex longo uſu, atque experientia, rerum magiſtra cognoverimus, quòd multi rei delati, & in prædicto Sanctiſſimo Officio, ſed alibi coràm* C *Locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus proceſſati, ac de hæretica pravitate inquiſiti, falſos teſtes ad eorum defenſam examinari faciendo, ac compurgatorum, de eorum vita, & doctrina minimè informatorum, opera, & teſtimonio ſe juvantibus, ac diverſis aliis illicitis modis, excogitatiſque doloſis excuſationibus, & malitiis, prædictum Sacrum Officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis, cæteroſque Judices, & etiam Romanos Pontifices deludendo, & decipien-* D *do, plures etiam veluti innocentes, diffinitivas, à prædictis proceſſibus, & inquiſitionibus abſolutorias, & præcedente canonica purgatione, eorum aſſertæ bonæ, & Catholicæ fidei, vitæ, & doctrinæ declaratorias ſententias, ſed decreta; ab eodem Sanctiſſimo Officio, aliiſque Locorum Ordinariis, ſivè delegatis, & Inquiſitoribus, ac etiam Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris obtinuerunt, ſed extorſerunt; quas ſententias, & decreta præfati Romani Pon-* E *tifices, etiam cum perpetui ſilentii impoſitione, ac inhibitione, nè dictum Sanctiſſimum Officium, aut alii Inquiſitores ad ulteriora procedere poſſent, ſeu deberent; nec non etiam cum Cauſarum avocatione ad ſolum Romanum Pontificem, ſub cujus protectione ſubmittebantur. aliiſque derogatoriarum derogatoriis, & efficaciſſimis clauſulis, ac etiam irritantibus, ac aliis decretis, etiam in forma*

ma gratioſa ampliando, per varios, & varias eorum mot. prop., ac etiam ſub plumbo, vel annulo Piſcatoris expeditas literas, etiam in Conſiſtorio, ſeù Conſiſtorialitèr emanatas, confirmarunt; Unde eveniebat, quòd prædicti Rei inquiſiti, ſub velamine, & tutamine prędictarum ſententiarum declaratoriarum, & literarum Apoſtolicarum, & præſertim vigore clauſulæ inhibitoriæ, contra Inquiſitores factæ, confidentes, clam, & etiam aliquando palàm, in antiquis eorum erroribus, contrà Fidem Catbolicam perſeveraudo, nunquàm ad gremium Eccleſiæ verè redibant; imò cum aliis ſecurè, & tamquàm Catbolici converſando, eorumdem aliorum animos corrumpere, & inficere, ac in ſuas bæreticas opiniones trabere de facili potuerunt, in totius Reipublicæ Chriſtianæ non modicum ſcandalum, & in præjudicium, prædictorumque delatorum Animarum perniciem, & jacturam.

Nos buic ſcandalo adeò periculoſo, & contagioſo obviare, dictarumque Animarum ſaluti conſulere, & providere, omnemque Juriſperitorum dubietatem, & altercationem, ac quæcumque impedimenta, & obſtacula, propter quæ Sancta Inquiſitio bæreticæ pravitatis quomodocumque, & qualitercumque impediretur, vel retardaretur, tollere volentes; Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in primis, omnes, & ſingulas, ac quaſcumque literas Apoſtolicas, ſub quacumque verborum forma, etiàm in prædictis, ac quibuſvis aliis Cauſis, etiam motu proprio &c. penitùs & perpetuò revocantes, bac noſtra perpetua, perpetuòque valitura univerſali Conſtitutione, omnes, & ſingulas, & quaſcumque, etiam ex capite aſſertæ innocentiæ, abſolutorias, vel etiam præcedente canonica purgatione, ſub quacumque verborum forma declaratorias ſententias, etiam diffinitivas, & decreta, in eorumdem reorum inquiſitorum, & delatorum favore, per prædictum Sanctiſſimum Officium, alioſque Judices Ordinarios, & Delegatos, ac etiam Romanos Pontifices latas, & lata, aut in futurum per Nos etiam, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, pro tempore exiſtentes, ferendas, & ferenda, nunquàm feciſſe, nec in futurum poſſe facere tranſitum in rem judicatam, Apoſtolica autboritate declaramus, decernimus,

A *ſtatuimus, & ordinamus: Præfatiſque ſententiis, & decretis, & quantumcumque per literas Apoſtolicas, etiam in forma gratioſa, etiam iteratis vicibus &c. per prædictum Sanctum Officium, Sanctæ Inquiſitionis, ac dilectos filios modernos, & pro tempore exiſtentes, S. R.E. Cardinales, hereticæ pravitatis Inquiſitores, & ſuper dicto Officio nunc, & pro tempore deputatos, contra eoſdem, & reos delatos, & inquiſitos, etiamſi fuerint, & ſint Epiſcopi, Archiepiſcopi,*
B *Patriarchæ, Primates, ejuſdem S. R.E. Cardinales, Legati etiam de latere, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges, & Imperatores; tàm de antiquis, quàm novicèr, etiam ſuper eiſdem articulis, receptis, vel recipiendis teſtibus, aliiſque argumentis, probationibus, & indiciis, juxtà facultates eiſdem Cardinalibus Inquiſitoribus per nos, & quoſcumque prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ac Sedem Apoſtolicam, quomodolibèt conceſſas,*
C *& datas, ac in futurum reſpectivè dandas, & concedendas; denuò inquiri, & procedi poſſe, & debere, etiam in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi prædictæ ſententiæ, decreta, & Literæ Apoſtolicæ, ac etiam Canonicæ purgationes, in prædictorum reorum delatorum, & inquiſitorum, etiam Epiſcoporum, Archiepiſcoporum favorem, non emanaſſent: novis præſertim ſupervenientibus indiciis, ejuſdem, vel alterius ſpeciei bæreſis, tempus præteritum etiam reſpicientis;*
D *vel ubi appareret per aliena indicia, quòd illicitis modis priùs ipſe delatus, vel inquiſitus, fuiſſet abſolutus, eàdem Apoſtolica autboritate volumus pariter, & mandamus. Concedentes iiſdem Cardinalibus Inquiſitoribus, & ſuper dicto Sanctiſſimæ Inquiſitionis officio nùnc, & pro tempore deputatis, plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem, Cauſas ejuſmodi, etiam autboritate OEcumenici Univerſalis Concilii Tridentini deciſas,*
E *revidendi, ac in ſtatu, & terminis, in quibus antè prædictas ſententias, & decreta, ac etiam Canonicas purgationes quomodolibet reperiebantur, reaſſumendi, fineque debito terminandi, prout in aliis Cauſis pendentibus indeciſis per eoſdem Cardinales Inquiſitores juxtà eorum facultates fit, fierique poteſt, & conſuevit.)*

Digitized by Google

XCVI. Iſta æquiſſimè Pius, quæ tamen perperam plurimi interpretantes, nèc tempus, quo hæc ſancivit, nec ſenſum, & nec quidem Conſtitutionis verba, ſe intellexiſſe, ſatis ſuperque cognoſcuntur: nam licèt, quæ Pius, ex longo uſu, atque experientia, rerum magiſtra ſe agnoviſſe aſſerit, citrà omnem dubitationem vera probanda ſint; quòd, nempè, multi rei delati, & Inquiſitionis Officio, ſeù alibi coràm Locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus proceſſati, ac de hæretica pravitate inquiſiti; falſos teſtes, ad eorum defenſam examinari faciendo, ac diverſis aliis illicitis modis, excogitatiſque doloſis excuſationibus, prædictum Inquiſitionis Officium, cęteroſque Judices, & etiam Romanos Pontifices deludendo, & decipiendo, veluti innocentes diffinitivas à prædictis proceſſibus, & inquiſitionibus abſolutorias ſententias, ab eodem Inquiſitionis Officio, aliiſque Locorum Ordinariis, ſivè Delegatis, & Inquiſitoribus, ac etiam Romanis Pontificibus obtinuiſſent. Licèt hæc, inquam, & cætera, quæ ſubjungit, abſque temeritate in dubium vocari minimè poſſint; tamen, etſi hæc omnia deeſſent, tot Hæretici, qui in veſtimentis Ovium incedebant, intrinſecùs autèm erant Lupi rapaces, & abſolutorias hujuſmodi ſententias, callida malignitate obtinuerant; quique (vel poſt editam à Pontifice legem ipſam, vel antequàm ederet, in praxim tamen induci mandaverat, ut ſcriptura loquitur, in operibus manuum ſuarum comprehenſi ſunt, & hæreſis Sectatores, & Hæreticorum fautores; imò ſæpè hæreſum magiſtri, & auctores, ut inferiùs ſuis locis dicendum erit: uti Sanctiſſimam, & æquiſſimam, hanc latam à Pio legem, omnimodè commendant. Ut enim de cœteris, data opera miſſum faciamus, nonnè hujuſmodi abſolutoriam ſententiam, verſutiſſimè ſub Paulo III. primùm, deindè ſub Pio IV. extorſerat Petrus Carneſecca; qui tamèn, & hæretica imbutus pravitate, & inſupèr in Cathedra peſtilentiæ ſedens, ſuo nequitiæ veneno catholicas oves inficere deprehenſus fuit? Eo igitur tempore, quo plurimi hæreticorum, occultis fraudibus, inter Orthodoxos verſabantur, & abſolutoriis allatis ſententiis, ad ſuæ vitæ, morum, doctrinæque defenſam ſumpſiſſe videbantur ſcutum inexpugnabile æquitatis; ſcutum hujuſmodi igni comburere, ſanum fuiſſe conſilium, quis neget? Vinci illi, vel facilè poſſunt. vel facilè vitari, quorum prima propoſitione, omne conſilium pectoris proditur: at non alii, quibus multa Catholicis paria ſunt, ac innoxias mentes, & ſoli Deo deditas, fraudulenta ſocietate percutere facilè poſſunt; dùm malorum ſuorum virus, per bona noſtra, (quæ, & ipſi ſimulatè agunt) defendunt. Nihil enìm periculoſius iis Hæreticis eſſe valet, inquit Ambroſius, qui, cùm integrè per omnia decurrant, vel ſaltem decurrere ſimulent; uno tamen verbo, ac ſi veneni guttâ, meram illam, ac ſimplicem Fidem Dominicæ, & exindè Apoſtolicæ Traditionis inficiunt. Quia ergo Catholicorum plurimi cogebantur in mortem, quòd Hæretici plurimi, tamquàm intemeratæ, quam profiterentur Fidei, irrefragabiles teſtes, abſolutorias ſententias, & cœtera, quæ Pius commemorat, producentes, occultè Fidem violarent, ac proderent; prudentis ſanè Medici fuit, unde morbi origo proceſſerat, ibi ſeveriſſimè, ſublatis ejuſmodi abſolutoriis ſententiis, medicamentum admovere.

D. Ambroſ. de Filii Divinit. cont. Arrian. capit. 1. to. 4.

XCVII. Pace deindè tantorum Virorum, qui nempè ante Pium, vel Sacræ Inquiſitionis munus exercuerunt, vel quoquo alio modo ejuſmodi reddidere judicia; quænam privilegiorum ratio ea fuit, quam de heretica iniquitate inquiſiti aſſequebantur? Pratèr ſilentii perpetuam impoſitionem in inquiſitorum cauſis, aderat inſupèr inhibitio, nè Inquiſitionis Officium, aut Inquiſitores ad ulteriora procederent, ſeù procedere deberent; ac ſi poſt in ſe collatas gratiam, atque ejuſmodi abſolutoriam, criminibus, de quibus verè, vel falsò priùs inſimulati fuerant, impoſterùm obnoxii eſſe ampliùs nequirent. Poſito ſiquidem, quòd innocentes fuiſſent, cum nempè delati, atque inquiſiti fuere; quis tamen in his, in quibus falsò accuſati olìm fuerant ſpondere poterat, aliquandò culpabiles non futuros? Undè igitur rationabilitèr Inquiſitoribus vetitum, nè eorum impoſterùm cauſas inquirere poſſent, qui licèt non lapſi tamen cadere poterant, & lapſi omnimodè ipſorum judicio ſiſtendi erant? Hac porrò ratione potiùs, quàm innocentem ſatiùs erat, in ſuſpicionem ſaltem cri-

minis antea fuiſſe vocatum; nàm Inquiſitionis Judicio haud liberi innocentes erant,& apud Tribunal illud falsò licèt delati, ei ſiſti cogebantur. Culpabiles autem qui exiſtimati jam fuerant,indeq; abſoluti, eo reddebantur prorsùs immunes. Si autem qui inquiſiti fuerant, verè deliquerant, quo jure tamquàm innocentes abſoluti fuerant? Abieciſſe poſt abſolutionem errores, quibus adhæſerant, cognita veritate, fortè cenſendum? Verùm id incertum, ac dubium; immò, ut plurimùm non obtigiſſe perſpectum: nàm Hæreticorum illud eſt proprium, quòd nec volunt victi facilè ſuccumbere; quamvis ſciant, id quod faciunt, & ſentiunt, non licere.

XCVIII. His igitur de cauſis, non modò præteritas, ſed, & futuras abſolutorias ſententias ritè Pium prohibuiſſe dicendum eſt; non quòd innocentiæ teſtimonium reddi vetaverit, ſed quòd prudens, nè dimitterentur impunè impii præcavere voluerit. Innocentiæ autèm in Inquiſitionis Officio evidens ſemper teſtis accedit, cum Judex damnandum nil in Inquiſito reperit: cumque cunctis in Judiciis pœna, culpæ reſpondere debeat, ubi nulla à Sanctiſſimo Inquiſitionis Officio infligitur pœna,nullam certè fuiſſe culpam apertè perhibetur. Quòd verò decreta eadem abſolutoria, vel hujuſmodi, in favorem reorum prolata, non efficerent, ut eorum Cauſæ in rem judicatam tranſirent, non Judicii prolatio, ſed ſuſpenſio potiùs cenſenda eſt; nec ex ipſa Innocentes gravantur, cùm quod injudicatum remanet, & indamnatum, expers potiùs criminis interea quodamodo ſupponatur. At, ex ea dilatione judicii, reverà rei, & inquiſiti, qui callida verſutiâ innocentes videri contendunt, meritarum metu pœnarum, cùm eorum crimina patefieri contigerit, in officio continentur, & formidine perſtringuntur; Alii verò, qui nil ſibi conſcii, & licèt juſtificati verborum teſtimonio non ſint, tamen operibus declarantur, cavent judicii majori metu, nè quando rei in his deprehendantur, in quibus ſe modò innocentes intelligunt; & ſicùt ſcriptura teſte [*Sunt juſti, atque ſapientes, & opera manuum eorum in manu Dei: Et tamèn neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta*:] Sic juſtis iſtis in-

Eccleſiaſt. 9. 1.

A futurum incertum ſervatur judicium, ut tantò humiliores caveant,nè cadant; quantò ex Dei munere ſe firmiores ſtetiſſe agnoverint, nè caderent. Eo autem pari modo, quòd nemo ritè inter reprobos putandus, conjiciendusque eſt,dùm vivit, eò quòd in futurum, incertum ipſius judicium ſervetur; ità alicui, ejuſque generi, reatûs, ſceleris, & damnationis non inuritur nota, ex eo, quòd in incertum ipſius remanſerit Cauſa; nàm cùm ſemper exeat condem-
B natus, qui reus fuit deprehenſus; qui pœnam, ut diximus, non ſubjit, procul dubiò culpam omnem evaſiſſe cenſetur; unde immeritò etiam aliquâ notatus infamia, qua certo crimini obnoxii afficiuntur, exiſtimatur. Quibus addas, quòd, ſicut tàm veſanæ mentis homines reperiri non contigerit, ut cunctos ad Inquiſitionis Sacrum Tribunal delatos, ſemper reos exiſtimaverit: ità, juxtà ejuſdem conſuetudinem, omnibus notam, non abſolutos, ſemper
C noxios, & culpabiles credere quiſquam non poterit; licèt, ut innuimus, quos pœnis animadverti viderit, reos ſemper duxerit.

Et hæc ad illos, qui hanc Pii Conſtitutionem, plùs æquo, ſeveriorem conclamantes, improbè etiam interpretari, in ipſamque invehi convincuntur. XCIX. Cœterùm, nec Conſtitutioni ipſi deeſſe, quæ judicii ſeveritatem moderantur, evidentiſſimè patet; ſublatis, atque irritis declaratis ſiquidem abſolutoriis
D ſententiis, & poteſtate data denuò inquirendi contra olim delatos hæreſis reos: id tamen fieri potiſſimùm in eos juſſit Pins, contra quos nova ſupervenniſſent indicia, quodvè in præteritæ, de qua accuſati fuerant, vel alterius hæreſis errores, prolapſi fuiſſent; vel ubi per aliqua indicia, illicitis modis, illum priùs, qui delatus, vel inquiſitus fuerat; abſolutionem nihilominùs ſubdolè impetraſſe appareret. Quo certè nihil æquius excogitare, nihilque con-
E ſultius Pius decernere potuit,ut plures hæreſis ſectatores, qui ejuſdem abſolutoriis, ſententiis renunciati innocentes, & tamèn, ut anteà, hæreſum laqueis irretiti tenebantur, detegeret, debitiſque pœnis afficeret, ut infrà dicetur; ac ſic modicum fermentum, quo tota maſſa corrumpebatur, ſecerneret, & debita animadverſione abjiceret, nè aliis, reiſque ipſis deinceps damno eſſet.

Digitized by Google

ſet. Demùm, poſtquàm Cardinalibus A Inquiſitoribus, plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem conceſſit, Cauſas ejuſmodi reaſſumendi &c., tamen omnia iſta his verbis concludit. [*ſineque debito terminandi, prout in aliis Cauſis pendentibus indeciſis per eoſdem Cardinales Inquiſitores, juxtà eorum facultates ſit, fierique poteſt, & conſuevit*), quibus, nempè verbis oſtendit, quo ſenſu, qua mente ſententias diffinitivas, atque decreta in reorum inquiſitorum, & delatorum B fauorem quomodocumque prolata, nec feciſſe, nec in futurum facere tranſitum in remjudicatam poſſe, præceperit.

C. In ipſius inſuper Conſtitutionis calce, Apoſtolicâ rursùs comprobavit authoritate Pauli IV. Prædeceſſoris ſui in Hæreticos, & Schiſmaticos Decreta, Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1558. quint: decim. Kal. Martii, Pontificatus anno quarto jam data. C Et nè quis, undè hæreſis cancer ſerpere poſſet, aditus pateret, quartodecimo Kal. Februarii hujuſmet anni, per Fratrem Thomam Manriquez, ex ſuo Prædicatorum Ordine. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtrum, cujuſvis generis hæreticorum, aut prohibitos libros, apud ſe quemquam retinere, aut vendere, aut alicui commodare, vel quocumque modo legere graviſſimè vetuit, omnibus, ac ſingulis Artificibus, ſub ſtatis pœnis, ſeveriſſimè prohibens, Bibliopolis exceptis, D nè eorum aliquis cujuſvis generis libros, aut venderet, aut vendendos haberet. Bibliopolas verò, vetitos eoſdem libros eis tantùm vendere, donare, & mutuo tradere poſſe voluit, quibus in ſcriptis, ab eodem Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro facta ſibi poteſtas fuiſſet; ſine qua etiam Judæis quoſcumque libros, nec comparare, nec diſtrahere liceret. Nè cujuſvis item generis libros, qui ab exteris, Romam appuliſſent, Regionibus, niſi eodem E Sacri Palatii permittente Magiſtro, cuiquam tradere præſumerent, Vectigalium etiam Præpoſitis graviſſimè interdixit. Et tandem Bibliopolas monuit, ut librorum, quos ad Urbem adduci curaſſent, indicem, proba fide digeſtum, ipſi Apoſtolici Palatii Magiſtro exhibendum haberent; eorumdem librorum interminato iis damno, qui ſecùs feciſſe deprehenſi fuiſſent.

Extat. int. Conſt. Pii V. ſeorſim impreſſ. pag. 1.

CI. Cùm verò inter Pii Conſtitutiones, quæ ad præfatum Inquiſitionis munus, ac Tribunal ſpectant, illa etiam recenſeatur, quæ ordine vigeſima tertia eſt, decernitque, ut quid quid, vel pauci Inquiſitores Cardinales, in Cauſis ad ipſum pertinentibus, ſtatuiſſent, à cœteris etiam ejuſdem Congregationis Cardinalibus abſentibus, ratum tamen, ac validum habendum eſſet; licèt quo anno Pius ipſe eam ediderit, non appareat, præſenti tamen fuiſſe latam, ea potiſſimùm ſuadent, quòd proceſſibus Inquiſitorum (ut Sanctæ hujus, ac univerſalis Inquiſitionis Archivo obſervare licuit] tres, vel duo tantùm Inquiſitores Cardinales paſſim hoc tempore ſubſcripti occurrant, quamvis tunc numero plures extitiſſe, qui eo officio fungerentur, ex ipſamet Conſtitutione colligatur, in qua ſinguli adnotantur. Reverà autèm hæc, non niſi renovatio dicenda fuit Conſtitutionis alterius Pii Papæ IV., qui quinto ſui Pontificatus anno quarto non. Auguſti, datis, apud Sanctum Marcum Apoſtolicis Literis, eadem ferè decreverat. At quoniàm illa, vel in uſum minimè deducta fuerat, vel obſoleverat, vel tamquàm ambigua ab aliquibus impugnari contigerat; ideò ipſam Pius inſtaurare contendit. In hoc nihilominùs Pii V., & Pii Quarti, inter ſe Conſtitutiones differre videntur, quòd, cum is ſtatuerit, ut quidquid per majorem partem Cardinalium Inquiſitorum præſentium, dictum, ordinatum, diffinitumque fuiſſet; ſic ratum tamèn, ac validum eſſet habendum, ut nullo modo impugnari poſſet, perinde ac ſi omnes, & ſinguli Inquiſitores Cardinales Congregationi judicaturi interfuiſſent, majorque ipſorum pars iis conſenſiſſet, quæ decreta fuiſſent: tamen Pius V., ferventiori erga Inquiſitos, & delatos miſericordia commotus, per duos tantummodò Cardinales id impleri poſſe ſanxit. Ejuſmodi ſiquidèm Conſtitutionis ſunt verba. (*Et inſuper, pro faciliori earum* (nempè Cauſarum) *expeditione, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ut quidquid per majorem partem præſentium, vel, aliquibus abſentibus, per duos ex prædictis Cardinalibus deputatis, qui in Congregatione pro d. Officio intervenerint, ſeu convenerit, dictum, geſtum,*

Extat. in Bullar. Conſtit. 75.

Extat. in Bull. Conſtit. 41.

geſtum, ſtatutum, ordinatum, decretum, terminatum, ſeu ſententiatum extiterit, ſit validum, & firmum, ità, & talitèr, quod nullo modo impugnari poſſit, perindè ac ſi omnes, & ſinguli Cardinales prædicti in dicta Congregatione interveniſſent, & conveniſſent, & major pars eorum conſenſiſſet; eum plena, & omnimoda juriſdictione, auctoritate, & poteſtate). Ex cujus nimirùm verbis paritèr elicitur, quænam miſericordiæ viſcera erga reos habuerit, cùm, dilatione judicii, eos diutiùs fatigari paſſus non ſit; & quo animo alteram, de qua ſupra diſſeruimus, Conſtitutionem ediderit.

CII. Præter iſta, quæ retulimus, alia inſuper, de Inquiſitionis Officio hoc anno decreviſſe habemus, ex M.S.Cod. Vallicellano, cui Titulus Decreta Generalia Sancti Officii, & nonnullæ Literæ Apoſtolicæ non impreſſæ. In eo ſiquidem iſta leguntur.

(Die xxxj. Januarii MDLXVI.

M.S.Cod. Vallicellan. pag. 31., & ſeq. *SAnctiſſimus Dominus Noſter, Dominus Pius Papa Quintus præcepit, & mandavit, quòd omnes proceſſus Sancti Officii recuperentur, & reponantur in Sancto Officio, & ulteriùs ad aliquem non deferantur, ſed quòd omnes Proceſſus de cætero legantur in Congregatione.*

Eadem Sanctitas Sua præcepit omnibus, & ſingulis de Congregatione Sancti Officii S. Rom., & Univerſalis Congregationis, nè revelent ſecreta dicti Officii, & ea, quæ fient, & dicentur in Congregationibus ejuſdem Officii, ultrà pœnam excommunicationis majoris latæ ſententiæ, quam incurrent, & incurrere voluit ipſo facto: ſed decrevit, quod punientur ita, & talitèr, ac magis, quàm ſi offendiſſent perſonam propriam Suæ Sanctitatis.

Die Jovis xiv. Martii MDLXVI.

SAnctiſſimus D. N. D. Pius Papa V. in Congregatione ſtatuit, atque decrevit, quòd quæcumque præfixiones, & ſervationes terminorum; ac omnes. & quicumque alii actus, decreta, quæcumque, etiam prolationes ſententiarum, etiàm diffinitivarum, etiàm quòd à Sanctitate Sua in Congregatione fierent; tamen, rationabilibus ex cauſis, mota, quòd per me Notarium annotentur, ſub nomine Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium Inquiſitorum Generalium per Univer. Remp. Chriſtianam contra hæreticam pravitatem deputatorum: Ità quòd hujuſmodi præfixiones, & ſervationes terminorum decreta, & quicumque alii actus, ſententiæ etiam deffinitiuæ, ſub nominibus præfatorum Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, ponantur; & ſententiæ Deffinitivæ, etiam quòd per Sanctitatem Suam proferantur, tamèn concipiantur, & formentur, ſub nominibus præfatorum Reverendiſſimorum, & per eoſdem ſubſcribi debeant. Exceptis tamèn Cauſis Epiſcoporum, & aliorum ſuperiorum Prælatorum, in quibus Sanctitas Sua declarabit mentem ſuam. Et ità ſtatuit, & ordinavit, atque decrevit, omni meliori modo.

Die Jovis quarta Julii MDLXVI.

SAnctiſſimus D. N. decrevit, quòd, in Cauſa Religionis, & Inquiſitionis, nullus Judex Ordinarius Romanæ Curiæ nec Officiales, nec Officium Plumbi, prӕterquàm Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinales Inquiſitores Generales concedant excommunicationes, etiam ſub Plumbo, pro examine teſtium, & evocandis teſtibus ad Urbem, ad Officium Sac. Inquiſitionis, & eiſdem intimetur] Ità ibi.

Cœterùm non Statutis tantùm, ac Legibus, ſed efficaciùs etiam moribus, & exemplis; hæreſes profligaſſe viſus eſt Pius; nàm hæreticorum plurimi (ut refert Gabutius), tàm Sancti Pontificis pietate exciti, ad ſanitatem redire, veramque pietatem amplecti, magna cum piorum exultatione, cæperunt: Quod per id tempus, præter cœteros, Olicæ Principem feciſſe narrat. Hic ſiquidèm Romam profectus, ac Pii Sanctitatem, ejuſque optimam adminiſtrandæ Reipublicæ rationem demiratus, hæreſes, quibus erat imbutus, ſtatim execratus eſt, & poſt ſuum in Poloniam reditum, ſe ad Catholicæ veritatis lucem, rectamque ſalutis viam, de qua fuerat, malo hæreticorum dolo, deductus, duce Pio, ſecundùm Deum rediiſſe, per literas eſt teſtatus, ſperareque addidit, ſe illud ope Divina eſſe facturum, ut ſua ipſius opera, vel exem- CIII.

Gabut. Vit. Pii lib. 6. cap. 1.

exemplo, Uxor quoque ſua ad eamdem Fidem perduceretur.

CIV. Nec modò verba, & exempla, ſed ipſa inſuper corporis Pii ſpecies, ſimulacrum mentis, figura probitatis à Fide devios accerſivit; ut intèr alios Anglo cuidam hæretico, Primario Viro, qui Romam venerat; ibique Sacros Ritus, piorumque cæremonias tacitus irridebat, dicitur contigiſſe. Magna hic ſiquidèm, quæ increſcebat in dies Pontificis Sanctitatis, & Religionis percitus fama, ſolemni, & Anniverſariæ (cujus ſupra meminimus) Sanctiſſimi Chriſti Corporis ſupplicationi intereſſe decrevit; in qua ſingulari humilitate, & reverentia, aperto capite, pedibus incedentem, præter cœterorum Pontificum morem, qui alioqui rectè, pro ſua dignitate, ſella geſtari conſueverant, cum Sacroſanctum illud Sacramentum, Pium circumferre conſpexiſſet; tantæ religionis obſequium ſic eſt demiratus, ut ad veræ Religionis capiendum lumen, quos uſque adhùc averterat, oculos, aperuerit; nec multò poſt ad Pontificis pedes provolutus, præteritos errores confeſſus, eoſque catholico ritu execrans, & abjiciens, veræ Eccleſiæ reconciliari meruerit.

Gabut. ibid. & alii.

CV. Talem igitur, hoc ſui etiam Pontificatus initio, ſe exhibuit Pius, ut ejus unius vita, non Catholicorum modò, ſed eorum inſupèr, qui à Fide defecerant, exiſteret diſciplina. Sed nec ipſi Judæi tantam virtutem non admirari potuere. Uti viciſſim Pius eorum ſollicitudinem, minimè negligere potuiſſe, ea, quæ ſubſecuta ſunt, ſatis ſuperque declararunt.

CVI. Quia verò duros corde, & auribus incircumciſos, plerumque lenitèr invitantis voces aſpernari, conſideravit; ideò ipſos compellendos duxit, ut ſaltèm id caveretur, nè Chriſtifidelibus, inter quos verſabantur, detrimenti aliquid, doloſis negotiationibus, & peſſima conſuetudine inferrent, qui ab adultera ſuperſtitione nullo modo abduci, divellique poſſe judicabantur. Jam pridèm Paulus Papa IV. datis Romæ apud Sanctum Marcum, anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Prid. Id. Julii, Pontificatus ſui anno primo, Apoſtolicis literis, ad coërcendam Judæorum inſolentiam, plura ſanciverat; ea ſiquidem adeò excreverat, uti Paulus ipſe fatetur, quòd non ſolùm

A mixtim cum Chriſtianis, & propè eorum Eccleſiam, nulla intercedente habitus diſtinctione, cohabitarent; verùm etiam domos in nobilioribus Civitatum, Terrarum, & Locorum, quibus degerent, vicis, & plateis conducere; nec non ſtabilia bona comparare, ac poſſidere, & inſuper nutrices, & ancillas, alioſque ſervientes Chriſtianos mercenarios habere, diverſaque alia, in ignominiam, & contemptum Chriſtiani nominis perpetrare præſumerent. Hanc B verò, qui proximè Paulo ſucceſſit Pius Quartus, Conſtitutionem pœnè ſuſtulerat, eò quòd, ipſius prætextu, per calumniam, & cavillationes nonnullorum, Hæbræorum facultatibus inhiantium, eamdemque Conſtitutionem, in multis, præter ipſius Pauli Quarti intentionem, perperàm interpretantium, diverſimodè Hebræi ipſi vexati, fuerant, & inquietati. Quaproptèr ampliſſimo diplomate, Romæ dato apud Sanctum Petrum, die vigeſima ſeptima Februarii C anno 1562. Pontificatus ſui tertio, præfatam Prædeceſſoris Conſtitutionem declaravit, certiſque limitibus circumſcripſit. Verùm, qui Pio IV. ſubrogatus eſt, Pius V. remeliùs perſpecta, & innumeras Hæbreorum nocendi artes, inolitumque pravæ Nationis in Chriſtifideles livorem, & odium fortè exploratum habens, Pauli IV. Conſtitutionem renovandam cenſuit, uti hoc anno, altera edita Conſtitutione fecit, in qua, inter cœtera hæc appoſuit. (*Non* D *obſtantibus omnibus, quæ idem Paulus Prædeceſſor in ſupradictis literis voluit non obſtare; privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis per recol. me. Pium Quartum Romanum Pontificem prædeceſſorem noſtrum, & Sedem Apoſtolicam, etiam forsàn conſiſtorialitèr, ac per viam generalis Legis, ac Statuti, ac in vim ſtipulati contractus, ex quavis etiam urgentiſſima, & oneroſa, ac Mot. proprio & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiàm cum qui*E*buſvis derogatoriarum derogatoriis &c. etiamſi in eis diſponeretur, & caveretur expreſſè, quoad delationem birreti glauci coloris hujuſmodi in itinere, ac quòd non ut præmittitur, in loco clauſo habitare tenerentur, & quòd Bona ſtabilia uſque ad certam ſummam acquirere, ac ſocietatem cum Chriſtianis ſuper rebus ad annonam, ſpectantibus, inire, ac converſationem cum iiſdem Chriſtifidelibus habe-*

Extat. in Bull. Conſtit. 43.

Extat. in Bull. Conſtit. 6.

Ibid. §. 6.

habere, ac pignora aliàs, quàm præſcripto modo diſtrahere, ac plures Synagogas retinere poſſent, indulſerit, aut aliàs quomodolibèt eis dictas literas Pauli prædeceſſoris, in favorem Hæbræorum prædictorum limitaverit. Quibus omnibus, etiamſi, pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur, quòd nullatenùs derogari poſſit, illorum omnium tenoribus præſentibus, pro ſufficientèr expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, necnon modos, & formas ad id ſervandas pro individuo ſervatis habentes, harum ſeriè ſpecialitèr, & expreſsè derogamus: Et Literas ejuſdem Pauli Prædeceſſoris, & omnia in eis contenta obſervari in omnibus, & per omnia mandamus, perindè ac ſi Literæ Pii, ſimilitèr prædeceſſoris noſtri, non emanaſſent, aut ſi aliquibus communitèr, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentes literæ &c.)

CVII. Incaſſum autem his, quæ ſtatuit, ſceleſtæ gentis perfidiam Pontificem cohibere contendiſſe, quæ ſubſecuta ſunt, facilè declararunt: nàm, ob hæc nihilo meliores Judæi effecti, imò in deteriora, in Fidelium etiam periculum, & perniciem prolabentes, tandèm è tota Eccleſiæ Ditione, ut ſe exturbaret, (proùt inſeriùs videbitur), Pium impulerunt. Nè verò, ob ea, quæ in illos decreverat, & præcipuè ob glauci coloris ſignum, quod tùm fœminæ, tùm viri, tùm etiam Hæbræi Infantes, in Statu Eccleſiaſtico, ex Pauli IV. Conſtitutione, à Pio, ut diximus, renovata, deferre debuerant, Romanæ præſertim plebi, & populo opprobrio, atque ludibrio eſſent; paulò poſt renovatam, Conſtitutione, quam edidit, ejuſdem Pauli IV., ut diximus, alteram; tamquàm miſericors Pater, qui confuſionem, vel mortem peccatorum nollet, ſed potiùs, ut converterentur, & viverent, præconis voce, ab Alexandro Pallanterio, Apoſtolico Prothonotario, & Urbis Generali Gubernatore, quarto Id. Aprilis hujuſmet anni; cujuſvis generis, & dignitatis hominibus diſtrictè prohiberi juſſit, nè quis, utriuſque ſexus, Hæbræorum aliquem, vel irridere, vel quovis modo, aùt clàm ſcilicèt, aut palàm, die, vel noctu, conviciis, aut factis impetere auderet: Chriſtianis hominibus, qui id patraſſent, præter eam, qua, ex more, debuiſſent, ſi Fidelium læſiſſent aliquem, trium fidicularium ictuum, pueris verò, ac mulieribus flagrorum impoſita pœna; idemque ſupplicium inſupèr, pro filiis Parentes, pro diſcipulis Magiſtros, pro ſervis Dominos ſubituros declaravit; ad hoc, ut iſti, infamiæ cruciatuſque formidine, enixiùs eorum, vel audaciam, vel levitatem cohibere ſtuderent. Cùm autem Edictum hoc promulgatum legatur, ut diximus, quinto Id. Aprilis, in eoque jam lata Pii Conſtitutio perhibeatur, imò ipſius intuitu, ipſum editum aſſeratur; erroris procul dubiò coarguendi ſunt, qui ipſam, ſub tertio decimo Kalen. Maji adnotarunt; vel è contrà, non quinto Id. Aprilis, ſed poſteà, Edictum præfatum prodiiſſe, & impreſſorum, vel aliorum incuriâ, ſub ea die ſubſignatum fuiſſe, dicendum erit.

Extat. int. Pii Conſtit. ſeorſim impreſ. pag. 25:

CVIII. Sic Pius contra Hæbræos, ità diſciplinæ jura exercuit, ut pietatis tamen viſcera non amiſerit, & miſericos Samaritanus, oleum ſimul, ac vinum eorum vulneribus adhibuit; quatenùs per vinum mundarentur putrida, per oleum foverentur ſananda; & hac planè ratione eorum plurimos ad Chriſtianam Religionem conúertiſſe narrant Scriptores, quorum unum ex eo proferre sàt erit, qui Epiſtolas apud Caracciam, ut toties diximus, exaravit, & dicit: (*Pontifici, cum adhùc Cardinalis eſſet, notus erat Elias quidam Hæbræus, & doctrina, & rerum uſu, & divitiis inter ſuos facilè princeps; hoc autem tempore Sinagogæ Præpoſitus, Sacerdotio maxima fungebatur. Hunc Pontifex, multis anteà ſtimulis ad Chriſtianam Fidem ſuſcipiendam incitaverat; ſed cùm ille recuſaſſet omninò, nunc illum denuò eſt aggreſſus, & in memoriam illi revocavit, quòd eſſet pollicitus, ſe Baptiſmum ſuſcepturum, ubi ille Summus Pontifex renunciaretur. En, inquit, ſum Pontifex Summus, Dei benignitate, quòd fortaſſis tu nunquàm futurum credidiſti; præſta quod promiſiſti: ſimul*

Ex Epiſt. apud Carac. Epiſt. 3. Iunii 1566.

pio-

piorum precibus illius ſalutem commendandam curavit. Diſceſſit Hebræus, ſed paulò poſt, Divinâ gratiâ permotus, ad Pontificem rediit, & velle ſe Chriſtianum fieri profeſſus eſt. Cui Pontifex dies inſuper aliquot ad maturiùs conſiderandum, & deliberandum dedit, ut, ſi vocationem ſinceram, & verè divinam intelligeret, tùm denique ſibi renunciaret, atque ità hominem dimiſit. Qui, paulò poſt, fecit certiorem Pontificem, ſe veritati, divinoque ſpiritui diutiùs nequaquàm poſſe reſiſtere; proindè velle ſe unà cum tribus filiis, ac nepote fieri Chriſtianum. Quare uſque adeò Pontifex lætatus eſt, ut vocatum ad ſe hominem, ſurgens amiciſſimè complecteretur, agens Deo Domino noſtro gratias, & ſuis manibus Baptiſmi Sacramentum ſe daturum eſſe promittens. Itaque tertio Pentecoſtes die, adſtantibus univerſis pænè Cardinalibus (quorum nonnullos Neophytorum eſſe Patrinos Pontifex voluit) baptizavit eos ſua manu, tanta celebritate, & frequentia populi, tantâque omnium gratulatione, ut miraculo digna res fieret. Aderat etiam in angulo Baſilicæ D. Petri, magna Hebræorum, juſſu Pontificis, multitudo. Baptiſmo autem peracto, detegi Sacroſanctam vultus Chriſti imaginem, quæ Veronicæ dicitur, imperavit, cùm illi miſeri populum univerſum, ipſumque Pontificem, & Cardinales, cæteramque nobilitatem, magnâ cum veneratione, flexis humi genibus, ad ſacrum illud ſpectaculum provolutos viderent. Porrò Neophytis Pontifex multa privilegia, donaque conceſſit, Eliam (qui nunc, mutato nomine, Michael dicitur) ad D. Petri milites aggregavit; de Filiis autem unum, ſeptimum circitèr agentem annum, novo nomine Paulum, filii loco adoptavit, eumque, per Cubicularium ſuum, Generali Societatis Jeſu magnoperè commendavit, eum duobus nepotibus ſuis in Collegio Germanico educandum, addens illos ſibi Nepotes, hunc autem eſſe filium);

Sic ille: Huic autèm Eliæ cognomentum fuiſſe Carconſii, refert Gabutius, Genebrardus verò in Cronich: filium fuiſſe dicit Eliæ Levitæ (qui Methurghemam, Tisbi, Bagur, Zicronoth, Maſoreth, & multa alia ſcripſit); & pridiè Id. Junii, quo die hoc anno tertium Pentecoſtes Feſtum accidit, Baptiſmum ſuſcepiſſe aſſerit; additque hoc identidem anno, Eliæ commotos exemplo, pluſquàm trecentos Hebræos Chriſtianæ fidei nomen dediſſe; quibus oppoſita minimè cenſenda ſunt, quæ Spondanus, & Surius literis tradidere; quod, nempè poſt Eliæ Baptiſmum, triginta tantùm Judæi ſalutari aqua perfuſi fuerint; nàm eas tantùm converſiones retuliſſe, quæ paulò poſt illam Eliæ evenerunt, tùm ex ipſorummet verbis, tùm ex Epiſtolis apud Caracciam, in quibus, ſuis diſtinctè temporibus, res recenſentur, manifeſtè deprehenditur; In Epiſtola ſiquidèm ſexta, ſub non. Kal. Auguſti, hæc habentur (*Scripſi, Domine Clariſſime, ſuperioribus literis, de Baptiſmo cujuſdam primarii Judæi. Alii deindè Judæi, plùs triginta, ad Catechiſmum venerunt, qui ſimul univerſi baptizabuntur propè diem &c. In his, qui Judaiſmum deſervere, fuit etiam Vxor primarii illius Hebræi, de quo dixi, cùm antea pertinaciſſimè repugnaret; Quam Pontifex, poſtquàm eſt converſa, verbis, atque muneribus admodùm accepit benignè &c.*). In altera verò ſub undecim. Kal. Octobris (*Mira quotidie*, inquit, *fit multorum impuræ vitæ commutatio, neque id tàm metu ſuppliciorum, cùm nihil Pontifice lenius; quàm ejus exemplo virtutis, & firma opinione egregiæ cujuſdam ſanctitatis. Arbitror, hoc Pontifice, ampliùs centum Judæos homines Jeſu Chriſto nomen dediſſe, & ex illis ditiſſimum, & doctiſſimum quemque. Tranſeunt ad Chriſtianam Religionem Viri, cum conjugibus, & liberis, neque Urbani modò, ſed Provinciales, & externi*) Ita ille: Præfatum autem Eliam, poſt Baptiſmum Michaelem dictum, ut innuimus, unà cum filiis, Pontificem in ſuam Ghiſleriorum gentem retuliſſe, Scriptorum nemo diffitetur. Firmanus verò, qui celebritatis Baptiſmi teſtis oculatus extitit, Cardinales, qui in Baptiſmate præfatum Eliam, & alios ſuſcepere, hos fuiſſe dicit; Cardinalis Criſpus ipſum Eliam, Cardinalis Vitellus Moyſen., Cardinalis Farneſius Leonem, Cardinalis Pacechus Abacuch, & Cardinalis demùm Geſualdus, Eliam alterum, prioris Nepotem ſuſcepit.

Gabut. Vit. Pii lib. 6. cap. 3.
Genebrard. Chronograf. lib. 4. pagin. 755.
Spondan. Annal. ſub anno 1566.
Sur. ut ſup.
Epiſt. apud Carac. Epiſtol. 6.
Ibid. Epiſtol. 8.
Firm. in Diario ſub die 4. Iunii.

CIX. In ipſa etiam Epiſtola ſexta apud Caracciam hæc occurrunt: (*Domum, in qua Catechumeni inſtituuntur, antea negligentiùs habitam, Pontifex omnibus rebus inſtaurandam curavit, ejuſque ſpi-*

Ibid. ut ſup.

ſpiritualem procurationem, ſodalibus Jeſuitis demandavit. Hujus domus difficultatibus rei familiaris Pontifex millibus aliquot aureorum ſubvenit.) Qua verò ratione eidem ſuccurrerit, Gabutius explicaſſe viſus eſt, nàm dicit (*Catechumenis, & Neophytis commodas ædes coëmit, quibus non mediocre vectigal attribuit; Cùm enim plurimi Judæi, ejus & opera, & exemplo, Chriſtianam Religionem ſuſcepiſſent, eorum numerus uſque adeò creverat, ut jam domicilium, quod Paulus III., apud Ædem S. Joan-* B *nis de Mercato in Urbe, pro excipiendis, & in Catholica Religione inſtituendis Catechumenis, ac Neophytis erexerat, ferè compleretur: parumque indè remotum Neophytarum, ac Virginum, Dominicani Ordinis Monaſterium Beatæ Mariæ Annunciatæ, anguſtum nimis redderetur. Itaque tàm copioſo Chriſti Gregi, in dies ſuccreſcenti, cùm ampliora paranda eſſent hoſpitia, Templum, & vetuſta Ædificia S. Baſilii, quæ juris erant Hoſpitii S. Joannis Hieroſoly-* C *mitani, ipſis, & Neophytis aſſignavit, ac perpetuo jure poſſidenda tribuit, cum annuis reditibus centum aureorum, præter alia eleemoſynarum ſubſidia, quæ paſſim illis benignè ſuppeditabat*) Extat adhùc tàm inſignis munificentiæ ſimul, ac Religionis monumentum, quod nos ex Archivo ipſo Catechumenorum Domûs accepimus, & hîc duximus apponendum.

Gabut. lib. 6 cap. 4.

CX.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum
Dei &c.

SAcroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, extrà quam conſtitutis nulla eternæ ſalutis ſpes oſtenditur, Divino conſilio præſidentes, inter cæteras gentes, quas, cum maximo animi noſtri dolore, à vera Religione alienas, & in erroribus ſuis obſtinatas, in æternum exitium præcipites E *ferri videmus, Hebræorum gens, & acerbiſſimum nobis dolorem inurit, & miſericordiam commovet ſingularem, dùm recolimus, populum hunc, quem ſibi Dominus, præ cæteris omnibus elegerat, nùnc à Domino pertinaciſſimè diffidere, & in erroribus ſuis obfirmatum, ſibi damnationem perpetuam, incredulitatis merito, comparaſſe: neque ſanè quidquam prætermittimus, quantùm quidem* A *in nobis ſitum eſt, quod ad eos ab erroris ſemita in rectam eternæ ſalutis viam reducendos pertinere arbitramur: Itaque, & aliàs, & maximè poſteàquam ad ſummum Apoſtolatus Officium promoti fuimus, nunquàm deſtitimus, docendo, hortando, & monendo conniti, ut eorum quamplurimos ad Chriſtifidem adduceremus, neque omninò irriti, Dei benignitate, labores noſtri fuerunt, quandò, & ſatis multi utriuſque ſexus ſacro fonte regenerati, nonnulli etiam* B *ex primariis à nobis ipſis ſalutari aqua perfuſi, Chriſtianam Religionem ſuſceperunt; & alii quamplures eorum exemplum ſequuti ad tantam multitudinem pervenerunt, ut jam ampliſſimum Hoſpitale, quod felic. record. Paulus PP. III, Prædeceſſor noſter, apud Eccleſiam Sancti Joannis de Mercato, Regionis Campitelli de Urbe, pro excipiendis, & in Catholica Religione inſtituendis Catechumenis, & Neophytis erexit, ferè compleant, parùmque indè remotum Neo-* C *phitarum Virginum Monaſterium Beatæ Mariæ Annunciatæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ſub regula Sancti Auguſtini, jam pridem anguſtum nimis reddatur. Quare nos, poſtquàm in hanc cogitationem incubuimus, qua ratione, & Sanctimonialibus ipſis, & aliis Virginibus, quæ, annuente Deo, ex eo genere convertentur, Religionemque hujuſmodi profitebuntur, quàm magnum in dies numerum confluxurum ſperamus, de idoneo loco, ubi omnes habitare valeant,* D *provideri poſſit; tandem diverſarum ædium capacitate, atque poſitione nobis propoſita, quaſdam, ſed minùs idoneas, etiam per nos ipſos inviſimus, deindè Ven. Fr. Noſtro Joanni Michaeli Epiſcopo Sabinen. Saraceno, Hoſpitalis, & Monaſterii prædictorum, necnon Archiconfraternitatis ibidem inſtitutæ Protectori, & Dilecto filio noſtro Joanni Titul. Sanctæ Mariæ Transtyberim Preſbytero de Montepolitiano nuncupatis Cardinalibus, & aliis, rerum uſu peritis* E *hanc curam delegavimus, omnibuſque Urbis Partibus, magna cura perluſtratis, nobis denique relatum eſt, Eccleſiam, & vetuſta ædificia Præceptoriæ Sancti Baſilii, Regionis Montium, Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani etiam de Urbe inveniſſe, quæ in dictarum Sanctimonialium uſus commodè aptari poſſint. Hac igitur nobis opportunè oblata occaſione, motu, & ex certa*

ſcien-

ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine unionem, annexionem, & incorporationem, ſeù quamcumque aliam appropriationem, vel conceſſionem de dicta Præceptoria, & Eccleſia Sancti Baſilii Prioratus ejuſdem Urbis, Hoſpitalis prædicti Sancti Joannis Hieroſolymitani, etiam vigore ſtabilimentorum ejuſdem Hoſpitalis, ac privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum illi conceſſorum, vel aliàs, ac quacumque authoritate, & ex quavis cauſa perpetuò, vel ad tempus factas, dilecti Filii noſtri Bernardi Tit. S. Priſcæ Præsbyteri Cardinalis de Salviatis nuncupati, qui dictum Prioratum in Titulum, vel Commendam, ex diſpenſatione Apoſtolica, obtinet, expreſſo ad hoc accedente conſenſu, harum ſeriè diſſoluimus, ac eamdem Præceptoriam, ſivè illa magiſtralis, ſivè alia Camera, ſivè membrum dicti Prioratus, ſivè etiam ut principale cum d. Prioratu conjunctam, ac per Priorem hujuſmodi pro tempore exiſtentem, obtineri, & poſſideri ſolitam, cum Eccleſia ſive Sacello ejuſdem Sancti Baſilii, nec non Palatio, ædibus, viridariis, hortis, tabernis, & domunculis circumpoſitis, nec non granariis, & emphiteuticis Apothecis, cæteriſque ædificiis, juribus etiam litigioſis, devolutis juriſdictionibus, actionibus, & pertinentiis ſuis, ab ipſis Prioratu, & Hoſpitali S. Joannis Hieroſolymitani diſmembramus, dividimus, & ſeparamus, ac in eadem Præceptoria, ſeù Camera, necnon Eccleſia Sancti Baſilii Ordinem, ſtatum, & eſſentiam, cæteraque inſignia d. Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, nomenque titulum, & denominationem Præceptoriæ, ac magiſtralis, ſeù alterius Cameræ, vel membri perpetuò ſupprimimus, extinguimus, & abolemus: eamdemque Præceptoriam, cujus, & illi forsàn annexorum fructus, redditus, & proventus centum ducatorum auri de camera ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum, ut accepimus, non excedunt; ſivè per diſſolutionem hujuſmodi, ſivè alio quovis modo, & ex cujuſcumque perſona vacet, unà cum dicta Eccleſia Sancti Baſilii, necnon Palatio, ædibus, hortis, viridariis, tabernis, domunculis, granariis, juriſdictionibus, actionibus, rebus, & bonis, ac omnibus juribus, adhærentiis, uſibus, & pertinentiis ſuis, Archiconfraternitati prædictæ ad dictarum Virginum uſum, & commodum perpetuò concedimus, & aſſignamus; Ità quòd liceat, ex nunc, Joanni Michaeli Epiſcopo, ac Protectori prædicto, necnon Adminiſtratoribus d. Archiconfraternitatis corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ Sancti Baſilii, nec non Palatii, Ædium Hortorum, Viridariorum, aliarumque proprietatum, bonorum, rerum, & jurium prædictorum per ſe, vel alium, ſeù alios, propriâ authoritate, liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus in prædicti Monaſterii uſus, & utilitatem convertere, cujuſvis licentia minimè requiſita; & nihilominùs in dd. Palatio, & Ædibus aliud Monaſterium hujuſmodi Virginum; ſub dicta invocatione Beatę Mariæ Annunciatę, & ejuſdem Ordinis Prędicatorum, cum omnibus ad id requiſitis perpetuò erigimus, & inſtituimus, & ad illud Moniales primodicti Monaſterii, cum ſacra, & profana ſupellectili, cæteriſque rebus, & bonis, necnon privilegiis, indulgentiis, gratiis, conceſſionibus, & indultis Apòſtolicis eis, & earum ſingulis quomodolibèt conceſſis, ità ut eadem illa habeant, illiſque ipſis potiantur, quæ in primodicto Monaſterio obtinebant, dicta authoritate transferimus, illiſque dictam Eccleſiam Sancti Baſilii pro Eccleſia ſecunda dicti Monaſterii concedimus, & aſſignamus; diſtrictiùs inhibentes, in virtute Sanctæ Obedientiæ Dilectis filiis Magiſtro, & Conventui dicti Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, & pro tempore exiſtenti Priori Prioratus Urbis, nè etiam quorumcumque ſtatutorum, ſtabilimentorum, ac privilegiorum prætextu, vel aliàs quomodocumque diviſionem, & alia præmiſſa directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, audeant impugnare, ſeù eorum effectum aliàs quoque modò impedire; ac decernentes, ſingula præmiſſa, nullo tempore, de ſurreptionis, ſeù nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu, argui, vel notari, nec ſub ullis revocationibus, reſtitutionibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam ad Magiſtri, & Conventus, ſeù Prioris prædictorum inſtantiam, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialitèr, & ex quibuſvis cauſis, pro tempore factis comprehendi, ſed ſemper ab illis excepi, & quotiès emanabunt, totiès in priſtinum ſtatum reſtituta, & plenariè reintegrata eſſe, etiam

*etiam cenſeri, nec ipſos Mogiſtrum,
Conventum, aut Priorem, etiam præ-
textu enormiſſimæ læſionis, aut damni,
& incommodi ſui Hoſpitalis, & Priora-
tus reſciſſionem præmiſſorum, aut reſti-
tutionem in integrum, vel reductionem
ad terminos juris, ſeù quodcumque aliud
juris, vel gratiæ remedium, contra illa
impetrare, ſeù etiam ab alio, vel aliis
impetratis, vel etiam motu, & ſcientia
ſimilibus, conceſſis, uti poſſe, ſicque in
eiſdem præmiſſis omnibus, & ſingulis
per quoſcumque Judices* Ordinarios, *&*
Delegatos, *etiam Cauſarum Palatii Apo-
ſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ
Eccleſiæ Cardinales, in quavis Cauſa,
& Inſtantia, ſublata eis, & eorum cui-
libet, quavis aliter judicandi, & inter-
pretandi facultate, & authoritate, ubi-
que judicari, & definiri debere, nec non
irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à
quoquam, quavis authoritate, ſcienter,
vel ignorantèr contigerit attentari.
Quo circà Venerabilibus Fratribus no-
ſtris Archiepiſcopo Theatino, & Petro
Donato Narnien. Epiſcopo, per Apoſto-
lica ſcripta, motu ſimili mandamus, qua-
tenùs Ipſi, vel duo, aut unus eorum, per
ſe, vel alium, ſeù alios, præſentes lite-
ras, & in eiſdem contenta, quæcumque,
ubi, & quandò opus fuerit, ac quotiès
pro parte Joannis Michaelis Epiſcopi,
ac Protectoris, necnon Adminiſtratorum,
& Archiconfraternitatis prædictorum,
vel alicujus eorum fuerint requiſiti, ſo-
lemnitèr publicantes, eiſque in præmiſſis
efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes,
faciant, authoritate noſtra, præmiſſa
omnia, & ſingula firmiter obſervari,
ipſoſque omnes, quos eædem literæ con-
cernunt, & concernent in futurum, illis
pacificè frui, & gaudere: non permit-
tentes eorum quempiam per quoſcumque,
quavis authoritate fungentes, deſuper
quomodolibèt indebitè moleſtari, Con-
tradictores quoslibet, & rebelles, per
cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac
etiam pecuniarias, eorum arbitrio mo-
derandas, aliaque opportuna Juris re-
media, appellatione poſtpoſita, compe-
ſcendo, legitimiſque ſuper his habendis,
ſervatis Proceſſibus, Cenſuras, & Pœnas
ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando,
invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit,
auxilio brachii ſæcularis. Non obſtanti-
bus noſtra, per quam dudùm, inter alia,
voluimus, quod ſemper in Unionibus
commiſſis, fieret ad partes vocatis, quo-*

A *rum intereſſet, ac Lateranenſis Concilii,
noviſſimè celebrati, Uniones perpetuas,
niſi in caſibus à Jure permiſſis fieri pro-
hibentes, nec non piæ memoriæ Bonifacii
PP. VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, qui-
bus cavetur, nè Mendicantes ad noua loca
tranſire, aut illa recipere præſumant,
quoquomodo, ſine ſpeciali d. Sedis licen-
tia, de prohibitione hujuſmodi mentionem
faciente, & nè quis, extra ſuam Civi-
tatem, vel Diœceſim, niſi in certis exce-
ptis caſibus, & in illis ultrà unam Die-*
B *tam à fine ſuæ Diœceſis ad Judicium
evocetur, ſeù nè Judices, à Sede prædi-
cta deputati, contra quoſcumque proce-
dere, aut alii, vel aliis vices ſuas com-
mittere præſumant; & in Concilio Ge-
nerali edita de duabus Dietis, dummodò
ultrà tres dictas, aliquis, authoritate
præſentium ad Judicium non trahatur,
aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac
Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymi-
tani, & Prioratus prædictorum, jura-
mento, confirmatione Apoſtolica, vel*
C *quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis,
conſuetudinibus ſtabilimentis, uſibus, &
naturis: Privilegiis quoque, Indultis,
& Literis Apoſtolicis, illis, necnon præ-
dicto Magiſtro, Conventui, & Priori,
ac quibuſvis aliis Superioribus Perſonis,
& Locis per quoſcumque Romanos Pon-
tifices Prædeceſſores noſtros, qui ab ipſius
Hoſpitalis inſtitutione hùc uſque fue-
runt, ac nos, & Sedem Apoſtolicam
contra hujuſmodi alienationes, & diſ-
membrationes, etiam cum decreto, quòd*
D *illæ, ex quavis cauſa factæ, nullis tem-
poribus ſubſiſtere poſſunt, ſed res, &
bona ſemper unita, ut priùs cenſeantur,
& ſuam priſtinam naturam ſortiantur,
nec unquàm aliis conſolidari, aut in alios
uſus converti, ſed ad jus, & proprieta-
tem quocumque tempore revocari va-
leant, & aliàs, ſub quibuſcumque te-
noribus, & formis, ac cum quibuſvis
etiàm derogatoriarum derogatoriis,
aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, &
inſolitis clauſulis, necnon irritantibus,*
E *& aliis decretis etiam motu, ſcientia,
& poteſtatis plenitudine ſimilibus, nec
non Conſiſtorialisèr, ac conſideratione,
intuitu, contemplatione, vel ad inſtan-
tiam, Imperatoris, Regum, Ducum, &
aliorum Principum, aut etiam nullius
inſtantiam, ac pro conſervatione Reli-
gionis Chriſtianæ quotieſcumque conceſ-
ſis, confirmatis, & innovatis, etiamſi
eis, ac prædictis ſtabilimentis caveatur
expreſ-*

expreſsè, quòd illis, etiam per quaſcumque literas Apoſtolicas, etiam quaſvis clauſulas generales, vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias diſtrictiores, & inſolitas, & etiam irritantia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione, in ſe continentes, nullatenùs derogari poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi tenore illarum de verbo ad verbum, nihil omiſſo, inſertus, ac hujuſmodi derogationes conſiſtorialitèr factæ, & per trinas diſtinctas literas, eumdem tenorem continentes, tribus ſimilitèr diſtinctis vicibus Magiſtro, & Conventui prædictis legitimè intimatæ, & inſinuatæ fuerint, ac ipſorum Magiſtri, & Conventus ad id expreſſus accesserit aſſenſus, & alitèr factæ minimè ſuffragentur; nec Magiſter, & Conventus prædicti ad parendum Literis derogatoriis hujuſmodi, & decretis, ſuper illis proceſſibus, ac illorum Executoribus, & Subexecutoribus, eorumque mandatis, & monitionibus teneantur, ſed Literarum hujuſmodi executionem omninò impedire, nec ratione reſiſtentiæ hujuſmodi Cenſuris Eccleſiaſticis, per eoſdem Executores, & Subexecutores latis innodari poſſint. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de ipſis eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus, pro ſufficientèr expreſſis, habentes, illas aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxàt, harum ſeriè, ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquis, ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Præceptoriis hujuſmodi, ſpeciales, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in dicta Urbe generalis dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel aliàs quomodolibèt ſit proceſſum; quas quidem Literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & indè ſecuta quæcumque ad dictam Præceptoriam volumus non extendi, ſed nullam per hoc eis quo ad aſſecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari; ſed, ſi Magiſtro, & Conventui præfatis, vel quibuſvis aliis communitèr, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis, & Literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totalitèr non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibèt, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo habenda ſit in noſtris Literis mentio ſpecialis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ diſſolutionis, diſmembrationis, diviſionis, ſeparationis, ſuppreſſionis, extinctionis, abolitionis, conceſſionis, aſſignationis, erectionis, inſtitutionis translationis, inhibitionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autèm hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolòrum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto tert. Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno Primo.

Cæſar Glorerius.)

CXI. Præter hæc autem ſubſidia, quibus Catechumenorum Domus inopiam, hoc anno, levavit, ejuſdem inſupèr neceſſitatibus ſubveniſſe, poteſtate facta Joanni Michaeli Cardinali Saraceno, Loci, ut audiſti, Protectori, Hebræos qui, callida tergiverſatione, poſthabita Conſtitutione, qua cautum erat, nè bona ſtabilia poſſidere poſſent, ea tamen retinuiſſent, mulctandi pœna, qua eorumdem bonorum ſtabilium dimidia pars eidem domui adiudicaretur; ex his, quæ ſequenti anno dicenda erunt, apparebit. Quod verò, etiam ſic additæ, & ædes, & Templum Sancti Baſilii Catechumenorum eidem Domui, hæc tamèn multitudinem eorum, qui Judaicis ſuperſtitionibus abdicatis, Chriſtianam Religionem amplexati ſunt, capere nequierit, quaproptèr ampliorem domum comparare compulſus fuerit: ex alia apud præfatum Caracciam Epiſtola colligitur: In ea ſiquidem, Pium magnificentiſſimas eas Ædes, quas Crinottus quidam, homo Gallus, ad radices ejus Collis extruxerat,

Ex Epiſt. apud Carac. Epiſt. 8. un. dec. Kalen. Octob. 1566.

rat, in quo eſt Templum Sanctiſſimæ A Trinitatis, coëmiſſe, ad Catechumenorum Hoſpitium, eiſque non mediocre vectigal aſſignaſſe, narratur.

CXII. Hoc, demùm, anno, Hebræos Urbanos in Regionem ad Marcelli Theatrum illis attributam, concludi juſſiſſe, in qua noctu foribus obſeratis demorarentur, præcepiſſeque in eos animadverti, qui foris eo tempore deprehenſi fuiſſent; colligi ritè videtur ex ejuſdem Pii, loco ipſi appoſito, ſtemmate, eique adiecta inſcriptione, anno B Primo Pontificatus prænotata, cohæretque renovatæ ab eo Conſtitutioni Pauli IV., qua tàm in Urbe, quàm in quibuſvis aliis Romanæ Eccleſiæ Civitatibus, Terris, & Locis Judæi omnes in uno, & eodem loco, ut commorari cogerentur, mandavit, ut ſuprà diximus.

Gabut. Vit. Pii lib. 1. cap. 14.

CXIII. Ex his tamen ſanctiſſimis operibus, & editis à Pio legibus varios ſermones jactatos fuiſſe refert Thuanus; aliis, eximium Religionis à ſectaria C pravitate vindicandæ, & vitæ emendationis ſtudium in eo laudantibus, aliis moderationem, & majorem prudentiam in eo requirentibus; ſicque judicabant, (ſubjungit), optimi quique: Nàm, ſi Pontificia Dignitas Paſtorali Officio ſolo contineretur, in Pio V. nihil ferè deſiderari potuiſſe; ſed quandò ei Dignitati annexa eſt Principalis poteſtas, pleræque virtutes in Principe ad publicam adminiſtrationem ſunt neceſſariæ, quas longo rerum uſu comparari, D & excoli neceſſe eſt, nec in umbra, & inter Monachorum greges eadem acqiri poſſunt, nàm alitèr in cœnobiis, alitèr in Aula degitur; præterea aliud eſt Monachis imperare, aliud regnare. Hæc Thuanus, & falsò quidem, ut conſuevit; nàm non tantùm eas, quæ ad Sacerdotale Officium pertinent, partes perfectè Pius implevit; ſed in ſupèr, quæ optimum decebant Principem, munia exercuit, ut mox dicenda perſpicuè demonſtrabunt. Cùm enim tot, E tantorumque bonorum, quæ Deus hominibus largitur, nullus ſit fructus, aut uſus rectus ſine Lege, Jure, & Principe; Jus verò finis ſit Legis, ſicùt Principis opus, eſt Lex; Princeps autem imago Dei, cuncta adminiſtrantis; ità innumera propè beneficia Reipublicæ contulit Pius, eò quòd in eo, & ab eo Pontificem, tùm temporalia, tùm ſpiritualia cuncta optimè adminiſtrantem, Reſpublica eadem nacta fuerit; nec tantùm Leges operantem, ſed finem præcipuè Legis, Jus, totis viribus requirentem, in illo, Principem obtinuerit. Vix enim Pontificatum aſcenderat, cùm Magiſtratus, & Judices omnes Urbanos, adhibitis etiam Cardinalibus, qui aliquam publicæ Juriſdictionis, vel adminiſtrationis partem attingerent, advocari juſſit; iiſque hujuſmodi, & rationem cognoſcendi, & explicandi Cauſas, legem præſcripſit, ut divino inſtinctu (inquit Gabutius) illam habuiſſe orationem plerique teſtarentur. Inter alia autèm admonitos voluit, quòd, ſi quem extra Juſtitiæ formam eis commendatum fuiſſe contigiſſet; illum malam Cauſam habere exiſtimarent, ideòque Juſtitiæ rectum iter tenerent, è cujus tramite nemo ex Pontificia Familia auctor, aut ſuaſor futurus erat, ut aberrarent. Diſtrictè ſiquidèm Familiaribus ſuis prohibuerat, nè in eis, quæ ad Jus dicendum pertinebant, ullo modo ſe ſe interponerent, aut Judicibus Cauſas commendarent. Nè autem Juſtitiæ præſcripta, his, aliiſque modis tranſgreſſionibus paterent, probos, & integros Juris Adminiſtros delegit, quibus ad Rempublicam capeſſendam, non pecunia, ſed virtus aditum aperuiſſet; hoſque rebus gerendis, Cauſiſque expediendis præfici curavit, memor ſententiæ illius, quòd, qui Juſtitiæ miniſterium emit, neceſsè eſt, ut vendat: ideòque qui Dignitates, & Officia, quibus Juriſdictionis adminiſtratio eſſet adiuncta, vel pecuniâ, vel aliis malis artibus ambirent, ſeù etiam aſſequerentur; in eos, jam ciuili jure propoſitas, graviſſimas pœnas innovavit, & auxit, quibus pœnis obnoxios fore quoque voluit, qui ob id pretium, vel promiſſionem accepiſſent, vel operam ſuam huic rei utcumque præſtitiſſent; uſque adeò videlicèt, rectam Juris Adminiſtrorum electionem, juſtitiæque miniſterium, quàm integerrimum eſſe ſtuduit: ſed de his ſuo loco agendum erit.

Thuan. li. 39 Hiſtor.

Plutarch. ad imperit. Princip.

Gabut. Vit. Pii lib. 1. cap. 10.

Licèt verò, morum integritate, CXIV. & probitate, ſelectiſſimos Viros, Judices diceret, qui Jus ſuum unicuique præſtarent; tamen, & ipſos injudicatos haud remanere voluit; imò; ſicùt ſcriptum eſt, eorum quoque Juſtitias judicio ſubeſſe juſſit, ad hoc renovato Pii Secun-

Secundi Prædeceſſoris ſui diplomate, A
aureo nuncupato, quo præcipitur, ut qui Magiſtratu defuncti eſſent, geſti Magiſtratus rationem reddere compellerentur; ideòque graviſſimo etiam ſubegit judicio Pii IV. Quæſtorem, de quo, cùm multa ad eum, à Gubernatore delata eſſent, quod nempè ritè ſibi commiſſo munere perfunctus non eſſet, Judicio ſiſti voluit; facta tamèn ei poteſtate, quemcumque vellet ſibi Judicem deligendi.

CXV. At, ſicùt avaritiam leges ſæpè B
ſæpiùs perimere, Judiceſque ſciebat corrumpi à divitibus; ità pauperes, dùm, quod offerrent non haberent, non ſolùm non audiri, & contemni, ſed etiam contra veritatem opprimi optimè noverat; unde huic malo occurrere volens, nè cuiquam, propter imbecillitatem, & inopiam injuria fieret, ſtatuit, ſtatis feriis, publicam, pauperibus tantùm, audientiam concedere: quibus porrò diebus, nemo, vel publicus, vel privatus nobilis admitte- C
batur. Ibi ſedere (ut diximus) ad intelligendas confluentium pauperum Cauſas promptus ſemper, & immobilis, ad horas decem plerumquè conſuevit. Et hæc cauſa fuit (ut refert Natalis Comes), quòd omnes injuriæ, tamquàm nubes ab Aquilone diſpellerentur, dùm eas, videlicèt, quiſque, ad aures Pontificis deferendas metuebat; & quòd Judices, nil contra Jus, & Juſtitiam, vel agere, vel auderent pronunciare; cùm quidquid ab eis actum, D
decretumque fuiſſet, Pontificem minimè latere poſſe cognoſcerent. Prudentum verò Principum mores, cum non tantùm cautos, juſtos, & ſalubres eſſe oporteat, ſed acrimoniæ etiam cuidam, efficacique pertinaciæ junctos eſſe neceſsè ſit: Pius, & cautè, & juſta, & ſalubria mandabat; &, ut exequerentur, acrimonia, efficacique pertinacia utebatur, tùm enim in ratione mandandi, tùm in cura, mandata exigendi, nequaquàm verbis, vel reſcriptis tan- E
tummodò contentum ſe fore, edicens: imò, quoad res ad exitum perduceretur, minimè quieſcebat; & licèt flexibili admodùm, & clementi eſſet naturâ, nihilominùs in his, quæ ad Religionem, Juſtitiamque pertinebant, planè integer erat, nec vllius ſummi, aut infimi gratiâ, de vera dimovebatur ſententia, ſerióque imperata, fieri volebat; quod multi ſua ipſorum mercede didicerunt.

Natalis Comes Hiſtor.

Plato in Politicis.

Quoad pauperes inſuper, qui ad CXVI.
Judicia trahebantur, ſtatuit etiam, quæ ſequuntur (*Accepimus, inquit, multos pauperes, & perſonas miſerabiles reperiri, qui, cùm alicujus ſint creditores, de eorum credito volentes ſibi ſatisfieri, comparent in Cauſis diſcuſſionum bonorum eorum debitoris, jura ſua producentes; verùm ipſi, aut quia non priores, potioreſque, aut quia ut priores, nec potiores ſunt, propterèa evenit, quòd, dùm eorum creditum in maximum ipſorum præjudicium conſequi non valent, ſæpiſſimè fiat, quod eorum pauperrimæ Familiæ, in non modicum ipſorum, eorumque dedecus, mendicare cogantur. Nos hujuſmodi perſonarum miſeriis compatientes, eiſdemque in præmiſsis ſubvenire volentes, motu ſimili, & non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera voluntate, & deliberatione, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Apoſtolica authoritate, volumus, ac perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, quòd, ſi in Cauſis hujuſmodi, in Tribunali Dilecti Filii Alexandri Riarii, noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Auditoris, tàm motis, quàm movendis in futurum, comparuerint, creditores uſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta incluſivè pro quolibet, qui verè ſint miſerabiles perſonæ, iis de eorum credito, etiam quòd non ſint priores, aut potiores, ſatisfieri poſſint, & debeant &c.*) Iſta Pius, quæ licèt, quandò edita fuerint, perſpicuè haud appareat, tamen ad præſentem annum pertinere, ſuadere videntur huic ſimilia, hoc ipſo tempore, de iiſdem ferè rebus vulgata decreta; nàm præter ea, quæ pro Cardinalium Creditoribus, ut ſuprà retulimus, ſtatuit; nè Cauſarum dilatione litigantes fatigarentur, ut in integrum litigantes eoſdem reſtituere poſſent, adverſùs impedimentum Sedis Vacantis Pii IV. prædeceſſoris ſui, uſque in craſtinum ſuæ Coronationis, quo nempè temporis intervallo, *Juſtitium* eà in Curia indictum fuerat) Capitolinis etiam Judicibus indulſit. Quod quidem ſe inſuper ſtatuiſſe fatetur, ut de lapſu, & curſu inſtantiarum, & fatalium quæſtionum dubia, exoriri ſolita, omninò dirimeret.

Extat. in Bull. Conſtit. 27.

Extat. int. Pii Conſtit. ſeorſim impreſ. pag. 5.

Pauperum tamen, in Juſtitiæ ad- CXVII.
miniſtratione, nè putari poſſit ſola negocia

gocia ſpectaſſe, ea vetant, quæ octavo A Id.Septembris hujuſmet anni in S.R.E. Cardinalium, aliorumque Romanæ Curiæ Prælatorum Familiares conſtituiſſe reperimus. Hi ſiquidèm, iiſdem defunctis Cardinalibus, eorum Dominis, conſuetudinis, privilegii, ſeù quocumque alio prætextu, eorumdem bona mobilia mortuorum, etiam invitis hæredibus, ſeù teſtamentorum exequutoribus, ſivè pro hæredibus ab inteſtato, per Pontificias Conſtitutiones deputatis, argentea etiam, & pretioſa quæque ſibi ar- B ripere, & uſurpare conſueverunt. Neque id tantùm, ſed Parafrænariorum, & Caudatariorum Univerſitates, ſeù Collegia, tùm in novorum Cardinalium creatione, tùm in obitu, ab eiſdem novis Cardinalibus, aut defunctorum hæredibus, certum pecuniarum numerum, aut alia, magna cum importunitate, & temeritate exigere, ſeù potius extorquere videbantur.

Extat. in Bull. Conſit. xv.

Hunc igitur deteſtabilem morem, ſublatum Pius voluit, ae de cœtero C Cardinalium præfatis Familiaribus, tàm ſingularitèr, quàm communitèr, & collegialitèr, ſub quovis prætextu, nullum jus, nullamque pœnitus actionem, aut Juris remedium competere, neque eis, ex Bonis Cardinalium, præter eorum ſtipendia, deberi aliquid, declaravit.

CXVIII. Præfata die, qua Conſtitutionem, quam diximus, edidit, de his cum Cardinalibus in Conſiſtorio etiam egiſſe, in totiès memorato Cardinalis Far- D neſii Diario, his verbis narratur (*Sanctiſſimus D. N. accepto, ut aſſeruit, quòd nonnulli Familiares Reverendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, veluti Parafrænarii, Credentiarii, Coqui Magiſtri Stabuli, ità vulgaritèr nuncupati, & forſan alii, cujuſcumque ſint ordinis, & Miniſterii defunctis Cardinalibus eorum Dominis, conſuetudinis, privilegii, ſeù alio quocumque prætextu, in non modi- E cam ipſorum memoriæ defunctorum Cardinalium ignominiam, Parafrænarii, ut mulas cum inſtrumentis, & phaleris ſuis, & alii alia ipſorum Cardinalium inſtrumenta, & bona, per ipſos Familiares reſpectivè in eorum Miniſteriis teneri, & exerceri ſolita; etiam invitis ipſorum Defunctorum hæredibus, & Cardinalibus, ſivè Teſtamentorum exequutoribus, ab ipſo Teſtatore, ſivè pro hæredibus ab inteſtato, per Conſtitutiones Pontificias deputatis, etiam argentea, & pretioſa ſibi arripere, & uſurpare, ac pro illis plerumque etiam inter ſe rixari, & digladiari conſueverunt, cum magno totius Curiæ ſcandalo, & Cardinalatus dignitatis opprobrio; & universè etiam S. E. Rom. Cardinalium Parafrænarii, Caudetarii, Univerſitates, & Collegia inter ſe facientes, in novorum Cardinalium creatione, & obitu, & forsàn aliis certis temporibus, ab iiſdem novis Cardinalibus, & Defunctorum hæredibus reſpectivè, certas pecuniarum ſummas, aut res alias, magna cum importunitate, & temeritate exigere, & quodammodò extorquere ſunt ſoliti. Volens tàm ſcandaloſorum abuſuum occaſionem tollere, omnes, & ſingulas conſuetudines, & uſus, per prædictos, & alios quoſcumque ipſorum Cardinalium Familiares, & Miniſtros, tàm ſingularitèr, quàm communitèr, & collegialitèr, ut præfertur, ſeù aliàs quomodolibet petendi, & exindè actionis, & juris quæcumque remedia allegari, & exerceri ſolita, pœnitùs abrogavit, & ſuſtulit; Ac de cœtero Familiaribus ipſis, prædictorum occaſione, nullum Jus, nullamque pœnitùs actionem, aut Juris remedium competere, neque eis aliqua ex bonis, & pecuniis præfatis deberi, ſed eos debere eſſe contentos ſuis ſalariis, ſi quæ eis promiſſa fuerunt, & eo ampliùs, ſi Defunctorum hæredibus, aut Cardinalibus prædictis reſpectivè aliquid Familiaribus ipſis, ſivè ut ſingulis, ſivè ut univerſis, aut aliis, ex mera ipſorum hæredum, & Cardinalium liberalitate dare placebit, irritumque decrevit. Non obſtantibus prætenſis Conſtitutionibus*); Ita ibi:

Ad hæc, difficilioribus aliis litigiorum anfractibus, qui poſt obitum eorumdem Cardinalium, & quorumcumque Prælatorum, in Romana Curia decedentium, inter eorum Creditores oriebantur, occurrere volens (quia nempè unuſquiſque, vel altero ſe potiorem eſſe contendebat; vel mercedis, & regaliarum obtentu, alios Creditores præcedere conabatur: quo plerumque fiebat, ut pauperrimi, qui bona fide ſuam ſubſtantiam crediderant, non tantùm debita ſatisfactione defraudarentur, ſed etiam longis, & periculoſis litibus defatigarentur) perpetuò CXIX.

[Extat. in Bull. ſub præfat. Conſtit.] petuò valitura altera Conſtitutione, A neminem ſuper defunctorum Cardinalium, aut Prælatorum bonis mercedem poſſe depoſcere, ubi creditorum aliorum præjudicium exiſteret, ſancivit; niſi, ſub eadem certa conſtituta mercede conductum fuiſſe, evidenter appareret; quin etiam formam Conſtitutionis Pauli III. ſuper hoc conceſſam, quatenùs opus fuiſſet, innovavit.

Porrò autem in creditorum ſatiſfactione ordinem ſervandum hunc mandavit; quòd annulo, nimirum, B dempto, & Cappellæ ornamentis, Apoſtolicæ Cameræ Commiſſario, reſpectu defunctorum Cardinalium, in primis conſignandis; prior deinde cauſa eorum eſſet, qui præfatis Cardinalibus ipſorumque Familiis cibaria ſuppeditaſſent; deinde illorum, qui res veſtiarias, aliaque hujuſmodi generis ad corporis uſum, non autem ad ornatum, ſeu ad pompam, neceſſaria, ſubminiſtraſſent; & tertia demum præfatorum mercenariorum, quibus tamen certa C conſtituta merces conſtaret. Quoad alios verò, Jus commune teneri voluit, Conſtitutionemque hanc, non tantùm in futuris, ſed etiam in tunc pendentibus cauſis vim obtinere, imperavit. Editam autem fuiſſe hoc anno, poſt ſupra allatam, colligi poſſe cognoſcitur [Ibid. §. 2.] ex his in ea inſertis verbis (*Similiter eorumdem Cardinalium, & Prælatorum Familiares abſtineant à petitione regaliarum, cujuſcumque &c. juxta formam Decreti, de Fratrum conſilio, de menſe* D *Septembris proximè præteriti, ſuper hoc editi &c.*) Sed, quia Conſtitutionis hujus occaſione, (ex eo potiſſimùm, quòd cibariorum creditores ceteris etiam anterioribus, & hypothecam habentibus præferebantur) dubitatum eſt, an ea lex Aromatarios etiam comprehenderet, ita ut ceteris creditoribus ipſi etiam præponi deberent; ideò dubitationem hanc, alio edito Motu proprio, paulò poſt, ut veriſimiliter cenſeri poſſe videtur, ſuſtulit Pius: E [Extat. in Bullar. poſt allat. Conſtit. xv.] declarans, quòd, cùm Aromatariorum mercem, ad quotidianum victum minimè neceſſariam, ſed potiùs, aut medicamentum eſſe, aut deliciis inſervire animadvertiſſet; merceque eâdem ſua Aromatarios ipſos magnum ſibi lucrum conſueviſſe parare, & inſuper ſpeciali privilegio extitiſſe munitos, cujus vigore, cum obligatione in forma Cameræ, concurrerent; propterea illos à diſpoſitione præfata, quoad medicinalia, & funerum expenſas, non comprehenſos edixit; & eos, qui fuerant de eorum credito ſatisfacti, juramentum de reſtitutione prioribus, & potioribus præſtitum facienda eorundem Aromatariorum intuitu ſervare, nullatenùs tenerentur.

Reperimus autem, Cardinales plures hoc anno defunctos: Franciſcum CXX. nempe Craſſum, Mediolanenſem, primò quidem Diaconum Cardinalem Sanctæ Luciæ in Septiſolio, poſtmodum Preſbyterum Tit. Sanctæ Cæciliæ, Kalend. Septembris. Simonem Paſquam, Genuenſem, Presbyterum Cardinalem Tit. Sanctæ Sabinæ, Prid. non. Septembris. Joannem Suavium Reumanum Gallum, Presbyt. Cardinalem Tit. S. Joannis ante portam Latinam, tùm Sanctæ Priſcæ, tert. Kalend. Octobr. Annibalem Bozzutum Neapolitanum, Presbyt. Card. Tit. S. Silveſtri in Montibus prid. non. Octobris. Tiberium Criſpum Romanum, Diaconum primò, tùm Presbyt. Cardinalem Sanctæ Agathæ, Sanctæ Mariæ Tranſtiberim, & Epiſcopum Sabinenſem, prid. Idus Octobris. Petrum Franciſcum Ferrerium Pedemontanum, Presbyt. Cardin. Sancti Cæſarii, deinde S. Agnetis in Agone, poſtmodum Sanctæ Anaſtaſiæ, prid. Id. Novembris; & demùm Franciſcum de Mendoza Hiſpanum, Presbyt. Card. Sanctæ Mariæ de Aracœli, deindè Sancti Joannis ante Portam Latinam, tùm S. Euſebii, tert. non. Decembris. Ex his verò cùm quatuor Romæ deceſſerint, nempè Craſſus, Paſqua, Suavius, & Ferrerius; ideò mirum non eſt, hoc tempore in defunctorum Cardinalium familiares, ipſorumque Creditores, præfata potiſſimùm Pium ſanxiſſe.

Cùm verò Notariorum, ſivè eorum hæredum incuria, aut malitia, CXXI. publica inſtrumenta decedentium, Teſtamenta, & Scripturas, non ſine maximo plurimorum damno, ad Romanæ Curiæ Tabularium, (ut lex imperabat, non deferri Pontifex comperiſſet; omnes, & ſingulos eoſdem Notarios, in eodem Tabulario deſcriptos, & ut dicitur, matriculatos; necnon quaſcumque perſonas eorumdem Notariorum defunctorum, ſeu etiam a Romana Curia abſentium, illorum notas, & Scripturas, retinentes, infra octo dierum ſpatium,

Extat. inter Conſtit. Pii ſeorſ. impreſ. pag. 6.

tium, ſub Excommunicationis, falſitatis, ac perjurii, & quingentorum ſcutorum, Apoſtolicæ Cameræ applicandorum, pœnis, juxtà formam Bullæ erectionis eorum Collegii, & juramenti ab illis in ſua creatione, & deſcriptione præſtiti; ad prædictum Tabularium Scripturas eaſdem, per Alexandrum Riarium, Apoſtolicæ Cameræ Generalem Auditorem, compulſos reportare imperavit, prid. Idus Februarii vulgato Edicto.

CXXII. Sed, cùm ſummum bonum in his, qui præſunt, ſit quidem juſtitiam colere, in eo, quod unicuique ſua jura tribuunt, aut ſervant; præſtantius tamen eſſe deprehendatur, cùm ſubjectos non ſinunt, quod poteſtatis eſt facere, ſed quod æquum eſt cuſtodire; quia, ſicut bene agentibus in nullo ſe præferunt, ita, cùm pravorum culpa exigit, poteſtatem protinus ſui Prioratus agnoſcunt, & erga perverſos rectitudinis jura exercere non formidant, cùm præcipuè, eos toti obeſſe Reipublicæ animadvertunt: Pius id implere ſatagens, ut Homicidas, Latrones, Sicarios, facinoroſoſque homines, eorumque complices, ab Urbe, & ex tota Eccleſiaſtica ditione exturbaret, Romanæque Eccleſiæ Subditorum pacem, & concordiam conſoveret, nil penè intentatum reliquit. In primis igitur, Prædeceſſorum Pontificum Pii II., Sixti IV., Julii II., Leonis X., Clementis VII., ac Pii IV. Conſtitutiones innovavit, & ampliavit, contra hujuſmodi hominum peſtes, eoſque receptantes, vel protegentes, vel eorum conſortes, Tert. non. Julii hujus anni, ſua altera edita. Deindè, cùm accepiſſet, nec harum interminatione pœnarum, mala, quæ inoleverant, ſublata eſſe; decimo octavo Kalend. Septembris hujuſmet anni, aliam vulgavit, in qua primò conqueſtus, quòd nonnulli Conſtitutionibus, & Mandatis, tam a ſe, quàm etiam ab aliis, ante ipſum, Pontificibus emanatis, poſthabitis, & neglectis, homicidas, rebelles, publicos Latrones, viarum graſſatores, ac in pœnam capitis Banditos, alioſque ſacrilegos, nefarioſque viros in ſuis Locis receptare, ac tenere, eiſque diverſimodè favere, conſiliumque, & auxilium præſtare, in non modicum Apoſtolicorum mandatorum contemptum, plurimamque Subditorum Eccleſiæ perturbationem, & of-

A fenſionem, haud reformidaſſent: in talia deinceps perpetrantes, cujuſcumque conditionis, & gradus exiſterent, bonorum confiſcatione, domorum demolitione, & exilii perpetui, aliiſque pœnis juſſit animadverti. Nè verò ignorantiæ contra Apoſtolicam hanc Juſſionem, aſſimulatam ſpeciem obtendere quiſquam poſſet; omnibus Communitatum, Univerſitatum, & Populorum, quarumcumque Civitatum, *Ibid. ut ſup.*
Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum,
B & Locorum S. R. E. mediatè, vel immediatè ſubjectis hominibus, diſtrictè præcepit, ut ſtatim, ac præfatæ Literæ, aut earum tranſumptum, typis impreſſum ad eos perveniſſet; convocato eorum publico Conſilio, coram Officialibus, Sindicis, curamque maleficiorum habentibus, eas ibi altè, & intelligibilitèr, vulgari ſermone, ut meliùs, & faciliùs ab omnibus intelligi poſſent, legere facerent; deindè, ut in eorum publico Archivo diligentèr illas cuſto-
C dire deberent; ac demùm, quod ſucceſſivis ſingulis annis, in cujuſlibet anni principio, perpetuis futuris temporibus, eaſdem Literas rurſus, in eorum item publico Conſilio, legendo reiterarent. Et hæc quidem hoc ipſo anno, Prid. non. Septembris ſancivit.

Quàm diſtrictè verò exequi curaverit hæc, quæ mandaverat, ex iis facilè colligi poſſe cognoſcitur, quæ apud Caracciam leguntur, atque hujuſmodi ſunt: (*Exules, qui ferè Romam confu-* CXXIII.
D *giebant, homines facinoroſos acerrimè perſequitur, nec illis patet ſuffugium aliquod, nè apud Patres quidem Cardinales. His igitur diebus, cùm delatum ad ipſum fuiſſet, exulem latere apud primarium quemdam Cardinalem, miſſis Lictoribus, comprehendi illum, ac duci in carcerem imperavit: quod imperium, tantum abſuit, ut Cardinalem offenderet, ut idem ipſe ſtudium omne, & ſedulitatem adhibuerit, ad inveſti-*
E *gandum exulem. Is igitur, cùm nuſquàm reperiretur, fugâ tamen vitavit periculum Dapifer Cardinalis, apud quem ferebatur latuiſſe, timens videlicet juſtam Pontificis indignationem*) Ita ibi.

Epiſt. apud Caracc. ſub die 26. Octobris hujus anni.

Apoſtolicas idcircò Literas Julii II., & Leonis X., contra Locorum Dominos, & Communitates, S. R. E. mediatè, vel immediatè ſubjectas, eorum Territoria non cuſtodientes, nè CXXIV.
ad

ad Urbem venientes, vel ex Urbe recedentes prædarentur, hoc anno, quart. decim. Kalen. Julii confirmavit, & ampliavit; Apoſtolicis itèm ſuis editis Literis, in quibus Prædeceſſorum Pontificum ſtatutis, iſta adiecta deprehenduntur. [*Et inſupèr*, (ipſius ſunt verba) *cum ejuſmodi furta, delicta, & derobationes fiant in ſylvis, nemoribus, latebris, & in locis occultis, & ſecretis, non adhibitis, nec præſentibus teſtibus, adeò quòd, ſine magna difficultate per ipſos ſpoliatos, & derobatos, furta, &* B *valor rerum ſubtractarum, & ablatarum probari non poſſint; ſtatuimus, & ordinamus, quòd, quoad probationem bonorum ſubtractorum, & eorum valorem, ſtetur declarationi Præſidentium, & Clericorum Cameræ Apoſtolicæ, qui diligenter conſiderata qualitate perſonarum ſpoliatarum, & derobatarum, expoſita quantitate furtorum, & aliis circumſtantiis, & conjecturis, recepto juramento ipſarum perſonarum derobatarum, ſeù Mercatorum, quorum bona* C *ablata exiſtebant, (ſuper quibus præfatorum Præſidentium, & Clericorum conſcientiam oneramus) furtum, & ejus valorem declarare debeant; & quòd derobatio, ſeù furtum in Confinibus diverſorum Territoriorum, diverſarum Communitatum, ſeù dominiorum, vel juxtà ejuſmodi confines derobatus, contra Dominum Territoriorum prædictorum, aut Communitatum, quam, & quem elegerit ad recuperationem rerum ſibi ablatarum, agere poſſit, & valeat,* D *ab actione, quam ipſe derobatus intentaverit diſcedere, ſi ei placuerit, & contra alium agere licitè poſſit (cum Domini confinium prædictorum, illos non cuſtodiendo, in præmiſſis culpa non careant) reſervato tamen ſolventi jure agendi contra conterminos. Et, ut, quantùm fieri poteſt, occaſio craſſandi, & derobandi ſublata eſſe videatur &c. præcipimus, & mandamus, ſub duorum millium ducatorum, Cameræ Apoſtolicæ* E *applican. pœnis, ſimilibus omnibus, & ſingulis antedictis, nè Fures, Latrones, & Craſſatores in ſylvis, & ſepibus latibula faciant, nec ibi ſe abſcondere poſſint, ut propè Vias publicas, utrinque ad medium milliare, arbores, & ſepes, & quæcumque latibula incidere, ſeù incidi, ac amovere, ſeù amoveri, & extirpari facere, infra duos menſes, à die publicationis præſentium, compu-*

Extat.inter Conſtit. Pii ſeorſim impreſ.pag.32. & ſeq.

A *tandos, & ſic inciſas conſervare, & manutenere omninò teneantur, & debeant &c.*)

CXXV. Sic ille, juſtiſſimo ſtudio, ità incubuit, nè viatoribus, à Craſſatoribus, & Latronibus præfatis vis aliqua, aut injuria inferretur; quòd non tantùm acres, quas prædiximus, pœnas in eos ſtatuit, & in Principes viros, ac populos, qui fines ſuos à Latronibus non cuſtodiſſent: quin inſuper decreverit, quòd, ſi quis in Via ſpoliatus exindè fuiſſet, Locorum, in quibus latrocinium commiſſum eſſet, vel Domini, vel incolæ damna omninò reſarcire cogerentur; quod quidem in Picæno, ut refert Gabutius, contigit. Cujuſdam enim ibi Caſtelli homines, cùm, ad ſarcienda patrati, apud ſe, latrocinii, detrimenta, compellerentur, Pontificique, ut decreti ſeveritatem remitteret, ſubmiſsè ſupplicaſſent; non modò nihil impetrarunt, ſed illud etiam reſponſum retulere; niſi majore diligentia, ac ſtudio fines ſuos tuerentur, fore, ut majore quoque pecunia, jacturas hominum impoſterùm compenſarent. Hanc autèm Conſtitutionem, qui Pio ſucceſſerunt Pontifices, innovaſſe, & confirmaſſe, ſed præcipuè Xiſtum Quintum, ſuo loco dicendum erit.

Gabut. Vit. Pii lib. 1. cap.14.

CXXVI. Incaſſum tamèn operam dediſſet Pontifex, ut hujuſmodi hominum ſpinas, ac tribulos, uti optaverat, omninò convelleret, niſi finitimorum Principum ſtudia in ſuam eamdem ſententiam convertiſſet. Non modò igitur, nefarios, ac ſceleſtos homines è Regno Neapolitano extorres, nulla ratione in Eccleſiaſtica Ditione poſſe conſiſtere paſſus eſt; verùm etiam cum Catholico Rege, & Etruriæ Duce, inito pacto, ut ji, cujuſvis eſſent juris, & ſivè in Pontificio, ſivè in Neapolitano, ſeù in Etruria caperentur, ſibi invicem in vinculis puniendi traderentur; perditiſſimis hominibus ipſis ubique locorum ſubſidendi, aditum omnem præcluſit. Extat adhuc Apoſtolicum Pii diploma, quod pactum hujuſmodi cum Prorege Neapolitano fœdus recenſet, & in eo, quæ Pontificem ad ipſum ineundum impulere, his verbis referuntnr. (*Romanus Pontifex, in ſupremo Juſtitiæ Throno, Divina diſponente Clementia, conſtitutus, inter multiplices ſollicitudines, & curas, quibus aſſiduè premitur, ſuæ vigilantiæ ſtudium circa ea adhi-*

Extat. int. Pii Conſtit. pag.4.

adhibere potiſſimùm debet, per quæ Statum, ac Ditionem Eccleſiaſticam facinoroſis, ac ſceleſtis hominibus purgatum reddat; ſubditique ſui, ac S. R. E. devoti, ac peculiares Filii, cæterique omnes Chriſtifideles, in eo, pro tempore degentes, pacificè, & quietè vivere poſſint. Idcircò animadvertentes, quòd ſi Malefactores, Sceleſti, Sicarii, aliique diverſorum capitalium criminum rei, tàm Vaſſalli, ac Subditi noſtri, & dictæ Sedis Apoſtolicæ, quàm Sereniſſimi Regis Catholici, jure Regni Neapolis, tutum aliquod refugium non haberint, neque ſpem aliquam, ſalvos conductus, fidantias, aut aſſecurationes ab aliquo conſequendi, aut ſe ipſos in aliquem locum tutò recipiendi, prout in præſentiarum (ſicut accepimus) habent, tot, ac tàm immania ſcelera, & delicta non perpetrarentur, nec tàm magna eſſet ſceleratorum hominum multitudo: Volentes propterea Nos, pro noſtri Paſtoralis Officii munere, & Dilectus Filius, Nobilis Vir Perafrannus, Alcalæ Dux, ac Prorex, & Locumtenens Generalis, ſuæ Catholicæ Majeſtatis, in Regno Neapolis, opportunè providere, nè adeò frequentia delicta, tàm à noſtris, quàm dicti Regni hominibus, & incolis committantur, ac pro tempore commiſſa puniantur, debitiſque pœnis eorum Authores afficiantur, neque ſpem aliquam juſtitiæ laqueos effugiendi, aut ad aliquem locum tutum ſe recipiendi habeant &c. per has noſtras, in forma Brevis, Literas ſpecialiùs, & enixiùs, authoritate Apoſtolica prohibemus omnibus, & ſingulis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus &c., & præſertim moderno, & pro tempore exiſtenti Gubernatori Civitatis noſtræ Beneventanæ, ut ab eis, vel eorum aliquo, poſthac, in Civitatibus Terris, & Locis noſtris, & dictæ Sedis Apoſtolicæ, aliqui Hæretici, Rebelles, Sacrilegi, Falſarii, Monetarii, Raptores, pacis violatores, Latrones, Aſſaſſini, aut Homicidæ à Regno Neapolitano Banniti, & exules, modo aliquo, tacitè, vel expreſsè recipiantur, aſſecurentur, vel tuti fiant. Quinimò, ſi talia, ut præmittitur, crimina in dicto Regno Neapolis, & illius Locis, & Terris patrantes, ad noſtra, & dictæ Sedis Apoſtolicæ Loca, & præſertìm ad dictam Civitatem noſtram Beneventi, & ejus Comitatum pervenire contigerit, aut

A *ibi eos reperiri; ab iiſdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus &c. capi, detineri, & carceribus mancipari volumus, & mandamus, ac eiſdem Proregi, vel Officialibus, & Miniſtris, ſeù ad omnem ipſius, vel eorumdem Miniſtrorum ſuorum requiſitionem captivos factos, liberè, & ſimpliciter remitti, non captos, capi, detineri, & remicti, quicumque illi fuerint, aut qualitercumque graduati, Nobiles, vel Barones. Mandantes eiſdem Legatis, Vicelegatis* B *&c. ut, ſi quas fidantias, ſalvos conductus, aut ſecuritates hactenùs fecerint, illos, & illas revocent, & annullent, prout Nos, præſentium tenore, quas poſt decimum, à die publicationis earamdem, diem, ſuum effectum ſortiri volumus, revocamus; & annullamus, nulliuſque effectus roboris, vel momenti eſſe volumus, & mandamus. Decernentes inſupèr, quòd, ſi contigerit, aliquem ex Terris, & Locis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis oriundum, vel incolam, in* C *præfato Regno Neapolis, vel illius Terris, & Locis delictum aliquod committere; illum ab Officialibus, & Miniſtris noſtris puniri, & plecti poſſe, non ſecùs, ac ſi delictum ipſam in noſtris, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Terris, & Locis immediatè ſubjectis commiſiſſet. Et nè talia patrantes crimina, Juſtitiæ laqueos effugere poſſint, volumus, & decernimus, quòd Officiales, & Miniſtri ejuſdem Proregis criminoſos, & delinquentes præfatos, ut præfertur, bannitos,* D *& exules inſequentes, & perſequentes intra fines, & Territorium Status noſtri Eccleſiaſtici, per ſpatium decem milliarium, in Villis, Caſalibus, & Terris, quæ tamen muris circumdatæ non ſint, & aliis Locis campeſtribus, non tamen Civitatibus, inſequi, quærere capere, & captivos captos ſecum ducere, liberè, & ſecurè valeant. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis Magiſtratibus, Officialibus, ac Populis, & particularibus perſonis, Nobis, & dictæ* E *Eccleſiæ ſubjectis, ut Miniſtris, & Officialibus ipſius Proregis, circa præmiſſa exequenda, omnem favorem, & auxilium præbeant.*

Hæc autèm omnia eò libentiùs fecimus, & decrevimus, quia idem Prorex per ſuas literas, Nobis, per dilectum Filium Ferdinandum de Torres, Secretarium noſtrum de numero participantium, & cui ipſius Regni negotiorum ſpe-

ſpecialis cura imminet, ſignificari fecit, eunċta ſuperiùs expreſſa viceverſa in diċto Regno à ſuis Miniſtris, & Officialibus paritèr obſervari ſtatuet, & decernet. Quæ cum ſtatuta, & decreta fuerint, hæc illa inviolabilitèr ab omnibus Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus &c. obſervari volumus, & mandamus ſub noſtræ indignationis pœna. Non obſtantibus præmiſſis &c. Datum Romæ apud Sanċtum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die prima Februarii, Pontificatus noſtri anno Primo.

B

Ibid. In calce autem Conſtitutionis, vernaculo Sermone hæc appoſita leguntur [*Et quia præfatus Prorex Neapolis jam Decrecum, noſtro huic Brevi conſonum, toto eodem Regno vulgavit; ideò quilibet Miniſtrorum, & Officialium noſtrorum, & Sanċtæ Romanæ Eccleſiæ, quod in eodem Brevi præceptum eſt, ſtacim exequi non prætermittat*) Promulgatione verò latam hanc legem, quarto Id. Martii ibidem dicitur.

C

CXXVII. Quàm neceſſariò verò has leges Pius tulerit, omniaque ſtudia adhibuerit, ut hujuſmodi ſceleratorum hominum auſus comprimeret; ex his facilè agnoſcitur, quæ Natalis Comes hoc tempore accidiſſe his verbis narrat: *Romæ nunciatur, exules, qui multa damna Aſculo inculerant, adeò creviſſe, adeòque auċtam eſſe illorum audaciam, propter impunitatem, uc multa Caſtella occupaverint, quæ cædibus, & direptionibus populati eſſent, nàm multi malefici homines, vel non exules, ſpe prædæ, in exulum Caſtra quotidie accedebant. Illud malum, nè diuciùs ſerperet laciùs, Vir ſtrenuus, & rerum bellicarum peritiſſimus, Torquatus Comes, Civis Romanus miſſus eſt, cum ſummo imperio illius expeditionis, ad eam peſtem convellendam. Torquatus, colleċtis 1500. peditibus, & non parva ala leviorum Equitum, contendit ad frænandam exulum temeritatem, Regionemque liberandam. Et cum copiis profeċtus, incredibili celeritate res exulum affligit, minutis præliis pugnatur, in anguſtum reducit; commiſſo cum his prælio, partim trucidat, partim cogit ſalutem ſibi fuga procurare, & in longinquas regiones confugere: ſic non modò metu regionem liberat, verùm eciam omnem ſpem reditus exulibus intercludit: omnem incolarum moleſtiam dele-*

Natalis Comes Hiſtor. ut ſup.

D

E

A *vit*). Sic ille: Ad hujuſmodi inſupèr facinoroſos homines, è Samnitum finibus exturbandos, Neapolis Proregem, Petrum Antonium Panſam, Virum ſtrenuum, Pii abſque dubio hortatu, miſiſſe, tradit Campana.

Campana Vit. Philippi II. tom. 2. lib. 18.

His omnibus, quibus de medio tritici peſtilentiſſima hominum zizania optimus Paterfamilias evellere ſtuduit, addendum eſt, ut refert Gabutius, quod exulum patrocinia, niſi priùs ji ſe in carcere conſtituiſſent, in Judicio ſuſcipi prohibuerit. Verùm, tempus, quo id ſtatuerit, ſilentio præterit, licèt ad præſens, jure adſcribi poſſe, non irrationabilitèr exiſtimetur.

Nec ſic tamen, in perfidos homines adeò ſevera jura Pius exercuit, ut miſericordiæ oblivìſceretur, ut Thuanus, aliique, commentitiis ſuis in hiſtoriis, retulere; ſed potiùs ità lenitatem cum ſeveritate miſcuiſſe, ut neque multa aſperitate ipſi perverſi exulcerarentur, neque nimia benignitate in deterius ſolverentur, quæ hoc ipſo tempore ſanxit manifeſtè declarant. Cum enim Pius IV., ad exceſſus, & crimina, quæ in dies patrari contigerat, compeſcenda, per quaſdam ſuas, in forma Motus proprii editas Literas, inter alia ſtatuiſſet, quòd, in Cauſa treguarum, & Pacis fraċtarum, fraċtores ipſi, vel eorum Fidejuſſores allegare nequirent, quod ex nova cauſa eadem fraċtio proceſſiſſet, itaùt recens allegata offenſa cuique minimè ſuffragaretur: & inſuper quòd in Cauſis mixtis, inter Judicem Eccleſiaſticum, & Laicum, præventioni locus eſſet; ità tamen quòd Eccleſiaſticus Judex, in præventionis caſu contra Laicum procedere nequiret, ſed illum ad Laicum Judicem remittere teneretur: hanc, & alteram Prædeceſſoris Legem Pius abrogandam duxit, quòad præventionem, edicens, inter Eccleſiaſticum, & Laicum Judicem, illam habere tantummodò locum velle, quæ ante præfatum Motum proprium obtinuerat; ipſamque inter primos Juris terminos, juxta ejuſdem Juris, & Sacrorum Concilii Tridentini decretorum formam coërcuit. Quoad aliud verò (*Conſiderantes, inquit, à ratione, & jure debito alienum eſſe, eos, qui criminis innoxii fuerint, eorumque fidejuſſores, ſi creguæ, pax, ſeù fidejuſſiones de non offendendo, poſteà ex nova emer-*

CXXVIII.

Extat in Bullar. Conſtit. in.

emergente occaſione fractæ fuerint, earum occaſione gravari debere; cùm præcipuè paces, treguæ, ſeù fidejuſſiones hujuſmodi de non offendendo, non ad offenſionem de futuris cauſis, ſed ex præteritis tantùm oriantur; Literas præfatas, quòad præmiſſa revocantes, caſſantes etc. novam cauſam in pacis, treguarum, ſeù fidejuſſionum de non offendendo hujuſmodi factarum, ſeù faciendarum præſtitarum, ſeù præſtandarum, ſi ipſi aliquo modo, ſeù aliquis eorum in dictis fractionibus intervenerint, ſeù intervenerit; videlicèt, ſi aliquis ex dictis Principalibus, aliquem ex comprehenſis in pace, et tregua, ſeù fidejuſſione de non offendendo, offenderit, vel ipſe ab aliquo ex ipſis comprehenſis offendatur, non excuſare; Si verò ſupradicti Principales, ſeù aliquis eorum in fractione pacis, treguæ, ſeù fidejuſſionis hujuſmodi, ut ſupra non intervenerint, ſeù intervenerit, ipſos, eorumque conſanguineos, et fidejuſſores, cæteroſque in pace, et tregua, ſeù fidejuſſione de non offendendo comprehenſos, et quemlibet eorum novam cauſam hujuſmodi allegare poſſe, et ea probata excuſari debere, et quoquo modo gravari, perturbari, aut inquietari non poſſe, neque debere; idque tàm in Cauſis motis, & indeciſis pendentibus, quàm etiam finitis, & in quibus etiam pronunciatum fuit (dummodò ſententiæ deſupèr latæ totaliter non ſint executioni demandatæ) locum ſibi vindicare poſſe, & debere declaramus) Sed quod addit, miram prorsùs ejus in criminoſos miſericordiam, & pietatem oſtendit, ſubdit ſiquidèm (*Cumque etiam ſæpè contingat partes ipſas, contra quas in contumaciam procedi conſuevit, vel ità negotiorum mole gravari, vel ità longè abeſſe, ut ipſorum contumaciam, ſex menſium ſpatio hujuſmodi, expurgare minimè queant; terminum ſex menſium hujuſmodi ad annum prorogamus, ac Contumacibus hujuſmodi defenſiones, non niſi poſt anni elapſi terminum denegari debere; ac quaſcumque alitèr, quàm, ut prædiximus, ferendas ſententias, nullas, irritas, nulliuſque roboris, & momenti fore, & eſſe, prout Nos eas, ex nunc, tamquàm contra Juris debitum, & de facto, latas, annullamus. caſſamus, & irritamus.*]

CCXIX. Sed, quia Conſtitutionem hanc, duodecimo Kal. Julii hujus anni vulgatam, perperàm nonnulli interpretari auſi ſunt; ideò Pius, ut videbimus, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, aliis Literis, ſub die decima ſeptima Septembris datis, Pontificatus ſui anno ſexto, ipſam declarare coactus fuit. Præſenti verò anno, eas etiam ediſiſſe, quibus alteram ejuſdem Pii IV. Conſtitutionem mitigavit (qua appellationes admittendas non eſſe in criminalibus Cauſis, Fiſcum quomodolibèt concernentibus, in quibus reos fuiſſe contigerat, niſi priùs actuali depoſito pœnarum facto, in quibus ex delicto delinquentes ipſi, aut illi, qui pro eiſdem fidejuſſiſſent, vel ex contractu quoquo modo condemnandi venirent, aut eatenùs condemnati fuiſſent, diſtrictè præcipiebatur): præcipua ſuadet ea ſollicitudo, qua, hoc potiſſimùm tempore, omnem movere lapidem viſus eſt, vel, ut delinquentium audaciam, congrua ſeveritate comprimeret, vel, è contra, legum rigorem in reos, pia miſeratione mitigaret; Cum enim, ex præfato Pii IV. Decreto animadvertiſſet, quòd plurimi optimum Jus foventes, ob nimiam interdùm paupertatem, modum depoſiti faciendi non haberent, & ea de cauſa, remedio etiam appellationis privarentur; quapropter eorum idem bonum jus, quod in appellatione deducere potuiſſent, incognitum, & deperditum, quò præſertìm ad illos, qui crimen confeſſi minimè fuiſſent, remaneret. (*Nos*, (inquit), *more Pii Paſtoris, præmiſſis omnibus obviare volentes, nè appellationis remedium, ejuſque proſecutio pauperibus tolli uideatur, Motu ſimili &c. dictas Literas mitigantes, & reformantes, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ac perpetuò obſervari mandamus, quòd in ſimilibus Cauſis Fiſcalibus, & aliis, de quibus in Literis, & Motu proprio hujuſmodi ſit mentio; omnes, & ſingulæ appellationes, ac quæcumque deſupèr pro tempore præſentatæ, ac præſentandæ Commiſſiones, per Alexandrum* Riarium *modernum, & pro tempore exiſtentem Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditorem, tamquàm Judicem talium Appellationum, nec non per quemcumque alium Judicem hujuſmodi juriſdictionem habentem, admittant, ac recipiant, & admitti, ac recipi liberè, & licitè poſſint, valeant, ac debeant, illarumque vigo-*

Extat. in Bullar. Conſtit. 32. Pii Quarti licet &c.

Extat. in Bullar. Conſtit. 24. Pii Quinti.

*vigore quaſcumque inhibitiones, cita-
tiones, ſeu monitoria decernentes, &
alia facientes, in præmiſſis neceſſaria,
eiſdem Auditori noſtro, & Judicibus
præfatis, ad id juriſdictionem habenti-
bus, authoritatem damus, ac licentiam
impartimur; præſtita tamen priùs cau-
tione idonea per partem, ſeu partes ap-
pellantes, non tamen confeſſos, in forma
depoſiti, pro pœna, in qua comdemnatur
extitit, & ſeu reſpectivè de ſe reſtituen-
do in carcere, & ibidem remanendo, in
quacumque parte Judicii, & quatenùs
pars eſſet dives, facto priùs actuali de-
poſito, arbitrio Judicis ad quem. Quò
verò ad confeſſos, liceat Judici à quo,
non obſtantibus hujuſmodi appellationi-
bus, & inhibitionibus, & abſque ali-
quarum pœnarum incurſu, ad ulterio-
rem executionam, pro pœnæ hujuſmodi
conſecutione procedere &c.*] Iſta Pius,
ad ritè coarguenda Thuani, aliorumque
commenta, quibus, ità eum juſtitiam
amplexatum fuiſſe retulerunt, ut exa-
cta Juris obſervantia, plerumque inju-
riosè peccaret; & à Clementia abhor-
ruiſſe ſcripſere, ità tamen, ut feram,
& implacabilem naturam diſſimularet:
nàm, cùm multa de clementia honori-
ficè præfatus eſſet, poſtremò illam,
exacta nocentum caſtigatione, contineri
diceret. Nàm, ſi feri adeò ingenii Pius
extitiſſet, uti iſti ſomniarunt, non erat
certè, cur Prædeceſſorum Pontificum
ſeveriora ſtatuta temperaret, cùm, ut
eidem ſuo ingenio indulgeret, & inſi-
mul crudelitatis notam evaderet, ſer-
vari, quæ anteà ſancita fuerant præce-
piſſe, & incorrecta, ac inemendata di-
miſiſſe, quæ ferventiori ipſe ſtudio in-
ſequi meditabatur, ſat erat. Quo pactò
ſiquidem exactâ demùm Juris obſer-
vantiâ deliquiſſe dicendus eſt, qui Ju-
ris ſeveritatem mitigaſſe deprehendi-
tur? Clementiam verò, exactâ nocen-
tum caſtigatione, contineri, Pium di-
xiſſe, nullibi, præterquàm apud Thua-
num legimus, qui rudem fortè Cle-
mentiæ notitiam deſcriptionemque
hanc, Pio, præcipuâ doctrinâ prædito,
ſe adſcripſiſſe putavit, quòd, quid
Clementia eſſet, ipſe ignoraverit; No-
centes ſiquidem, uti ipſe dicit, debitis
affeciſſe ſuppliciis, (cùm præſertim
agnoſcitur, benignitatem, & iis ipſis,
quibus videbitur benignè fieri, & cœ-
teris obeſſe) inclementia non eſt; nàm,
cùm in ira, vel eum qui plus juſto, vel
A qui minùs iraſcitur, æquè errare fatea-
mur; Clementia, inter hujuſmodi ex- Ariſtotel. lib. 2. Ethic. & 4. Ethic.
trema, nil aliud, quàm quædam iræ
mediocritas meritò nuncupatur. Et
quidem, ſi ille, qui, quibus de rebus,
quibuſque hominibus decet, iraſcitur.
quique, quemadmodùm, quandò, &
quandiù decet, id facit, laudibus meri-
tò afficitur, eundemque, & clemen-
tem, & manſuetum appellare licet; cùm
hujuſmodi extitiſſe Pium, Thuanus ipſe
non diffiteri coactus fuerit, dùm, non
B prætèr, nec ultra Juris præſcripta, exa-
ctum judicium in nocentes exerceri
voluiſſe narrat; quis non videt, imme-
ritò eum, inclementem oſtendere vo-
luiſse? Peccaſſe enim in eam partem
ſignificare videtur, quæ modùm non
ſervat: verùm, qui exactè, intrà Ju-
ſtitiæ limites ſe continuit, nullatenùs
modum non ſervaſſe dicendum fuit.
Paratus quidem erat, Vir juſtus, &
pius, patienter malorum pravitatem
ſuſtinere, quos fieri bonos quærebat,
C & latis lenitatis, & manſuetudinis Le-
gibus, ut numerus bonorum creſceret,
ſtuduit: verumtamèn, ut pari malitia,
ſe quiſquam, pravorum eorumdem
numero non adiungeret, aliis etiam
legibus præcavit: nec caſtigare voluit,
ut præteriti cauſa criminis pœnas ſu-
meret, neque, ut, quod factum fue-
rat, infectum reddere exiſtimaret; ſed
futuri gratia, nè denuò delinqueret,
vel hic ipſe, vel alii, qui debitas ipſum
ſubjiſſe pœnas vidiſsent. Qui igitur,
D & lenitatis, & ſeveritatis Leges dedit,
& inter utraque extrema, innocentèr
inceſſit; quomodò Clemens non fuit,
ſi, nonniſi Clementiæ medium ſerva-
vit?

Nec tantùm verbis, ſeverioris CXXX.
judicii temperaſſe Pium acerbitatem,
& Clementiam commendaſse, ſed etiam
facto; quæ Thuanus ipſe adeò non
ignoravit, ut nèc ſilentio præterire
auſus fuerit, manifeſtè declarant. Rem,
paucis comprehendere duximus, eo
E quòd innumeri penè Scriptores proli-
xiori jam ſtylo ſint proſequuti; nec
aliis quàm Gabutii, fide digniſſimi
Scriptoris, verbis [*A Caraffis* (dicit Gabut. Vit. Pii lib. 6. cap. 6.
igitur) *rogatus Pius, ut Cauſam ſuorum,
in quos tamquàm de Republica malè me-
ritos, Pius IV. animadverterat, ad Ju-
ris cognitionem revocaret, atque repe-
tito Judicio, qui ſuperſtites eſſent, in
priſtinum ſtatum reſtitueret; non recu-
ſavit.*

A *ſavit. De his igitur Judicio conſtituto, Viriſque Juriſprudentia, & integritate præſtantibus in conſilium adhibitis, rerum omnium momenea, nè falleretur, Ipſemee inſpicere, Cauſamque in Sacro Senatu referri, decernique voluit; In quo, rebus ſingulis ritè circumſpectis, graviſſima Pontificis Patrumque ſententia, Caraſæ ſunt in priſtinam dignitaeem, & locum legitimè reſtituti: non quòd eorum, qui malè ſe geſſiſſent acta probare, aut legitimum* B *ſuperioris Pontificis Judicium reprobare, vel reſcindere cogitaret; ſed quòd, pro varietate probationum, ac temporum, ut ſæpè accidit, variè quandoque judicare, clariſſimæque Gentis honori, ſalvis Legibus, conſulere, æquum eſſe arbitraretur*] Hæc ille, quibus addenda, quæ Hieronymus Catena adnotavit; quòd nempè, priuſquàm Pius pergratum Carafis faceret, ut denuò ipſorum Cauſa, uti poſtulaverant, judiciali examini ſubderetur; ipſos illũ ſeriò C admonuiſſe, quòd rem benè perſpectam haberent, antequàm judicium ipſum ſubirent; nàm, ſi minimè innocentes, uti ſe eſſe confidebant, deprehenſi fuiſſent, diſtrictiùs ſe in eos, iuxtà Leges, animadverſurum ſcirent. Et hæc, ad refellenda quorumdam Scriptorum commenta, qui, cum pleroſque Judices, qui Carafarum condemnationi interfuere, mutata ſententia, eorumdem poſtmodùm abſolutioni aſsentitos fuiſſe referant; venali propemodùm judi- D cio in gratiam Pii V., eos abſolviſse, quos, ut Pio IV. gratificarent, damnaverant, putarunt. Nàm ex allatis ſanè conſtare arbitramur, quòd, cum novo Judicio Carafas, ſubdidit Pius, non gratiam, quam ſine quorumcumque Judicum medio, ſolus eis præſtare poterat, ſed innocentiam duntaxat, & veritatem præ oculis habuiſse; eò magis, quod Judicibus, qui antea judicaverant, & in Carafas pronunciaverant, alios, qui eadem authoritate, ſeù etiam E ampliori, innocentes renunciarent, ſufficere potuiſset, ſi, non quod juſtum, & rectum, ſed quod uni ſibi arriſiſset, ipſos decernere voluiſset. Verùm nil horum à Pii ingenio, ac integritate magis alienum. Ab ipſiſmet Judicibus, qui cauſam eam judicaverant, judicari denuò voluit, ut rursùs damnarent, quos anteà damnaverant, ſi eos damnationi obnoxios judicaſsent; re melius explorata, ſapientèr conſilium mutarunt, undè ipſorum integritas comprobatur. Ut Pontifici aſsentarentur, in quam potiſſimùm partem deflectere oporteret, ipſimet ignorarunt; nàm, cùm Pius, ubi rursùs judicium iſtud aggreſſi ſunt, nil niſi juſtitiam, & veritatem ſpectatam habuerit, & æquè ad miſericordiam, & juſtitiam pronum ſe oſtenderit; ineptum eſt procul dubiò, ad earum alteram, ut ejus genio, qui eos latebat, aſsenti- B rentur, ſententiam Judices applicuiſse, exiſtimaſse.

Caten. Vit. Pii pag. 130

CXXXI. Ex more tamèn, in hac Cauſa, Judicium paritèr, & Miſericordiam ſectatum fuiſse Pontificem ipſum, teſtatur Natalis Comes de his agens (*Condemnationem*, (dicit enim) *Caraſorum reſcindit; revocat, quæ adversùs illos à Pio IV. facta fuerant. Jubet Caraſica inſignia erigi, ubi fuerane devaſtaea, imperat revocationem fieri ſententiæ, & condemnationis, ſed ex ea parte tan-* C *tùm, qua videbatur infamia in innocentes, aut poſteros redundare, quam ſuam ſententiam jubet in marmore inciſam, publicè exponi. Quod quidem rectè fieri viſum eſt, à tàm pio Pontifice præſertim; Non enim fieri poteſt, ut in ampla quamvis, & nobiliſſima Familia omnes ſint Viri boni, neque tamèn convenit, ſceleſtorum errores, in viros bonos Carafas immeritos redundare; cùm fieri poſſit in unaquaque Familia, ut multi ſint viri Illuſtres, quorum ſplen-* D *dorem, & gloriam unus impurus non poteſt obſcurare*] Hactenùs ille.

Natalis Comes Hiſtor.

CXXXII. Cœterùm, non tàm erga innocentes ſe juſtum præbuiſse, ut à falsò illatis criminibus eos abſolveret, vel inflictas immeritò pœnas temperaret; ſed inſuper gratum, eò quod à Paulo IV. ejuſdem gentis Pontifice, ad honores perductus fuiſset, nec Thuanus, nec obtrectatores alii, ei ſimiles ſilentio diſſimulare potuerunt. In hoc verò, nec præcipiti ſe conſilio geſſit, nec in- E cautè; ſed collata in ſe à Carafis beneficia, in Carafarum dumtaxàt eos rependit, quos illis dignos cenſuit, ut præfatus Gabutius his verbis refert: (*At licèt ex ea Gente non deeſſent alii, Paulo Pontifici conjuncti ſanguine; ex omnibus tamen unum elegit Antonium Caraſam, Reginaldi filium, utpotè Virum ſpectatæ virtutis, ac multiplicis eruditionis laudibus inſignem; quem pri-*

Gabut. ut ſup.

primò intimum ſibi Cubicularium, mox in ampliſſimum Cardinalium Ordinem adſcivit. Quo facto, & ab Hiſpaniarum Rege Philippo, & à cæteris bonis omnibus, magnam Pius gratiam inivit. Eum porrò, nec ita multò poſt ſignandorum ſupplicum libellorum muneri, (Gratiæ Signaturam appellant) ſua ſponte præfecit. Quod ille munus, etſi pro modeſtia ſua recuſabat, eo tamen, ut fungeretur Pius imperavit] Ità Gabutius. A

CXXXIII. Carafis igitur fama, tituli, honores, bona reſtituta; & quidem ſine cujuſvis alterius noxa, ut Thuanus calumniari voluiſse viſus eſt: Cum enim (ſcribit) Balnei Comes antiquas poſſeſſiones, Antonio Carafæ olim Montisbelli Marchioni, à Paulo IV. attributas, tempore interregni recuperaſſet; ob idque a Pio IV. moleſta lite diù vexatus, ac poſtremò Romam citatus, & in carcerem conjectus, rurſus, tempore ultimi interegni evaſiſset; veritus modò, nè, ob id, contra ſe, tamquàm contumacem ſententia ferretur, & Antonius Carafa in poſſeſſionem controverſorum locorum reſtitueretur; cum eo tranſigere coactus eſt, interventu Cardinalis Columnæ, & decem millibus aureorum eam moleſtiam redemit. Sic Thuanus. Verùm Hadrianus, hujus narrationis aliquid immutare videtur, nàm optimam Pii mentem erga Balnei Comitem oſtendens, dicit, modum non potuiſse excogitari, quo Pontifex Oppida eidem, ut fortè optabat, reſtitueret, niſi in carcerem, ex quo aufugerat, ſe denuò conſtituiſset, ſeque ſceleribus, quæ ei adſcribebantur, purgaſset; cujuſvis interceſſione, aut precibus poſthabitis, cum juſtitiæ limites nullatenùs Pius ipſe prætergredi vellet: additque, coràm Cameræ Apoſtolicæ Auditore, intentata tandem civiliter lite, pro Carafa ſententia lata, controverſorum Oppidorum poſſeſſionem hunc obtinuiſse; cui tamen ceſſit, decem millium aureorum ſumptu, quo tantùm à Balnei Comite, Carafa idem contentus fuit. Ex quibus educitur, vim nullam prorſus Pium adhibuiſse, cum Comite ipſo, ut Carafis gratificaretur, ſed potiùs, Juris ordine ſervato, cuncta procedere ſtuduiſse; nàm, cùm, completo tantùm judicio, Carafa, & Comes inter ſe contraxerint; hinc procul dubiò ſequitur, in ipſo ju-

Thuan. Hiſtor.

In Bapt. Hadrian. lib. 19. Hiſtor. ſub anno 1566.

dicio moleſtiam, decem millibus aureorum, Comitem minimè redimere fuiſse compulſum, ut falsò Thuanus viſus eſt aſserere voluiſse.

CXXXIV. Et reverà optimam Pii mentem erga illum, præ aliis, ipſius Pontificis oſtendunt Literæ, ſub hujus anni initium, ad Maximilianum Imperatorem ſcriptæ. Is enixè obſecraverat Pium, pro Comite Polidoro Caſtello, & præfato Balnei Comite, ut eorum alteri Caprariæ Oppidum, in Bononienſi agro ſitum, quod Apoſtolicæ Cameræ devolutum erat, reſtitueretur; alterum verò, ut in gratiam reciperet, & ab adverſariis oppreſſum iri non permitteret, liberumque domum abire vellet. Primum enim, quòd de Sedis Apoſtolicæ feudali Jure ageretur, Pius penitùs facere detrectavit; in altero verò, ut Maximiliano gratificaretur, ſalva juſtitia, promptum, paratumque ſe exhibuit, factoque, quod potuit, perfecit. Cœſaris epiſtolæ, ab ipſo originali excerptæ ad Pium, hujuſmodi fuerunt.

[Beatiſſime in Chriſto Pater Domine Reverendiſſime. CXXXV.

Ex Cartas

Poſt officioſiſſimam commendationem, filialis obedientiæ continuum incrementum. Cum præclaræ virtutes Comitis Polidori Caſtelli Bononien., à quibus haud vulgariter Nobis commendatus eſt, & fidelia, atque promptiſſima obſequia, quæ exhibet Sereniſſimæ, & Chariſſimæ Sorori noſtræ Principi Florentiæ, eum benigno favore, & Cæſarea gratia noſtra, cùm primis, dignum reddant: non potuimus equidem omittere, quin illum Sanctitati Veſtræ, hiſce literis, de meliori nota commendaremus, prout ſummoperè commendatum eſſe cupimus; Sanctitatem Veſtram enixè orantes, ut illi, hujus noſtræ ſtudioſiſſimæ interceſſionis cauſa, ad teſtificandam paternam ſuam erga nos voluntatem, mandet, integrè, & quamprimùm reſtitui Comitatum de Caprara, in agro Bononienſi ſitum, cujus poſſeſſione paulò ante obitum felic. record. Pii IV. Pontificis Maximi privatus eſſe dicitur: cum aſſerat, nihil ſeſe commeruiſſe, quamobrem tàm graviter puniri, & fortunis mulctari debuerit. Qua in re, ſi S.V. Nobis paternè gratificabitur, ſicuti nobis de Sanctitatis Veſtræ pietate, & ſummo in nos

nos amore planè pollicemur, experietur: nos quoque viciſſim nullam occaſionem prætermiſſuros, Sanctitatem Veſtram mutuis filialis obſequii noſtri ſtudiis demerendi. Datum in noſtra Imperiali Civitate Auguſta Vindelicorum, die decima octava Februarii. Anno Domini 1566. Regnorum noſtrorum, Romani quarto', Hungarici tertio, Bohemiæ verò decimo octavo. A

E. S. V.

Obſequens Filius.
Maximilianus.] B

CXXXVI. Alia pro Comite Balnei.

Ex eodem Arch. ut ſupra.

[Beatiſſime in Christo Pater Domine Reverendiſſime.

Poſt officioſiſsimam commendationem filialis obedientiæ continuum incrementum. Singulari equidem benignitate proſequimur Comitem Joannem Franciſcum de Bagno, propter eximiam ejus erga nos obſervantiam, & cultum, C *& præclaras animi dotes, quem, cum intelleximus iſthic Romæ, à ſuis adverſariis omni perſecutionis, & injuriæ, ac violentiarum genere oppugnari, atque in extremum fortunarum, & ſalutis diſcrimen adduci; magnam profectò moleſtiam indè cæpimus, neque intermittendum duximus, quin mox, datis ad Sanctitatem Veſtram literis, hominis illius, quem, ut virum honeſtum, & probum, noſtri ſtudioſiſsimum, favore, & gratia noſtra cum primis dignum ju-* D *dicamus, benignum patrocinium ſuſciperemus. Atque idcircò Sanctitati Veſtræ illum ſummoperè commendamus, enixè orantes, ut ne patiatur illum ab inimicis ſuis prorsùs opprimi; neque etiam S.V. quicquam gravius, aut inclementius in illum ſtatuat, ſed potiùs paterna ſua gratia complectatur, ſalvumque, & incolumem cum bona S. V. venia, ad ſuos, domum redire permittat, quò in futurum, ex benignitate, &* E *clementia S. V. quietè, pacificè, & abſque moleſtia vivere poſsit; atque hanc noſtram, non vulgarem interceſsionem ſibi magno uſui fuiſſe intelligat. In quo Sanctitas Veſtra faciet rem paterno ſuo in Nos amori valdè conſentaneam, quam erga Sanctitatem Veſtram mutuis filialis obſervantiæ officiis promereri ſtudebimus, Deum orantes, ut Sanctitatem Veſtram, pro beneficio Eccleſiæ ſuæ, quàm diutiſsimè conſervet incolumem*. Datum in noſtra Imperiali Civitate Auguſta Vindelicorum, die decima octava Februarii. Anno Domini 1566. Regnorum noſtrorum, Romani quarto, Hungarici tertio, Bohemiæ verò decimo octavo.

E. S. V.

Obſequens Filius.
Maximilianus)

His Literis, hujuſmodi Pontifex reſponſum dedit.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Maximiliano Vngariæ, & Bohemiæ Regi, in Romanorum Imperatorem electo. CXXXVII.

Ex Archiv. Vatic. Brev. Pii V. Cod. 1906. fign.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter.

Binas M. T. Literas accepimus, ambas decimo octavo Februarii datas, unis commendavit Polidorum Caſtellum Civem Bononienſem, alteris Franciſcum de Bagno. Perſuaſum hoc M. T. eſſe cupimus, Chariſſime fili, ea Nos benignitate cognituros deſideria tua, ut illis etiam ſatisfacere cupiamus, ſi modò noſtra, & hujus Sanctæ Sedis dignitas, & æquitas patietur. Certum autèm habemus, nè M. quidem Tuam quicquam, aliorum cauſâ, à nobis impetrare velle, niſi quod æquum, & honeſtum fuerit; hoc eſt, & Ipſa, & Nobis dignum. Quod ad Polidori Caſtelli negotium attinet, ſi Comitatus ille in noſtro patrimonio eſſet, libentèr, & ſine ulla cunctatione M. Tuæ gratificaremur; ſed cùm agatur de Jure Sedis Apoſtolicæ, cujus Patrimonium, & Jura tueri, ac conſervare debemus, non poſſumus, ſalva fide, & conſcientia noſtra, quidquam de ipſius Sedis Jure alteri remittere. Illud confirmamus, eam Cauſam, proùt juſtum fuerit, deciſum iri. Ità enim S. R. E. Jura tueri volumus, & debemus, ut nemini injuriam fieri patiamur. De altera Cauſa, quam M. T. commendavit, ea quoque res nunc à Judicibus, quibus mandata fuit, recognoſcitur, maturè, & Juris ordine ſervato, in ea procedetur. Quidquid proponendum Franciſcus à Bagno curabit, diligentèr audietur, cùm verò ea res cognita fuerit, & quid veritas, & Juris ratio poſtulet apparuerit, tùm operam dabi-

dabimus, ut Franciſcus quantum M. T. commendatio ſibi profuerit, intelligat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Martii 1566. Pontificatus noſtri anno primo.) A

CXXXVIII. Nec defuit, ut innuimus, his, quæ pollicitus eſt optimus Pontifex; Cùm enim Comiti à Balneo duo illata eſſent; aliud, quo plurimorum facinorum reus inſimulabatur; aliud verò, quo ejus bona, Jure à quibuſdam repetebantur: horum in primo gratificatus eſt Comiti, quem falsò fortè accuſatum deprehendit; nàm de illo pœnam aliquam ſumpſiſſe, apud Scriptores reperire non eſt; in altero verò, in quo de re aliena agebatur, ut unicuique Jus ſuum tribueretur, quod juſtum fuit decerni voluit. Antonio Carafæ igitur, ut diximus, adiudicata ſunt Comitis de Balneo bona; à quo tamen Cardinalis Columna, ejuſdem Comitis conſobrinus, decem millium ſcutorum pretio, quæ Florentiæ Princeps ſubminiſtravit, illa redemit; eà tamen lege, ut Hadrianus narrat, quòd bona ipſa cuicumque libuiſſet, tradere poſſet, exceptis tamen magnis Principibus, id præcipiente Pontifice, ſine cujus voluntate id fieri nequierat; nè, videlicèt, vel Urbini Dux, qui eiſdem bonis inhiabat, nec alius ei ſimilis, ſibi vindicare illa poſſet. B C

Hadrian. Hiſtor. lib. 18. ſub an. 1564 pag. 1100., & lib. 19. ſub an. 1566 pag. 13. 50.

CXXXIX. Sed, quod præ omnibus comprobat æquitatis, & Juris Pontificem limites non exceſſiſſe, ut gratum ſe Caraſis præberet; & quod in cunctis miſericordem unà, ac juſtum ſe exhibuit, procul dubiò eſt Apoſtolicum Diploma illud, quod inter Conſtitutiones habetur, in quo ſic loquitur. D

(Motu proprio &c.

Extat inter Pii Conſtit. ſeorſim impreſ. pag. 20

NUpèr volentes indemnitati Creditorum quondam Caroli Caraſæ, Alphonſi Neapolitani Cardinalium, & Joannis Ducis Paliani, de opportuno Juris remedio providere. Dilecto Filio Alexandro Riario, noſtro, & Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori dedimus in mandatis, ut omnia, & ſingula bona, ad præfatos quondam Cardinalei; & Ducem ſpectantia, colligeret, deponeret, & mox de illorum pretio, veris, & legitimis creditoribus, juxta eorum prioritatem ſatisfaceret. Cùm autem dictus Auditor in exequutione hujuſmodi voluntatis noſtræ, publicè proclamatæ dixeris, ut infra certum præfixum terminum omnia, & ſingula bona præfata, penes quoſcumque, à die detentionis eorumdem Cardinalium, & Ducis exiſtentia, certis modo, & forma penes dilectum Filium Joannem Baptiſtam Altovitum Depoſitarium, ad hoc ab eo, etiam de conſenſu noſtro, deputatum, conſignarentur. Cui Edicto, licèt aliqui paruerint, tamen multò plures hactenùs parere neglexerunt, ſub prætextu, quòd bona hujuſmodi penès eos, vel vigore mandatorum, tunc exiſten. Almæ Urbis Gubernatoris, occaſione regaliarum, bonorantiarum, vel mercedis pro cuſtodiendis, & curandis eiſdem bonis, vel emptionis, vigore ſubhaſtationis, tunc de illis factæ; alii etiam titulo ſubrogationis in Juribus Cameræ Apoſtolicæ, & donationis eorumdem bonorum, vel aliis diverſis de cauſis penès ſe eſſe, & proptered minimè ad illorum exhibitionem ſe teneri prætendant; & proptered iidem dilecti Filii creditores, ſe facilè deludi poſſe conqueſti fuerint; Nos, quibus ſuſpectæ ſatis ſempèr ſubhaſtationes illæ fuerunt, & proptered neminem à dictorum bonorum conſignatione excuſari poſſe, & juſtum pretium inferri, demùm creditoribus veris, & legitimis ſatisfieri volentes, Edicti præfati tenorem pro ſufficientèr expreſſo habentes, illudque, quoad bona Caroli Cardinalis, & Joannis Ducis approban., & confirman. Cauſam verò ſuper bonis Alphonſi Cardinalis Neapolitani, ad dilectos Filios Scipionem Sanctæ Anaſtaſiæ, & Joannem Sanctæ Priſcæ Presbyteros Cardinales, quibus jam antè, illam commiſeramus, remittentes, & priorem noſtrum motum proprium ad dictos Carolum, & Joannem tantùm reducentes. Motu ſimili &c. eidem Dilecto Filio Alexandro Auditori præcipimus, & mandamus, quatenùs omnes cujuſcumque ſtatus ordinis, & conditionis perſonas, etiam Cardinalatus honore fungentes, ad actualitèr, ipſo facto, conſignanda bona prædicta, etiam quovis titulo honorarii, mercedis, ſubhaſtationis, donationis, aut alio quovis colorato titulo, à die detentionis Cardinalis, & Ducis habita, & non extantium, veram valorem, ſeù, illius loco, idoneam cautionem, arbitrio ejuſdem Auditoris, per cenſuras Eccleſiaſticas, & pœnas pecuniarias, ac etiam E

etiam ſub indignationis noſtræ pœna, cogat, & compellat, etiam per viam inquiſitionis, denunciationis, & ex mero Officio ſummariè, & velo levato, ac manu regia procedendo. Et quia veriſimilitèr multa in publicis ſubbaſtationibus diſtracta, modici valoris exiſtentia, vel uſu conſumpta, vel licitè detineri poſſent; concedimus eidem Auditori per præſentes, liberum, & abſolutum arbitrium in hoc tantùm capite exeuſandi à conſignatione rei, vel pretii eos, qui titulo præfato habuiſſe dicuntur. Et ut præmiſſa, & alia uſque ad ſatisfactionem neceſſaria, & opportuna, efficaciùs adimpleri poſſint, plenariam eidem Auditori tribuimus poteſtatem, omnes, & quoſcumque, quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fungentes, tàm in Romana Curia, quàm extra, citandi, monendi, etiam per Edictum publicum, &, non tamen Cardinales, ad perſonalitèr, ſi res ita exegerit, vel aliàs legitimè comparendum, & ſi opus fuerit in quocumque ſtatu Cauſæ hujuſmodi Fiſcum pro ſuo intereſſe admitten., terminos, & dilationes etiam peremptorias ad exhibendum, & conſignandum, vel alia opportuna faciendum, præfigen. prorogandum, Creditores prædictos, adversùs quamcumque ſententiam, ſeu lapſum fatalium ex generali clauſula, citato tamen Commiſſario Cameræ, in integrum reſtituendum, ſubbaſtationes, & deliberationes, quaſcumque minùs legitimo pretio factas reſcindend., & ad juſtum, & verum pretium reducend. etiam ſi læſio eſſet citra dimidiam, bona præfata Creditoribus præfatis legitimis in ſolutum dando, aut de illorum redigen. eiſdem ſatisfacien., nec non quaſcumque donationes, & ſubrogationes de eiſdem bonis, etiam motu proprio, ad favorem cuiuſvis etiam S. R. E. Cardinalis emanatas irritantes, & annullantes, quoſcumque contumaces, inobedientes, & rebelles, pœnas in Edicto ſuo contentas, incidiſſe, & incurriſſe declarantes, illaſque aggravandi &c.).

CXL. Vulgatum etiam, unà cum hoc Motu proprio, Edictum Auditoris Cameræ legitur, quintodecimo Kalend. Maji; perſpicuèque ex utroque, ut innuimus, colligitur, Pium eum Caraforum cauſam recenſeri denuò juſſit, grati id animi quidem ingenio feciſſe, ut obtrectatores ipſi negare haud audent; ſed inſuper præ oculis juſtitiam
A habuiſſe, qua, non tantùm eis ex ea parte, qua innocentes ſe comprobaſſent, honores, tituli, & dignitates reſtituerentur; verùm etiam, res, & bona, ubi tamen ea aliis non debuiſſent: nàm tunc unicuique, quod ſuum eſſet, attribui voluit. Quapropter undequaque tàm æquè librata à Pio juſtitiæ lance, uti ineptum eſt cenſere, Judices pro Carafis pronunciaſſe, ut ei aſſentarentur, ita, ex præfatis, ut Carafis conſuleret, quòd aliquem con-
B cuſſerit, nullatenùs educi poſſe deprehenditur.

Juſtitiæ, & pietatis legibus ſat CXLI.
tamen non habuit Pontifex, ſic Rempublicam inſtituiſſe; ſed eò inſuper manum admovit, ut mari etiam ſceleſtorum hominum crimina, debita animadverſione comprimeret, mitique, ut conſuevit, ſeveritate coërceret. Sui igitur conſiderans eſſe muneris, providere, nè inopiâ commeatus, & Annonæ Urbs laboraret, nè pauperes extre-
C ma paterentur, nè Mercatores mercium ſuarum jactura deterriti, & Piratarum metu permoti, ſua mercimonia deſererent, vel aliò potiùs quovis, quàm ad Urbem, quæ ad victum attinent, & veſtitum comportarent; Romanum Portum munire ſtatuit. Eò igitur, hoc ipſo anno, profectus, juſſit, in eodem Portu, jam olim à Trajano munificentiſſimè extructo, ſed modò, temporum injuria collapſo, Arcem ædificari, ex qua naves ab hoſtium in-
D juria defendi poſſent. Ibi enim eùm neceſſariò ſubſiſterent, ſæpenumerò illæ, quæ Romam adverſo Tiberi navigabant, à Piratis obſervari ſolebant, ac diripi. Arce igitur, quam prædiximus, extructa, his malis cautum eſt, naveſque ibi tutò conſiſtere impoſterùm potuere. Hac ipſa de cauſa ad inde non longè conſtituta Oſtia Tiberina Pontifex demigravit, ibique etiam aliiſque maritimis locis, quorum ſingula luſtrare haud potuit, Turres ex-
E trui mandavit, & ſpeculas, quibus facultas omnis Piratis adimeretur ea loca vexandi, iiſque, noſtri, contra eos, tutis perfugiis uterentur; & finitimos præterea Principes gravitèr adhortatus eſt, ut triremes per mare diſpoſitas haberent, quarum præſidiis littora, oræque Italiæ à prædonibus, & Piratis defenderentur. Quod ſalutare monitum omnes libenti animo excæpiſſe, quæ

unde-

undequaque adhùc conſpiciuntur, per Italiæ littora extructæ Turres, teſtantur. Ad hæc verò Pium impuliſſe ſævam illam maritimarum Italiæ orarum à Lucialio claſſis Turcarum Duce, factam hoc ipſo anno, Auguſto menſe, depopulationem; quæ inferiùs dicenda erunt, facilè ſuadere videntur. Illud autem fuit (ut apud Caracciam legitur) [*quod ſingularem modeſtiam ſummi, & Pontificis, & Principis commendavit, ut præfatum Romanum Portum, aliaque loca ſimpliciſſimo adierit comitatu, ſuamque voluiſſe duntaxàt Familiam, itineris comitem, & duodecim prætereà equites, ex paucis, quos, Pontificatus initio, reliquis dimiſſis, retinuerat*]

Ex Epiſt. apud Carac. ſub die 9. Nov. 1566.

CXLII. Et id quidem, ad avertenda Piratarum flagitia. Cœterùm, quia eum præterire minimè poterat ſollicitudo quorumcumque Nautarum, quorum naves, furentis maris, & fluctuum vi jactatæ, naufragium tandem perpeſſæ eſſent; dùm non rarò acciderat, ipſo turbato pelago crudeliores, immanioreſque infidelibus ipſis piratis, Chriſtianos littorum incolas, infeliciſſimos naufragos reperiſſe; tanto ſceleri idcircò occurrere volens, grave paritèr, & amplum, hoc anno, decretum edidit de nautis, & naufragis, eorumque rebus non occupandis, aut impediendis, ſed ab his, qui poſſent, benignè juvandis: nàm licèt generalem Sanctionem in Chriſtianorum bona, ubique naufragata ſurripientes, quotannis, in Bulla, in die Cœnæ Domini legi ſolita adeſſe ſciret; imò ille ipſe, ex Prædeceſſorum more, eam innovaſſet; cùm tamen comperiſſet, ipſius obſervantiam ab Eccleſiaſticæ ditionis ſubditis præcipuè negligi, uti jam Honorius ſecundus ſpecialem pro Regno Britanniæ ſuper hoc Conſtitutionem ediderat; ſpecialem quoque pro ſibi, Romaneque Eccleſiæ ſubditis, inſtante Martino de Ayala Hiſpanorum Conſule, legem ferre, ſui muneris eſſe duxit.

Honor. II. Conſt. 1. Chariſſimus.

Extat in Bullar. Conſtitut. 7. ſub ann. 1566.

CXLIII. In ea igitur, non ſine gravi animi ſui mœrore ſe accepiſſe teſtatur, retroactis temporibus, maximo cum damno, & periculo miſerorum nautarum, & mercium conductarum, naves, & navilia, diverſis onuſta mercibus, propter maris infortunium, fugamque fortè ab Infidelibus, & aliis inimicis arreptam, alioſque inopinatos caſus, ob quos nonnulli, naves, & navilia deſeruerant, & ab eorumdem inimicorum conatibus evaſerant, ſuaſque perſonas, navibus, & mercibus in eis conductis in terra dimiſſis, aliis in mare projectis, ſalvas effecerant: cùm hujuſmodi naufragium paſſi ad Portus, littora, & oras ditionis S. R. E. occurrere accidiſſet, pro propria, nec non navium, & mercium nanciſcenda ſalute, ubi ſe ſecuros eſſe exiſtimaverant, (nam inter Chriſtianos, & Amicos fratrum opem, & amicabilem favorem, prout ratio, & æquitas poſtulabant, & prout aliis in locis, in ſimilibus infortuniis agi conſuevit, expectabant): non ſolùm penes eos auxilium non repererant, quin imò majus impedimentum; dùm contra omne divinum jus, & humanum, addendo naufragium patientibus, damnum damno, & afflictionem afflictis, cum maxima Dei, ſui, & proximi offenſa, ab habitatoribus, & Officialibus prædictarum Terrarum, Portuum, ac littorum malè haberi ſolebant; nàm animo perverſo, & diabolico, bonis, & mercibus (ac ſi Infidelium eſſent) privati erant, aſſimulata directi cujuſdam Juris ſpecie, qua Barones, Dominique temporales, & Eccleſiaſtici hujuſmodi Locorum Officiales, ad ſe ea ſpectare, & pertinere aſſerere non verebantur.

Tàm ſcandaloſo, perverſo, & iniquo exemplo, quod non ſolùm Religioni Chriſtianæ repugnat, in Terris præcipuè S. R. E., quæ omnes ad ſe venientes benignè recipit, & amplectitur, ſed contra etiam humanum omne, & divinum Jus eſſe deprehenditur; Prædeceſſorum inhærendo veſtigiis, & præmiſſis damnis, & ſcandalis obviare volens, ſtatuere ſe dicit, firmiterque, & inviolabilitèr obſervandum mandat, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, nec non decem millium ducatorum auri largorum, Apoſtolicæ Cameræ applicandorum, pœnis, quatenùs in Urbe Roma, ſuiſque Portibus, & Littoribus, ac Civitate Anconitana, aliiſque omnibus, & ſingulis Civitatibus, Terris, Caſtris, & tàm orarum Adriatici, quàm Mediterranei Maris, S. R. E. mediatè, vel immediatè ſubjectis, & etiam Prælatis, & Dominis temporalibus earumdem terrarum, in quibus maritimum eſt commercium; nè perſona aliqua cujuſcumque gradus, Eccleſiaſtici, vel ſæcularis, com-

communitèr, vel diviſim, Officialis, & præſertim Oſtienſis, & Portuenſis Epiſcoporum, & quorumcumque aliorum, Cardinalatus honore fulgentium, audeat, præſumat, aut permittat Impedimentum præbere, aut aliquid moleſtiæ genus præfatis nautis præſtare, & mercium conductoribus, vel Regis Catholici ſubditis, vel aliis quibuſcumque, & cujuſvis Nationis, qui quavis de cauſa, ſivè ea fuerit neceſſaria, ſivè voluntaria, aut fortuita, ad præfata eorum littora applicare contigerit. Quin imò favore, & ope eos gratioſè recipere jubet, benignèque tractari, reſtituendo, ac reſtituere faciendo eorumdem tùm res, tùm bona, in iiſdem navibus conducta, ſi ea ab aliquibus detineri, & occupari deprehenderint; & liberè, abſque eo quòd eos ad aliquid perſolvendum compellant, dimittant.

Approbat, & auget deinde Pauli III., & Julii item III. Prædeceſſorum ſuorum diplomata, quibus præfato Martino de Ayala Hiſpano Conſuli poteſtatem fecerant, recuperandi, & liberè recipiendi naves, merceſque naufragium paſſas. Et, ut Chriſtifideles à præmiſſis non tantùm formidine pœnæ abſtinerent, quin imò ad charitatis officia, amore juſtitiæ, allicerentur, & ab eis naufragium patientibus promptiora ſubſidia præberentur; omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui auxilium, conſilium, & favorem iiſdem, in reparatione, & conſervatione ſuorum bonorum præſtitiſſent, decem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis, Apoſtolica liberalitate miſericorditèr in Domino relaxat.

Subditis poſtmodùm ſuis, ac habitatoribus omnium Terrarum, Portuum, & Littorum, nec non patronis, & nautis navium, naviliorum triremium, biremiumque, Capitaneis, & barcarum Conductoribus, & Piſcatoribus, & aliis quibuſcumque perſonis, & habitantibus in, aut propè, vel ubi talia naufragia accidere contigerit; imperat, (ſub pœna ſolutionis tanti, quanti bona naufragata valuerint, & quæ ob defectum adiutorii amitterentur) quatenùs illicò, poſtquam à Patrono, Conſule, aut Deputatis vocati fuerint, excurrant, & feſtinantèr accedant, cum eorum navibus, ac triremibus, & peri-

A clitanti navi ſuccurrant, enixo eo ſtudio, ac labore, ac ſi eorum propria exiſterent; mercium tamen ſalvatarum, & conductarum expenſis, juſti laboris, Conſulis arbitrio, eis pretio perſoluto; præter quod tamèn, nil omninò exigere, aut petere poſſint, nec quartum videlicèt, nec partem, nec jus aliquod ſalvatarum rerum; huic Sanctioni contrariis conceſſionibus, ſtatutis, conſuetudinibus, ordinationibus, & quibuſvis aliis uſibus abrogatis. In Territo- B riis verò, ſivè locis, in quibus naufragia evenerint, Dominum, ſeù Dominos, aut ejuſdem loci Communitates, Romanæ Curiæ Miniſtris, latrones, uſurpatores, ſeù rerum hujuſmodi naufragatarum detentores, teneri tradere edixit; quod ſi ſecùs feciſſent, damnum ipſi, & expenſas proprio ære ſarcire tenerentur. Vitellotio tandem Cardinali Vitello Camerario, ampliſſimam in hujuſmodi cauſis facultatem, & juriſdictionem impertitur; quem C ideò ejuſmodi Pii Literas, apud Sanctum Petrum datas, octavo Kalen. Maji; ſexto Idus Maji hujuſmet anni promulgaſſe reperimus.

CXLIV. Charitas verò Pii, non tantùm ad nautas, qui conciti maris furore, vel alia de cauſa, ad Eccleſiaſticæ ditionis littora appuliſſent, ſeſe extendit; ſed ad eos quoque Chriſtifideles diffuſa eſt, qui in piratarum ſæviſſimas manus incidiſſent, uti ea oſtendunt, quæ Gabutius narrat his verbis: [*Accidit per idem* D *tempus, ut Navis longa nobilis Archypiratæ à Comite Altemiræ, ad Montem Argentarium caperetur, in qua Chriſtiani homines ferè centum, è Turcarum manibus erepti erant, qui per decem propè annos ſervierant acerbiſſima ſervitute. Hos ſeminudos, & afflictos, Romam miſſos, perbenignè, & liberalitèr Pius accepit, ac veſtibus, pecuniis, ſacris etiam, & ſalutaribus muneribus ornatos dimiſit*]. Piratam E hunc, propter firmitatem, & celeritatem, Falconem appellatum fuiſſe, apud Caracciam legitur, ibidemque eodem fermè ſtylo, quo eſt uſus Gabutius, eximia Pii charitas commendatur. Qua verò occaſione, à præfato Altemiræ Comite comprehenſus inſignis Prædo cenſeri poſſit, inferiùs dicendum erit. Sed quia in eadem navi, in qua captivi fideles detinebantur, Turcarum quoque plurimos extitiſſe neceſſariò exiſti-

Gabut. Vit. Pii lib. 6. cap. 4.

Epiſt. apud Caracc. Epiſtol. 8. ſub xj Kal. Septemb. 1566.

A exiſtimandum videtur, qui verſa vice, Chriſtianorum captivi evaſerint; hinc, vel, ut eos, & alios, qui eodem tempore, ut dicetur, ſunt capti, ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam alliceret, vel ſi jam deindè ſuſcepiſſent, ipſos in ea magis roboraret, gratiis, & privilegiis proſequi voluiſse, Conſtitutione, quam, paucos poſt dies, ab adventu eorum, quos recenſuimus, captivorum, Pium edidiſſe invenimus; meritò putandum cognoſcitur. Decreverat quidem B jam pridem Paulus III. ut mancipia, quæ ſacro Baptiſmatis fonte expiarentur, ſi ad Almæ Urbis Conſervatores confugiſſent, non ſolùm libertatem conſequerentur, ſed etiam Romani Cives efficerentur; ignotis tamen quibuſdam de cauſis, ille idem, qui optimam legem tulerat, aboleverat. Viſum eſt ergo Pio, eam eſſe denuò revocandam, eò magis, quòd ejuſdem Pauli decretum, nova minimè, ampliſſimo olim Senatui privilegia contuliſſe, ſed potiùs C ablata reddidiſse videretur. Conſtitutio ſic ſe habet.

CXLV. [PIUS PAPA V.

Extat. in Bullar. Conſtit. xvij.

Dignum, & rationi congruum eſſe videtur, ut ea, quæ ex veteri inſtituto Officium Senatus Cameræ Urbis, & ipſius Conſervatores conſueverunt, vel aliàs illis conceſſa exiſtunc, munimine Apoſtolicæ ſuperioritatis in poſterùm roborentur, & in uſum, ſi adbuc non D *exiſtunc, reducantur.*

Nos ſiquidem, qui etiam in minoribus conſtituti, ſempèr, & continuè Populum Romanum paterno dilectionis amore proſequuti ſumus, & ipſius privilegia, & maximè, quæ Chriſtiano populo neceſſaria, & utilia eſſe videntur confirmare deſideramus, felic. record. Pauli Papæ III. Prædeceſſoris noſtri, qui per ſuas, in forma Brevis Literas, ipſos Conſervatores, & Populum in facultate, & privilegio mancipia quæque, ſelavos E *vulgariter nuncupata, qui baptizati, & Chriſtiani priùs facti fuerint, ad Senatus, Cameræ ipſius Urbis Officium, ac illius Conſervatores, pro illorum libertate, confugiencia, proùt ex veteri conſuetudine hactenùs, ut ipſe Prædeceſſor noſter narraverat, Conſervatores præfati, tùm ex ſpeciali privilegio Pontificali, tùm Imperiali poteſtate, ab aſpero ſervitutis jugo liberandi facultatem habuerant, etiamſi lapſu temporis deperdita fuiſſent, reintegrandi, veſtigiis inhærendo: Motu ſimili, ac de certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eoſdem Conſervatores pro tempore exiſtentes, ſpeciali favore proſequentes, ac Literas Apoſtolicas Pauli Prædeceſſoris, ac ſi de verbo, ad verbum insererentur, pro expreſſis habentes, illaſque in totum, juxtà illarum tenorem, confirmantes, ipſos Conſervatores, ac Officium Senatus Cameræ Urbis, in Juriſdictionem, facultatem, & poteſtatem mancipia quæcumque ſub jugo ſervitutis quomodolibet alligata, ad hujuſmodi Senatus Cameræ Officium pro tempore exiſten. ac ipſius Urbis Conſervatores confugientia, ac libertatem acclamantia, per eoſdem Conſervatores libertate donari, & Romani Cives, liberique homines effici poſſint, proùt ipſe Paulus Prædeceſſor noſter reintegraverat, reintegramus, ac pro potiori cautela de novo damus, concedimus, & gratioſè impartimur. Itaque mancipia, ſeù ſelavos eadem, quæ ab eiſdem impoſterùm liberabuntur, pro liberis hominibus, & Romanis Ciuibus in omnibus, & per omnia ubique haberi, teneri, & deputari debere: Dantes, & concedentes eiſdem mancipiis, ſic, ut præfertur, ab eiſdem Conſervatoribus liberatis, facultatem in Judiciis, contra quaſcumque perſonas ſtandi, contrahendi, teſtandi, & alia faciendi, quæ cæteri Cives Romani liberi homines facere conſueverunt, & faciunt, & ea in omnibus, & per omnia habere, & libera eſſe decernimus, volumus, & mandamus, ac ex nunc, proùt ex tunc, & è contra; omni juris cujuslibet Statutorum, Conſuetudinum, & aliorum contrariorum rigore pænitùs rejectis, liberamus. Et ſic in præmiſſis omnibus, per quoſcumque tàm ordinarios, quàm delegatos, etiam quacumque Juriſdictione fungentes; Judices, & perſonas, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ſententiandi, & definiendi facultate, poteſtate, & authoritate, judicari, ſententiari, & definiri debere; ac quidquid ſecùs ſcientèr, vel ignorantèr, contra præſentium tenorem fieri, & attentari contigerit, irritum, & inane decernentes.*

Non obſtantibus Motu proprio, ſeù Literis forsàn deſuper per viam decreti, vel aliàs per dictum Paulum Prædeceſſorem ſub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum

Digitized by Google

A *trum quinc. Id. Novembris Anno Pontificatus ſui quintodecimo, ſupradictarum ſuarum Literarum in forma Brevis, etiam forsàn ad inſtanciam d. Populi Romani, decretis, derogatoriis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Urbis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Reformationibus, & Decretis, ac quibuſvis Privilegiis, Indultis, & Literis Apoſtolicis,*
B *in genere, vel in ſpecie, per quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, tàm ſub plumbo, quàm in forma Brevis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, eciam irritantibus, & aliis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, habentes, illis aliàs in*
C *ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxàt, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac omnibus illis, quæ dictus Prædeceſſor voluit, non obſtare, cæteriſque contrarciis quibuſcumque.*

Volumus autem, quòd ſola ſignatura præſentium ſufficiat, & ubique in Judicio, & extra, fidem faciat, regula contraria non obſtante, ſeù ſi videbitur, Literæ deſuper per Breve noſtrum, ſeù ſub Plumbo, aut aliàs, prout meliùs videbitur, expediri poſſint.

D *Et quoad illos ſervos dumtaxàt, qui anteà, ut præfertur, Sacro Baptiſmatis lavacro mediante, Chriſtiani facti fuerint, & non de alio.* Datum Romæ, apud Sanctum Marcum. Quinto Id. Septembris anno primo]

CXLVI. Ex hucuſque recenſitis Pii optimis Inſtitutionibus, & Legibus, ſatis ſuperque falſitatis coargui videntur Thuanus, & alii, qui eum in Civili administratione, ſeverè quidem, ſed minùs prudenter multa conſtituiſſe, retu-
E lere; quibus potiùs terrorem ſui, quàm Legum amorem, & obſequium, ſubditorum animis inſinuaverit. Sed alia inſupèr, quibus, hoc eodem tempore, Reipublicæ bono conſuluit, perſpectam magis obtrectatorum impudentiam reddit, & mendacia revelat. Nèc eſt quòd nimiam latarum à Pio Legum ſeveritatem ab iis, qui, earum terrore perculſi, Urbem deſeruere, compro-

A batum iri contendant: nàm quinam ji fuerint, qui potiùs Urbe decedere, quàm rectis Pii ſanctionibus parere maluerint, docet inſignis ille Marcus Antonius Muretus, in Oratione, in Pii funere habita, Sacrum Cardinalium Senatum, his verbis alloquens: [*Ut autem Divino conſilio, veſtris ſuffragiis in Pii IV. locum ſuffectus eſt, tanta ſubitò extitit bonorum alacritas, & exultacio, tanta improborum fuga, & trepidatio, ut neque illi quidquam ſibi* *M. Ant. Muret.Oration. 22. in Fun.Pii V.*
B *optatius potuiſſe contingere, neque hi uſpiam ſe jam tutò poſſe conſiſtere arbitrarentur. Cernere erat bonos hilares, & erectos; triſtes improbos, & abjectos; illos gaudio triumphantes, hos de conſciſcendo ſibi voluntario exilio conſilia inter ſe communicantes: Illi gratulatum ad Templa convolabant; hi aſpectum hominum, lucemque vitabant; Illos ſublatos in Cælum, hos amandatos infra terram putares. Neque verò multis Edictis, aut Pragmaticis opus fuit, ad pe-*
C *ſtes quaſdam hominum ex Urbe pellendas. Ut ſol exoriens nebulas diſiicit, ut ventus aream purgat, ità nomen ipſum novi Pontificis diſſipavit improbos, & Urbem tetrâ illâ impurorum hominum colluvione purgavit.*] Et infra [*Judiciorum ſeveritatem, quam jam improbiſſimus quiſque, aut eludere, aut perrumpere ſolebat, renovavit; Cùmque acrioribus remediis egere hoc ſæculum judicaret; propoſitis etiam acerbioribus ſuppliciis, hominum libidinem, auda-*
D *ciamque frænavit. In quo, ſi qui ſunt, qui eum, ut nimium ſeverum, ac rigidum culpare audeant, & ut molles ægroti de medicamentorum amaritudine conquerantur, facere id non poſſunt, quin eâdem opera de ſua nequitia, & levitate fateantur. Nàm, ſi adversùs extraneos tantùm, ſeveritatem adhibuit, in ſe autem, & in ſuos, remiſſus, atque indulgens fuit; tùm ſanè hos reprehenſores audiamus: ſin, & domi, & foris, & in ſuos, & in alienos, ſui ſe ſimilem*
E *præbuit, neque quemquam uſque eò charum habuit, ut ad ejus peccata conivendum duxerit; fateamur id, quod res eſt, ſeveritatem illam, ab eximio quodam Juſtitiæ ſtudio profectam, his temporibus neceſſariam, ac ſalutarem fuiſſe.*) Ita ille; verùm, præ his validiora ſuppeditant argumenta, tùm leges, tùm Pii geſta, quibus, fortitèr unà, ac ſuaviter diſpoſitis, omnia ad-
ver-

verſariorum tela contunduntur: nam A & juſtè quidem, & prudenter, & clementiſſimè Rempublicam, Pium ipſum adminiſtraſſe, tàm ſuperiùs allata, quàm mox ſubjicienda demonſtrant.

CXLVII. Occupavit, extremo Auguſto hujus anni, & deinceps, periculoſus morbus, peſtiferæ luis inſtar, eam Urbis partem, in qua jam Domitiani Imperatoris Naumachia extiterat, ſub Colle antiquitùs Hortulorum nuncupato, modò Sanctiſſimæ Trinitatis in B Pincio, ſeù in Montibus, in ea regione, quæ ab Columna Antonini, ad Portam Flaminiam (*Populi vocant*) extenditur; vitio, ut creditum eſt, aquæ in lacunis adiacentium hortorum corruptæ, quæ, & aerem, & ſenſim permanans puteorum aquas infecerit; vel, ut aliis ſuaſum eſt, ex penè totius Urbis illuvie illùc defluente, & ſiſtente; vel, ut demùm alii excogitarunt, ex Aquæ Virginis eruptione. Cùm enim nondùm, vitium facientes veteres Aquæductus refecti eſſent, quibus, prædeceſſoris Pontificis juſſu, eadem aqua in Urbem rurſùs reducebatur, accidit, fluentem C prædicto in loco ſiſti, ſtagnumque quoddam efficere, quod poſteà corruptum, aërem ſimul, ac proximè adiacentes puteos infecerit. Locus hic magna Populi frequentia incolebatur, præcipuè verò pauperum, qui labore, & manu victum quæritarent; quos adeò morbus invaſit, ut totæ, multis in locis, Familiæ, quæ, ut Scribit Gabutius, ad quatuor millia fuere, jacerent in lectulis graviter laborantes. D Unde ergo morbum proceſſiſſe æſtimatum eſt, remedium adhibere ſolerti diligentia Pontifex curavit, duoque millium, & quatuorcentum ſcutorum ſumptu, diruptos Aquæductus farciri voluit; quo effecit, uti narrat Catena, quòd nil aquæ deperirer, & corruptus ex corrupta aqua aër, priſtinæ ſalubritati redderetur. Quinque millia verò, & ſexcenta ſcutorum inſumpſit, ut infirmis pauperibus ſubveniret; nàm omnium curam gerens, ſingulis ægrotis E pecuniam ſuppeditavit, & qui cunctorum ſaluti ſtuderent, decem Medicos delegit - Joannem Franciſcum Cardinalem Gambaram, ac duodecim primarios Viros præpoſuit, qui, ut rectè omnia præſtarentur, diligentèr curarent. Lanienas etiam, & Tabernas

Caten. Vit. Pii V. pagin. 54.

cibariis, & medicamentis inſtructas, illis aſſignavit: dato negotio cùm piis Viris, ut ſemper ægrotantium adminiſtri eſſent, tùm Sacerdotibus, ut animarum ſaluti conſulentes, eos viſitarent; in quo quidem pietatis Officio, cùm aliorum piorum hominum, tùm egregia religioſorum Patrum Societatis Jeſu, ferventiſſimo præcipuè zelo Sancti Franciſci Borgiæ, tùne ejuſdem Præpoſiti Generalis, inflammata Charitas, in primis enituit; nàm, ut narrat Sacchinus, Paræcia Sancti Andreæ, cognomento à Phractis, morbi calamitatem, ut prima ſenſit, Pauli quoque Bubali, Viri in ea vicinia, nobilitate, & pietate præſtantis, domus, inopi turbæ, quæ potiſſimùm ſternebatur, perfugium fuit. Is verò, ingraveſcente malo, Cardinalem Amulium Pareciæ ejuſdem Patronum admonuit: Cardinalis autem, atque ipſemer Paulus, quòd Parochus adminiſtrandis decumbentium multitudini ſacramentis, haud ſufficeret, auxilium à Generali Societatis Præpoſito petiere. Et hæc quidem ſodalibus ei calamitati ſuccurrendi prima fuit occaſio, cui poſtmodùm, Pontificis, ut diximus, accedente mandato, omni prorsùs pietatis officio juvandis ægrotis incubuere. Primarias quoque Urbis Matronas, miram languidis aſſiduitatem, & utilitatem præbuiſſe, apud Caracciam narratur. Tandem Pii vigilantia, ac ſtudio, læthalis morbus, qui toti Urbi cædem intentabat, cohibitus eſt, ac omninò ſublatus.

Sacbin. Hiſtor. Societ. par. 1. lib. 2. pag. 51.

Epiſt. apud Caracc. Epiſtol. 9. undecimi Kalen. Octob. 1566.

CXLVIII. Ut autem Magni Gregorii ævo, inundationem Tiberis fluvii, alveo ſuo egreſſi, ſecuta eſt è veſtigio clades inguinaria, quæ Romanam Urbem, adeò vehementi peſtilentiâ laniavit, ut etiam corporali viſu ſagittæ cœlitùs venire, & ſingulos quoque percutere viderentur; perculſoque, & ſine mora extincto, ipſo Pelagio Papa, ità in reliquum vulgus deſævit, ut ſubtractis habitatoribus, plurimas, uti narrat Joannes Diaconus, in Urbe, domos vacuas omninò reliquerit; ſic ex Tiberis inundatione quæ hoc anno accidit Prid. Kalend. Januarii, & ut narrat Firmanus in ſuo Diario, inter plurima illata damna, ambulacrum, quod ab Arce Sancti Angeli ad Vaticanum pertingit, magna ex parte dejecit, veteriſque Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Transpontinæ muros evertit,

Ioan: Diac. in Vit. Sancti Gregorii cap. 34. 16. 16.

Firman. Diar. ſub die 31. Decembris 1566. M.SS. apud Eminen. Ottoboon.

tit, Romanis contagioſi morbi gravius A pavor acceſſit; cùm lutulenta, præcipuè ejuſdem fluminis, ubi remanſiſſent, veſtigia, aërem corrumpere, exitialeſque gignere morbos conſueverint. Verùm eadem ipſa Pii ſollicitudo, quæ exortam primò peſtiferam penè luem extinxit, nè hinc nova germina emitteret, ſolerter præcavit; ipſiuſque mandato, ubique locorum, ad quæ pervenerant, cœnoſis fluminis effoſſis, abjectiſque reliquiis, non tàm contagione, quàm etiam morbi ſuſpicione Urbs li- B bera evaſit.

CXLIX. Incolumitati tamen Civium animum applicuiſſe, Pontifici sàt non fuit, ſed ipſius ſublevandis, nec ſublevandis tantùm, ſed inſuper ditandis, atque exornandis, omnem conatum adhibuit. Quod enim ad eos ſublevandos pertinet, audiendus Natalis Comes, qui hæc profert, de Pio loquens; (*Primùm igitur omnium, Romanis minuit ſumptus, & vectigalia; Univerſas leviorum Equitum cuſtodias Corporis dimittit, nè C illis alendis, non neceſſariis tributis, populos gravare cogeretur. Vectigal Vini quadraginta aſſium in ſingulos cados graviſſimum, quod à Pio IV. fuerat excogitatum, & impoſitum, perpetua lege ſuſtulit; atque, non ex ipſis ſolùm rebus, ſed etiam ex optimis reſponſis, qualis ejus animus fuerit, licet cognoſcere; cùm reſponſa ſint præclara animorum indicia, non minùs, quàm res geſtæ. Nam Epiſcopum proponentem quamdam rationem colligendæ pecuniæ, hortatus D eſt ad probitatem; cùm diceret, Eccleſiam Dei magis viris bonis, & moderatis egere, quàm auro. Rursùs carpenti cuidam ejus frugalitatem, & parſimoniam* (cùm omnem exuberantiam, ut diximus, ſibi amputaſſet, atque ademiſſet) *reſpondit, pompam, ſplendoremque, & epularum magnificentiam eſſe communem viris bonis, & malis; Eſſe virorum bonorum, magis animi magnificentiam, his contemnendis exercere, quàm parandis; cùm præſertim natura E paucis ſit contenta*]: Hæc ille, quæ quidem, Pium effatum eſſe exiſtimandum eſt, tùm ob animi moderationem, tùm quòd voluptati, proprioque uſui ſubtrahendum cenſuerit, quod in commune Reipublicæ commodum transferre ſtatuit.

Natal. Comes Hiſtor.

CL. Juriſdictionem idcircò Conſulum Artis Agriculturæ Urbis, Cauſas rerum cognoſcendi, ad eam artem ſpectantium, eorumdemque ſtatuta, apoſtolicâ authoritate confirmavit; eò quòd (ut ipſemet dicit) illorum operâ, diligentia, cura, & expenſis, Deo Optimo Max. favente, factum eſſet, ut Urbs Roma, quæ retroactis temporibus, mari invecto, & undique perquiſito frumento indigebat, ſuo feliciſſimo hoc tempore, non ſolùm frumento abundaret, ſed inſuper vicinis, & exteris, terrâ, marique, jam agri Romani frumentum ſubminiſtrari potuiſſet; & etiam, quòd ex aſſidua agrorum cultura ſilvarum, & nemorum extirpatione, paluſtriumque locorum exſiccatione, almæ ipſius Urbis aër tutior clementior, & ſalubrior redditus eſſet. Datæ autem leguntur hæ Literæ apud Sanctum Marcum quint. Idus Septembris. Verùm, licèt his, tùm plurimorum utilitati, tùm totius populi affluentiæ proſpexiſſe viſus ſit; tamen aliis poſtmodùm editis, ac vulgatis, quinto Idus Octobris hujuſmet anni Apoſtolicis Literis, dùm paucorum inſatiabilem cupiditatem coërcuit, publicam ubertatem firmavit. Hi ſiquidem, non modò propria ipſorum frumenta, quæ ex prædiis ſuis, propriâque agricultura colligebant, in horreis recondere, ac concluſa ſupprimere, & donec illorum pretium pro eorum avaritia adauctum conſpicerent, ab omni prorsùs venditione abſtinere conſueverant; verùm etiam ab Operariis ſuis, & Agricolis, ac etiam ſubditis (ſi Barones extitiſſent) illud vili pretio mos eis comparare erat, donec tantam undique tritici copiam cumulaſſent, ut pauperes, qui aliundè venale frumentum non reperiſſent, neceſſitate ducti, ab eiſdem divitibus, & Baronibus eo pretio emere cogerentur, quod ipſorum venditorum avaritia affectaſſet. Quinimò eos etiam, qui ad Urbem, quò undique ex omnibus mundi partibus Chriſtifideles confluunt, frumenta eadem importare cupiebant, omni via, ac ratione impedire, ac retardare, contra Summorum decreta, & ordinationes Pontificum, plectenda temeritate præſumerent.

Extat. in Bullar. Conſtitut. xvj. Ibid. §. 2.

Extat. in Bullar. Conſtit. 19.

Opportunum igitur remedium his adhibere omninò Pius volens, nè juxta illud Apoſtoli ad Corinthios, quodammodò contingeret, quòd alius quidem eſuriret, alius verò ebrius eſſet; Divites præfatos, ac Barones, ejuſmodi turpia CLI.

pia mercimonia exercentes, in primis A admonuit, ut Dei in ſeipſos largitatem agnoſcentes, pauperibus impoſterùm ſeſe benigniores exhiberent, atque ab eo deteſtabili frumentario quæſtu prorſùs abſtinerent, memores, ſcriptum eſſe, quòd qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium. Quod ſi propria frumenta, quæ ipſis ultra eorum uſum ſupererant, debitis temporibus, proùt certè debuerant, vendere detrectabant; ab alienorum ſaltèm B emptione, & illicita negotiatione abſtinerent, & quam Dei benignitas populis anni fertilitatem impertiri dignabatur, eam ipſi invidiosè intercipere non præſumerent. Si verò tùm à prædictis frumentorum emptionibus, tùm ab impediendis ſubditis ſuis, aliiſque ad Urbem frumenta deferentibus ſeſe minimè temperaſſent, in Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum, præcipuèque Clementis VII. pro abundantia rei frumentariæ, & Agriculturæ exercen- C dæ, Anno Domini 1523. dec. Kalend. Martii Conſtitutionibus, in eiſque contentas pœnas ſe incurſuros ſcirent. Quas quidem Conſtitutiones, ſua, in hac parte, perpetuò manſura ſanctione inſtaurabat, decernens inſuper omnes cujuſcumque generis; qualitatis, & conditionis fuiſſent, qui frumenta ultra uſum familiæ ſuæ emiſſent, animo, & intentione illa cariùs vendendi, ſine licentia in ſcriptis, ab Ordinario Annonæ pro tempore, obtenta (quam tamèn D rationabili de cauſa tantùm, & gratis omninò concedi voluit) non modò pœnas amiſſionis ipſius frumenti, & pecuniarias alias, ab ipſo Ordinario pro tempore, impoſitas, incurſuros, ſed etiam Omnipotentis Dei majeſtatem ſummoperè læſuros, & in eo peccatnros ſcirent. Barones verò, & alios Dominos, Terrarumque Univerſitates, qui idem crimen patraſſent, quique, accedentes ad Urbem cum frumentis, aliiſque rebus ad victum neceſſariis, dire- E ctè impediſſent, vel remorarentur; in præſata Clementis VII. Conſtitutione interminata ſupplicia ſubituros edixit. Ut verò faciliùs, commodiùſque omnes, ad Urbem frumenta aliaque victualia convehere poſſent; quoſcumque, hac de Cauſa, ad Urbem acceſſiſſent, ab omni pedagio, gabella, aut onere exemptos eſſe, ac fore perpetuò

Proverb. xj num. 26.

declaravit; & inſuper ab omnibus civilibus executionibus, tàm ratione debiti ab eis forsàn contracti, quàm Cameralium exactionum, liberos eſſe voluit; irritumque, & inane dixit, quidquid contra eos, ſeù illorum animalia, & res, quas ſecum, prædicta de cauſa detuliſſent, tàm ad Urbem accedendo, quàm ibi per biduum commorando, quàm etiam ad ſolitam ſuam habitationem redeundo, executum, & attentatum fuiſſet.

CLII. Eos etiam, qui ipſam pro communi bono Agriculturam laudabilitèr intra quadraginta ad Urbem milliaria exercuiſſent, dignis favoribus, & privilegiis proſequi volens, tàm meſſium, quàm ſeminum tempore, (dum ſcilicèt colligendo, vel tritico ſeminando veriſimilitèr occuparentur) ab omnibus etiam præfatis executionibus, etiam ſi ex obligatione in forma Cameræ proceſſiſſent, dummodò aliunde, quàm ex Agriculturæ fructibus ſolvere nequirent, immunes, ac liberos reddidit. Boves verò aratorios, omniaque inſtrumenta ad Agriculturam neceſſaria, non ſupradictis tantùm temporibus, ſed perpetuò, pro quavis civili obligatione auferri, aut alia ratione impediri prohibuit: Edicens inſupèr, in tacitis quibuſcumque hypothecis, à quocumque, quavis de cauſa, inductis, præfatos Boves, aliaque prædicta inſtrumenta mimimè fore comprehenſa. Immò rebus ipſis, quoquomodo Agriculturæ inſervientibus, tamquàm communitatis, imò publicæ neceſſitatis inſtrumentis, omnia privilegia, quæ dotalibus bonis, à jure conceſſa reperiuntur, omnimodè impertitus eſt. Demùm, ut hæc omnia ab omnibus obſervarentur, Ludovicum Simonetam, Marcum Antonium Amulium, & Vitellotium Vitellium Camerarium, S. R. E. Cardinales delegit, qui ea, quæ ipſorum gravitatem, & virtutem diligentia decebat, præfata omnia cuſtodiri curarent, pleniſſima, & omnimoda eis ad ipſa executioni mandanda tradita facultate, poteſtateque facta declarandi, & decidendi quidquid in præſenti hac ſua Conſtitutione, declaratione, ſeù egere definitione agnoviſſent.

CLIII. At, licèt his optimè ſtatutis, Annonæ copiam talem evaſuram ſperaſſet, quòd Populi, ac ſubditi facilè, commodèque ſe ſuaſque familias vili pretio ſuſten-

ſuſtentare potuiſſent; tamen, ut adhùc publicæ eidem populorum affluentiæ, atque utilitati conſuleret, ac nè nimia plurimorum lucri cupiditas, hujuſmodi ſuæ piæ providentiæ conatus irritos redderet, Conſtitutionem etiam alteram Prædeceſſoris ſui Pii IV. confirmaverat, & innovaverat; qua extrahendi frumenta, aliaque victui neceſſaria, ex ditionis Eccleſiaſticæ finibus, aſſimulatas quaſdam facultates, præterquàm ex cauſa verè oneroſa, revocavit: quam quidem Legem Pius diſtrictè admodùm cuſtodiri, & nè ullum lateret, denuò vulgari, ſext. Idus Junii iſtiuſmet anni mandavit; ex quibus intelligas omnia Pium circumſpexiſſe, quibus commodum, Reipublicæque utilitas, atque felicitas pararetur.

Extat. in Bullar. Pii ſeorſ. edit. pag. 18.

CLIV. Quod ſi reperiri contingat, omnes exemptiones, conceſſiones, immunitates, & gratias, ſuper ſolutione ſubſidii triennalis *Quatreni*, ut ajunt, *Carnis*, Taxarum equorum, ac aliarum exactionum, & impoſitionum Cameralium, quibuſvis à Prædeceſſoribus conceſſas, nimia quadam diſtrictione revocaſſe: Id in primis ſummæ ejus Integritati, & Juſtitiæ adſcribendum, qua, ut ipſemet dicit, cavere voluit, nè alter alterius onera (quod minimè æquum eſſe videbatur) perferre cogeretur, ſed cùm omnes ea ſimul ſubirent, onus quiſque ſuum faciliùs, & commodiùs ſuſtinere valeret. Deindè temporum id acerbitati tribuendum, qua importabili quadam expenſarum ſarcina, pro Catholica Religione, ubique tuenda gravatus, ut illam ferre poſſet, in ſubditos onus partiri coactus fuit. Quod quidem ægro admodùm animo fecit, ut ipſemet his verbis ſignificat. [*Et ſi ea ſit mentis noſtræ erga ſubditos noſtros pietas, ut eos ab oneribus omnibus liberos videre cupiamus: tamèn, & propter temporum difficultates, & multiplices de proventibus Cameræ Apoſtolicæ, per Prædeceſſores noſtros factas alienationes, exhauſtumque ærarium, ea premimur neceſſitate, ad ſuſtinenda Sedis Apoſtolicæ onera, ut ſine Subditorum auxilio, ea omninò ſufferre nequeamus. Cùmque firmiſſimum Nobis ſit propoſitum, ab omnibus impoſitionibus abſtinere, cogimur, ſaltem uſquequò Divinâ favente Clementia, ab imminentibus, graviſſimiſq; neceſſitatibus ſublevemur, curare, ut hactenùs impoſitæ fideliter, diligenterque exigantur*]. Hæc ille, quæ quidem manifeſtè declarant, invitum à populis ea ipſa expetiiſſe ſubſidia, vel quæ hactenus tantùm impoſita fuiſſent, vel quibus omninò carere non poſſet; quæque non cupiditas ſæva extorqueret, ſed ſola neceſſitas poſtularet: qua etiam repugnante, vectigalia nonnulla abſtulit, decori proprio ſubtractis, quæ in commune Reipublicæ bonum traduceret, ut ſupra diximus.

Extat. in eod. Bullar. pag. 371

Ibidem ſup.

CLV. Quàm benignus verò, & miſericors exactor fuerit, videre eſt ex iis, quæ in eadem Conſtitutione, ſexto Idus Junii hujus anni edita, Vitellotio Cardinali Vitellio Camerario in mandatis dedit; nàm traditâ ei ſuper hoc omnimoda poteſtate, hactenùs debita vectigalia, vel tota, vel ex parte debitoribus remittere poſſe conceſſit: quam præſertim liberalitatem in eos voluit exerceri, qui præ aliis ſe in ſolutióne diligentiores præſtitiſſent; quia, licèt ſubditorum ſolum amorem egeſtati propriæ ſuffragari minimè poſſe cognoſceret; plùs tamèn eorum penſabat affectum, quàm cenſum. Nec ſupra vires quemquam impoſitum vectigal ſolvere paſſus, ipſum minuendi eidem Cardinali ampliſſimam facultatem attribuit: tantâ ſiquidem in pauperes, ſibique ſubjectos miſericordia, & pietate afficiebatur, ut ſuæ neceſſitatis penè oblviſci viſus ſit, eo ipſo tempore, quo ipſi neceſſitati conſulere coactus fuit.

CLVI. Ac huic quoque proſpexiſſe cognoſcitur, cùm Curatorum Viarum, Pontium, Fontium, & hujuſmodi officium, & euncta Diplomata, quibus ad id muneris delecti fuiſſent, per ipſum Vitellotium Cardinalem Vitellium, tertio Id. Octobris præſentis anni, penitus abrogavit; cùm enim hi ejuſmodi abuterentur miniſterio, ejuſdemque aſſimulatâ ſpecie, Univerſitates, & Loca exagitare, impoſitiſque pœnis premere minimè vererentur; tàm deteſtabili ſceleri occurrere, vulgato per præfatum Cardinalem Edicto, ſublatiſque ejuſmodi Curatoribus, Pius voluit. Nè verò amotis, qui Viis, Pontibus, & Fontibus, & hujus generis aliis præerant, earundem Viarum, Fontium, & Pontium, qui publicæ commoditati plurimùm deſervire deprehendebantur, jura negligerentur; iiſdem Communitatibus, & Locis diſtrictè ſtudium hoc demandatum; & ſic unde-

Extat. inter Pii Conſtit. ſeorſim impreſ. pag. 47

undequaque, quæ populis prodeſſent, ſervare; quæ verò obeſſent, ſolertiſſimus indagator ſtuduit removere.

CLVII. Cùm tamen inter ea, quę ſummam Reipublicæ utilitatem, ac decorem conſerunt, Literarum ſtudia eſſe cognoſceret; & hæc penè abjecta, hoc eodem tempore relevare contendit, ut apud Caracciam legitur, his verbis: [*Eſt Romæ Academia, quam* Sapientiam *vocant vulgò. Hanc Alexander* [*ut arbitror*] *Sextus liberalitèr donavit proventibus annuis, undè excellentes doctrinâ Viri diſciplinas omnes cum laude profiteri poſſent. Hæc erat collapſa Academia, propter eaque proventus illos certi homines occupaverant: hoc cùm comperiſſet doctiſſimus Pontifex, illos præcepit proventus reſtitui, ut præſtantes Doctores evocatos, inſtituat publicos ſcientiarum Profeſſores*] Hæc ibi, quibus addit Gabutius, docentium numerum paritèr, & ſtipendium Pium adauxiſſe. Adduntur autem in præfata eadem apud Caracciam Epiſtola, quæ ſequuntur: [*Gerit quidem omnem Rempublicam prudentiſſimus Pontifex, omnia negocia gubernat, omnem curam, ac pondus adminiſtrationis ſuſtinet, agnoſcit tamèn præſtantiorem partem, ac potiorem eſſe illam Reipublicæ, quæ ad rerum Eccleſiaſticarum curam attinet, & ſpiritualium, quàm externarum, & laicarum. Hinc fit, ut intentior ſit ejus animus ad illas res gerendas, cùm ad omnes tamen ſit intentiſſimus. Spiritua- les igitur res ferè per ſe gerit, alia, quæ ad ditionem temporalem, vel ad Principum negotia pertinent, aliis committit cognoſcenda, atque tractanda; de quibus videlicet ad ſe referant. Huic negotio præpoſuit primarios Cardinales quinque, Moronum, Farneſium, Granvellanum, Amulium, & Commendonum.*] Hactenùs Epiſtola, quæ nimirùm non tantùm Thuani, aliorumque inventa, ea in parte, quæ Pium optimum quidem Pontificem, minimè vero bonum referunt evaſiſſe Principem, haud comprobat; ſed inſuper providentiâ, prudentia, vigilantia, cœteriſque virtutibus, quæ Principem decent, eximiè præditum exhibet. Quod ſi primas ſpiritualibus, & divinis rebus detulit, id non modò Pontificis, ſed etiam Principis fuit, qui primò, quæ ſunt Dei, deinde, quæ Cæſaris, & ipſe curare debet; nàm in reliquo, ſi ea eſt imperandi ars, ut ejus ope, quantum eſt bonorum agrorum, ſivè montanorum, ſivè campeſtrium colatur; totum ſine periculo (ob commercia, quibus diverſiſſimæ terræ ſua bona communicant indigentibus, & viciſſim illarum copia ſuam ſublevant inopiam) mare navigetur; quæcumque noxæ priùs in mediis Urbibus verſabantur, ad extremas tartari latebras pulſæ ſint; & pro his commoda ab ultimis Terræ Mariſque finibus inducta; nec aliundè magis, quàm è ſubditis, per ſe aliquo beneficio adiectis, ſit voluptatem cæpiſſe: Cuinam benè imperandi laus potiſſimùm eſt tribuenda, quàm Pio, qui cuncta hæc optimi Principis perfectè adimpleviſſe munia deprehenditur? Qua igitur ratione, in umbra, & inter Monachorum greges educato Pontifici, virtutes defuiſſe, quæ Principem decent, atque imprudentèr egiſſe, impudentiſſimè Thuanus audet aſſerere? Qua fronte ſimulaſſe refert Principis virtutes, juſtitiam, magnitudinem animi, magnanimitatem, prudentiam, & gratitudinem, ſi virtutes ipſas eximiè adeo latis legibus, & ampliſſimis operibus exercuit? His enim fundamentis innixi, quibus minimè contradici poteſt, quæcumque in medium aſſerimus, ſuademus; ac impia, & excogitata Thuani ejuſdem mendacia, undè ſint hauſta, non invenimus. Difficilè, Principis inſignitus virtutibus, Pius apparuiſſet, ſi virtutes iſtæ non ei naturales, ſed ad tempus fuiſſent ſumptæ. Nemo enim perſonam diù ferre poteſt, nàm ficta citò in naturam ſuam recidunt, ubi è contra quibus veritas ſubeſt, quæque (ut ita dicamus) ex ſolido enaſcuntur, tempore ipſo in majus, meliuſque procedunt, ut ex dicendis patebit. Nec demum ſimulatorias artes, ut virtutes fingeret, Pium adhibuiſſe cenſeri valet, cùm adeò ſimplicem tantummodò veritatem ſectatus fuiſſe agnoſcatur, ut apud eumdem Caracciam hæc habeantur, ubi de Litibus, Judiciis, & Judicibus agit. [*Non extrahuntur lites, ſed maturo judicio dirimuntur. Ipſe vult audire, videre, cognoſcere omnia Pius Pontifex, quin etiam omnem eorum relationem, quibus utitur actionum Miniſtris, repellit, in qua, vel minima nota ſit odii, amoris, cupiditatis: ſimplicem tantummodò veritatem requirit*:] Hæc ibi, quibus plurima addi poſſent, vel ſupe-

riùs

Epiſt. apud Caracc. ſub 9.Nov.1566

Gabut. Vit. Pii lib. 6. cap. 5.

Caracc. ut ſup.

Phil. de legat. ad Caſumpag.834

Ex Caracc. 13. Kalend. Octob. 1566.

riùs allata, vel inferiùs ponenda, ſi res A poſtularet.

CLVIII. Reipublicæ igitur ſtatum ſub Pio minimè reprehendere aliquis præſumpſerit, quo omnibus ſecuritas alta, affluens, parata fuit, & Jus ſupra omnem injuriam poſitum extitit; cùm obverſata apparuit oculis cunctorum ipſius lectiſſima forma, cui ad ſummam ſubditorum libertatem nihil defuit, niſi pereundi licentia. Cunctas autem Pii ad rem hanc pertinentes, hoc anno editas, Sanctiones, ac geſta hìc una coacervare B viſum eſt: nè ad majora properantes, ad hæc, quæ minora cenſenda ſunt, iter deflectere cogeremur.

CLIX. Turcica Claſſis, vel octoginta tantùm, vel centum, & decem, ut dicit Catena, vel, ut Maurocenus, centum quadraginta circitèr Triremium numero, appetente vere hujus anni, ſub Pialis Purpurati imperio, Chium in Ægeo mari, ut vult Maurocenus ipſe, & alii paſſim; ſeù in Jonio, ut ſcribit ab Iſſelt, ſitam Inſulam aggreditur, & C occupat. Cauſæ prætendebantur, quòd ejuſdem incolæ, exploratis Turcarum conſiliis, quæ ob vicinum, & liberum commercium illis patebant, ea, ſuperiore anno, Melitenſibus nunciaſſent; ac paſſim de iis, quæ Turcæ ipſi meditabantur, Hiſpaniarum Regem, alioſque Chriſtianos Principes admonere conſueviſſent. Deinde quòd biennii tributum non ſolviſſent; quod avaritia Legati, res ipſorum Bizantii apud *Portam* procurantis, factum eſſe, Campana, Thuanus, aliique narrant; quem D etiam donanda Machmeti purpuratorum Principi, & aliis munera, in ſuos ipſe uſus convertiſſe referunt. His addebatur, quòd Chriſtianorum mancipiis, è Bizantio perfugis, receptis, eadem ad ſuos remitterent; quod quidem paulò antè in Machmetis ipſius nobili quodam mancipio acciderat, qui è manibus illius elapſus, ſe in Chium contulerat. Nàm, cùm ille id reſciviſſet, ipſius, vel reſtitutionem, vel pretium, E ab eis petiit. Cùm igitur per Legatum id Chienſi Senatui renunciatum eſſet, animadverteretque ipſe, quanti ſua intereſſet, primarium virum placatum habere; è veſtigio pecuniam miſit, quæ Mechmeti perſolveretur; verùm Legatus ille, eâdem avaritia corruptus, eam quoque ſibi retinuit: cujus fraudis Mechmetes ignarus, univerſum

Caten. Vit. Pii pag. 48. Maurec. Hiſt. Ven. lib. 8. pagin. 115.
Ab Iſſelt Hiſt. pag. 16
Cæſar. Campan. Vit. Philip. II. to. 2. lib. 18. pag. 171. Thuan. libro 34. pagin. 368. Tharcagnot. hiſt. par. 3. lib. 9. pag. 62. Natal. Com. Hiſtor. pagin. 351. Ibid. ut ſup.

odium in Cives convertit, atque in eos Solymanum inflammavit, ut Piali Inſulam occupare imperaverit. Cùm igitur hic eò Paſchalibus feriis, (quæ hoc anno in decimum octavum Kalend. Maji inciderunt) appuliſset, in Prætoriam, Inſulæ Præfecto, callidè cum duodecim Magiſtratum gerentibus accerſito, ac comiter in ſpeciem accepto, interìm ſuos publicè Civitatis ædes, unà cum Arce invadere juſſit, & ità ſine cæde, ſine armis, aſtu tantùm, eam ſibi vindicavit. A direptione tamen, prætèrquàm Eccleſiarum, abſtinuit, Chriſtiana ſiquidem Templa omnia ſolo æquata voluit, præter unum Divo Dominico Sacrum, quod Maumetis ſuperſtitionibus deſtinavit.

Accidit autem, (quod etiam Thuanus ſilentio non præterit, & Turcis ipſis, hujus Sæculi hæreticos deteriores oſtendit) ut, cùm in Beati Petri Templo Urbis primario, Turcarum unus Ciborium, in quo Sacroſancta Hoſtia condita erat profanis manibus contrectans, Loci Præſulem rogaret: Nùm hìc ipſius Dei, & illa ſuæ fidei Myſteria eſſent? Et ille ità eſſe reſpondiſſet: Barbarus Ciborium in Terram projecit: Quo viſo, Præſul, incredibili dolore perculſus, ſtatim flexis genibus projecta colligens: [*Me potiùs*, inquit, *oro*, *interfice*, *quàm hæc Sacroſancta Myſteria pedibus conculcari videam*]. Quo motus ille, ultrò ab injuria temperavit. CLX.

CLXI. Sed quia apud Chienſes nobilis æquè, ac pia Juſtinianorum Familia, ab anno 1346., quo Conſtantinopolitanum Imperium Andronicus Paleologus regebat, rerum potita erat; ideò ibi eam remanere Pialis haud paſſus eſt, ſed Caffam, olim Theodoſiam, in Thaurica Cherſoneſo deportari juſſit. Ex ea viginti, (ſcribit Brietius), viginti, & unus (Spondanus, & Ciacconius) pueri, circitèr decennes, ex alacrioribus, & magis vividis, Conſtantinopolim inter Solymani Ephæbos enutriendi, adducti, ut ibi per vim circumciderentur. Neminem tamèn eorum, in tàm tenera ætate, fidem ejuraſſe, Scriptores tradunt; imò penè omnes, virgis cæſos interiiſſe referunt. Ex viginti, decem, & octo, tormentorum vario genere cruciatos, pro Fide Chriſtiana, vitam, & ſanguinem profudiſſe, narrat Boſius; & tres incautè deceptos, Turcicæ ſectæ

Briet. Annal. ſub hoc ann. Spondan. ſub hoc ann. 8.
Spondan. ut ſupra. Briet. ut ſupra, & alii.

Boſ. Hiſtor. Hieroſolym. par.3.lib.16

A ctæ dediſse nomen, qui, cùm poſtea adoleviſſent, facti pœnitentes, eâ ejuratâ, & fugâ arreptâ, in Italiam tranſiverunt. Nonnullorum, ex iis, qui pro Chriſti fide paſſi ſunt, nomina recenſet Ciacconius, ex libro ſecundo Selectorum Octaviani Saulii accepta, & his carminibus comprehenſa.

Ciaccon. to.1. Hiſtor. Pontif., & Card. pagin.1019. Octavian. Saul. ſelect. lib. 2.

[*Ante alios celebres Divino numine Divi*
Scipio, & Hyppolitus, Cornelius, Hercule juncto,
B (*Quos cernis Fratres*) *fera poſt tormenta, cruentum*
Martyrium paſſi, immanis quo Thracia tellus
Sævilt in mites agitata furore Fideles]

Ibid. ut ſup. Decem, ex variis Archivis Abbas Michael Juſtinianus, eodem Ciacconio teſte, collegit nomina, ſuntque hujuſmodi: Antonium, Bartolomæum, Britium, Philippinum, Franciſcum, Joannem C Paulum, Paſchalem, Paſchalem alterum, Raphaelem. Reliquorum nomina, ſubdit Ciacconius ipſe, nondùm innotuere; nota ſunt tamen Deo, illius libro vitæ deſcripta.

CLXII. Præter hæc, in totiès memoratis Cardinalis Farneſii Conſiſtorialibus Actis, ſub die 6. Septembris hujus anni iſta habentur.

Act. Conciſtor. Card. Farneſ. pagin. 111. 2.

] *Sanctiſſimus Dominus Noſter dixit, Adoleſcentem, tres, & decem annos natum, Juſtinianæ Familiæ ex Scio* D *oriundum, cùm captus à Turcis Conſtantinopolim delatus eſſet, vel præmio, vel metu, nequaquàm potuiſſe duci, ut Turcico ritu initiaretur. Quinimò, cùm ei mortem Baſſa comminaretur, & de ipſum ex feneſtra præcipitem dando, vel ferro confodiendo, non ſolùm non expaviſſe, ſed martyrii ingens prætuliſſe deſiderium, dicendo, nullum ſibi majus munus fieri poſſe, quàm, pro Chriſti fide, vitam cum morte commutare; tandem in carcerem injectus, cùm ante* E *Deum orationes ſuas fudiſſet, ut ſibi martiris coronam donare dignaretur, intactus, ac ſine labe, poſt triduum mortuus eſt inventus. Cujus quidem rei Sanctitas Sua Reverendiſſimos participes facere voluerat, ut Deo gratias haberemus, quòd noſtris quoque temporibus hujuſmodi gratias impartiretur:*)

A Iiſdem ferè verbis, ex notabilibus Actorum Conſiſtorialium, à Cardinali Gambara collectis, quæque M. S. in præclara Barberina Bibliotheca aſſervantur, eadem Ciacconius refert, additque, ex Boſio acceptum: (*Neque ſine admiratione legi debet, quòd de uno* (*ex præfatis Juſtinianis pueris*) *narrat Boſius; nempe, cùm impactis atrociſſimis verberibus jam expiraret; Cuſtodes tentaſſe, digitum illius indicem erigere, apud Turcas ejuratæ Chriſtia-* B *næ fidei, & Mahometiſmi recepti ſignum; ſed inani labore; Id enim cùm præſentiſſet Adoleſcens, complicatos, complexoſque in pugnum digitos, in extremo vitæ adeò validè conſtrinxit, ut neque eo vivo, neque demortuo, licèt id ſæpiùs Turcæ conarentur, & variis modis pertentarent, digitum explicare, nec manum aperire unquàm potuerint*) Sic ille, quod etiam Spondanus confirmat; additque, quòd è Juſtinianis nonnulli, priuſquàm deportarentur, liber- C tatem à Piali mercati, in Italiam abjerunt. Inter quos, (inquit) extitit *Joſephus*, Pater *Benedicti*, qui poſtea à Sixto Quinto Cardinalis renunciatus eſt. Cœteri, adnitente Pio, ut Catena, Gabutius, Campana, aliique ſcribunt, ac Carolo Nono Galliarum Rege interveniente, ſequenti anno, ut vult Thuanus, patriæ ſunt reſtituti, cum Principatus umbra, nè Inſula nobilis, aliò demigrantibus incolis, deſerta relinqueretur. Quibus, & impetratum D eſt, ne indè pueri Conſtantinopolim abducerentur, ut Janizzeri fierent. Quod etiam nùnc, inquit Brietius, accuratè ſervatur, Chiis ſub Ottomanico jugo placidè, ſed prudentès viventibus, & pietate magìs ſua, quàm Principum ſuorum potentiâ tectis.

CLXIII. *Ibid. ut ſup.* *Ibid. ut ſup.*

Caten. Vit. Pii pag.48. Gabut. Vit. Pii lib. 2. cap. 2. pagin.51. Campan. Vit. Philip. ſecundi to.2 lib. 18. pagin.171. Thuan. Hiſtor. lib.39. pag.1114.

Brietius ſub hoc anno pag.264.

Poſt ea verò, quæ Pium dixiſſe in Conſiſtorio, die ſexta Septembris hujus anni habito, de pretioſa videlicet morte unius ex pueris Juſtinianis, ſupra retulimus; in præfatis Actis, tùm E Cardinalis Farneſii, tùm Gambaræ, iſta paritèr ab eodem Pontifice dicta adnotantur. CLXIV.

Ibid. ut ſup. (*Dixit, afferri nuncium, Bizantii homines eſſe ægri; ac conſternati animi, ob nonnulla, quæ ibi evenerant, quæ ipſi, ut portenta ducebant. Inter cætera, extinctos ignes, quos in Moſchea æternos habebant; & Lunam delapſam, quam primus Otthomanici nominis Impera-*

perator Moſcheæ pinnaculo fixerat). [A] Sic ibi. At, cùm paſſim in Sanctorum Martyrum geſtis, ad impios infideles deterrendos, hujuſmodi portenta, à Deo patrata legantur, à veritate abſonum cenſeri idcircò non poteſt, ſi, quo tempore Juſtiniani pueri, tàm fortitèr pro Chriſti nomine dimicantes glorioſo martyrio coronati ſunt, ob eamdem cauſam ea divinitùs facta exiſtimentur, ſi tamèn, ſub initio Pontificatus Pii hæc accidiſſe excogitandum non ſit, ad memorabilem eam præno- [B] tandam cladem, quæ, eo agente, Otthomanico Imperio inferenda erat, quâque ipſe, ſanguinem Sanctornm, qui effuſus à Barbaris fuerat, vindicavit.

CLXV. *Ibid.ut ſup.* Chio (ut Natalis Comes, ab Iſſelt, aliique narrant) Epidaurum navigans Pialis, eam quoque Inſulam fraude, ac dolo occupare tentavit; ſed Epidauri, Chiorum exemplo docti, viginti tantùm Turcas, eoſque inermes, ad res neceſſarias coëmendas admiſerunt. [C] Illa igitur ſpe deceptus, ad Tenum Inſulam navigat, ubi Inſulanorum rejectis muneribus, Delum, Apollinis olìm Templo celebrem, delatus, poſtridie Tenum repetiit, quæ una eſt Cycladum. Quo viſo Tenii ſe ad pugnam accingunt; At ille, nullâ re tentata, indè receſſit, opulentiorique prædæ inhians, maritimas quaſque oras, tùm Apuliæ, tùm Lucaniæ, ſed præcipuè Samnitum depopulatus eſt; nàm ibi colonos abducit, expoſito milite, & ob- [D] via quæque ferro, atque igne diripit, omnemque defenſorum induſtriam, mira navigationis celeritate antevertit. Barbarorum ſævitiam, præ cœteris Samnites fuiſſe expertos, ex eo proceſſiſſe narrat Campana, quòd qui eidem præerat Provinciæ Joannes Blanes curam omnem, ac diligentiam neglexerit, qua hoſtium impetus propulſarentur; qua de cauſa in vinculis conjectum longâ carceris pœnâ, licèt crimini impari, punitum fuiſſe, idem tradit. [E]

Cæſar Campan. in Vit. Philip. II. tom.2.lib.18 pag.172.

CLXVI. Eadem autem pericula, Eccleſiaſticæ quoque ditionis Loca, in iiſdem Adriatici, & Tyrrheni maris littoribus conſtituta, ſubjiſſent, ni ea Pii vigilantia avertiſſet. Centumcellis igitur præſidiarios in primis duxit: deinde in Picœno Claſſem inſtituit, cui Paulum Jordanum Urſinum, Bracchiani Principem præfecit, quem Pontificiarum Triremium Ducem dixit, eòque ſubſidio miſit; ac protinùs quatuor militum millia, ſuis ducta ſtipendiis, in eam expeditionem dedit; tùm à Philippi Catholici Regis Claſſe auxilia procuravit, firmatiſque ditionis ſuæ præſidiis, aliarum etiam Chriſtianarum orarum ſollicitus, Regem ipſum admonuit, ut in Salentinos, Brutios, Samnites, Dauniam, milites mitteret, qui ea Loca communirent, ab hoſtilibuſque armis vindicarent. Quo factum eſt, ut Pialis, paulò poſt, nullo alio prætereà operæ pretio facto, Claſſem reduxerit; poſt cujus diſceſſum, ex præteritis, Pontifex edoctus, periculis, ut futura caveret, & Nautarum ſecuritati conſuleret, Romanum Portum ipſe adire voluit, & communiri, & alia egit, ſanxitque, quæ ſuo loco protulimus.

CLXVII. Intereà dùm Pialæ Claſſis pavot invaſerat, & Pius tutis maritimas oras munimentis proſeqni conabatur, ſingulare id munificentiæ ſpecimen dediſſe, hoc modo tradit Gabutius. [*Sub idem tempus, centum, & ampliùs Equites Galli primariæ nobilitatis, quos ingens ſuæ gentis hominum numerus comitabatur, ex Inſula Melita, à Turcarum obſidione liberanda profecti, in Patriam revertentes, Pii ſacros pedes oſculandi cauſa, Romam diverterunt. Quos ipſe, ſingulari pietate à limine Aulæ Sancti Marci, ubi tùm reſidebat, genibus proſerpentes, ad ſacri pedis oſcula benignè excepit, ſinguliſque benedixit. Mox Gulielmo Sangaletto, intimo Quæſtori, ut ex ærario Pontificio decem aureorum millia illis diſtribueret, imperavit: ratus, exteros homines, è ſalutari expeditione profectos, longoque itinere afflictos, pecuniarum egere ſubſidio. Horum Principes erant Comes Briſaccius, & Philippus Strotius, qui unà cum aliis egregiam Pontificis liberalitatem admirati, ad eumque colendum impenſiùs propenſi, pecuniam, qua ſe non indigere profitebantur, pro ſua modeſtia recuſarunt: ſed immortales Pio gratias agentes, ac magno ſe illi beneficio devinctos agnoſcentes, ad Anconam Urbem præſidio communiendam, cui à Turcarum Claſſe periculum imminebat, ſpontè profecti, indè, donèc tuta res eſſet, diſcedere noluerunt*]

Gabut. Vit. Pii lib. 2. cap.2.

CLXVIII. Finitimos verò Principes, quos in barbaram Pius claſſem concitaverat, ejuſdem dicto paruiſſe, Scriptores referunt;

Hadrian. lib. 19. pagin.1166.

Digitized by Google

Mambrin. Roſeuſ. hiſtor. Neapolis part. 3. lib. 1. & alii

ferunt ; qui octoginta quinque triremes (iis comprehenſis, quæ Pontifex, & Etruriæ Dux, necnon Januenſium Reſpublica miſerant) Garziam, univerſæ Claſſis Hiſpaniarum Regis Imperatorem, coëgiſſe, & Brunduſium contendiſſe, ut non tàm maritimas oras ab hoſtibus cuſtodiret, quàm etiàm, ut eos ultrò aggrederetur, tradunt. Idipſum etiàm curaſſe Venetorum Rempublicam, Maurocenus aſſerit; nàm narrat Pialis ad Aulonem appulſu, commotum Senatum, ut inſolentis barbari conatus, ſi quos experiri in Reipublicæ ipſius ditionibus meditaretur, reprimeret, quàm celerrimè triremes triginta è navalibus deduci imperaſſe, quibus Trietarchos, rerum maritimarum uſu præſtantes, Gubernatorum titulo præfecit; atque tribus, ac quadraginta, quibus Antonius Canalis Legatus præerat, in Illyrico, ſe adjungere juſſiſſe; Claſſis Imperatore, Hieronymo Zanio Equite, majoribus Comitiis renunciato, & Philippo Bragadeno Collega, Canali adiecto. Verùm, ut innuimus, Pialis, è Salentinis, Calabris, ac Samnitibus, ingenti præda abacta, nec aggredi ulteriùs, nec expectare aggreſſores eſt auſus; ſed Aterno in Brutiis, Piſcaria in Samnitibus, & Diomedeis Inſulis, inani conatu, invaſis, Adriatico ſinu, cum claſſe egreſſus, rectà Bizantium contendit. Tradit inſuper Maurocenus, neminem fuiſſe, qui Venetorum apparatu, Pialis everſa, ac perturbata conſilia non exiſtimaverit; quod etiàm confirmaſſe videtur Natalis Comes. Addit nihilominùs Hadrianus, initiò quidèm, ſuadente Veneto Oratore, Pium, quam prædiximus octoginta quinque triremium claſſem Garziam cogere impuliſſe, ſpe adductum, Venetam Rempublicam vires, & triremes ſuas ei addituram, quibus Turcarum claſſem, non modò rejicerent, ſed inſuper adorirentur; ſed eum ſpe fruſtratum, ſubjungit, tùm quia claſſis eadem, Diomedeis Inſulis, ut diximus, inani conatu, provocatis, receſſerat, tùm etiàm quia Veneta claſſis immobilis ſteterat, imò hoſtium ſublato periculo, Reſpublica, copiis dimiſſis, Ducem revocaverat; quod Maurocenus idem minimè diffitetur. Quæ quidem protulimus, non ut tantæ Reipublicæ gloriæ, plectenda temeritate detrahamus, ſed ut cuique debitus egregiorum facinorum honor tribuatur; nàm licèt ex ſola Venetorum apparatus cognitione, Pialis perturbata eſſe potuerint conſilia, ipſeque Adriatico emigrare, quodammodò compulſus videri queat; cùm tamen nil in ipſum attentaverint Veneti, & viceverſà Pontificiæ, Hiſpanicæ, Januenſium, & Etruriæ triremes, ad eumdem aggrediendum tetenderint; his potiùs, quàm illis rationabiliter receſſus Pialis, cognoſcitur adſcribendus. Eo igitur ſic effugato, Garzias totius claſſis Imperator, triremes dimiſit, quæ ad propria redeuntes, plures Piratarum naves cœperunt, ex quibus quamplurimi Chriſtifideles è barbarorum ſervitute redempti: non pauci etiàm barbari, ſervi Chriſtianorum facti, Pium, quam pro mancipiis propoſuimus, Conſtitutionem edere impuliſſe probabilitèr exiſtimavimus; nàm tùnc inſuper cœptum fuiſſe, quem ſupra diximus, ab Altemiræ Comite nefarium Prædonem, Falconem dictum, minimè à veritate alienum cognoſcitur.

Maurocen. Hiſt. Venet. lib. 8. pagina 334.

Maurocen. ibid.

Hadrian. hiſtor.

CLXIX. Potiſſima verò cauſa, ob quam idem Pialis, & Neapolitani Regni oras diripuit, & depopulatus eſt, & Chium Inſulam, magno Chriſtianorum damno, ſubjecit; præter illas, quas ſuprà recenſuimus, aliam, quam etiàm innuimus, nempe fuiſſe tradunt Scriptores, quòd furorem ſuum explere voluerit, hacque ratione vindicandam ignominiam cenſuerit, quam ex inani, præterito anno, Melitæ incæpta oppugnatione ſubjerat. Cùm enim conſtet, Lybici maris hanc inſulam, non modò Siciliæ, cui adjacet, LX. millia paſſuum ab ea diſtans, ſed etiàm omnis ferè Italiæ, contrà barbarorum impetus, tutum propugnaculum, ſacræ Militiæ Sancti Joannis Hieroſolymitani hoſpitio inclytum, ad Romanæ Eccleſiæ præſidium maximè pertinere: id (inquit Gabutius) Solimanus, Turcarum Imperator, Chriſtiani nominis hoſtis acerrimus, non ignorans, atque in Italiam ſibi aditum aperire cupiens, paulò antè hunc Pontificatum, ingenti claſſe, ducentis, ac ſexaginta ferè inſtructa navigiis, Melitam expugnare, ac per quatuor menſes gravi obſidione divexare inſtituit. Et cùm magna Melitenſibus damna intuliſſet, jamque Arcem, cui à S. Eraſmo cognomen eſt, per vim in poteſtatem redegiſſet; propugnantium militum virtuti demùm cedere coactus, gravi ſuo

Gabut. Vit. Pii lib. 2. cap. 2.

ſuo dedecore, parique detrimento, & indignatione, inde receſſerat; è ſuis triginta millibus, è noſtris verò fermè novem millibus, in ea obſidione deſideratis. Sed nè, recuperatis viribus, majore impetu, ac furore eò reverteretur, nemo non timebat; maximè enim ob id, bellicos apparatus Conſtantinopoli fieri nuntiabatur, de quibus Maurocenus hæc habet: [*A Victore Bregadeno, Legato Bizantino literæ afferebantur, ingentes terrâ, marique apparatus a Solimano fieri, quibus permotus Senatus, nè Claſſe Turcica, ex Helleſponto emiſſa, imparatus offenderetur, (licèt ei pax, & amicitia cum Solimano intercederet), ut in Illyrico triremes octo, in Creta decem armarentur, ſanxit.*

Maurocen. hiſt. Venet.

CLXX. Joannes Valleta, igitur, Hieroſolymitani Ordinis Magiſter, ut barbarorum rabiem, ac mentem præverteret, unum id optimum excogitaverat, ut Arx, videlicèt, nova ædificaretur, qua hoſtium conatus frangerentur. Conſilium probaverat Pius, ideòque, ut, quam Valleta idem deſignaverat, novam Urbem condere, omnique genere præſidii communire quamprimùm aggrederetur, graviter cohortari, atque impellere non deſtitit; triaque (vel, ut ſcribit Catena quatuor) millia militum, quos in eam daret expeditionem, ſtipendiis affecit: & quæ Pius Quartus deſponderat, aliaque longè majora ſubſidia, libentèr ſe præbiturum oſtendit; ac protinùs aureorum quindecim millibus, Melitenſes milites donavit, & alia prætereà duo millia, ut aliquis ſcripſit, vel quinque, ut Gabutius adnotavit, vel quindecim, ut Thuanus credidit, in menſes ſingulos in eam fabricam, per ſeptimeſtre contulit. Sed quoniàm, & tantæ molis ædificium, & grave à potentiſſimo hoſte imminens periculum, majora poſtulare videbantur auxilia, quæ ab aliis Principibus tributum iri, ſpes erat exigua, & quæ ab Hiſpanis expectabantur, præcipuè à proximo Siciliæ Regno, ab illius Prorege, ut narrat Boſius, longiùs protrahebantur: hinc tùm Pius, tùm Melitenſes milites, in magnas undique conjecti videbantur anguſtias: è quibus, ut evaderet Pontifex, ampliſſima in primis Apoſtolicæ Indulgentiæ munera cunctis fidelibus propoſuit, eoſque, ut erratis expiatis, Divinam opem Melitenſibus implorarent, ac pro ſuis quiſque facultatibus eis ſuccurrerent, paternâ charitate provocavit. Ex quo Pontificiæ Indulgentiæ piorumque liberalitatis beneficio, per Italiam, Galliamque præſtito, haud modicam pecuniæ vim collectam eſſe, teſtatur Gabutius. Quod, nè in Hiſpania quoque fieret, ut idem ſcribit, Regiorum Adminiſtrorum, indè cogendæ pecuniæ bonam partem in Guletanam munitionem conferendam eſſe prætendentium, fecit exemptio. At verò, cùm prætèr hæc, in Indiis quoque, ut edixerat, Jubileum ipſum minimè vulgatum fuiſſe Pius intellexiſſet; id ægrè ferens, eo mox abrogato, per exhortatorium Diploma, Sacrum, Apoſtolicæ Benedictionis munus iis tantùm obtulit, qui ejuſmodi ſubſidium benignè deinceps contuliſſent. Præfatum Jubilæum, uti illud ex exemplari Vaticano accepimus, hìc damus.

Caten. Vit. Pii pag. 48.
Feviller. vit. Pii lib. 2. cap. 10.
Gabut. ut ſup.
Thuan. lib. 19. pagin. 368.
Ibid. ut ſup.

PIUS PAPA V.

CLXXI.

Ex M. SS. Cod. Vatic. ſignat. 2956 pag. 22. & ſeq.

UNiverſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cùm graviſſima, & aſperrima tempora populi Chriſtiani, in quæ Pontificatus noſter incidit, conſideramus, perturbatur, intimo dolore, cor noſtrum, & ſummo mærore conficitur, tùm ex damnis, calamitatibuſque præſentibus, tùm ex magnitudine periculorum inſtantium. Namquè, & in multis Provinciis, proptèr hæreſes introductas, non ſinè miſerabili animarum pernicie, Chriſtiani populi unitas, concordiaque dirempta eſt; & dùm reliquæ nationes Catholicam fidem, verbo quidem profitentur, factis autem, & moribus nequaquam tali profeſſioni congruentibus, Deum graviter offendunt; aucta eſt, mirum in modum, impiorum hoſtium potentia, & adeò crevit, ut jam Chriſtianæ Reipublicæ Salus in extremum diſcrimen adducta ſit. Quotidiè enim ad Nos, & literæ, & nuncii afferuntur, de Claſſibus, de Copiis, de pedeſtribus, & equeſtribus, de reliquis rebus, ad bellorum, & terreſtrium, & maritimorum uſus neceſſariis, quas potentiſſimus, & immaniſſimus Turcarum Tyrannus, incredibili ſtudio, diligentia, ac ſumptu comparat, ad bellum, terrâ, marique, Chriſtiano populo, primo quoque tempore, inferendum,

dum, & Chriſtianorum non religionem modò, ſed etiàm nomen penitùs, ſi poſſet, abolendum, atque delendum. Huic tantæ, tamque horribili, quæ impendet, tempeſtati, pro commiſſo nobis Officio Paſtorali, ſaluti populi Chriſtiani occurrere cupimus, pro qua etiam ſanguinem, & vitam ipſam libentiſſimè profundere parati eſſemus. Sed, ut propter iniquitates, & peccata, iræ Divinæ meritò extimeſcenda eſt ultio, ità, ſi populus Chriſtianus ſeſe ad Deum converterit, & pœnitentiam egerit, ſperandum eſt, Deum, ut eſt benignus, & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia: *nec vult* peccatorum mortem, ſed, ut convertantur, & vivant; *quique nos invitat, dicens:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *ſuis Fidelibus auxilio futurum, nec paſſurum hæreditatem ſuam, ab Infidelibus occupari. Etſi enim vires hoſtium maximæ ſint, tamèn major eſt, qui in nobis eſt, quàm qui contra nos; potenſque eſt Dominus, tàm in paucis ſalvare, quàm in multis. Quocircà, ex parte Omnipotentis Dei, & per Viſcera Miſericordiæ illius, omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſtifideles hortamur, & monemus, ut hoc acceptabili tempore, ad Dominum, & Redemptorem noſtrum humili corde converſi, conſcientiam ſuam diligenti ſtudeant examinatione diſcutere, atque orationibus, & eleemoſynarum erogationibus vacare, juxta ipſorum conſcientiam, ſivè Sacerdotum, quibus peccata ſua confitebuntur, ſalutare conſilium. Ut verò eò libentiùs faciant dignos pœnitentiæ fructus, quò talium operum majorem ſunt fructum, & præmium percepturi: Nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. ejus Apoſtolorum Petri, & Pauli authoritate confiſi, & pro illa, quam Nobis, licèt inſufficientibus meritis, Deus dedit ligandi, & ſolvendi, & Theſauros Eccleſiæ aperiendi poteſtate: omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui hoc quadrageſimali Jejunii tempore, poſtquàm harum Literarum notitiam habuerint, in ſequentis hebdomadæ quarta, & ſexta feria, ac Sabato, pro defenſione Reipublicæ Chriſtianæ contra hoſtes, & pro unione Chriſtifidelium, pias ad Deum preces effuderint, & pro ſuæ devotionis affectu eleemoſynas erogarint, ſacramque Eucharistiam poſteà, die Dominico devotè ſuſceperint: poſt diem verò Sa-*

A *cratiſſimum Reſurrectionis Dominicæ, ſi priùs harum Literarum notitiam non habuerint, & poſt ipſas Literas promulgatas in ſequentis hebdomadis, quarta itidem, & ſexta feria, & Sabato jejunaverunt, & orando, ut præfertur Sac. Communionem die Dominico proximo perceperint, pleniſſimam peccatorum ſuorum Indulgentiam, quæ Chriſtifidelibus, Eccleſias Almæ Urbis, & extra Urbem, ad id deputatas anno Jubilei viſitantibus conceſſa eſt, miſericorditer in* B *Domino elargimur. Dantes eis poteſtatem eligendi, quem voluerint Confeſſorem, cujuſvis Ordinis Regularem, ſeu Sæcularem Presbyterum, qui, confeſſione eorum auditâ, ipſos à quibuſvis peccatis, quamvis gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, contentis, & à Cenſuris, in quas inciderint, injunctâ eis, pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, abſolvere; & quævis vota, ab eis emiſſa (votis dumtaxat* C *Caſtitatis, & Religionis exceptis) in alia pietatis opera commutare poſſit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die VIII. Martii 1566. Pontific. noſt. anno primo).

Ex Apoſtolica hac ſpiritualium theſaurorum Pii liberalitate, ingentem pecuniæ vim coactam, ſcribit quoque Jacobus Boſius, qui addit, agente Hieroſolymitani Ordinis Oratore Cam- D biano, ab eodem Pontifice, altero Diplomate vetitum, nè Feria ſexta in Paraſceve, ac Sabato Sancto hujus anni indulgentiam, vel Jubileum aliud, præter illud, quod in Melitæ ſubſidium ipſemet propoſuerat, vulgari poſſet. CLXXII.

Iacob. Boſ. hiſt. Hieroſolymit. libro 15. pagin. 734.

Biduo ante ejuſdem publicationem, à Melitenſi Ordine Romam miſſus Petrus de Monte, Capuæ Prior, ut, ejuſdem Religionis nomine, novo Pontifici obedientiam profiteretur, omni E officiorum genere, à Pio, ſexta die Martii, coram Cardinalibus in publico Conſiſtorio exceptus fuerat; Orationemque pro eo ad Pontificem habuerat celeberrimus ille, & omnimoda eruditione inſignis, Achilles Statius Luſitanus. Eam ex latino converſam, refert Boſius, ſimulq; illud, quod, Pontificis nomine, Antonius Florebellus Avellinenſis Epiſcopus, à ſecretis Brevium, dedit reſponſum. CLXXIII.

CLXXIV. Privatim deinde Petrus de Monte Pontificem allocutus, de cunctis admonuit, quæ ad Melitæ, & Hieroſolymitanæ Religionis ſtatum pertinebant; & ad quæque pro utriuſque ſalute facienda, ac ſubeunda Pium paratiſſimum inveniſſe, Boſius idem tradit; ſubdit tamen ſe, admiratione motum oſtendiſſe Pontificem, quod Magnus Melitæ Magiſter, ſtatìm à Turcicæ claſſis diſceſſu, totis nervis novæ Urbis ædificationi animum non intendiſſet; aliaque dixiſſe, ex quibus elici poterat, Pio renunciatum eſſe, non in hoc tantùm, ſed quòd in farciendis quoque aliis Melitæ arcibus, ſegnior, quàm oportuerat, idem Magiſter extiterat. Quam ſententiam, Pontificis animo falsò injectam, diluere Petrum de Monte, & Cambianum, Melitenſium Oratores, totis viribus contendiſſe ſcribit.

CLXXV. Verùm, ubi Joanni Vallettæ delatum eſt, de his ſparſis in vulgus rumoribus, falsâque de ſe concepta à Pio opinione; valdè commotus, Epiſtolas ſatis aculeatas ad Pontificem dedit, quibus, & præteritam ſegnitiem in admovenda novæ Urbis fabricæ manu, purgare ſtuduit, & novo excogitato dolo ſolertique commento, quæ perperam de eo vociferabantur, abolere connixus, ſe ſuoſque Melitenſes milites (quod minimè tamen in animo habebat) niſi Chriſtiani Principes opem ei opportuno tempore ferrent, Melitâ relictâ, (quod Pontifex, & Hiſpani maximè verebantur) in Siciliam recepturum, intermi- natus eſt. Quod quidèm, adeò ex ſententia ſucceſſit, ut de ejuſmodi ſtratagemate loquens, fructuoſum ſuum: *Finxit ſe longiùs ire*, illud nuncupare deindè conſueverit. Hiſpani enim, ubi id illis innotuit, veluti è ſomno excitati, ſuppetias, quas uſque adhùc impertiri diſtulerant, ſuppeditarunt, & Pius, non modò præterita commemorare deſtitit, quinimò de variis, quibus Valletta premebatur, anguſtiis edoctus, ut mœrentem hominem ſublevaret, & in officio contineret, non ſolùm, quanta poſſet maxima, illi ſubſidia tribuere, ſed vitam etiam, ac ſanguinem pro honore Dei, Melitenſiumque ſalute profundere paratum eſſe reſpondit, ut à ſequenti, ad ipſum ſcripta, epiſtola apparet, quam, & Gabau, inter Pii epiſtolas edidit, & Boſius quoque, è Latino converſam, in ſua Hieroſolymitanæ Religionis Hiſtoria inſeruit, & nos ex Vaticano Regeſto accepimus, eſtque hujuſmodi.

Ibid. ut ſup. pag. 738. — *Ibid. pagina 714* — *Gabut. à ſi. ſol. Pii lit. 1 Epiſt. 1.* — *Iacob. Boſ. hiſtor. lib. 35 pag. 742.*

(Dilecto Filio Jo: de Valleta,
Magiſtro Hoſpitalis Sancti
Joannis Hieroſolymitani.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam
Benedictionem.

Epiſt. apud Gaub. Pii V. lib. 1. Ep. 3.

B *LEctis Literis tuis, die 24. Februarii datis, & iis, quæ, mandato tuo, Nobis Cambianus Orator tuus expoſuit, auditis; cognovimus te certiorem factum fuiſſe, conceptam à Nobis eſſe quamdam minùs commodam de te opinionem, quòd non ea, qua opus fuerit, diligentia, ea, quæ ad iſtius Inſulæ defenſionem neceſſaria ſunt, paraveris. Moleſtè ferimus, hoc de Nobis te ſuſpicari, qui de te non poſſumus non honorificentiſſimè, & ſentire ſempèr, & loqui, & tua merita in* C *Chriſtianam Rempublicam prædicare, qui viderimus, quanta virtute, quantaque conſtantia ſuperiore anno, à potentiſſimorum hoſtium, aſſiduis tot menſium oppugnationibus, Inſulam iſtam defenderis; & quanta eum laude, & gloria tua eos ad extremum, multis, & maximis acceptis detrimentis, recedere coëgeris; ac Siciliam, & Italiam tuis laboribus, & periculis, ac plurimo tuorum ſanguine, ex tanti belli periculo eripueris. Illud tamèn fatemur, non defuiſſe, qui* D *diligentiam tuam nonnullis in rebus, & in ea maximè deſideraverint, quòd non ſtatim poſt diſceſſum hoſtium, novum Oppidum condere aggreſſus ſis, ſicut Prædeceſſori noſtro promiſſum fuerat, qui eo promiſſo inductus, illam pecuniæ ſummam ad Urbem novam condendam pollicitus fuit, cujus etiam partem ſolvit, ut ea Urbs, quam primùm inchoaretur. Nos tamen, quo minùs inchoata fuerit, culpa tua factum non eſſe putamus, ſed rerum neceſſariarum inopiâ,* E *quam in tuis literis excuſas. Neque enim adduci poſſumus, ut credamus, te, cum tantam gloriam tibi, illo obſidionis atrociſſimo tempore, compararis, indiligentia poſteà quadam eam imminui paſſurum fuiſſe, & in re tàm neceſſaria officio tuo defuiſſe. Non poſſemus tamen non improbare, & reprehendere conſilium tuum, ſi id faceres, quod tibi in animo eſſe ſcripſiſti, ut, relicta Inſula Meli-*

Melita, te cum tuo Ordine in Siciliam reciperes, præſidio illis duabus Arcibus tantùm impoſito, quòd hac ratione putes, Ordinem tuum faciliùs à Claſſe Turcica defenſum iri. Etenim pro tua prudentia cogitare debes, ſi tu indè diſcederes, hoſtes facilè, cùm reliquas Inſulæ partes ſtatim, tùm illas duas Arces, brevi, in poteſtatem ſuam redacturos fore; atque ita illa Inſula, quæ Siciliæ imminet, quod Deus avertat, amiſsâ, Siciliam, & Italiam deinceps, & totam Chriſtianam Rempublicam in maximum periculum adductum iri; atque ita futurum, ut laus, & gloria tibi, & Ordini tuo, ſuperiore anno parta, non modò evaneſcat, ſed in maximum dedecus convertatur. Neque verò exiſtimatio veſtra tantùm agitur, ſed ipſius Ordinis veſtri ſalus. Neque enim Principem ullum reperturi eſſetis, qui vos ullo ſuæ ditionis loco reciperet, cùm attenderet, vobis recipiendis, & aliquo Vobis Oppido tribuendo, futurum, ut bellum Turcarum ad ſe attraheret. Quòd ſi diſiecti, & ſegregati ſibi quiſque veſtrum conſilium caperet, & Præceptoriis frui ſuis ſe poſſe ſpectaret, cogitare debet, non defuturos, quibus occaſio hæc minimè prætermittenda videatur, ipſas Præceptorias veſtras occupandi, & de his, quidquid ſibi libitum fuiſſet, faciendi. Hæc pro tua prudentia cogitans, ſtatuere, & deliberare debes, deſiſtendum tibi eſſe conſilio tuo Inſulæ relinquendæ: ſed in ea permanendum, unà cùm ipſo tuo Ordine. Urgebit majorem in modum præſentia tua; & cùm animos Chriſtianorum militum, tùm hoſtes ipſos deterrebit, à quo ſe, ſuperiore anno, victos fuiſſe meminerint, majoriſque momenti tui unius erit præſentia, quàm, ſi tu abeſſes, magna militum manus. Quòd ſi, ſuperiore anno, tàm parva manu potuiſti, Deo juvante, hoſtes repellere, quantò magis confidere debes, Hiſpaniarum Regis Catholici auxiliis, & noſtris adiutum, præter illa, quæ ipſe conducturus es, te illos repulſurum, cum quibus etiam acie ipſâ, ſi neceſſe fuerit, poteris dimicare, nedùm pauca adversùs eos præſidia tueri? Quid verò animi futurum ipſis hoſtibus dimicaturis cum tanto majore Chriſtianorum militum numero, quàm is fuit, à quo, ſuperiori anno, devicti fuerunt, & ipſorum copiis futurum, ut veriſimile eſt, minoribus, propterea quod Turcarum

A *Tyrannum bellum, alia ex parte Chriſtianis terra illaturum eſſe pro certo habetur. Mane igitur, Dilecte fili, in præſidio tuo, mane in poſſeſſione laudis, & gloriæ, quam tibi apud omnes gentes immortalem peperiſti. Non defutura ſunt tibi auxilia Regis Catholici, cujus ipſius gloria, & Regnorum ſalus agitur: Non deerunt noſtra, qui ſanguinem ipſum parati ſumus pro Dei Redemptoris noſtri honore, & pro Chriſtianæ Reipublicæ ſalute profundere.* B *Aderit verò in primis tibi Deus ipſe, qui priori anno, tàm manifeſtò etiam juvit. Non deerit ſupernum ejus auxilium militibus ſuis. Quod, quò certiùs adſit, Nos, omnes pias, & religioſas perſonas, & univerſos Chriſtifideles ad invocandum, apertis Eccleſiæ theſauris, nupèr invokavimus. Regem autem, & ſi non dubitamus parari jam juſſiſſe auxilia, & reliquas res, quas pollicitus fuit, tamen ad eum Nos hoc tempore ſcribimus, ad mittenda vobis primo quoque* C *tempore auxilia promiſſa, noſtris literis vehementer urgentes. Scribimus etiam ad Proreges Neapolis, atque Siciliæ, eos extimulantes, ut eas res, de quibus mandatum à Rege acceperunt, ſine mora vobis ſubminiſtrent.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die 22. Martii 1566. &c.)

CLXXVI. At, cùm eâ mente, quas innuimus literas, ad Pium Valletta dediſſet, ut non modò ipſe auxilia ſubminiſtraret, verùm etiam ad eadem ſuppedi- D tanda Chriſtianos alios Principes ſua authoritate urgeret; id libentiſſimè Pontifex, & præſtiturum, ut audiſti, ad ipſum ſcripſit, & revera præſtitit, ut educitur ex ſequenti Epiſtola, ſub eodem die, ad Philippum Hiſpaniarum Regem ſcripta.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro
Philippo Hiſpaniarum
Regi Catholico.

E Chariſſime &c.

Mittimus, unà cum his literis ad Majeſtatem Tuam exemplum literarum, quas dilectus filius Magiſter Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani ſcripſit ad Brocardum Comitem, & ejus Ordinis Militem Cremonenſem, ex quibus M. T. agnoſcet querelas ejus, & cogitationem, de ſe, cum ſui Ordinis corpo- Ex Archiv. vatic. ſign. 1906.

corpore in Siciliam recipiendo, propte- A
reà quòd imparatus ſit ab eis rebus, quæ
ad tuendam Inſulam Melitam ſint neceſ-
ſariæ. Ad eum Nos reſcripſimus, adhor-
tantes, ut manendum ſibi eſſe ſtatuat in
ea Inſula; & quàm diligentiſſimè potui-
mus, ad eam defendendam confirman-
tes, de M. Tua pollicentes, non defutu-
ra ei auxilia militum, & cæterarum
rerum neceſſariarum, quas M. T. pro-
miſit, ſicut Nos quoque, & pecunia eum
juvare cœpimus, & auxilio etiam mili-
tum, ac quibuſcumque rebus poterimus, B
enixè ei ſubvenire decrevimus. Nunc
etiam, tacentibus Nobis, ſatis ipſius pe-
riculi magnitudo loquitur, tàm appro-
pinquante adventu hoſtilis Claſſis, &
ipſo Magiſtro, ab omnibus rebus tanto-
perè imparato, quàm neceſſarium ſit,
& militum auxilia, & aliarum rerum
copiam illi ſubminiſtrare, nè negligen-
tiâ noſtrâ Reſpublica Chriſtiana maxi-
mum, aliquod detrimentum, quod ſar-
ciri poſtea minimè poſſit, accipiat (id
quod Deus avertat). Quocircà M. T. C
hortamur, & rogamus, ut tanti peri-
culi magnitudinem attendens, curet, ef-
ficiatque, ut nè qua mora ampliùs incer-
ponatur, ad auxilia militum, quæ pro-
miſit, & ad cæteras res neceſſarias,
quibus indiget, ipſi Magiſtro ſubmini-
ſtrandas, & defendendum in Inſula con-
firmet, provideatquo, nè qua illi juſta
querendi cauſa detur, ſed omnibus opi-
bus ſuis ipſum, & totum illum Ordi-
nem, ità de Chriſtiana Republica meri-
tum, adjuvandum, & defendendum ſibi D
eſſe ſtatuat. Datum Romæ apud San-
ctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die
22. Martii 1566. Pontific. noſt. ann. pri-
mo)

CLXXVII. Neapolis quoque, & Siciliæ Pro-
reges per Literas, ac Nuncios ad pro-
Ibid. ut ſup. miſſas Melitenſibus ſuppetias, quàm
celerrimè ferendas, ardentiùs Pium
extimulaſſe, Gabutius ſcribit. Verùm,
inter hæc, tantùm abeſt, ut Valletta
aliò, cum Ordine ſuo, commigrare co- E
gitaret, quin novæ Urbi condendæ jam
manum admoverat: nàm quint. Kalen.
Aprilis hujus anni, Feriâ quinta poſt
quartam Dominicam Quadrageſimæ;
quo die in Introitu Miſſæ Eccleſia ca-
Boſ. lib. 35. pag. 744. nit: (*Lætetur cor quærentium Domi-*
num: quærite Dominum, & confirma-
mini, quærite faciem ejus ſemper), &
legitur Evangelium de Puero filio Vi-
duæ à Chriſto Domino reſuſcitato, ſo-

A lemni pompa Urbs nova ædificari cœ-
pit, ferventique opere deinceps, Deo
in primis, deindè Pio, atque aliis benè
juvantibus, extructa fuit, ac communita,
eique *Vallettæ* nomen, à Gentili Condi-
toris Magni Magiſtri Cognomine, ma-
jorum more inditum fuit. Ad hoc ve-
rò, ut novum ædificium celeriùs, pro
neceſſitate, abſolveretur, nè feſtis die-
bus opus facere impedirentur, fabros,
& operarios cœteros Pontifex legibus
abſolvit: edicens, vel neceſſitatis, vel
B pietatis, vel publicæ utilitatis; quæ
genus quoddam pietatis eſt, id aliquan-
do fas eſſe; quas videlicet rationes om-
nes, ad rem præſentem pertinere com-
pertum. De hoc extat Apoſtolicum
ejuſdem Diploma, ad præfatum Magi-
ſtrum Vallettam ſcriptum in hunc mo-
dum.

[Dilecto Filio Jo: de Valletta Magi-
ſtro Hoſpitalis Sancti Joannis
Hieroſolymitani &c.

C

Dilecte Fili, ſalutem &c.

CUm optimo prudentiſſimoque conſilio *Ex Vat. Archiv. ſign. 1906.*
ſtatueris, novum Oppidum in Inſula
Melita, loco opportuniſſimo in Colle, in
quo poſita eſt Arx Sancti Elmi, abs te con-
di cœptum, muris, propugnaculiſque
munire, conducendo ejus operis causâ ex
ſicilia ſtructorum, lapicidarum, & Ope-
rariorum numerum; ſupplicandum No-
bis curaſti, quoniam celeritate magna
D *opus eſt, ad occurrendum periculo, quod*
ab impiis, & potentiſſimis Chriſtiani
nominis hoſtibus Turcis, Mauriſque
prædonibus illi Inſulæ imminent, ſupe-
riore ab eis anno, tàm pertinaci oppu-
gnacione tentatæ, permittere velimus,
ut quò citiùs id opus abſolvi poſſit, etiam
diebus feſtis ſtructores, & alii, quorum
operâ uſurus es, ei ædificationi, ac mu-
nitioni, abſque peccato vacare poſſint.
Quibus nos ſupplicationibus inclinati,
E *& conſiderantes, licèt dies Feſtos, tàm*
nova, quàm veteri lege, Divini cultus
cauſa ſervandos eſſe præceptum ſit, &
ab operibus ſervilibus abſtinendum; ta-
men etiam propter homines inſtitutos
fuiſſe, & Sacris Canonibus excipi duas
cauſas: unam neceſſitatis, alteram pie-
tatis, ſivè publicæ utilitatis, quæ pars
pietatis eſſe cenſetur; quarum utraque
in hac re concurrat, ſcientes etiam,
quantam cladem olim Machabæi accepe-
runt,

runt, propterea quòd in die Sabbati pu-
gnare noluerint; qui Divino afflati ſpi-
ritu poſteà decreverunt, venientibus ho-
ſtibus etiam die Sabbatorum pugnare.
His de cauſis, Apoſtolica authoritate,
tenore præſentium permittimus, & in-
dulgemus, ut ſtructores, Operarii, lapi-
cidæ, & omnes alii, quorum opera ad
ejus Oppidi ædificationem, & ipſius In-
ſulæ munitionem, uti volueris, etiam
diebus Feſtis omnibus, exceptis illis die-
bus, qui diſcretioni tuæ excipiendi vide-
buntur; ſi modò temporis ad muniendum
conceſſi ſpacium patietur, ædificationi,
& Arcium, atque aliorum locorum, In-
ſulæ munitioni, ſeù inſtaurationi poſ-
ſint, ſine conſcientiæ ſcrupulo, incum-
bere. Datum Romæ apud Sanctum
Marcum ſub annulo Piſcatoris. Die 19.
Auguſti 1566. Pontific. noſtr. ann. pri-
mo]

CLXXVIII. Præter Hiſpaniarum Regem alioſ-
que Principes, qui in novæ Urbis con-
ſtructionem ſubſidia plura contulerunt;
magnam pecuniarum dediſſe ſummam
(quod tamen Scriptores ſilentio præte-
reunt) Sebaſtianum quoque Luſita-
niæ Regem; ex epiſtola educitur, ad
eum à Pio ſcripta, qua ingentem illius
Principis in Melitenſium Ordinem li-
beralitatem, his verbis commendan-
dam duxit.

[Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro
Sebaſtiano Portugalliæ, &
Algarbiorum Regi
Illuſtri.

Chariſſime in Chriſto Fili
noſter.

Ex Archiv. vatic. ſign. 2906.

COgnovimus ex Cambiano Oratore Di-
lecti Filii Magiſtri Hoſpitalis San-
cti Joannis Hieroſolymitani, & ab aliis,
Majeſtatem tuam, commotam meritis
illius Ordinis, erga Rempublicam Chri-
ſtianam, miſiſſe ſatis magnam pecuniam,
ad Oppidum novum in Inſula Melita
condendum, eamque Inſulam, tamquàm
Arcem, adversùs immaniſſimos hoſtes
Chriſtiani nominis muniendam. Ma-
gnam ſanè ex iſta liberalitate tua, &
à toto illo præſtantiſſimo Ordine, & re-
liquis omnibus laudem adeptus es, &
feciſti, quod pium Regem decuit. Ordo
enim adeò de Chriſtiana Republica be-
nemerentiſſimus, omnium Chriſtianorum
Principum auxilio dignus eſt; & Inſula

A *illa, adeò Siciliæ imminet, ut cavere ne-*
ceſſe ſit, nè in hoſtium poteſtatem veniat,
in qua id Oppidum, cùm ædificatum, &
diligentèr munitum fuerit, erit oppor-
tuniſſimum adversùs Turcas, & prædo-
nes alios totius Chriſtiani populi propu-
gnaculum. Laudantes igitur Nos quoque
eo nomine M. T. hortamur, ut quandò
tàm benevolum animum erga hunc Or-
dinem indicaſti, illum perpetuò com-
B *mendatum habeas, cui nos quoque non*
defuimus adhuc, nec defuturi ſumus.
Datum Romæ apud Sanctum Marcum
ſub annulo Piſcatoris. Die vij. Augu-
ſti MDLXVI. Pontificat. noſtr. anno
primo)

Perſpectum igitur undique hoc CLXXIX.
Pii erga ſe tàm eximium ſtudium Meli-
tenſis Ordo habens, ut grati animi mo-
numentum aliquod ei præberet, ſimul-
que digna cum Cardinali Alexandrino
officia perſolveret, à quo beneficia plu-
C ra referebat accepta; hoc ipſo fer-
mè tempore eum ſibi in Protecto-
rem elegit, ſequenti diplomate. Nos
illud ex ipſo Originali hìc exſcripſi-
mus.

(Fr. Jo: de Valletta D. G. Sacræ Do-
mûs Hoſpitalis Sancti Joannis Hie-
roſolymitani Magiſter humilis, Pau-
perumque Jeſu Chriſti Cuſtos. Et
Nos Conventus Domûs ejuſdem:
Univerſis, & ſingulis præſentes
D noſtras literas viſuris, lecturis,
& audituris, ſalutem in Domi-
no, & proſperos ad Vota ſucceſ-
ſus.

COnſuevit Ordo noſter, ex Reveren-
diſſimis, atque Colendiſſimis Patri-
bus, & DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Card. nonnullos habere Protectores, eoſq;
tamquàm Patronos, & præcipuos fauto-
res, obſervare, colere, & venerari, at
prælibati Ordinis jura tueantur, pro-
E *tegant, & defendant. Qua de cauſa*
ſolet, per literas ſuas ſpeciales in Pro-
tectores ſuos eligere, optare, & nomina-
re, qui ſingulari benevolentia, intimo-
que affectu Ordinem ipſum proſequan-
tur. Circumſpectiùs itaque animadver-
tentes, quàm ſolerti ſtudio, cura, indu-
ſtria, atque ſedulitate Reverendiſſimus
atque Illuſtriſſimus in Chriſto Pater, &
Dominus Alexandrinus Sacroſanctæ Ro-
manæ Eccleſiæ Tit. Sanctæ Mariæ ſupra
Minervam Præsbyt. Card. res noſtras in-
ceſ-

ceſſanter procuret apud Sanctiſſimum A *Dominum noſtrum Pium Quintum Pontificem max., quo inſuper amore, ac pietate noſtri Ordinis ſtatum proſequatur; ſeriò primùm invicem maturo, & deliberato conſilio, de noſtra certa ſcientia, & omnibus melioribus, via, modo, jure, & forma, quibus meliùs, & validiùs facere poſſumus, & debemus, eumdem Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum Alexandrinum, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Tit. Sanctæ Mariæ ſupra Minervam* B *Card. Ordinis, ac Fratrum, Subditorum, ac Vaſſallorum noſtrorum, negotiorum agendorum, ſtatùſque eorumdem Protectorem, & Defenſorem eligimus, creamus, facimus, & conſtituimus; Citra tamen revocationem aliorum noſtri Ordinis Protectorum in Urbe, & diverſis Mundi partibus conſtitutorum; ut multiplicatis interceſſoribus, negotia noſtra feliciùs ſuum ſortiantur effectum. Præfatum igitur Illuſtriſſimum D.Cardinalem humilitèr, & obnixè ſupplica-* C *mus, ut grato animo dicti Ordinis protectionem, & defenſionem pro ſua erga nos humanitate, ſummâque dilectione ſuſcipere dignetur, ipſumque Ordinem, Fratres, Subditos, & Vaſſallos, omni favore, authoritate, ſaluberrimoque conſilio juvare, tàm coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Summo Pontifice, quàm Reverendiſſimis Cardinalibus, & eorum Sacro Collegio, aut alibi, ubi opportunum ei viſum fuerit, & conducibile, honoremque, decus, atque commodum no-* D *ſtrum, dictique, Ordinis præcipuè commendatum habere, nè detrimentum, damnum, dedecuſque ſuſcipiat. Monemus igitur venerandos Bajulivos Ordinis noſtri, & hortamur omnes, & ſingulos Priores, Factores, Procuratores, Fratres, & Subditos noſtros, cujuſcumque conditionis, gradus, & qualitatis fuerint, eiſque in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictiùs præcipiendo mandamus, & in virtute fidelitatis injungimus, ut ſupradictum Reverendiſſimum, & Illu-* E *ſtriſſimum Dominum Cardinalem, uti Ordinis noſtri Protectorem, & Defenſorem teneant, colant, & venerentur; ad ejus quoque protectionem, favorem, & patrocinium, pro caſuum exigentia, in eorum neceſſitatibus confugiant, & recurrant. In cujus rei teſtimonium Bulla noſtra communis plumbea præſentibus eſt appenſa.* Datum Melitæ in Conventu noſtro. Die vij. menſis Auguſti MDLXVI.)

CLXXX. Ut autem operibus Pontifex comprobaret, quod ſcripto vidimus ſpopondiſſe, cùm, quæ propoſuimus ſubminiſtrata ab ipſo, ad novi Oppidi fabricæ perfectionem ſubſidia minimè ſufficere comperiſſet; majora præſtare ſtuduit: & licèt per idem tempus, maximos, præcipuè contra hæreticos, ut infrà dicetur, ſumptus faceret, neque aliunde ſuppeteret, ex quo largiora, pro ſua eximia pietate, Melitæ conferre poſſet, auxilia; Pontificii cujuſdam Adminiſtri, officio ſuo malè functi, rebus Fiſco addictis; (extitit is forsàn, qui Quæſtor ſub Pio IV. fuerat, quemque diximus judicio ſiſti voluiſſe, facta tamen ei poteſtate, quemcumque vellet ſibi Judicem deligendi) ex his quatuor, & quadraginta millia nummorum aureorum, ac varias ejus prætereà gemmas, quæ tredecim fermè aureorum millibus æſtimabantur, ipſi fabricæ (ut Gabutius ſcribit) ſtatim attribuit, ſacriſque militibus Melitenſibus in eam rem, ut aureorum centum quinquaginta millia legitimè contrahere quoquo modo poſſent, Ordinis ſui fundis in Italia, Gallia, Hiſpaniaque oppigneratis, (ut inferiùs etiam dicetur) indulſit. Neapolitanis porrò Clericis ob id tres decimas impoſuit, undè mox triginta ferè aureorum millia congeſta ſunt. Ob id tamen, quòd pecuniæ inopia conſtringeretur, vehementique ſtudio ad tuendam, vel hic Melitam, vel alibi Religionem, & Rempublicam, eam colligere laboraret; id nequaquam ulla minùs recta ratione, ac modo curaſſe cenſendum eſt: uti Natalis Comes, aliique ritè obſervant: ac nos, de aliis agentes, non ſemel alibi animadverſione dignum exiſtimavimus.

CLXXXI. Pii præſertim diligentia, ac ſtudio optimè inſtructam Melitam igitur Turcæ intelligentes, ipſam aggredi non ſunt auſi, ſed conceptum rabici virus in Inſulam Chium, aliaque Tyrreni, & Adriatici maris littora, ut diximus, acerbiſſimè evomuere.

CLXXXII. Cùm verò, & verbo, & opere, tàm pervigili ſollicitudine, à barbarorum ſævitia, tàm Melitam, quàm maritimas quaſq; Italiæ oras, præcipue tamen Neapolitani Regni, utpotè Melitæ eidem

eidem proximiores, quæque Turcarum incurſibus, idcircò magis patebant, cuſtodire Pius ſtuderet; in eodem nihilominùs Regno, ab iis ipſis, qui, beneficiis, adeò inſignibus, eo ipſo tempore affecti, eum propenſiùs colere, eique præ cœteris obedire debuiſſent, duriora forſan ſunt objecta certamina. Nàm, inter cœtera, cùm juxtà Sacri Tridentini Concilii Decreta, quorum executionem, præ cunctis ille urgebat, ut diximus, Salernitanus Archiepiſcopus Provinciale Concilium cogere ſtatuiſſet; aſſimulatis quibuſdam cauſis, illud cunctari, atque in dies differre Suffraganei Epiſcopi connixi ſunt; vel quòd ipſi ſanctioribus ejuſdem Legibus conſtringi metuerent, vel quòd laicorum depravatos mores coërcere vererentur, & ipſorum favorem, & gratiam amittere dubitarent: de quibus omnibus Salernitanus idem Præſul certiorem reddere Pontificem, ſequenti, quam ex ipſo Originali exſcripſimus, Epiſtolâ, duxit.

Ex Archiv. Card. Alexand. 10-70

(*Totis quidem meis viribus, Beatiſsime, ac Sanctiſsime Pater, conatus ſemper ſum, ea, quæ tàm ſanctè, tàm piè apud Tridentinum Concilium decreta ſunt, ut diſpoſita reperiuntur, diligenter exequi; & propterea, ut primùm potui, poſt generalem hujus Diœceſis viſitationem, Diœceſanæque Synodi celebrationem, Provinciale indixi Concilium, illudque omnibus Eccleſiæ meæ Suffraganeis, ad Sanctiſsimum Trinitatis diem proximè præteritum inſinuavi; maximâ in Domino ſpe motus, plura ad Animarum ſalutem, pravoſque mores reformandos, hac in Provincia vigentes, ſpectantia, in eo decernenda fore, quibus frui minimè licuit. Nam, cùm dies adveniſſet, Provinciales quidem coram me convenerunt, ſed poſt multa ultrò, citròque inter nos habita colloquia, Concilium priuſquàm inceptum eſſet diſſolverunt, unanimitèr dicentes, videri ſibi, illud ad Idus Octobris differri. Iſtud me gravi moleſtia affecit, cernens his quidem fructibus nos eſſe privatos, quos ex Congregatione ipſa conſequi ſperabamus, ſi omnes in ea eſſemus ſententia, priùs quæ ad ſalutem Gregis pertinebant, ſtatuere, & nos ipſos, ubi, & uti res exigebat, reformare, quàm à levioribus inchoare. Cùm omnes hinc diſceſſiſſent, & poſtea dies ab eis præſtituta adeſſet, evenit tunc, Mediolani indictum eſſe Concilium, cujus eventum expectandum duxi; ſed antequàm terminaretur, Pius Quartus Sanctitatis Tuæ Prædeceſſor, è vita diſceſſit, & aliqui ex meis Comprovincialibus hinc abeſſe reperiebantur; Acernenſis verò mortuus. Hæc omnia, nè illud convocarem, mihi impedimento fuere. Nunc verò rursùs indicare plura me perturbant, & ideò priuſquàm ad aliud deveniam, viſum eſt mihi de omnibus Sanctitatem tuam certiorem facere, & omni veneratione de his, ut facio, eamdem conſulere. Sanctiſſime Pater, illud primùm valde me dehortatur. Suſpicor, Provincialium mentes in rebus præcipuis decernendis, à concordia fortè alienos fore; deindè, quòd pro certo habemus, ſupremos ſæculares Judices ægrè ferre hujus Concilii celebrationem; quippè qui ſanè credunt, multa in eo pro hujus Provinciæ pravorum morum reformatione ſtatuenda eſſe, quibus adverſari, &, ut ea executioni nequaquàm demandentur, ne dùm, ut vereor, conabuntur, ſed reipſa à nobis abdicare ſtudebunt. Quibus ex cauſis facilè mihi perſuadeo, parùm utilitatis in his partibus perventurum, & propterea ſalubrius erit, niſi fallor, malis, quæ his inſtant, vel inſtabunt, Sanctitate Tua conſulta, ſecundùm prudentiſsimum illius conſilium mederi. Dignabitur igitur Sanctitas tua, his omnibus prudentèr, ut aſſolet, conſideratis, mandare quid agendum, & ego interim necquidquam innovavero, donec à Sanctitate tua reſponſum habuero: Quem Deus Opt. Max. diù conſervet incolumem. Salerni Kalen. Aprilis 1566. Beatiſſimæ Pater. Servus humilis, & Orator veſtræ Sanctitatis, qui Beatiſſimos pedes tuos deoſculatur. Archiepiſcopus Salernitanus.*) His literis Pius hujuſmodi reſponſum dedit.

[Venerab. Fratri Archiepiſcopo Salernitano.

PIUS PAPA V.

Ven: Frater.

Ex Archiv. Vatic. pagin. 2906.

ACcepimus literas tuas, in quibus ſcribis, cùm ex Decreto Sac. Concilii Tridentini Provincialem Synodum anno proximo ad diem Feſtum Trinitatis indixiſſes; & cùm Suffraganei ad conſtitutam diem conveniſſent, eorum omnium conſenſu, ejus celebrandæ tempus

ad Id. Octobris dilatum fuiſſe; cujus dilationis nullam cauſam abs te allatam fuiſſe mirati ſumus. Addis, cùm dies veniſſet, ad quam Synodus prorogata fuerat, quibuſdam de cauſis, nè tùm quidem fuiſſe à Vobis celebratam: Oportuit te, Frater, quo primùm tempore congregaveras, pro loco, quem in eo tenebas, cohortari diligenter, & urgere ipſos Suffraganeos, ad exequendum, tàm ſalubre Decretum Concilii, & diſſentientes admonere ipſorum Officii. Tu verò non modò id tùm non egiſti, ſed cùm iterùm Synodum congregaſſes, eam, nullâ re penitùs actâ, paſſus es iterum diſſolvi. Ita ſecundus error fuit gravior priore: bis coacta Synodus fuit, bis ſine ulla cauſa probabili diſſoluta, nulla re omninò earum, quæ tractari debuerant, actâ, atque decretâ. Quorsùm igitur expectatus fuit exitus Provincialis Synodi Mediolanenſis, ſi nè tùm quidem cùm ea peracta fuit, veſtra fuit Synodus celebrata? Quid verò impedimenti attulit obitus Prædeceſſoris noſtri, quominùs eam celebraveris, atque nonnullorum Suffraganeorum tuorum abſentia? Qui erant tuis literis evocandi, etſi non veniſſent, Synodus fuerat nihilominùs proſequenda. Illud verò probare non poſſumus, quod ſcribis, deterreri te, nè Synodum rursùs indicas, quòd ſuſpiceris, Suffraganeos minimè conſenſuros, ad ea, quæ eſſent præcipuè decernenda. Tuum enim officium erit, eos ad concordiam diligentèr hortari, & priùs, an verè inter ſe diſſentiant experiri. Quòd ſi putas Judicibus ſæcularibus non placere Synodum celebrari, debebitis vos honorem, & obſequium Dei rebus aliis omnibus præponentes, quæ decernenda fuerint, decernere, & poſteà Proregi, aut Catholici Regis, aut, ſi itâ vobis viſum fuerit, Sedis Apoſtolicæ auxilium implorare, quod vobis minimè defuturum eſt. Quia verò Nos conſulendos putaſtis, Nos cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sacræ Congregationis Concilii re communicata, volentes pro loco, in quo Nos Dominus conſtituit, id agere, & curare, ut quæ tàm piè, & tàm providè in tanto Concilio, poſt tot labores ſuſceptos, poſt tot, & tàm graves difficultates, Dei auxilio, ſuperatas, tantâ, & tàm diuturna Chriſtiani populi expectatione decreta fuerunt, ubique ſerventur; neque eorum, qui ea exequi debent, negligentiâ eludantur, Fraternitatem tuam hortamur in Domino, & diſtrictè præcipiendo mandamus, ut memor officii tui, ac zeli, quem in ipſo Concilio Tridentino, ſicut accepimus, prætuliſti, Synodum indicas, eamque primo quoque tempore, juxtà Decretum Concilii Tridentini celebres, neque in ea celebranda reſpicias quidquam aliud, niſi Dei honorem, & Animarum ſalutem. Quod ſi qui Suffraganeorum tuorum ad eam venire recuſaverint, adversùs eos Decretum exequi debebis, &, ſi opus fuerit, eorum apud Nos contumaciam accuſare, qui ei rei remedium, quod opportunum fuerit, adhibebimus. Si quid verò à ſæcularibus Judicibus impedimenti, ut ſuſpicaris, allatum fuerit, id quoque removendum curabimus, minimè dubitantes, quin chariſſimus Filius Noſter, Rex Catholicus, ut tanto, & tàm Catholico Rege dignum eſt, ad rem tàm Deo gratam, & tàm populis ſalutarem propensè auxilium ſuum laturus ſit. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum die XXIV. Maji 1566. Pontificatus noſtri anno primo.)

Sic Epiſtola: Fuit autèm, ad quem eam ſcripſit Pius, Archiepiſcopus Salernitanus, Gaſpar Cervantes de Gaete, Natione Hiſpanus, Theologiæ, & Juris eruditione præcipuus, qui jam, ſub Paulo IV. Hiſpalenſis Archiepiſcopi vices præclarè gerens, Tridentino Concilio, ut etiam Pius innuit, interfuerat, & Patribus, ſapientia, ac doctrinâ ſua admirationi extiterat; qui Meſſanenſis primùm, mox Salernitanus Archiepiſcopus renuntiatus; ab ea rursùs Eccleſia, ad Tarraconenſem translatus, tandèm, ob egregia merita, ab eodem Pio V., precibus Catholici Regis, in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus fuit, anno 1570. Repugnante licèt, vel Suffraganeorum Epiſcoporum diſſidio, vel laicorum poteſtate, nihilominùs Provinciale Concilium, hoc ipſo anno, ſic eum impellente Pontifice, coëgiſſe; educi poſſe cognoſcitur, ex his, quæ Gaſpar Muſca monumentis tradidit: nàm eum ſub Pio IV., Diœceſanam Synodum anno 1565. 22. Maji; & Provincialem primam, anno 1566., ex Tridentini Concilii decreto, celebraſſe refert; cui ſubſequenti anno 1567. Diœceſanam alteram narrat addidiſſe. CLXXXIII.

Ughel. Ital. Sac. tom. 7. in Archiep. Salernit. Ciaccon. in Pio V. co. 3. Gaſpar Muſca de Epiſ. & Archiep. Salernit. ſub anno 1561. pag. 59.

Muſc. ut ſup.

At, cùm præfata Epiſtola exarata legatur, vigeſima quarta Maji, & ex altera apud Caracciam, tert. decim. Kalend. CLXXXIV.

Epiſt. apud Caracc.

lend. Auguſti ſcripta, hæc habeantur, (*Illud eſt prætereà à Sanctiſſimo intellectum, quòd velit in omnes Italiæ Epiſcopatus, ſuos Viſitatores inſtituere, ac mittere, ut ratio gubernationis exigatur, & à Collegiis Canonicorum, & ab Epiſcopis*) à veritate minimè alienum eſſe videtur, ex his, quæ à Salernitano Archiepiſcopo audierat, Pium eamdem Epiſcoporum viſitationem meditari cœpiſſe; imò ipſam in Neapolitano Regno, ubi ejuſdem major neceſſitas eſſet, duxiſſe exordiendam. Verùm ex hac, amariora diſſidia initium ſumpſere; Pontifex enìm Thomam Urſinum, ſpectatæ integritatis, Viſitatorem Apoſtolicum eò, cum poteſtate miſit, qui idcircò Strongolenſis ab eo factus Epiſcopus, obeundis Eccleſiis, & corruptelis tollendis, & ſalutaribus præſcribendis Legibus, Neapolim profectus eſt. Ei igitur ſtatim Prorex edixit, ut exequendi Pontificii Decreti, Regiam facultatem (quam *Exequatur* vocant) acciperet. Quod, cùm, vel accipere, vel petere conſtanti animo recuſaret Urſinus, ſe namque miſſum edicens à Chriſti Vicario, cui haudquaquàm hujuſmodi laicorum poteſtate opus eſſet, minùſque etiam in ditionibus, (uti Regnum Neapolitanum eſt,) Apoſtolicæ Sedis tributariis. Monuit Prorex, ut ſaltem commendatitias, ad Regios Miniſtros acciperet, ſuas Epiſtolas, ut ipſi obſequium ſuum, & opem in Viſitatione conferre poſſent: Cui Strongolenſis, iis nec indigere, nec uti velle, reſpondit, quippe quæ perinde, ac ipſa Regia facultas, & exequatur valerent, & amplam, qua opus erat, ad munus exequendum, jam à Summo Pontifice poteſtatem accepiſſet.

Gabut. Vit. Pii lib. 3. cap. 1., & alii &c.

CLXXXV. Hinc utrinque diutiùs decertatum eſt, contendente Pio, diſſidii ab Urſino admonito, Apoſtolicas Literas, & Diplomata, abſque ullo Regio aſſenſu, liberè promulgari, & executioni mandari poſſe: & aſſerente Prorege, id in primis è Republica ſua eſſe, ut quæcumque in ea ſanciri, aut agi deberent, eum minimè laterent; deinde etiam è Summi Pontificis dignitate, nè videlicet falſatoribus, atque impoſtoribus, qui Apoſtolica ejuſmodi diplomata, & facultates non raro effingere conſueverant, horrendæ nequitiæ aditus aliquis patere poſſet. His enim de cauſis, in Principum ditionibus, Regium, quod vocant, *Exequatur*, primò introductum fuiſſe videtur; cùm antea ubique locorum, abſque ulla prorsùs Principum, nè dùm probatione, ſed etiam ſcientia, Apoſtolicæ Literæ liberè vim ſuam obtinerent; vel, cùm nimirùm, diro ſchiſmate ſciſſa Eccleſia, & plura fortè Diplomata Pſeudopontifices, ad ſuam malè partam dignitatem, ac authoritatem aſſerendam, in alienas regiones undequaque immitterent, quibus non parùm res Eccleſiaſtica turbabatur: viſum eſt fortè veris, & legitimis Pontificibus, ad hinc exoriri ſolita, tollenda ſcandala, earumdem regionum Principes exorare, ut quæcumque in eas delatæ Apoſtolicæ Literæ fuiſſent, priuſquàm executioni mandarentur; ab Adminiſtris eorum, an veræ, & legitimæ, & inſuper legitimorum Pontificum eſſent, cognoſcerentur, ac probarentur. Vel, cùm, ob temporalia Jura, cum Pontificibus Summis, Principes decertantes, hi undequaque ab eorum authoritate ſibi pericula, damnaque metuentes, verenteſque, nè ſpiritualis poteſtatis ſpecie, contra ſua temporalia aliquid molirentur; quidquid egiſſent, ac ſcripſiſſent, diſtrictè explorare, compertumque habere voluerunt, nihilque, ſe inſciis, ac conniventibus, Apoſtolicarum Literarum executioni mandarentur, imperarunt. Quæ, nempè conſuetudo, opportunè fortè, vel ad delendas Pſeudopontificum, & ſectatorum eorum fraudes, olìm introducta; vel diſſidiorum inter Pontifices, ac Principes tempore, etſi improbanda, fortè tamen aliquandiù diſſimulanda; ceſſantibus tamèn cauſis hujuſmodi, ipſa quoque ceſſaſſe debuiſſet. Verùm, hominum vitio effectum eſt, ut maximo animarum detrimento, aliquibus in regionibus vim nihilominùs habere non deſtiterit; ex quo certè innumera proceſſere damna, maxima populorum perditio, ſacrarum Legum everſio, cùm illa nempè, quibus ſubeſſe deberent, laici, Sacerdotalia Jura, atque mandata; laicali eidem voluntati, atque Judicio turpiter ſubſtrata cernantur; arbitrioque ſedeat illorum, qui earum plerumque vim ignorant, vel diſciplinam oderunt, & tantùm, quæ terrena ſunt, (uti terreni Principis Adminiſtri,) ſapiunt; nec Animarum, ſed marſupiorum, & corporum perſæpè, dumtaxàt lucra ſectantur.

tur; ea vel comprobaſſe, vel abjeciſſe.

CLXXXVI. *Diſt.8. C. veritate C. conſuetudo. ibi* *Diſtinct. 10.* Sciens igitur Pius, conſuetudinem quamlibet, veritati, & rationi eſſe poſtponendam; cùm conſuetudo ſine veritate, & juſtitia, nil aliud, quàm vetuſtas erroris ſit; & Principum Conſtitutiones, Eccleſiaſticis Conſtitutionibus, non præeminere, ſed obſequi oportere; conſuetudinem eam omninò abrogatam voluit: nàm ſicut, qui animabus præſunt, ut munus ſuum perfectè impleant, quæcumque merè temporalia ſunt, minimè comperta habere, neceſse habent; ſic multò minùs, qui corporibus dominantur, & temporalia tantùm gerunt, quæcumque ad ſpirituale animarum regimen ſpectant, cognoſcere, neque indigent, neque debent: cùm, certis ſuis contenta limitibus, unaquæque poteſtas, abſque alterius offenſa, munia ſua exercere valeat. Quantò autèm ſublimior eſt anima corpore, & illi corporum, præſtat regimen animarum; ſi iis, qui præſunt, cuncta explorata habere, quæ geruntur, ut munere ſuo dignè perfungi poſſent, neceſſe foret; cur non magis neceſſitas hæc incumbere iis deberet, qui multò difficiliorem, multòque quavis temporali graviorem, ſpiritualium rerum curam adminiſtrant? Et tamen, ex ſanctis iis Præpoſitis noſtris, qui nobis loquuti ſunt verbum Dei, nullum reperire eſt, qui ad ritè ſpiritualia moderanda, temporalia cuncta ſibi comperta eſſe debuiſſe putaverit. Si in difficiliori, igitur, præſtantiorique regimine id minimè neceſſarium; cur in faciliori, adeò neceſſarium cenſetur, ut ordine inverſo, ſpiritualia, ob id, temporalibus ſubdantur, & degeneri ſervitute, corpori anima, carnalibus ſpiritualia ſubjiciantur? Quo verò ad falſitates; probavit quidem Pius non malum in ſpecie Proregis animum; verùm non æſtimavit, (ut apud Caracciam legitur) illam idoneam eſſe cauſam, quapropter ſuam authoritatem, & uſum per ſe Apoſtolicæ Literæ non obtinerent; quòd enim falſæ aliquandò Apoſtolicæ quædam Literæ irrepſerint, non propterea falſæ omnes, ac de omnium falſitate ritè ambigi poteſt. Fuerunt, (& utinam etiam nunc non extarent) plures homines raptores, injuſti, adulteri, ob hujuſmodi ſcelera, debita animadverſione, ſæcularibus etiam Legibus puniti. An, quoniàm his crimi-

Apud Caracc. Epiſt. 2. Dec. 1566

A nibus plures, quos, diximus, homines obnoxii, meritò Judicum Tribunalibus ſiſti debuerunt, ac ritè in eos, Judices ipſi ſententiam dixere; innumera idcircò hominum multitudo, qui eorumdem ſcelerum, nec nomina novit, in quæſtionem vocanda eſt, ac diſtrictè examinanda, an crimina admiſerit, quæ, ut dixi, perſæpè, nec nomine intelligit? Quis hoc aſſerere audens, totius humani generis perturbatorem, ac iniquiſſimum ſe hoſtem non conſtituit? Fuerint igitur aliquandò Apoſtolica Diplomata falſata; ergo ob id, innumera ea, B quæ falſitate omni carent, laicorum judicio ſiſtenda? ergo, ad avertenda è Republica mala eadem, optimi Juris rejicienda erunt bona, ac, ut fortuita iniquitas propulſetur, certa erunt jura calcanda? Non eſt quidem ea medicina laudabilis, quæ ſic putrida reſecat, ut ſimùl etiam ſana corrumpat, & noxius ille eſt ignis, qui ſic nititur vepres exurere, ut inſiliat etiam domos, globis C furentibus conflagrare. Sed eſto, quòd falſæ hujuſmodi Epiſtolæ deprehenderentur, qua lege, quo jure, ob id, laicali ſubdendæ eſſent judicio? qua canonica, & legitima ſanctione decretum eſt, ut quoties in Eccleſiaſticis rebus, alicujus ſceleſti hominis vitio, dolus, & fictio deprehenſa fuerit, ad laicale Judicium ſcelus id pertineat judicare; & Eccleſia innoxia, & à crimine omni libera; imò, quæ vim, atque injuriam patitur, iniquitatis tamèn, quam non D patravit, & quam potiùs accepit, offenſæ, pœnas luere, legitimoque ſuo jure cadere debeat? Quòd ſi futilibus aſſimulatis hiſce rationibus, quibus temerè Eccleſiaſtica Jura peſſundantur, addas, quòd non ſolùm falſæ Apoſtolicæ Literæ, verùm legitimæ etiam, ac veræ, proque talibus agnitæ, pro laicorum libito, paſſim rejiciantur; quàm juſtè, quàm ritè, deteſtandam ejuſmodi conſuetudinem, Pium evellere ſtuduiſſe, perſpicuè magis cognoE ſces,

Ut igitur emendicata falſi illius zeli ſpecies, cujus obtentu Eccleſiaſticæ Juriſdictioni vis inferebatur, corrueret, præter àlia, contra falſarios edita jam ab Eccleſia Statuta; diligentiſſimè, (ut apud Caracciam habetur) à Pontifice, hoc ipſo tempore, proviſum, ac cautum eſt, nè impoſtura aliqua, vel falſatio in Apoſtolicis Literis irrepere, CLXXXVII *Apud Caraccias ſup.*

vel

Gabut. Vit. Pii lib. 1. cap. 3. Caten. Vit. Pii pag. 96. vel eis nocere poſſet. Verùm, ut Gabutius, & Catena narrant, ex Neapolitanis Magiſtratibus duo, qui pro Regio Exequatur, Viſitatori audaciùs obſiſtere veriti non ſunt, haud multò poſt, vitâ defuncti, terrifico cœteris fuerunt exemplo. Suppliciter tamen à Pio Proregem impetraſſe referunt, ut ſuper hac re ad Regem perſcriberetur, & interim negotio ſuperſederetur, & ità præſtitum aſſerunt. Cœteræ, quæ ad rem hanc ſpectant ſequenti anno ponendæ erunt. Cùm autem, remotioribus quibuſdam in locis ejuſdem Neapolitani Regni, nonnullos, jamdiù damnatam Waldenſium, alio nomine Pauperum de Lugduno, hæreſim, ſectantes, ſupereſſe Pius intelligeret; eò Chriſtophorum Rodericium, Societatis Jeſu Sacerdotem, amplâ cum poteſtate ipſum, miſiſſe, qui eos, ſanctitate vitæ, ſolidaque doctrina, quibus ille præſidiis probè erat inſtructus, ſapienter coargueret, erranteſque oves ad Catholicæ Eccleſiæ gregem, uti fecit, ope divina revocaret, narrat Gabutius. Verùm id à Sacchino in præteritum annum, & ab aliis ad alia tempora rejicitur, & non Pio Quinto, ſed Pio Quarto tribuitur.

CLXXXVIII. In altera verò, quæ ultrà Pharum Sicilia dicitur, Archiepiſcopum Panormitanum, qui diù Eccleſiæ ſuæ reformationi incumbens, fruſtrà aliorum, qui præſidio ſibi eſſe poterant, ac debuerant, opem imploraverat, ſequenti Epiſtolâ, Pii auxilium ſupplicitèr efflagitaſſe, hoc anno invenimus.

Ex Archiv. Card. Alexand. to. 7p

(PIO QVINTO

Pontifici Maximo

Longitudinem dierum, & quidquid poteſt peccatoris Oratio.

IN omni genere rerum, (Beatiſſime Pater), ut optimè novit Veſtra Sanctitas neceſſum eſt, devenire ad unum, primum, ſupremumque Principium, quod poſſit, & à quo dependeant omnia illius generis, nè in moventibus, & motis detur proceſſus in infinitum: cujus rei gratia ſcriptum eſt: Caput omnis Eccleſiæ Chriſtus, ſicut caput omnis Principatus. Cùm igitur in Terris ipſiſſimus idem ſit Chriſti Vicarius, Cephæque ſucceſſor indubitatus, nec Sanctitati Tuæ, nec alteri cuiquam mirum eſſe debet, ſi, (ultrà ea, quæ intrinſecùs latent) ſollicitudo omnium Eccleſiarum Tuam comprimat Beatitudinem, cùmque Panormitana Eccleſia, (etſi modica) una ſit illarum omnium, cui, tua benignitate parvitas ſervuli tui præeſt, eam quoque ad fontem ſollicitudinum, atque gratiarum confugere oportet. Levavi (Pater ampliſſime) oculos meos ad montes, undè veniat auxiliam mihi, ad ſanctos, [inquam] quos præpoſitos audivi, ut quæ pertinent ad Sacrum Tridentinum Concilium curarent, iiſdemque Eccleſiæ præfatæ neceſſitudines multotiès propoſui. Verùm nec in uno tantùm exauditum me conſpicio, quoniam auxilium meum à Domino eſt, qui quod ſolvet in Terris, ſolutum erit, & in Cœlo. Selegi propterea, ex multis potiora, quibus ratus ſum providendum fore, quæ cum his ad Patrem Patrum tranſmitto, obſecrans, [beatis proſtratus pedibus] ut Sanctorum alicui videnda referendaque committere dignetur, utque quantociùs noſtris vulneribus innata tanti Patris pietas, atque benignitas miſericorditèr compatiatur, compatienſque vinum infundat, & oleum. Vale Pater ampliſſime, & ſoſpes Petri pertranſeas annos. Meſſanæ, [ubi non ab re] id. Julii 1566. à partu Virginis.

Veſtræ Sanctitatis parvulus

Fr. Octavianus Leſinæ Comes, vocatus Archiepiſcopus Panormitanus humilis, & immeritus)

Deeſt index rerum, quem, unà cum his literis, ad Pium tranſiniſiſſe dicit; deeſt ſimul Pii reſponſum, quod tamen hujuſmodi fuiſſe cenſendum eſt, qualia ſemper, operibus juncta, illius uerba fuerunt.

Et, ut omnia ad Siciliam hoc anno ſpectantia hic demus, in ea terribile illud accidit, quod, tùm Scriptores omnes, tùm præcipuè Natalis Comes his verbis refert. [*Ætna, fabuloſus quondàm mons Siciliæ, proptèr antiquam Cycloporum officinam, in qua fiebant fulmina Jovis, ingenti, maximèque horrendo, motu Terræ concutitur, tantoque cum ſtrepitu ignem eructat, ut ab univerſis Siciliæ populis trepidatum ſit. In Triocla Urbe, cum ſita ſit ad radices ipſius* CLXXXIX. *Natalis Comes Hiſtor. lib. 17.*

A *ipſius Ætnæ, illa nocte, quæ anteceſſit Kal. Decembr., factus eſt permagnus motus Terræ, qui in ſequentem uſquè diem perduravit. Deindè poſt meridiem in ſuprema parte Montis apud vocatum Frontiſpicium, quod abeſt circitèr decem millia paſſuum ab Urbe, aperti ſunt duo hiatus, undè altiſsimi fumi, ad morem maximarum Turrium, in Cœlum extollebantur, qui poſtmodùm, ità ſunt diſſipati, ut aër ubique tegeretur, dieſque fieret tàm denſus, tàmque obſcurus, ut media ferè nox appare-* B *ret.*

Sequenti poſteà nocte quinque alii patuerunt hiatus, undè non fumus ſolus, velut anteà, ſed ignis plurimus, maximèque formidabilis ſcatuit. Erat materia illa prorsùs ignito, & liquefacto metallo perſimilis, quæ ad aliam Urbem, illi monti finitimam, defluxit, Linguagroſſam vocatam, in morem duorum fluviorum ignis, cùm ejus Urbis ager circitèr duodecim millia paſſuum in longitudinem tegeretur, ac per tantundem ſpatium, C *horrenda illa ignita materia ad mille paſſus, ad minùs, dilataretur. Erat profunditas ejus fluminis ignis, circitèr duorum palmorum, quæ ſanè, niſi altiſſima extitiſſet, ad tantum agri ſpatium non potuiſſet defluere. Ubi materia illa conſtitit, ceſſavitque vis ignis, atque impellentis fluminis, cognitum eſt petram fuiſſe ignitam, quæ cum tanto ſtrepitu, tantoque impetu ad imum Montis devolveretur, per eam planitiem. Univerſus itaque ager ab illa petra oc-* D *cupatus, factus eſt omninò inutilis culturæ. Effluxerunt poſteà duo alii fluvii, in morem prioris materiæ, qui omnes Trioclæ vineas concremarunt, occupaveruntque amplum quoddam ſpatium, atque horum curſus non fuit, tamquàm fluviorum, & aquarum, ſed potiùs tamquàm tumidarum undarum, quæ magna vi ventorum eſſent elatæ, atque alicubi depreſſæ, qui rursùs ad Catanam uſque Urbem decucurrit. Sic igitur,* E *variis diebus, ingens terror, hoc anno, univerſis Siciliæ populis injectus eſt, ſed Ætnæ accolis præſertim &c.)* Ita Comes.

CXC. Ut autèm intèr Pium, & Neapolis Proregem, ea, quæ recenſuimus, prodiere diſſidia; ſic alia inter Pontificem ipſum, Venetamque Rempublicam, oboriri poſſe nonnulli pertimuere; ſi tamen Bzovio credatur, qui rem nar- A rat hoc modo: [*Venetorum legationem primitùs deſtinatam (ut Pio de aſſumptione ad Pontificatum, eorum Reſpublica, ex more, gratularetur) nonnihil conturbavit repulſa Nicolai de Ponte, inter Oratores Reipublicæ Viri clariſſimi, qui poſtea Venetiarum Dux creatus eſt: Cauſa erat, cur Pontifex admittere recuſavit; olim, dùm in minoribus eſſet Pius, miſſus fuerat Bergomum, ut in Georgium Medolacum, qui ante eum Inquiſitioni præpoſitus fuerat, necnon* B *in Victorem Superantium, Urbis Epiſcopum inquireret; ejus juriſdictionem, Senatus nomine, eluſerat Nicolaus Pontanus, Urbis Præfectus, Fr. Michaele Urbe faceſſere, non ſine contumelia juſſo. Itaque, cùm ad eum, jam Pontificem factum, Senatus Venetus ſolemnem legationem, gratulationis, obſequii, & obedientiæ teſtandæ, pro more decreviſſet, & legationis Principem Pontanum, doctrina, ac rerum uſu præſtantiſsimum, cum tribus aliis Patritiis conſtituiſſet;* C *Pontanum nunquàm admittere in conſpectum voluit, cauſatus, eum parùm dignè, & honorificè de Sanctæ Sedis dignitate ſolitum loqui; & verò ſibi de Religione ſuſpectum, olim viſum fuiſſe. Quapropter eo rejecto, reliqui tres Officio defuncti ſunt*) Iſta Bzovius, omnia hæc proculdubio mutuatus à Thuano, qui perperàm, ut conſuevit, omnia Pii opera interpretans, ut is ſingularem, privatamque, ſibi Bergomi illatam à Pontano, injuriam rependeret, ipſius D memorem, ac ultorem, eumdem rejeciſſe, ut dictum eſt, refert, cauſatum, illum parùm dignè, & honorificè de Sanctæ Sedis dignitate ſolitum loqui; addenſque fabulam fabulis, nunquàm Pium in conſpectum, Pontanum ipſum admittere voluiſſe, ſcribit; ac ſi Pontanus idem, jam legatione functurus, Romam petiiſſet, quem tamèn Venetiis nunquàm diſceſſiſſe, & Romanum iter, nec quidem aggreſſum eſſe, evidentiſſimè conſtat.

Bzov. Ann. Pii num. 31

Thuan. Hiſtor. lib. 39. ſub an. 1567

E Hadrianus verò narrat, quòd ſtatim, ac Pius inter Legatos ad ſe mittendos, Rempublicam, Pontanum etiam decreviſſe perſenſit, eamdem exoraſſe, nè id muneris ei demandaret, quòd eum Sanctæ Sedis auctoritatem ſpernentem exiſtimaſſet, nihilque addit de injuria, qua Pontificem, dùm in minoribus eſſet, affecerat. Quod idem confirmat Maurocenus, qui inſupèr, qua occaſione, quo CXCI.

Hadrian. hiſt. lib. 19.

quo loco, quibuſve Pontanus verbis, A Pontificiam Majeſtatem læſiſſe, viſus eſt Pio, his verbis ſignificat: (*Nuntio de Pii electione Venetias perlato, quatuor, officii cauſa, ad eum Legati à Senatu deſignati, Nicolaus Pontius, Marinus Caballus, Hieronymus Grimanus Marcicus Procurator, Hieronymus Zanius, equeſtri ſinguli dignitate inſigniti. Pontius, quòd, ejus in Tridentina Synodo dicendi libertate, ſuboffenſus Pii animus diceretur, ob idque minùs in illum propenſus eſſet, à legatione abſtinuit.*) B Hactenùs Maurocenus: cujus quidem narrationem, cœterorum cuilibet alteri ducimus præponendam, tùm quia explicat ſignanter, & ubi, (nempe Tridenti) & ea indicat, quibus ſuboffenſus Pii animus eſt, quod alii, niſi generatim, compertum haberè nequiverunt, vel pro libito, nullo veritatis certo adhibito teſte, ſpeciatim ſubdolè excogitarunt. Tùm etiam, quòd, citrà ullam prorſus Reipublicæ offenſam, Pioq; dumtaxàt monente, Pontium à legatio- C ne abſtinuiſſe referat, ut etiam innuit Hadrianus. Et certè injurioſè rejectum ab eo non fuiſſe, ut injuriam rependeret, ſed modeſtè tantùm non admiſſum, præcipuus amor, & pietas inclytæ ejuſdem Reipublicæ in Pium, Piique in Rempublicam, ultrò ſuadent. Quidquid tamen fuerit, rem citò, facilèque compoſitam, ex Epiſtola elicitur, quam fidei vocant, Pio, à Venetis Oratoribus, tradita, & ſub die 16. Aprilis hu- D jus anni ſcripta, quamque nos, ex ipſo Originali exſcriptam, hic duximus inſerendam.

Maurocen. hiſt. Venet. lib. 8.

Maurocen. ibid.

(Sanctiſſimo, & Beatiſſimo in Chriſto
Patri, & Domino, Domino Pio
Quinto, Divinâ Providentia
Sacroſanctæ Romanæ,
& Univerſalis Ec-
cleſiæ Summo
Pontifici.

Ex Archiv. Card. Alexand.

E *Hieronymus Priolus, Dei gratia, Dux Venetiarum &c. Pedum oſcula beatorum. Mittimus ad S. V. Oratores noſtros Hieronymum Grimanum Equitem, & D. Marci Procuratorem, Hieronymum Zane, & Marinum de Caballis, Equites, viros nobis, propter eorum virtutem, & probitatem chariſſimos; quibus in mandatis dedimus, ut unà cum Paulo Theupulo Equite, Oratore iſtic noſtro, eam, noſtro nomine, Sanctitati Veſtræ obedientiam præſtent, ac declarent, quam Pontificibus Maximis, Sanctiſſimæque iſti Sedi, Majores noſtri ſemper declarandam, & præſtandam cenſuerunt. Quamobrem, ut eamdem illis fidem habeat, quam nobis ipſis, ſi eam præſentes alloqueremur Sanctitatem Veſtram etiam rogamus.* Datum in noſtro Ducali Palatio die 16. Aprilis, Indict. nona 1566.]

Ab ipſo etiam inito Pontificatu, Venetos ſumma benignitate complexum, egregiam in illos voluntatem, per Ordinarium Reipublicæ Legatum, Pium Senatui ſignificaſſe, negotiaque Religionis commendaſſe, in qua tuenda, atque augenda par Venetorum ſtudium extitit, Maurocenus ipſe teſtatur. Cùmque ex corrupto, ac prolapſo Eccleſiaſticorum genere vivendi, pravos homines Sacroſanctæ Religionis inſtituta pervertendi hæreſeſque inducendi, animos ſumpſiſſe ipſe intellexiſſet; omnes curas idcircò, cogitationeſque, ad eorum vitæ, morumque diſciplinam reſtituendam, contulit. Ad id Joannem Antonium Fachinetum, (qui deindè ad Summum Pontificatum aſſumptus, Innocentius Nonus nuncupatus eſt) virum ſummo rerum uſu, & integritate, & eximia Juris prudentia præditum, apud ipſam Rempublicam, toto Pontificatus ſui tempore, Apoſtolicum Internuncium, ut ſuprà innuimus, decrevit; cujus opera, ac labore, adnitente præcipuè egregii, ac piiſſimi Senatus favore, plura ad Religionem tuendam, & inolita vitiorum evellenda, peracta ſunt. In his fuere, quòd Epiſcopi, & alii animarum curam habentes, ut ſuprà vidimus, Eccleſias ſibi creditas peterent, ibique, juxtà Sacri Tridentini Concilii decreta, & id quod Romæ edixerat, reſidere tenerentur. Qui Eccleſiaſticis Beneficiis Abbatiarum, & Prioratuum potiebantur, caſtè, atque cælibes viverent, & Clericali habitu incederent. Omnes, cuilibet Religioſo Ordini addictos, tota Reipublicæ ditione luſtrari mandavit, ſingulorumque nomina deſcribi, pernicioſoſque, & malos ejici voluit. Statuit, ut, quod olim ſacris Legibus cautum erat, nè cùm mulieribus habitarent Sacerdotes, ac nè ità multi ſacris initiarentur Ordinibus, in eaque re major, & morum, & rueditionis ratio haberetur: ſatius exiſtimans,

CXCII.

Maurocen. ibid.

Catena in Vit. Pii.

ſtimans, in Sacerdotum præſertim ordinatione, paucos bonos, quàm multos malos habere Miniſtros. Edixit prætereà, ut adversùs execranda in Deum ſanctoſque maledicta publicè conſtituti viri, in eos etiam animadverterent, qui in Sacroſanctam Romani Pontificis, Eccleſiæque, vel authoritatem, vel dignitatem obloquerentur; quòd obtrectationes ejuſmodi, argumenta quædam, & initia quondàm fuiſſe, imminuendæ Religionis, ac rerum ſtatus evertendi, ipſemet animadvertiſſet.

Hæc, & id genus alia, (ut Gabutius, Catena, aliique referunt) Venetis ſervanda propoſuit; quæ magno, & ſacris, & profanis rebus piè componendis, aut conſtituendis, adjumento fuere; nàm, & Præſules ſunt in ſua quique loca profecti; Abbates, & alii Eccleſiarum Adminiſtri, cœterique præterea ſacri Ordinis Viri, Eccleſiaſticam ſervare diſciplinam, moreſque componere omnes juſſi, alii quidem paruerunt, alii verò, qui contumaces, cœteris offenſionem præbebant, per illam ditionem omnem, vel ad ſaniora conſilia revocati, vel expulſi, vel aliàs propoſitas pœnas ſubire coacti ſunt.

CXCIII. Uti Pius, adeò Rempublicam hanc, utpote Italiæ decus, dilexit, ut univerſis illius, vel Decretis, vel Legibus tuendis, paratum ſemper ſeſe præbuit: ſic præ cunctis, in quibus Reſpublica ipſa amori illius vicem rependit, illud profectò extitit, quod Pontifici, hoc eodem anno, Julium Zoannetum Fanenſem, inſignem hæreticum, hæreticorumque fautorem, Patavii tùnc commorantem, puniendum eidem tradiderit. Initio tamen, illius Cauſam Venetiis cognoſci Senatus optavit: ſed, cùm Pius ad ſe tantùm, utpotè Eccleſiaſticam, eamdem pertinere oſtendiſſet, nihilque in ea, niſi ſententiæ executionem, ad laicum Tribunal ſpectare monſtraſſet; nil moratus, pro conſueta pietate, Fideique zelo, criminoſum virum Senatus ipſe Pii judicio commiſit. Epiſtola, hac de re, à Venetis ad Pium ſcripta, ab ipſo originali accepta, hujuſmodi fuit.

A (Sanctiſſimo, & Beatiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Pio Quinto, divina Dei providentia Sacroſanctæ Romanæ, ac Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici. Hieronymus Priolus D. G. Dux Venetiarum &c. Pedum oſcula beatorum.

Cum à Reverendo Sanctitatis Veſtræ apud Nos Nuncio, & ab Oratore noſtro, apud Sanctitatem Veſtram, ejuſ- Thuan. hiſt. lib. 29., & alii &c.
B *dem S. V. nomine poſtulatum à Nobis fuerit, ut Guidum Zoanettum Fanenſem carceri mancipari imperaremus, utpotè hominem, cui hæreſis nota adſcribebatur; Nos, uti tunc Sanctitati Veſtræ ſignificandum curavimus, eximio zelo, qui in nobis fuit, eritque ſempèr bonoris Domini Dei, ac conſervationis Sanctæ Catholicæ Fidei, & à devotione, & obſequio erga Sanctitatem Veſtram, ſanctamque illam Sedem commoti, ſtatim cumdem Guidum carceri tradidimus, ea*
C *tamen firma ſpe, quod etiam tunc quodammodò nobis pollicitum fuit, ut ob maximi momenti noſtras rationes, quas poſtremò ab Oratore noſtro Sanctitati Veſtræ declarari imperavimus, & hic pariter Reverendo B. V. Nuncio declaravimus, cauſa, & imputatio Guidi ejuſdem, ab hoc hujus Civitatis Inquiſitionis Tribunali, quod Sanctitatis Veſtræ Tribunal eſt, cognoſceretur, ac judicaretur, quod quidem nobis gratiſſimum fuiſſet, ob Cauſam ipſam, quæ*
D *plurimùm Nobis cordi eſſe debet, ſicuti reverà eſt. Verùm, viſis, propria manu Sanctitatis Veſtræ exaratis Literis, à Reverendo ſuo Nuncio exhibitis, & à nobis ea, qua decuit, reverentia, quæ propria noſtræ Reipublicæ eſt, erga S. V. acceptis; paritèrque cùm per ſuas Literas Orator noſter apud illam, & prædictus Reverendus Nuncius Nobis ſignificaverint, ingens Sanctitatis Veſtræ deſiderium, ut vinctus ille, ob graviſſimas cauſas, ad S. V. mitteretur, cùm*
E *præcipuè iſtius Sanctæ Sedis ſubditus ſit; Nos, qui in cunctis, quæ valemus, utpotè devoti, ac obſequentes Sanctitatis Veſtræ, & Sanctæ Sedis Filii, vehementèr ſatisfacere deſideramus, in Veſtræ Beatitudinis gratiam decernere induſimus, ut præfatus, ſub tuta cuſtodia Ravennam uſque mittatur, ibique Miniſtris S. V. tradatur, eò perducendus, ubi Sanctitati Veſtræ libuerit. Et licèt decre-*

decretum hoc noſtrum Reu. S. V. Nuncio ſignificaverimus, illudque executioni mandari, quotieſcumque voluerit, imperabimus; tamen noſtrum etiam duximus, ut Epiſtolis S.V. reſponderemus, ac obſequioſè de illo eamdem Sanctitatem Veſtram, his noſtris literis admoneremus, quas ei Oratorem noſtrum exhibere mandavimus. Et Sanctiſſimos Sanctitatis Veſtræ pedes deoſculando, Dominum Deum precamur, ut diù feliciſſimè ſervet. Data in noſtro Ducali Palatio die 8. Auguſti, Indict. nona 1566.] ſic Epiſtola ab ipſo Originali. Quàm falsò autèm, Romæ damnatum Zoannetum, crudeli ignis ſupplicio affectum, juſſu Pii, fuiſſe, ſcripſerint Thuanus, & alii, ſuo loco dicendum

CXCIV. erit.

Cùm verò inter Venetos, & Ferrariæ Ducem diſſidium quoddam, ob Vicecomitatum Trecentæ, eſſet exortum, jamque, reconciliationis omni ſpe abiecta, rem armis agere ſtatuiſſent; ubi Pius ſuum eſſe, cauſam hujuſmodi illuſtrare, ac definire edixiſſet, ſtatim diſceptatio omnis ablata eſt, compoſitiſque omnibus, inter utrumque pax conciliata. Inter ipſum etiam Ferrariæ Ducem, Lucenſium Rempublicam, & Florentiæ itèm Ducem Coſmum, ob confinia in Caſeroniana, ſeù Grafiniana confliĉtari, hoc ipſo tempore, cœptum erat: ſed Pius, ad quem cauſa rejecta eſt, diſſidium omne diremit. Indictas nihilominùs perſeveraſſe in Etruria, inter Pitigliani Comitem, & filios, inimicitias, narrat Hadrianus; quorum primogenitum, Nicolaum nomine, à Pio Romam advocatum refert; quòd Nicolaus idem in iis, quæ ad res divinas, & religionem ſpectabant, ſe minùs pium, minuſque fidelem exhibuiſſet. Et quidem mandato parere compulſum eſſe, inferiùs dicetur. Egregiam certè probitatem, & zelum Florentiæ præfati Ducis, majoribus gratiis in dies Pius proſequi voluit, confirmato, quem prædeceſſor Pontifex miſerat, apud ipſum Apoſtolico Nuntio; licèt alii Principes id ægrè ferrent, & quamplurimi, Mediceæ domus gloriæ invidentes, ſpecie aſſimulatâ gravium, ac inutilium Apoſtolicæ Cameræ ſumptuum, ſecùs ei ſuadere contenderent. At eorum ipſe conſilia rejecit, quòd tanti Principis decorem ſe ſummoperè cordi habere pronunciaret.

Hadrian. hiſt. lib. 19.

CXCV. Pii ſiquidem animum maximè ſibi devinxerat idem Florentiæ Dux Coſmus, cum hoc anno Petrum Carneſeccam Protonotarium, Civem Florentinum, unâ literarum ſignificatione, ei tradidit. Per annos viginti ſeptem is hæreticâ infectus labe, ſacris proventibus clàm hæreticos impiè ſuſtentaverat, aliaque facinora admiſerat, de quibus alibi agetur. Florentiam igitur, hoc anno, miſſo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, per eum Pius Carneſeccam obtinuit. Epiſtolæ, quas vocant fidei, ab illo ad Coſmum ſcriptæ, hujuſmodi fuerunt.

[Dilecto filio Nobili Viro Coſmo Medicæo Reipublicæ Florentiæ, & Senarum Duci.

Ex Archiv. occulto veteri Reg. Celſit. Magni Ducis Etruriæ.

PIUS PAPA V.

Dilecte fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OB rem, quæ maximoperè ad Divinæ Majeſtatis obſequium, & ad Catholicam Religionem ſpectat, mittimus, qui noſtram hanc tibi exhibebit, noſtri Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtrum; & niſi ferventiſſimi calores extitiſſent, adeò cordi Nobis eſt res ipſa, tantique eam ducimus, ut hanc provinciam ipſi Cardinali Paceco mandaviſſemus. Eamdem ergò præfato Magiſtro fidem habebis, quam Nobis ipſis haberes, ſi coràm colloqueremur. Sic Deus te, unà cum filio, ac Nuru Principibus, ac Cardinales benedicat, uti Nos ex corde Apoſtolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ die xx. Junii MDLXVI.)

Ubi igitur cauſam, ob quam miſſus fuerat, Sacri Palatii Magiſter Coſmo aperuit, ſtatim is, qua ſemper fuit in Deum fide, & in Apoſtolicam Sedem, præſertim in Pontificem Piumo, bedientia, ac pietate, ſummo ſtudio, quod poſtulabat, præſtandum curavit, ac Carneſeccam vinctum præfato Magiſtro tradi juſſit, adiecitque memorandum illud: quod ſi ob ejuſmodi cauſam (quod ab illo Deus omen averteret), Principem ejus filium ſibi tradi Pius voluiſſet; eum ab ſe in vinculis miſſum iri. Quod non ſolùm verbis, ſed ſcripta etiam ad eumdem Pontificem Epiſtola teſtatus eſt.

Gabut. Vit. Pii lib. 3. cap. 12. pagin. 112.

CXCVI. Ingentem ergo, ex benè acta re, & optima Coſmi mente, voluptatem cùm Pius cœpiſſet, literas omni officio refertas, à Cardinali Alexandrino ad eum ſcribi juſſit; quas nos, ex originali, quod in veteri occulto Archivo Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ, Coſmi Tertii, ſervatur, acceptas, hic dandas duximus.

[Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine Obſervandiſſime.

Ex Archiv. corum. Ibid. ut ſup.

IN hoc negotio Excellentia Tua Sanctiſſimo Domino Noſtro plenè placuit; nàm, licèt ab ea, prætèr illud, quod fecit, nil aliud præterea effecturum exiſtimaret; & à bonitate, ac prudentia tua id ſemper ſibi pollicitus eſſet: nihilominùs, tùm quòd res optatum finem obtinuerit, quod illi gratiſſimum fuit, tùm præcipuè ob circumſtantias, quæ ab eo ipſo, qui Sanctitati ſuæ literas, ſub die vigeſima ſecunda datas, illi narratæ fuerunt, ſummis laudibus, uti ritè debet, Excellentiam Veſtram attollere non ceſſat. Quare, ſicuti hoc nomine Apoſtolicam ſuam ei Benedictionem impertitur, & facti memorem ſe futurum pollicetur; ità, ſi alii Chriſtiani Principes in hac parte ei ſimiles eſſent, ſuumque ſectarentur exemplum, Religionis res in poſterùm ſecundiori curſu, majori quoque Dei obſequio, & hinc feliciori totius Chriſtianitatis beneficio dicit ſucceſſuras. Quod quidem Deus Opt. Max., noſtris hiſce temporibus, ad laudem, & gloriam Sanctiſſimi nominis ſui impertiri dignetur &c. Romæ die prima Julii MDLXVI.

Excellentiæ Veſtræ.

Servus.

Cardinalis Alexandrinus)

Circumſtantiæ illæ, ob quas Pio maximè placuit Coſmus, eas fuiſſe arbitramur, quòd, cùm inter prandendum, unà cum eodem Carneſecca de Pontificis voluntate, Coſmus idem admonitus fuiſſet; ſtatim eum à menſa ſurgere juſſerit, ac præfato Pii Nuncio tradi imperaverit. Reliqua, quæ ad ipſum Carneſeccam pertinent, in ſequentem annum ſunt rejicienda.

CXCVII. Hoc autèm anno inter Guglielmum Mantuæ Ducem, ac Pium, ob Epiſcopatus Mantuani nominationem, haud levis concertatio interceſſit; è vivis enim, ut diximus, Cardinali Gonzaga, Epiſcopo Mantuano ſublato, cùm à Pio Quarto Guglielmus, ſpeciali Diplomate Juſpatronatum Eccleſiæ ejuſdem obtinuiſſet, non alium, quàm, quem ipſe nominaſſet, eidem debere præfici contendebat. Contra verò Pius, hujuſmodi conceſſionem, nullam, ac irritam eſſe affirmabat; quare idem ipſe Cauſam aliis cognoſcendam tradidit, nè authoritate magis, quàm ratione, ac juſtitia, adverſarium viciſſe videretur. In actis Conſiſtorialibus, idcircò, aliàs recenſitis, Cardinalis Gambaræ iſta leguntur.

(Die 19. Julii 1566.

Acta Conſiſt. Card. Gambaræ pag. III.

SAnctiſſimus dixit, quòd intendebat providere Eccleſiæ Mantuanæ vacanti, per obitum Cardinalis Mantuani; ſed quia, ut acceperat, Dux Mantuæ prætendit habere certum Juſpatronatus, & præſentandi, ſeù nominandi ad dictam Eccleſiam, & deſupèr ad nonnullos actus dictum proceſſiſſe, licèt nullitèr, ut creditur; licèt Sanctitas ſua credat, liberè poſſe procedere ad proviſionem dictæ Eccleſiæ, præfatis non obſtantibus; nihilominùs, volens urbaniùs agere, mandavit Reverendiſſimis meis Cardinalibus, Sancti Clementis, Capiſucco, S. Crucio, ſi aderit, Bobbæ, Sancti Siſti, & mihi Cardinali de Gambara, ut ſummariè, & etiam extrajudicialitèr audiamus prætenſionem dicti Ducis, præfigendo terminum illi, vel ejus Procuratori, ad præſentandum, ut aſſeritur, Conſtitutionem, ad dicendum, allegandum, & probandum quidquid vult, & poſteà elapſo, Sanctitati ſuæ referamus, ut circa proviſionem dictæ Eccleſiæ deliberare poſſit, cum poteſtate etiam citandi, & inhibendi, in Curia, & extrà, etiam per Edictum, conſtito ſummariè de non tuto acceſſu. Item quòd aliquibus impeditis, major pars eorum, ſimili facultate, procedere poſſit.]

Quinque, & ampliùs menſium ſpatio Cauſa cognita eſt, ac demùm Judicium latum, quod hujuſmodi, ex iiſdem Actis Conſiſtorialibus, fuit. CXCVIII.

[Die

[Die 23. Decembris 1566.

(Ibid. ut ſup. pag 115.) *PRocurator Fiſcalis comparuit in Conſiſtorio coram Sanctiſſimo, inſtanterque petiit, ut declararet Sanctitas ſua, nullum Jus competere Duci Mantuæ, ſuper prætenſo Jurepatronatus in Eccleſia Mantuana. Sanctitas ſua mandavit vocari Procuratorem dicti Ducis, & nemo comparuit. Idcircò Sanctitas ſua, accepta ſchedula pronunciavit, prout in ea, tenoris ſequentis, videlicet.*

Nos Pius Divina Providentia Papa Quintus, invocato Omnipotentis Dei ſuffragio, à quo bona cuncta procedunt, ut de ejus vultu Judicium noſtrum prodeat, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam Sententiam, quam in his ſcriptis ferimus, in Cauſa, & Cauſis verten. coràm Nobis, inter dilectos filios Joannem Baptiſtam Bironum Fiſci noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Procuratorem generalem ex una, & Nobilem Virum Gulielmum Gonzagam, Mantuæ Ducem, reum conventum, de, & ſupèr nullitate, & invaliditate prætenſæ conceſſionis aſſerti Juris patronatûs, ſeù præſentandi, vel nominandi Epiſcopum ad Eccleſiam Mantuanam, cùm pro tempore vacaret, per fel. record. Pium IV. Prædeceſſorem noſtrum, ſibi, ut prætenditur, factæ, & aſſertarum Literarum ejuſdem Prædeceſſoris deſuper expeditarum, ſub dat. Romæ decim. Kalen. Decembris, Pontificatus ſui anno VI. rebuſque aliis in Actis Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi latiùs deductis, & illarum occaſione, partibus, ex altera: auditâ priùs, in Conſiſtorio noſtro ſecreto, relatione dictorum noſtrorum filiorum, Joannis Baptiſtæ, Sanctæ Agathæ, aliàs S. Clementis Cicada, *Joannis Antonii S. Clementis* Capiſucchi *Joannis Franciſci Sanctæ Potentianæ* de Gambara, *Proſperi S. Hieronymi in Via Flaminia,* de S. Cruce, *& M. Antonii S. Silveſtri* Bobbæ *nuncupati, S. R. E. Presbyt. Cardinal., quibus Cauſam, & Cauſas hujuſmodi intuendas, & cognoſcendas, ac Nobis referendas commiſeramus, ut poſtmodùm proceſſu, & actis dictæ Cauſæ per Nos viſis, & diligentèr inſpectis, ac omnibus, & ſingulis, Cauſam hujuſmodi concernentibus, tàm in Jure, quàm in facto per Nos maturè diſcuſſis, & examinatis, ex noſtra propria viſione, in-* A *ſpectione, cognitione, ac diſcuſſione, & mox ex prædictorum Cardinalium relatione, dicimus, ſententiamus, pronunciamus, decernimus, & declaramus, conceſſionem Jurispatronatus, ſeù nominandi, & præſentandi, ac Literas deſuper confectas hujuſmodi, & omnibus, & ſingulis indultis privilegiis, & gratiis, & aliis quibuſcumque in eis contentis, & indè forsàn ſequentes, nullas, & invalidas, ac nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe; & propterea* B *uti tales declarandas fore, prout declaramus; & nihilominùs tamquàm de facto factas, revocandas, caſſandas, & irritandas, prout per præſentes caſſamus revocamus, & irritamus, ac revocari, caſſari, irritari, ac in regiſtro deleri, ac lacerari mandamus. Eidemque Duci, ſucceſſoribuſque ſuis aliquod Juſpatronatûs nominandi, vel præſentandi ad dictam Eccleſiam non competere, nec congruere; Quinimò ad Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, libe-* C *ram dictæ Eccleſiæ collationem, & proviſionem, abſque alicujus præſentatione, aut nominatione pertinere: Moleſtationes, oppoſitiones, contradictiones, & impedimenta quomodolibèt facta, fuiſſe, & eſſe nulla, & invalida, & illicita, & injuſta, illaque dicto Duci, & ipſius Procuratori, vel Agentibus minimè licuiſſe facere, neque licere. Ipſique Duci, & ejus Succeſſoribus ſuper aſſerta conceſſione hujuſmodi, ac aliis præ-* D *miſſis perpetuum ſilentium imponendum fore, prout imponimus. Ità pronunciavi M.*)

Putat Bzovius, iſta à Pio in Mantuanum Ducem ſancita, ſub anno 1568. ſed erroris coarguitur, tùm ab allatis Conſiſtorialibus Actis; tùm ab Epiſtola apud Caracciam, cujus mox narrationem dabimus, tùm tandèm ex eo, quòd paulò poſt, nempè ſeptima Februarii ſequentis anni, Fr. Gregorium Boldrinum ex ordine Prædicatorum, E Mantuanum Epiſcopum Pius renunciaverit. Qua etiam die, ut dicetur, omnes, & ſingulas conceſſiones nominationum, preſentationum Juriſpatronatuum quibuſcumque à Prædeceſſore Pio IV. factas, abrogavit, nullaſque declaravit. Cœterum Guglielmum Mantuę Ducem, mortuo Pio, à ſucceſſore Gregorio obtinere connixum fuiſſe, quod ritè ei ſublatum fuerat privilegium, ſed irrito conatu, narrat Maſſejus. CCXCIX.

(Bzou. ſub ann. 1568. pag. 512.)

(Vghell. Ital. Sac. tom. 1. Epiſc. mantuan.)

CC. Sed jam ponamus, quæ apud Caracciam habentur (*Obtinuerat Dux Mantuanus* (inquit Epiſtola) *à Pio IV. Pontific. Max.; ut quòd fuerat Eccleſiæ Romanæ Juſpatronatus in Epiſcopatu Mantuano, ad ſe, ſuoſque Succeſſores transferretur: de ea translatione voluit cognoſcere Summus Pontifex; ſolent enim Pontifices Maximi geſta ſuperiorum Pontificum, non examinare ſolùm, & excutere, ſed etiam in Judicium vocare: de hac igitur translatione judicium omne viris integerrimis permiſerat, ſuperioribus menſibus. Interceſſerunt autem multæ in hac Cauſa difficultates, multæ offenſiones animorum, interceſſiones crebræ pro Duce, & principales, in quibus omnibus nihil de ſententia dimotus fuit Sanctiſſimus Pater, ſed egregia quadam ſemper eſt uſus animi moderatione, nonnunquàm etiam patientia, ac longanimitate. Acta eſt Cauſa, cùm diligentiſſimè, tùm integerrimè: tandem factum eſt Judicium ſecundùm Romanam Eccleſiam. Excidit Jure prætenſo Dux.*) Sic ibi. Ne autèm, ob prolatam, ex Jure, ſententiam, ſubiratus remaneret Ducis animus, ſummæ lenitatis, & magnitudinis pignora eidem Pontificem dediſſe, ibidem his verbis additur. (*Sed vide, obſecro, Viri Sanctiſſimi, tùm paternam in Ducem Charitatem, tùm humanitatem ſingularem. Provinciato Judicio, miſit ad Ducem Legatum, Virum primarium, qui ejus nomine illum inviſeret, ac ſolaretur, Judicii æquitatem, ac juſtitiam illi probaret, zelo æqui, ac juſti ductum Summum Pontificem, Judicium illud dediſſe, eo certè animo, ut legibus ſe prorsùs ſubmitteret, & eſſet boni conſulturus, ſi contra quàm putaret, & crederet, eſſet lata Judicum ſententia; nihil eſſe, quod prætereà commoveretur: ſibi illius dignitatem, & commoda fore de cætero chariora, cùm ſemper fuerint chariſſima*) Hactenùs Epiſtola.

Ex litter. apud Carac. ſub die 27. Dec. 1566.

Ibid. ut ſup.

CCI. Non eâdem tamèn facilitate, qua vſque adhùc recenſita diſſidia in Italia, opera Pii potiſſimùm, ſublata ſunt, compoſita quoque fuere ea, quæ intèr Finalis incolas, & ejuſdem Loci Marchionem, eodem tempore, verſabantur: omnem licèt moviſſe lapidem viſi eſſent, ad conciliandos animos, ab Imperatore, qui cauſam cognoſcendam ſuſceperat, expediti Commiſſarii. Duriſſima namque cuſtodia, in Arce ipſius met Loci, rebelles Dominum ſuum obſidebant, ex qua tandem vix liberari potuit, paratis ad arma rursùs confugere ſemper hoſtibus, cum quibus lis, in Imperiale forum translata, diù protracta fuit.

Campan. Vit. Phil. II to. 1. lib. 18.

Hadrian. hiſt. lib. 19.

CCII. Nec ad res Italiæ turbandas, parùm contuliſſent, à Birago, in Salutiarum Marchionatu, pro Galliarum Rege Gubernatore, paratæ inſidiæ, ut per fraudem, Savonæ, quæ Civitas eſt Ditionis Reipublicæ Janenſis, potiretur. Verùm, quod commolitum ille erat detecto dolo, infectum remanſit facinus, debitaque pœna affecto Octaviano Ferrerio, Savonæ cive, qui cum Birago de proditione egerat, pax reddita eſt. Ad opus hoc perficiendum, quatuordecim in Maſſilienſi Portu diſpoſitas quoque fuiſſe triremes, Hadrianus putat; at Pius, qui Chriſtianiſſimi Regis arma, conatuſque, non in Catholicos, ſed in Fidei, religioniſque hoſtes deferri optabat, hoc ipſo tempore, cum Catharina Galliæ Regina, de Genevenſi expeditione aggredienda, egit, exiſtimans ad id opportunam occaſionem dari, Albano Duce in Belgas Catholici Regis exercitum (ut dicetur) trajiciente. Eſt Geneva, inquit Gabutius, ad Lemanum Lacum in Allobrogibus Oppidum, inſignis hæreticorum, & apoſtatarum nidus, atque perfugium, quò veluti ad hæreticæ pravitatis gymnaſium, aſylumque tutiſſimum, undique confluunt peſſimi quique, Catholicæ veritatis deſertores. Hoc igitur, tàm infame, tàmque neſsrium domicilium impietatis, vel capere, vel excidere. Chriſtianique nominis opprobrium tollere, Pius omninò decreverat; atque expeditionem hanc continentèr verſavit animo, adeo ut eam, (quam modò memoravimus, occaſione elapſa,) poſt Turcicum, de quo dicemus, bellum, ſi illi vitam Deus ſuppeditaſſet, haùd dubiè confeciſſet.

Gabut. Vit. Pii lib. 2. cap. 4. Caten., & alii &c.

CCIII. Ab ipſis verò hæreticæ pravitatis ſectatoribus, debitâ affectum pœnâ, hoc anno, & capitali ſupplicio punitum, Bernæ in Helvetiis, Joannem Valentinum Gentilem, Conſentinum, narrat Thuanus, quint. Idus Septembris. Hic enim in eâdem errorum latrina, Geneva, ante octennium, ob ſparſas de Sanctiſſima Trinitate pravas, inter Italos, opiniones comprehenſus, & ex Senatus ſententia, ad ignominioſam pœnam

Thuan. hiſt. lib. 38.

pœnam damnatus, ob idque per compita Urbis traductus, & errorem ſuum publicè deteſtari, juſſus fuerat; ſed, cùm, contra fidem datam, indè aufugiſſet, & ſectarium idem virus denuò ſpargere, ac diſſeminare convictus eſſet; dilatam priori ſceleri pœnam, quam retulèrat, tandèm non effûgit. At de ipſo Gentili plura inferiùs.

CCIV. Catholici autem Helvetii, conſervandæ Religionis ſtudioſiſſimi, inter hæc Pium deprecati ſunt, ut in Seminariis, quæ ex Sacri Tridentini Concilii decreto, vel jam inſtituta, vel in Italia ab Epiſcopis eſſent inſtituenda, ſuæ quoque Nationis reciperentur pueri, qui doctrinâ, bonis moribus, ac Eccleſiaſtica diſciplina imbuti, Fidelibus, in patriam reverſi, ſubſidio, & exemplo, & contra hæreticam pravitatem præſidio, eſſe poſſent. Quorum votis, ex animo annuens Pius, decem, & novem pueros, quos ipſi elegiſſent, in Seminariis Mediolanenſi, Papienſi, Cremonenſi, Parmenſi, Mutinenſi, recipi juſſit, juxta ea, quæ tùm ad ipſos Helvetios, tùm ad præfatorum Locorum Epiſcopos ſcripſit, quos intèr, de hoc ſuo conſilio Carolum Cardinalem Borromæum Mediolanenſem Archiepiſcopum, his literis admonendum duxit.

(Dilecto Filio Carolo Tit. Sanctæ
Praxedis Presbyt. Card.
Borromæo.

Dilecte Fili &c.

Ex Archiv. Vatic. ſign. 1905.

QUanto ſtudio Helvetiorum Catholicorum deſideriis ſatisfacere debeamus, propter ipſorum in Catholica Fide, & hujus Sanctæ Sedis devotione conſtantiam, præſertim cum uitrò ea petunt, quæ, ut peterent à Nobis hortandi fuiſſent, Fraternitas Tua novit. Nupèr ji Nos rogandos curarunt, ut certum eorum filiorum numerum in Seminariis Italiæ, ex decreto Tridentini Concilii inſtituendis alendos, & bonis moribus, & doctrina Catholica, ac diſciplina Eccleſiaſtica imbuendos recipi, juberemus. Cui tàm piæ eorum cogitationi, Nos tantò propenſiùs annuendum duximus, quantò majorem ex ea re utilitatem perventuram eſſe videmus, non ſolùm ad Helvetios ipſos Catholicos, in Catholicæ Religionis cultu continendos;

A *ſed ad illos etiam ejuſdem Nationis, quos
à vera Fide hæreticorum fraus abduxit,
ad eam, Deo juvante, reducendos, cùm
præſertim ſpes nobis allata ſit fore, ut
aliquot etiam talium parentum filii, in
ea Seminaria mittantur. Cùm igitur
partem jam quandam puerorum Helvetiorum, per aliquot Civitatum Provinciæ
tuæ Seminaria diſpertierimus, qui libentèr admodùm ab iis, quibus eos attribuendos duximus, ſuſcepti fuerunt: viſum eſt Nobis ſex tibi ejuſdem Nationis*
B *pueros attribuere, quos volumus abs te
in Seminarium tuum, jam nunc adſcribi, & recipi, & eum venerint, diligentèr mandato tuo ali, atque ad pietatem, & divinum cultum informari: minimè dubitantes, quin tàm gratum Deo, & Nobis obſequium libentiſſimè ſis, pro tuo, Nobis noto, Zelo, præſtiturus. Curæ autèm erit Nobis, ut qui mittendi erunt, deligantur tali ingenio, & indole præditi, ut ſperandum ſit in eis alendis, & inſtituendis operam, & impen-*
C *ſam benè collatam iri.* Datum Romæ
apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die ix. Maji MDLXVI. Pontificat. noſtr. ann. primo)

Egiſſe Pium, ut Helvetici pueri CCV.
in aliquibus Seminariis Mediolanenſis Provinciæ reciperentur, priuſquàm cum Carolo Cardinali Borromæo hac de re verba faceret; ideò arbitramur, quòd eùm mandatis ſuis, præ aliis, futurum obſequentiorem, dictoque pariturum, cognoviſſet. Et reverà non
D modò id præſtitit Carolus, quod Pontifex juſſit, ſed inſuper Helveticæ Nationi, in Mediolanenſi ſua Eccleſia, proprium à fundamentis Seminarium attribui curavit, magnificentiſſimèque conſtruxit, ut ſuo loco dicendum erit. Onus verò alendorum Helveticorum puerorum, non uni Mediolanenſi Provinciæ à Pio impoſitum fuiſſe, id demonſtrat, quod, non ad Mediolanenſem Metropolim, ſed ad Ravennatem, Parmenſis, & Mutinenſis Eccleſiæ, tunc
E pertinerent.

Ubi igltur iſta ſic Pius ritè diſpo- CCVI.
ſuiſſet, ſequentem Epiſtolam ad Helvetios ſcripſit, qua eorum preces, ſe exaudiſſe fatetur, & loca connotans, ad quæ pueri mittendi eſſent, illorum Epiſcopis, ſeù Generalibus Vicariis tradendas quoque Literas unà miſit.

(Dile-

Digitized by Google

(Dilectis filiis Lucernæ, Uraniæ, Svetiæ, Interſilvaniæ, & Tugii Helvetiorum Catholicorum Cantonibus, libertatis Eccleſiaſticæ Defenſoribus. A

[Dilecti Filii ſalutem &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

Piæ poſtulationis veſtræ memores, eique ſatisfacere cupientes, curavimus, ut xix. pueri veſtræ Nationis in Seminariis, quæ ex decreto Concilii Tridentini in Longobardiæ Civitatibus inſtituta fuerunt, recipiantur; ibique ipſorum Seminariorum redditibus enutriantur. Diſpertiendi autèm ji pueri ita erunt. Cùm primum delecti fuerint, ſex erunt Mediolanum mittendi, quatuor Cremonam, tres Papiam, totidem Parmam, reliqui tres Mutinam; & Ven. Fratr. Archiepiſcopo Mediolanenſi, & illarum Civitatum Epiſcopis, ſeù eorum Vicariis, unà cum Literis noſtris commendatitiis tradendi. Admonemus Vos autem, ut hujuſmodi pueros deligatis, qui ingenio dociles ſint, & bona ad virtutem, & divinum cultum indole præditi, quales denique ipſum Concilium eligendos eſſe decrevit. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris. Die xij. Julii MDLXVI. Pontif. noſtr. ann. primo] B C

CCVII. Literarum commendatitiarum ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, & ad Epiſcopos Papienſem, Cremonenſem, Parmenſem, & Mutinenſem, ſeù ad eorum Generales Vicarios exemplar, hujuſmodi fuit. D

[Ven. Fratri Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſivè ejus Vicario in ſpiritualibus Generali. Adduci ad te juſſimus ſex (ad Papienſem tres, ad Cremonenſem quatuor; ad Parmenſem tres, ad Mutinenſem tres) hoſce pueros ex Natione Helveticorum Catholicorum, Nobis, & huic Sanctæ Sedi, propter ipſorum pietatem, ac devotionem ſingularem, eximiè dilectorum. Eos, ſicuti anteà ad te ſcripſimus, tuque piè admodùm te facturum eſſe promiſiſti Nobis, recipi, alique in Seminario, tuâ Curâ, inſtituto, at bonis moribus, ac diſciplinis Eccleſiaſticis, juxta Sanctiſſimum Concilii Tridentini decretum, ad pietatem cultumque divinum, quàm diligentiſſimè informari. Commendamus eos majorem in modum Fraternitati Tuæ, quæ talis E *curæ, & ſtudii tui mercedem non parvam à Deo conſequetur.* Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die xij. Junii MDLXVI. Pontificatus noſt. ann. primo]

Præter hæc, ad idem opus, cohortandum quoque duxit Epiſcopum Conſtantienſem Marcum Sciticum Cardinalem ab Altaemps, ſequenti ad eum ſcripta Epiſtola. CCVIII.

(Dilecto Filio noſtro Marco, Tit. S. Georgii in Velabro Præſbyt. Card. ab Altaemps vocato.

Dilecte Fili &c.

Ex eod. Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

INter cætera, quæ in Sacro Tridentino Concilio providè admodùm conſtituta fuerunt, conſtat, utiliſſimum fuiſſe, ut noſti, decretum illud de inſtituendis Seminariis in unaquaque Eccleſia Cathedrali: quod cùm aliis Locis ſervari maximè expediat, tùm verò neceſſarium eſt in illis locis, in quibus propter hæreticæ peſtis diſſeminata, & multiplicata zizania, major eſt Catholicorum, & idoneorum Sacerdotum, atque aliorum Clericorum penuria, ac magis providere neceſſè eſt, ut in poſterùm eorum copia ſuppetat. Etſi autem confidimus, te minimè prætermiſſurum, quin Eccleſiæ Tuæ in re tàm neceſſaria provideas, tamen paternæ hortationis, tamquàm calcar admovendum duximus, ut tale Seminarium, ſi nondùm inſtituiſti, primo quoque tempore inſtituas, cureſque, ut ejus Regimini, quàm maximè idoneos, probatoſque Miniſtros præficias, qui pueros in eo alendos bonis moribus, & doctrina Catholica, ac pietate imbuant. Illud quoque admonemus, ut ex Natione Helvetiorum aliquos pueros, bonâ indole præditos, in eo recipi jubeas, ſicuti Nos curavimus, ut in Mediolanenſi, & aliis quibuſdam Longobardiæ Seminariis, ex eadem Natione certus puerorum numerus recipiatur. Expediet autem, non ſolùm recipere filios Helvetiorum Catholicorum, ſed etiam aliquot ex illis, quorum parentes à Fide Catholica aberrarunt; cùm non deſperandum ſit, ſi diligentèr inſtituti fuerint, fore aliquandò eorum operam opportunam, ad Patres ſuos, & alios convertendos &c. Datum Romæ apud S. Petrum &c. Die xviij. Maji 1566. Pontific. noſt. ann. primo)

Quid

Quid apud Altempſium hac epipila in præſens profecerit Pius, Nobis incompertum. Apud Ciacconium tamen legimus, quod ubi, quod prædiximus, Sanctus Carolus Boromeus Mediolani Helvetiorum Seminarium inſtituit; Marcus idem Cardinalis Altaempſius, de Apoſtolicæ Sedis licentia, Sacerdotium, de Miraſole dictum, propè eamdem Mediolanenſem Urbem, Seminario eidem ceſſit.

Ciaccon.to.3 ſub an.1560 pag.914.

CCIX. Intereà, ut innuimus, Carolus Cardinalis Boromæus, de quo loquebamur, ad Mediolanenſem ſuam Eccleſiam redierat nonis Aprilis, non minùs paſtorali zelo, quàm Pontificiis munitus literis ad Principes, in quorum ditione Mediolanenſis Provinciæ Eccleſiæ conſtitutæ erant, ut rerum pro reformatione, præterito anno, in Provinciali Concilio decretarum, uſum, & totum conformandæ Eccleſiæ negotium adiuvarent. Ejuſdem Concilii generalium Statutorum, Apoſtolicam, ut diximus, confirmationem ipſe obtinuerat, antequàm Româ diſcederet, licèt Conſtitutio ejuſmodi, octavo Idus Junii data, tantùm recenſeatur; quo, nimirùm, tempore jam Mediolani morabatur. Sed ex inferiùs adnotandis cauſis, tribus aliis Conſtitutionibus etiam ejuſdem Concilii ſtatuta aliqua, ad Regulares ſpeciatim ſpectantia, fuerunt à Pontifice comprobata; quarum primæ, pridie Idus Aprilis, & tertio decim. Kalend. Maji datæ recoluntur; & nono Kalen. Junii altera, quibus demùm addita eſt alia, ſub quinto Kal. Julii hujuſmet anni, qua à Pio data eſt Carolo facultas, ut ad præfati Concilii decretorum obſervantiam, quoſcumque vellet, obſtringere poſſet.

CCX. Carolus autèm, commotus exemplo Pii, qui primùm à Domo, & Familia ſua reformationem inchoaverat, & ipſe familiares, ac domeſticos ſuos, cum ab Urbe diſceſſit, reformavit; & talem ſibi familiam delegit, qualem, accomodatam in primis credidit Eccleſiaſticæ, quam ſibi propoſuerat, diſciplinæ. Ut perfectæ Epiſcopalis vitæ rationem conſequeretur, Eccleſiaſticos deindè proventus, quibus ab Avunculo fuerat copioſè cumulatus, dimiſit, iis tantùm retentis, quibus ad proprios uſus, & pauperum neceſſitates uteretur. Conſtituta hinc familia, miniſterioque forenſi, in eam formam, eaſque

A Leges, quæ propriis deſcriptæ voluminibus habentur, & Carolus à Baſilica Petri, Joannes Petrus Giuſſanus, & Ripamontius prolixè non minùs, quàm eruditè ſcripto tradidere: cuncta in primis, Urbis ſuæ Templa inviſere, inſpicere, ac luſtrare, eſt aggreſſus, ut diſpoſitis apud Cives, quæ ad divinum cultum ſpectabant, faciliùs deindè Diœceſis, imò quotquot Mediolanenſi Metropoli Eccleſiæ ſuberant, eamdem diſciplinam obirent. In hac autèm B Viſitatione, ubi plurima paſſim invenit, quæ extremo viderentur egere auxilio, tùm ad Clerum, tùm ad populum pertinentia, eamdemque neceſſitatem in luſtranda Diœceſi, vel hoc anno, ut aliquis ſcripſit, vel ſequenti, ut alii dixerunt, perſpectam haberet; Eccleſiaſticis, ubique ſubvenire rebus, eaſque in antiquum ſtatum reſtituere ſtuduit: quod, ut efficeret, accerſitis undequaquè optimis Sacerdotibus, plebis ſuæ eis curam demandavit, eiſque quantum C ſàt eſſet, ad vitam munuſque creditum ritè ferendum, facultates attribuit. Magno ſiquidem auxilio, & præſidio ſibi fore credidit, in partem Paſtoralis ſollicitudinis idoneos, tùm doctrina, tùm vitæ probitate, adminiſtros aſſumpſiſſe, quos, non gratia, vel aliena utilitas obtuliſſet, ſed ipſiuſmet prudentia, & vigilantia delegiſſet.

Cum verò, & editis, quas diximus Provincialis Concilii Conſtitutionibus, & verbo, & opere tàm eximiè D Domini Vineam Carolus incæpiſſet excolere, Clericorumque omnium vitam, & mores componere, nec non Eccleſiaſtico foro ſua jura reſtituere, & ob quædam crimina, ac corruptelas, in laicos quoque animadvertere inchoaſſet; id ægrè ferentes, qui uſque eò impunè flagitioſam vitam egerant, ut optimum eximii Paſtoris ſtudium omne evererent, nunc regiæ Juriſdictionis violatæ aſſimulatâ ſpecie, nunc aliis E præterea emendicatis rationibus, omni conatu incubuerunt. Multi enim, ut Giuſſanus, & à Baſilica Petri narrant, Caroli in rebus agendis ardorem nimium eſſe dicebant, ſeveriùs punire, graviora paſſim imponere, quàm æquitati conveniret, ſibi minùs etiam, quàm aliis parcere. Erant inſuper qui fieri pleraque affirmarent, ad captandum nomen, famamque Sanctitatis, occultorum ſcilicèt vitiorum etiam ſuſpicionem

CCXI.

Carol.à Baſil. Petr. vit.S.Carol lib.2. Giuſſ. Vit S. Carol. lib.2.cap.7.

nem moventes: quibus ſermonibus alios ad imitandum, alios ad obſequendum tardiores reddebant: ad contradicendum etiam paratiores eos, qui ſibi id uſui fore putarent.

CCXII. Sed inter ea, quæ graviorem in Carolum tempeſtatem, hoc tempore, excitarunt, illud fuit, quòd, Pio monente, Virginum viſitare Cœnobia, omniaque ad Sacri Concilii Tridentini Canones, Mediolanenſiſque Synodi præſcripta, tùm verò ad ejus Conſtitutionis normam, quam de Cœnobiorum Clauſtris Pontifex ipſe, ut vidimus, edixerat, ſanctè conformare conaretur; quibus omnibus multi ſe adverſarii Borromæo intenderunt, & Regulares in primis viri, pro ſibi creditis Monaſteriis, quæ decem, & octo numerabantur, reclamarunt; & ex ipſis Virginibus multæ, quæ præſertim, Miniſtris Regiis, quos minimè omnium decebat, ſuaſoribus, reſiſtere, & per propinquos ſuos Cardinalis conatus impedire curarunt; ut re, ad ipſum quoque Civitatis Concilium relatâ, de Legato, vel ſaltem literis ad Pontificem mittendis, conſultaretur. Addit tamèn à Baſilica Petri, Moniales eaſdem, partim piis Caroli cohortationibus, partim animadverſione ceſſiſſe, & mandatis obtemperaſſe, Metropolitana verò demptâ, ejuſque Collegio, aliæ Mediolani Eccleſiæ, earumque Clerus, Hoſpitales inſuper domus, & Eccleſiaſtici Notarii iis obedire, quæ de ipſorum Officio ſtatuta erant, recuſantes, ad Pium contra Caroli decreta appellarunt, ut ex Epiſtola apud Caracciam Romæ ſcripta, ſeptimo Kalen. Novembris, colligitur; nàm in ea hæc habentur: (*Eſt inter Patres Cardinales integerrimus Senator, ac pius admodùm Archiepiſcopus Borromæus, Pii IV. ex Sorore Nepos. Hic, cùm primùm licuit, poſt renunciatum Pium V. Pontificem (licuit autem non multò poſt) venit ad Archiepiſcopatum ſuum, & Eccleſiam Mediolanenſem, ubi nil fuit illi antiquiùs, quàm ut, juxtà Sac. OEcumenici Concilii Tridentini decreta, Synodum Metropolitanam ageret* (loquitur de Concilio Provinciali, præcedenti anno, ut diximus habito). *In hac multa prudentiſſimè, ac ſanctiſſimè decreta, atque edita ſunt, quæ ad Concilii Tridentini executionem, morumque reformationem attinent. Quibus rebus offenſæ nonnullæ Eccleſiæ, Hoſpi-*

Ex Epiſt. apud Carac.

A *tales item aliquæ domus, ac Tabelliones nonnulli Mediolanenſes, imperio Synodi detrectato, ad Sanctiſſimum Pontificem appellarunt; quam appellationem tamen juſtiſſimus Pontifex, & tulit ægerrimè, & pro imperio rejecit, ac diſtrictè præcepit, eſſe omnes in Officio, atque decretorum Synodi obedientia.*] ſic ibi: Ex quo apparet, Mediolanenſis Cleri appellationem contra Caroli decreta, hoc anno factam, hoc ipſo anno fuiſſe rejectam. Verùm, cum Senatu, ut ſcribit à B Baſilica Petri, plus negotii fuit, eâ videlicet in parte, quæ ad laicam ſpectare Juriſdictionem videbatur; Cùm enim laicos homines nonnullos, ut innuimus, ex criminibus, ad forum ſuum pertinentibus, vocari; aliquos etiam in cuſtodiam dari per ſuos Lictores Carolus juſſiſſet; minimè jus Epiſcopo eſſe, quidam dixerunt, laicos, abſque Magiſtratuum auctoritate, vinciri debere, qui faceret, ab eo regium Jus occupari; imò verò, neque licere, contendebant, C lictoribus ſuis multis uti; neque ullis omninò, armorum genere quodam inſtructis, quæ cœteris erant prohibita. Ac, cùm publicè tamèn, aut ſcriptura minimè reſiſtendum exiſtimaretur; ipſis privatim ſacri Tribunalis hominibus verbo interdictum eſt, ne laicum quemquam auderent comprehendere, neque arma, cœteris prohibita, geſtare. Imò, ex quo Cardinalis, Synodi ſuæ Conſtitutiones edere curaverat, in quibus multa reperire erat ad laicos D ſpectantia; id minimè ferendum eſſe palàm dicebatur. Prætereà, (ex his forſàn, quæ Neapoli eodem tempore evenerant, commoti) neſcio quid à ſe priùs petendum Magiſtratus contendebant, quàm Apoſtolicis literis, juſſiſve quis uteretur, aut promulgaret. Quarum omnium rerum facultatem ad ſe pertinere, conſilio Juriſperitorum adhibito, Carolus judicabat, tùm Eccleſiaſticorum Canonum authoritate, tùm quia ſine ea, Poteſtas Eccleſiaſtica mi- E nimè libera videretur; neque planè poterat vitiorum licentia coërceri, aut Epiſcopale munus adminiſtrari.

Ut igitur omnem perturbationem, quæ publicè poſſet emergere, quoàd fieri poſſet, Cardinalis impediret, privatis amiciſque tantùm officiis, Jus ſuum demonſtrare, tuerique ſtuduit; ac Mediolanenſis Gubernatoris in primis pietate perfecerat, ut neque CCXIII.

Apo-

Apoſtolicis mandatis quidquam impedimenti afferretur; neque ſynodalium Conſtitutionum editioni, promulgationique quiſquam reſiſteret. Verùm, cùm tàm Juris, quàm facti controverſia eſſet, ob ipſas Conſtitutiones, & alia quæ ſui muneris, ac poteſtatis eſſe Carolus contendebat; imò, cùm utraque pars, quod pro ea faciebat, id præteritis temporibus conſuetum eſſe diceret; ſibique teſtimoniorum ſubſidio controverſi Juris poſſeſſionem vindicare conaretur: quidquid tandem Juris, factivè pro Eccleſia ſuppeteret, ad Pontificem Cardinalis referri curavit; ut quid agendum eſſet, Apoſtolicâ ſtatueretur authoritate, quod facilè, pro ſua pietate, ſervaturum quoque Senatum confideret. Ex altera verò parte ad Catholicum Regem Hiſpaniarum Philippum per ejus Miniſtros cum res delata eſſet; Carolus quoque, nè quid temerè attentaſſe videretur, per literas, & per Apoſtolicum Internuncium, apud eumdem Regem commorantem, conſilium in eo genere ſuum aperuit, & quæ pro Eccleſiæ Jure fidem facerent, indicavit. Reſpondit religioſiſſimus Rex, totum negotium ad Summum Pontificem deferendum; interim verò ſuis præcepit, ut, ſalva Regia poteſtate, Eccleſiæ Jura omninò conſervarentur. Quæ, poſt hæc, Senatus fecit, in ſequentem annum ſunt rejicienda.

CCXIV. Præſenti verò anno, inter cœtera, quibus Carolus in Mediolanenſi ſua Eccleſia, Divinum cultum, Eccleſiaſticoſque ritus reſevare connixus eſt, illud fuit primævæ fidelium pietati, Triduanas ante Aſcenſionem Domini Litanias, Minores dictas, reddidiſſe; cùm enim (inquit Ripamontius) ea res, & mixtum nocturno ſacro diurnum, confuſaque mulierum, & virorum turba, ſimilior laſciviæ bacchanalium, quàm ulli cœleſtium irarum placamini eſſet; tàm ſeverè eam Carolus emendavit, ut ſupplicantis populi mœſtum, ac lugubre ſpectaculum, verè lacrymas excutere poſſet cujuslibet alterius Urbis populo, ſi ſpectator adfuiſſet.

Ripamon. hiſt. Eccleſ. mediolan. pbr. 3. lib. 2.

CCXV. Dum Mediolanenſis Eccleſia, ſub Carolo, in iis, quæ ad Religionem, & pietatem ſpectabant, in dies creſcere cœpit; ſuo ſe viduatam Paſtore Alba Pompeja ad Tanarum indoluit. Extitit is Marcus Hieronymus Vida, patriâ Cremonenſis, qui ante annos triginta

A quinque, à Clemente VII. eidem Eccleſiæ præpoſitus fuerat. Primus hic inter Italos, ut Genebrardus in Chronico, & Thuanus ſcribunt, poſt Jacobum Sannazarium, poëticam ad res ſacras tranſtulit, & verſibus elegantiſſimis, ac puriſſimis provinciam ſuam excoluit; & in eadem, qua vixerat, pietate, placidè ad Deum hoc anno migravit quinto Kalen. Octobris, Albæ in Eccleſia ſua ſepultus. Cui poſteà à civibus ſuis, de quibus tàm benè meritus fuerat, exequiis in majore Urbis Templo, magna frequentia celebratis, & publicis elogiis honorificè parentatum eſt.

Genebrard. in Chronic. lib. 4. Thuan. hiſtor. lib. 38.

Sed, quæ hoc anno evenere, curæque, & ſollicitudinis plurimum, inter alia, Pio attulerunt; ea proculdubiò fuerunt, quæ in Germania acta ſunt; cùm ſummo in ea diſcrimini, & ab hæreticis Religio, & Fides, & à Turcis Pannoniæ pars potior objecta ſit. Sat ſiquidem non habuit Solimanus, eorumdem Turcarum Imperator, illâ, quam prædiximus, Claſſe, Chriſtiani Orbis cervicibus inſultaſſe; ſi, uti mari, terra etiam, in eum, novis inſtructis inſidiis deſævire, minimè contendiſſet. His obſiſtere cùm ſe viribus imparem Maximilianus Cœſar agnoſceret, undequaque opem efflagitare, & ſubſidia expoſcere cœpit; à Veneta Republica nempè, per Franciſcum Turſium Norimbergenſem, ſuum apud eam Oratorem; à Summo Pontifice, & à cunctis demùm Imperii in Germania Ordinibus, quorum Auguſtæ Vindelicorum Comitia indixit. Ex his, Veneta Reſpublica, licèt multis honorificis promiſſis à Cœſare, ad ſocietatem belli allici non potuerit; tamèn ut Maurocenus ſcribit, aſſiduis Turcarum in Pannoniam incitati impreſſionibus, qui eam conſtituunt Patres, frequentiora de Carniorum ditionibus muniendis conſilia habuerunt, cùm per eas regiones ſuperioribus ſæculis barbaros, ſe ad Italiam invadendam aditum aperuiſſe, colluvioneque efferatarum Gentium ea loca inundaſſe intelligerent; avorumque, ac Patrum ætate, incurſus à Turcis factos memorarent, quibus Provinciam incendiis, direptionibus, captivitatibus miſerrimè, ac fœdè vaſtaverant. Ideòque, ſubjungit, Sfortiam Pallavicinum ſummum militiæ Præfectum, aliosque armorum Ductores, quorum inſignis bello

Natal. Comes hiſtor.

Maurocen. hiſt. Venet. lib. 8.

lo virtus enituiſſet, in conſilium adhibuiſſe, de Utino, celebri, ac præcipuo Forijulii Oppido muniendo acturos. Sed antequàm manus operi admoverentur, tres Senatorii Ordinis, ad ſitum loci inſpiciendum mittere placuit, lectique Thomas Contarenus, Melchior Contarenus, Aloyſius Mocenicus, Sancti Marci Procuratores; iiſque injunctum, ut Utini formam, ſolum, ſitum, quibus è locis aqua, ligna, aliaque ad munitionem erigendam, ac tuendam adjumenta ſuppeterent, ſolertes inſpicerent, atque ad Senatum referrent, ut, quid Reipublicæ, Imperiique Veneti ditionibus expediret, conſultiùs, ac maturiùs decerneretur, nè immenſa in ingenti opere perficiendo vis auri, irrito conatu inſumeretur.

II. Romam intereà Maximilianus miſit, non Comitem Gaſparem de Lodrone, ut Campana, aliique volunt, ſed Joannem Keveniller ab Aichilberg liberum Baronem in Landſcron, & Wernberg Cubicularium ſuum (ut ex inferiùs ponendis ejuſdem Maximiliani literis colligitur) quo, Pio Pontificiam gratularetur dignitatem; unàque cum Comite Proſpero Archi, ordinario apud Apoſtolicam Sedem Cœſareo ſuo Oratore, ab ipſo auxilium, & opem contra Turcas deprecaretur. Verùm Pontifex ſubſidium aliquod præbere renuit, eò quod accepiſſet, in Imperii Comitiis, Auguſtæ Vindelicorum, ut diximus, cogendis, (ſivè hereticis poſtulantibus, ſivè minus piis viris conniventibus,) per ſpeciem nonnullas de Religione ſedandi turbas, reſque Civiles componendi, inter cœtera, proponendam ejuſmodi definiendamque quæſtionem: (*qua ratione, ac via, Chriſtiana Religio, ad meliorem, ac rectiorem intelligentiam, ſeù formam reduci poſſet*] Quod ſanè conſilium haud foret omninò ſanum, imò ſacris Legibus repugnaret, prorsùſque Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritati derogaret. Cùm enim ad ipſam tantùm, utpotè Eccleſiarum omnium Magiſtram, ac Judicem ſacræ Religionis proponere dogmata, declarare, ac conſtituere pertineret; erat planè graviter pertimeſcendum, nè gravis Pontificiæ poteſtati inferretur injuria; & præntereà, nè quidpiam ibi, contra Catholicam veritatem decerneretur. Et quidem hac ſpe adducti, valde lætabantur hæretici, novarumque ſectarum cupidi; quippè qui Cœſaris animum in ſui ipſorum ſtudia propenſum fore valdè confiderent.

Gabut. Vit. Pii lib. 2. cap. 1.

III. Cùm verò Pontificii Interegni tempore, quo nimirum, nemine obſiſtente, omnia ſe obtenturos hæretici confidebant, technas has ſtruxiſſent, ob id frequentiſſima futura erant Comitia, quæ quàm citiſſimè haberi Maximilianus optaverat, ut ſuppeditatis ſubſidiis, Turcicos conatus antevertere poſſet. Ea autem, ut præſtarent Cœſari auxilia, à Cœſare viciſſim, in re Religionis ſibi præſtandum, quidquid poſtulaſſent, hæretici arbitrabantur. Sed fallacis providentiæ artes, Divinum ſanè fefellit conſilium; nàm indicta ad ultimum Januarii Comitia, ob Daniæ, & Svetiæ bellum, diſſidiumque Joannis Friderici, & Wilelmi Fratrum Saxonum, uſque ad Aprilem prolata fuerunt: quo temporis intermedio, ad Apoſtolicam Sedem, ut vidimus, evectus Pius, Eccleſiæ hoſtium conatus irritos reddidit.

Mellific. hiſt. par. 4. Campan. & alii.

IV. Cœſareis igitur Oratoribus opem contra Turcas efflagitantibus, ſe illam præbiturum negavit Pontifex, ut innuimus, ob hæc, quæ Auguſtæ Vindelicorum perſenſerat pertractanda; iiſdemque Oratoribus reſpondit, qui Comitiis pro tuenda Religione præeſſet, ſe quamprimùm miſſurum, à quo intelligeret, quæ ſanè mens eſſet, quævè conſilia in corde Maximiliani verſarentur; nàm pari pietate, qua ille res Religionis curaſſet, eâdem etiam liberalitate, ac munificentia pro certo haberet, ſe ei ſubſidia collaturum: nihilque moratus, decimo Kalend. Februarii hujus anni, ut habet in ſuo Diario Firmanus, in Conſiſtorio ſecreto, Joannem Franciſcum Cardinalem Commendonum, Virum ſummâ virtute, ſingularique prudentia præditum, atque optimè de Chriſtiana Republica meritum, ut Comitiis intereſſet, Pontificium ſuum Legatum, elegit. Ad eum, qui ex Polonia (ubi fuerat apud Sigiſmundum Regem à ſuperiore Pontifice Legatus) ad Urbem redeuntem, literas, ac Diplomata miſiſſe Pium, quibus ille commonefieret, ut ubivis gentium literæ ipſæ redderentur, inibi ſubſiſteret, intelligeretque, ſe ad Cœſarea Comitia de conſervanda Apoſtolicę Sedis authoritate, ac de Catholica Fide in Germania, tùm reſtituenda, tùm protegenda, Lega-

Firman. Diar. ſub ann. 1566.

Gabut. ut ſup.

Legatum Pontificium deſtinari, ſcribit A
Gabutius. Verùm longè ante, quàm in Conſiſtorio eadem ei Legatio decerneretur, ac per conſequens Legationis diplomata expedirentur, ſubſiſtere juſſum, & alias fuiſſe literas, quibus à Pontifice Legatum ſe deſignari Commendonus intellexit, alias, quibus reverà Legatio ipſa ei demandata fuit, Epiſcopus Amerinus Gratianus, qui ipſi Commendono in eadem legatione comes adhæſit, in ejuſdem vita teſtatur his verbis (*Cæterùm, vix tridui iter* B

Ant. Maria Grat. Vit. Cardin. Commend. lib-3. cap. 2.

progreſſo (Commendono) ad OEniponctem nuncius à novo Pontifice miſſus cum literis occurrit, Germanicam ei Legationem decernentibus; nàm Pius, antequàm è Comitiorum Conclavibus egrederetur, cùm omnia ſtrepitu, concurſatione, turbâque miſcerentur, nihil illo ſupremæ poteſtatis honore ullam in partem animo excuſſus (tantum illi inerat roboris) jam tùm curam in Rempublicam intendit, literaſque extemplò ad Commendonum dari juſſit, quibus oſtendit, ſibi placere, ut Germanorum conventui intereſſet Legatus.] additque C ſtatim: [*Quinquaginta Cardinales ea Comitia habuerunt, in quibus erant ſummæ dignitatis, & omnium virtutum excellentes viri, quorum nemo non eum honorem Legationis, munuſque ſibi demandari cupiviſſet, ſingulorumque tantum, ac tam recens in Pium excabat meritum: tamèn conſenſu, & approbatione omnium, ad Commendonum ea delata provincia eſt, tùm opinione induſtriæ,* D *prudentiæque, quæ ſumma de illo erat, tùm quòd unus maximum Gentis ejus habere uſum exiſtimabatur*]

V. Reverſus igitur Auguſtam Commendonus, ibique, cum novæ Legationis literis, & inſignibus, quæ, præcipiente Pontifice, Joannes Andreas Caligarius ei detulit, purpureum quoque galerum accepit, quod de Othonis Truxii, qui idem Auguſtæ Epiſcopus erat, manibus, ſolemnia inter ſacra, de more ſuſcepit, Alberto Bavaro cum E Uxore, ac Liberis, multiſque præterea Principibus viris, adſtantibus, qui honeſtandi Commendoni, & celebrandæ rei cauſa convenerant.

Campan. ut ſup. Gratian. ut ſup.

VI. Priuſquàm autem, quæ Auguſtæ in Comitiis acta ſunt, proſequamur, haud incongruum duximus, quæ Commendono ex Polonia redeunti evenere, ex præfato Gratiano deſumpta, hic apponere; cùm ad ea, quæ inferiùs narranda erunt, perſpicuè intelligenda, plurimùm conferre agnoſcantur: dicit igitur: [*Sexto poſt Cardinalatum menſe, juſſus à Pontifice Germanorum obire Concilium, quod Auguſtæ apud Vindelicos, à Cæſare indictum erat, è Polonia diſceſſit, Rege, ac Principibus Gentis certatim, officiis, atque honore abeuntem proſequentibus. Pragam (Bohemiæ caput eſt) advenienti obviam progreſſus Archiepiſcopus Pragenſis, Pium IV. Pontific. Max: ad V. Idus Dec. diem ſuum obiiſſe, nunciavit, & mox Tabellarius ab Urbe, magna celeritate, miſſus à Carolo Borromæo, & Marco Altaempſio Cardinalibus, Pontificis ſororum filiis, cum literis affuit, quibus magnoperè illi à Commendono petebant, ut omnibus rebus poſthabitis, Romam ad Comitia adcurreret. Cenſentibus omnibus eundum, protinuſque eadem nocte, iter cum paucis expeditis arripiendum; ipſe quidem utrumque cupiviſſet, & intereſſe Comitiis, & perſtudiosè vocanti parere Borromæo: ſed, & Germanos ex occaſione molituros adversùs Jura ſacrorum aliquid in eo Conventu rebatur, & Cæſarem, niſi cuſtos ei aliquis, ac monitor eſſet appoſitus, haud facìs per ſe impetum eorum propulſaturum exiſtimabat; & antea diſſimulationis, & negligentiæ in ea re ſuſpectum, & tùm etiam obnoxium Germanis, quorum opem implorabat, ad arcendam Turcarum vim, à quibus ſævo bello in Hungaria petebatur. Deliberanti, privatis rationibus, officioque, Reſpublica antiquior, potiorque fuit; ſtatuitque non ante redire in Italiam, quàm Cæſarem conveniſſet, & privatim, quandò Legati autboritas, Pontificis morte interciderat, eum, & muneris ſui defendendæ Religionis, & conſiliorum, quæ hæretici haberent, admonere. Triduum Pragæ, agendi, colendique cauſa diem Natalem Chriſti commoratur; indè profectus, ſuperacis Hirciniæ ſaltibus, quibus Boemia omnis ambitur, nivibus, quibus oppletæ, impeditæque per ſylvam viæ erant, Agreſtium opera, amotis, in Germaniam ingreditur, Bavariamque petit, ſperans ibi occurſurum ſe Cæſari, iter Viennâ Auguſtam, ad Conventum habenti. Atque ità accidit, ut eò, paulò ante Cæſar veniret. Regnum in Bavaria tenebat Albertus, vir dignitate opibuſque, & affinitate Cæſaris, cujus ſororem in matrimonio*

nio habebat, & Ceſareæ familiæ honore, inter reliquos Germaniæ Proceres eminens, & ſtudio avitæ pietatis, & fidei in Romanam Eccleſiam, & Catholicam Religionem longè eminentior. Cum hoc Commendonus, inde ab ſuperiori Legatione, qua Germanorum gentem obivit, inſtitutam benevolentiam habebat, quam, & coluerat abſens omnibus officiis; & Albertus ipſe huic amicitiæ plurimùm ſemper tribuerat, & tùm nova dignitate, ob virtutem auctum, ad ſe venientem, quàm potuit comiter, atque ſplendidè hoſpitio accepit; ipſa quoque opportunitate adventûs ejus lætatus, cùm domum ſuam initurus Cæſar adventaret. Cùm igitur Commendonus cum Alberto, de Republica conſilia contuliſſet, & ab eo vehementer collaudaretur, quod non ſtatim, neglectâ, ac poſthabita Religionis cauſa, cupidè Romam ad Comitia properaſſet, Cæſar advenit, magnificentiſſimo hoſpitio ab Alberto acceptus, qui quidem equo deſcendens, cùm opperientem ſe in veſtibulo Regiæ Commendonum aſpexiſſet, ultrò ad amplectendum eum accurrens, & perquàm familiariter appellans: Tu verò, inquit, hic frigido in Cælo nobiſcum moraris, at Romæ intereà magno æſtu Comitia calent; apprehenſâque ejus dextera, per gradus, unà in ædes, atque in cubiculum aſcendit, nec deſtitit eum, quamdiù ibi manſit, palàm magno in honore habere, cùm eodem tecto uterque, iiſdem quoque epulis, menſâque quotidie utebantur, cui, præter ipſum, & hoſpitem Albertum, nemo adhibebatur: tùm unà, & uxor Cæſaris, & ſoror, & filiæ duæ nubiles accumberent, quarum paulò poſt, altera Philippo, altera Carolo Hiſpaniarum, & Galliæ Regibus nupſere. Peracto convivio, & amotis arbitris, in Conclave idem Cæſar, Commendonus, & Albertus ad colloquium ſecedebant, multaſque horas unà quotidiè erant, cùm multa de Polonicis rebus, de ſororis ſuæ cum Rege diſſidio, quæreret Cæſar, deque eo, quod ipſe debere ſe Commendono profitebatur, memoraret, cujus ſtudio, curâque effectum eſſet, nè quò, impotenti cupiditate rapi videbatur, præcepſ. iret. Multa quoque de Turcico inſtanti bello communicavit, rationemque cum eo injit, qua, ſalvis fœderibus, quæ Regi Poloniæ eſſent cum Turca, aliquæ ex ea gente Turmæ equitum ad id bellum conduci poſſent. Ante omnia, illum

A *Commendonus de conſiliis hæreticorum, quæ compererat, docuit, & commodâ oratione, muneris eum ſui admonuit, tantò tùm intenſiùs ſuſcipiendum avitæ Religionis patrocinium, tuendaque Sacerdotii Jura illi eſſe differens, quantò incommodiori tempore aggreſſuri ea adverſarii eſſent, cùm Pontificis Maximi morte, Præſidè ſuo, ac Rectore Eccleſia, & Chriſtiana Reſpublica careret; atque in eo maximè Concilio, quod ipſe primùm, poſt adeptum Imperium haberet, dandum*
B *ſui ſpecimen, ac documentum, quantumque in eo ſpei bonis eſſet ponendum, indicandum. Per hæc, confirmato Cæſare, eoque non paſſurum abſe deſiderari officium ſuum prolixè pollicente, quartò poſt adventum ejus die, cùm ea die Commendonus eſſet poſt convivium diſceſſurus, lavantibus manus, ut accumberent, celeritatis plenus Tabellarius Cæſarem adiit, literaſque à Coſmo Medice, Florentinorum Duce reddidit, quibus, Michaelem Ghislerium Alexandrinum Car-*
C *dinalem, Pontificem Maximum, ad VIII. Idus Januarii eſſe renuntiatum, & Pium V. appellatum ſcribebatur. Cæſar, lecta epiſtola, quamquàm ipſe, & alium ex iis, quibus ſtudioſè favebat, & quamvis alium, quàm Alexandrinum fieri Pontificem maluiſſet, cujus acres ſpiritus in ſua dignitate tuenda, vindicandâque Religionis majeſtate, antea rumore, atque fama acceptos, minimè opportunos conſiliis, & cogitatis ſuis exiſtimabat; quem quæſtionibus adverſùs hæreticos præpo-*
D *ſitum, eas ſeverè, atque integrè exercuiſſe cognoverat; tamen diſſimulato animi ſenſu, Commendono creationem Pontificis læto vultu enuntiat, literaſque legendas tradit. Cum diſcubuiſſent, ſermoque de novo Pontifice eſſet inſtitutus, Commendonus (ſenſerat enim, ictum eo nuntio Cæſarem) à primordiis ejus vitæ exorſus, de maximis ejus ſanctitatis, atque innocentiæ laudibus, quibus nullo ipſius, non ſolùm ambitu, ſed ne ſtudio quidem, per omnes honores ad ſummum*
E *rerum humanarum faſtigium provectus eſſet, ità copioſè, aptèque diſſeruit, ut omnes in admirationem, & venerationem ejus adduceret, omniumque animos magna ejus ſpe, ac expectatione repleret: Quo facto, ipſe ſtatim equos aſcendit, Romam magnis itineribus, ut Pii initiis adeſſet, contendens.)*

Vix tamèn tridui iter progreſſus VII.
fuerat, cum à novo Pontifice ſubſiſtere,
ut

ut diximus, juſſus eſt, & Auguſtam petere, ut Comitiis Sedis Apoſtolicę Legatus adeſſet; ad quod peragendum munus, eò aptior fuit, quò, priuſquàm etiam ei collatum fuiſſet, ipſo, ut mox audiſti, optimè, & idoneè perfunctus viſus eſſet. Ulteriora tamèn ad res Religionis curandas, ac tuendas, ei Pontifex ſubſidia conſtituit, nàm, ut ei Conſiliarii aſtarent, ſelectiſſimos Viros delegit, Scipionem Lancellottum, Nicolaum Sanderum, Theologum Anglum; & Hieronymum Natalem, Petrum Caniſium, Jacobum Ledeſmam, Societatis Jeſu Præsbyteros, quos Româ Auguſtam miſit. Poſtquàm verò publicè Commendonum Legatum ſuum dixit, ad Catholicos Germaniæ Principes, tùm Eccleſiaſticos, tùm laicos, ſequentes quoque, quas ex Vaticano Archivo accepimus, literas dedit.

AD MAXIMILIANUM CÆSAREM

[Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Maximiliano Imperatori Romanorum electo.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. ſign. 2506.

POſteaquàm Domino placuit, Nobis, licèt immerentibus, in hac Apoſtolicæ Sedis ſpecula collocatis, Gregem ſuum paſcendum, ac regendum committere; ſtatim convertimus oculos mentis noſtræ ad inclytam iſtam Nationem, & nullam paſtoralis ſollicitudinis operam, nullum paternæ charitatis officium prætermittere decrevimus, ad conſervandas tamquàm ex maximo naufragio Catholicorum reliquias; ipſos etiam, qui amiſſi fuerunt, ſervare, & in portum æternæ ſalutis adducere cupientes. Sed illud, non ſine magna animi moleſtia audivimus, quod tamen Nos quoque hæreticorum mos ſuſpicari cogebat; verendum eſse, nè in Conventu Auguſtano de iis rebus agatur, de quibus in tali Conventu agi minimè debeat, quæque Apoſtolicæ Sedis ſint judicio reſervandæ. Quia verò hoc non eſset animarum ſaluti conſulere, ſed hæreſes alere, & ſchiſmata fovere, & ſcandala ſcandalis addere; Te, Chariſſime Fili, ut Catholicum Principem, & Eccleſiæ advocatum, & De- A *fenſorem, paterno animo hortandum duximus, ac per Omnipotentem Deum, obteſtandum, ut memor officii tui, memor famæ, atque exiſtimationis tuæ, ſi qui fuerint, qui de hujuſmodi rebus agi poſtulent, eos à tali conſilio, ac potiùs temeritate deterreas. Cùm enim Sacroſancta Synodus Generalis, omnia, quæ ex ritu Eccleſiæ fuerunt, adeò maturè, ac providè tractaverit, definierit, atque ſtatuerit; indignum nimis, ac minimè ferendum ſit, ſi quis ea tractare audeat,* B *quæ à tanto Concilio decreta, & conſtituta fuerunt, & authoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ comprobata; cùm jam à piis omnibus, & ſuſcipienda devotè ſint, & fidelitèr obſervanda. Illud potiùs in tali Principum Germaniæ Conventu agendum fuerit, quòd, cùm Chriſtiani populi univerſi, tùm præcipuè ipſius Germanicæ Nationis periculum ante oculos poſitum monent, ut fœdus ineatur adverſùs communes Chriſtiani nominis hoſtes, quibus iſtæ diſsentiones, & ſchiſ-* C *mata nimis opportuna ſunt. Hæc fuerit actio, virtute, pietate, & ſapientia Majeſtatis Tuæ digniſſima; hæc ratio, qua præter laudem, & gloriam immortalem, quam ab omnibus conſecutura eſt, imperium ſuum firmare, ac ſtabilire poſſit, & ut ſperamus, etiam augere, & propagare. Tàm ſancti, & neceſsarii fœderis, profitemur, Nos paratos fore principes; & quæcumque poterimus auxilia, Majeſtati Tuæ, ac reliquis fœderatis ſubminiſtraturos, atque, ut reliqui Chriſtiani Re-* D *ges, & Principes eodem fœdere vobiſcum jungantur, auctoritatem noſtram enixè interpoſituros. Qua tandem de re, & de cæteris, de quibus cum Majeſtate Tua agendum hoc tempore putavimus, de Venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio, & aſsenſu, Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de latere Legatum, in Dei nomine, iſtùc venire juſſimus, Dilectum Filium noſtrum Joannem Franciſcum S. R. E. Cardinalem, Commendonum appellatum, Virum ſpectatæ integritatis, ac* E *fidei, quem, ut pro Sedis Apoſtolicæ reverentia benignè, & honorificè excipias, & ut omnibus de rebus, de quibus tecum, noſtro nomine, egerit, fidem ejus orationi habeas, atque, ad obeundem commiſsæ ſibi Legationis officium, conſilium, favorem, & auxilium tuum ei præſtes, Majeſtatem Tuam rogamus.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxiij. Janua-

Januarii MDLXVI. Pontific. noſtri anno primo]

Ad Archiepiſcopum Moguntinum.

[Ven. Fratri, Danieli Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principi Electori.

Ven. Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

Quandoquidem Altiſſimo placuit, infirmitati noſtræ in hac tàm affecta ætate tantum, & tàm ingens onus Apoſtolicæ ſervitutis imponere; ità miniſterium noſtrum ad Dei laudem exequi, ipſius miſericordia freti, decrevimus, ut, cùm Nos ad ſe vocaverit, villicationis noſtræ rationem reddere poſſimus. Etſi autem Fraternitatem Tuam, pro ſua probitate, & Catholicæ Religionis ſtudio, cujus ejuſmodi teſtimonia habuimus, quæ jucunda Nobis admodùm, & optata fuerunt, paratam eſſe confidimus ad ea, quæ ad Dei honorem, & ipſius offitium ſpectant; tamen præcepti Domini non immemores, confirmandos, & cohortationibus, & monitis noſtris excitandos te, & reliquos iſtius inclytæ Nationis Prælatos, ac Fratres noſtros duximus, ut eos, qui in ſollicitudinis noſtræ partem, à Domino vocati, Nobis fidelitèr, ac devotè adeſſe, & pia, ac ſalutaria noſtra conſilia, prompto animo adiuvare debetis. Præcipuam ſanè hæreſibus cauſam dediſſe conſtat, in iſta olim, tàm Catholica Natione, Paſtorum incuriam, ac negligentiam, & Cleri mores depravatos, atque corruptos. Irrepſerunt enim Lupi, & oves Dominicas laniarunt, dum ji, qui ad earum cuſtodiam vigilare debuerant, dormiunt, & laicorum mores, ſacerdotum vita depravata corrupit. Illud igitur primùm Te, Frater, hortamur, & obſecramus, ut memor officii tui, memor illius tremendi Judicii, ovibus fidei tuæ commiſſis, paſtoralem curam, & vigilantiam præſtes; & cùm eas, quæ in ovili Dominico remanſerunt, vitæ, & morum tuorum exemplo, & verbo, ſaltem per Catholicos, & Religioſos viros, fidelitèr, ac diligenter paſcas; tùm eas, quæ aberrarunt, ad ſalutaria Eccleſiæ paſcua reducere coneris. Clerum verò tuum, aſſiduis cohortationibus, ac monitis extimulare

A *debes, ut cogitantes vitam ſuam laicis ad imitandum eſſe propoſitam, ſobriè, caſtè, & religiosè vivant. Et quia, quæ ad Catholicæ Religionis veritatem, quæque ad corrrectionem morum, & commodiùs Eccleſiarum regimen pertinent, in ſacro Tridentino Concilio, Deo authore, fuerunt providentiſſimè definita, ſtatuta, decreta; ipſum Concilium, quod auctoritate fuit Sedis Apoſtolicæ confirmatum, devotè ſuſcipere te, & fidelitèr obſervare, atque ut à Suffraganeis tuis*
B *itidem, & ſuſcipiatur, & obſervetur, ſedulò, & enixè curare neceſſè eſt.*

Ad Comitia Auguſtana jam profectum eſſe Te credebamus; ſi nondùm iviſti, ut illùc, non Procuratorem mittas, ſed ut ipſe te conferas, vehementer hortamur, ac monemus. Permagni intereſt, Te, & reliquos Catholicos Antiſtites illis Comitiis intereſſe, & ea, qua decet, concordiâ, virtute, atque conſtantia vos paratos eſſe ad obſiſtendum hæreticis,
C *hæreticorumque fautoribus, ſi de rebus ad Religionem Catholicam pertinentibus agere voluerint. Quod quidem ſi tentarint, ſicut timendum eſt, Fraternitatem tuam vehementer monemus, & per Omnipotentem Deum obteſtamur, ut quantum in te erit, nihil ejuſmodi in eo Conventu agi, nec quicquam de antiquis inſtitutis, & ritibus Eccleſiæ immutari patiaris; cùm tractari nefas ſit, quæ in Veneranda Synodo Univerſali, tàm maturè decreta, & conſtituta fuerunt: nèc*
D *ſacri Canones, nec Imperatorum Leges, nec mos perpetuus Eccleſiæ patiatur, de rebus hujuſmodi, in laicorum Conventibus diſputari.*

Illud propterea cavendum devotioni Tuæ, & cæteris Fratribus fuerit, nè quid ibi decerni, agique patiamini, quo vel hujus Sanctæ Sedis, omnium Chriſtifidelium Matris auctoritas, aut dignitas violetur, vel veſtrum, & veſtrarum Eccleſiarum Jus imminuatur. Quin inſtare apud Chariſſimum in Chriſto Filium
E *noſtrum, Romanorum Imperatorem electum, & poſtulare debebitis, ut, quæ Eccleſiis nonnullis, contra ipſa Imperialia Edicta, ſacrilegâ quorumdam cupiditate, fuerunt ablata, reddantur. Veſtra enim intereſt, hujuſmodi laicorum cupiditatibus obviam ire, & nè res tàm perniccioſa, & impii exempli longiùs ſerpat, occurrere, ac providere. Cætera, de quibus hortandum Te, & admonendum eſſe*

eſſe duximus, referri tibi voluimus à Dilecto Filio noſtro Jo: Franciſco Cardinali, Commendono appellato, Viro integerrimo, & Nobis probatiſſimo, quem noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ Legatum ipſis Comitiis intereſſe, Tibique, ac cæteris Fratribus adeſſe, & fraternam charitatem noſtram repræſentare voluimus. Cujus orationi fidem, ut habeas, utque noſtra per eum conſilia, & hortationes admittas, perindè ac ſi Nos ipſos de iiſdem rebus audires, abs te petimus. Illud Fraternitati tuæ perſuaſum eſſe cupimus, nullum tibi, quod quidem, pro loco, in quo ſumus, proficiſci à Nobis in Te poſſit, officium defuturum, Noſque propenſiſſimos fore ad omnia concedenda, quæ, vel ad commiſſi Gregis ſalutem, vel ad Tui ipſius honorem, & commodum pertinebunt, quantum quidem noſtra, & hujus Sanctæ Sedis dignitas patietur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 25. Januarii MDLXVI. Pontific. noſtr. anno primo)

VIII. Eodem exemplo miſſas inſupèr literas ad Joannem Archiepiſcopum Trevirenſem, Principem Electorem, adnotatur in MS. Regiſtro Vaticano, in quo inſupèr legitur ad cœteros quoque Germaniæ Epiſcopos eadem ſcripta, quæ in ſequenti, ad Herbipolenſem Epiſcopum data, Epiſtola habentur.

[Ven. Fratri Friderico Epiſcopo Herbipolenſi.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater ſalutem &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

FRaternitatem tuam jam ex aliorum literis, de noſtra ad Apoſtolicæ Sedis regimen aſſumptione cognoviſſe non dubitamus. Suſcepimus, ut Domino placuit, onus viribus noſtris longè impar, ſed, cùm Nobis conſcii ſimus, id à nobis appetitum non fuiſſe, Dei ope, & miſericordia freti, jugo ejus cervices noſtras, in ſpiritus humilitate ſubjecimus. Quia verò, etiam antequàm in hunc locum aſcenderemus, maximo animi dolore affici ſoliti fuimus, ex peſtiferis hæreſibus, quæ tàm præclaram, & nobilem Nationem ferè omnem, à Catholicæ Eccleſiæ corpore, miſerandum in modum ſegregarunt, totque, ac tantas ejus calamitates invexerunt; quantum officium noſtrum nupèr auctum eſt, tantum crevit, & deſiderium, & conſervandi Catholicorum reliquias, qui ad hoc tempus in Eccleſiæ unitate manſerunt, & iis, qui ab Eccleſia deſciverunt, opitulandi, ſi noſtra, & Fratrum noſtrorum ſedulitate ad Matris Eccleſiæ gremium reduci poſſint, ut memor Paſtoralis ſollicitudinis, in cujus partem vocatus es, tantum onus, pro tua parte ſubleves. Id verò aſſequeris, tàm paſcendo diligentiſſimè oves fidei tuæ commiſſas, & virtutum exemplis, ac ſalubri doctrinæ pabulo per te, ſed per Catholicos, & Religioſos Viros præbendo, tùm Cleri moribus, ſine perſonarum acceptione corrigendis, ut omiſſis vitiis priſtinis, quibus ſe, & Sacerdotale nomen dedecorarunt, & in ſummam infamiam adduxerunt, ac laicos ipſos corruperunt, officii ſui, ac ſalutis memores, ſobriè caſtè, ac religiosè vivant. Cùm autem in Sacro Concilio Tridentino omnia, quæ, vel ad patefaciendam, & illuſtrandam Catholicam veritatem, vel ad reformandos mores, & Eccleſiarum regimen pertinent, ſanctiſſimè, ac diligentiſſimè inſtituta, atque decreta ſint, Fraternitatem tuam hortamur, monemus atque diſtrictè præcipimus, ut ipſum Concilium, eâ, qua convenit, devotione ſuſcipias, ac diligenter obſerves, ac præter cætera, illud de Seminario, in unaquaque Eccleſia inſtituendo ſaluberrimum, laudatiſſimumque decretum, primo quoque tempore exequaris.

Magnoperè illud quoque abs te petimus, & obteſtamur, ut ad Auguſtana Comitia, ſi nondùm profectus fueris, ire nè differas, ſicuti reliquos quoque Fratres literis noſtris hortati ſumus: Maximè neceſſarium eſt, illi Te Conventui, ac reliquos Catholicæ Religionis defenſores intereſſe, ad impediendos hæreticorum conatus, ſi more ſuo de iis rebus agere tentarint, quæ vel ad Fidem, & Religionem Catholicam oppugnandam pertineant, vel ad violandum, & imminuendum Jus tuum, & reliquorum Germaniæ Epiſcoporum, atque hujus Sanctæ Sedis poteſtatem. Quorum pernicioſis impiiſque conſiliis, officii, & loci tui memor, unà cum reliquis Fratribus tuis fortitèr, & audactèr obſiſtere, adverſarique debebis. Habebis autem illic Dilect. Filium noſtrum Jo: Franciſcum Cardinalem, Commendonum vocatum, Sedis Apoſtoli-

cæ

cæ Legatum, qui Fraternitati Tuæ, ac cæteris Catholicis aderit: cujus orationi cæteris de rebus, quas brevitatis cauſa omiſimus, fidem, ut habeas, & ut ea, quæ mandato noſtro tibi ſuadebit, prompto animo exequaris, à Fraternitate Tua petimus. Ex eodem cognoſces, quàm parati ſimus Tibi, ac cæteris Fratribus gratificari, omnibus in rebus, quantùm noſtra, & hujus Sanctæ Sedis dignitas patietur. Illud quoque diligenter, ac ſedulò curare te volumus, ut notitias habeas Clericorum, non ſolùm Civitatis, ſed etiam Diœceſis Tuæ, quos conſtet eſſe Catholicos, quique vitæ, & morum honeſtate, & doctrina, ad ſerviendum Deo, & huic Sanctæ Sedi ſint idonei; ac delectu quodam eorum cum fide, & ſine acceptione perſonarum habito, Nobis indicem, ſigillo tuo obſignatum, & manu tua ſubſcriptum, cum eorum nominibus, & Locis, ubi habitant, mittas. Nos enim, ut communis omnium Parens, proborum virorum, ubicumque ſint, rationem habere decrevimus, & eorum operâ uti, cùm occaſio oblata fuerit, ad eas res, quæ ad Dei, & hujus Sanctæ Sedis obſequium pertinebunt. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris. Die XXIIJ. Januarii MDLXVI. Pontific. noſtr. anno primo)

IX. Illis exceptis, quæ ad Auguſtana Comitia, & ad Cardinalis Commendoni Legationem pertinebant, in his Pii Epiſtolis nil aliud propterea reperire eſt, quàm ea ipſa præcepta, & monita, quæ omnibus quoque Epiſcopis, ubique gentium conſtitutis, ut ſuprà vidimus, tradidit. Verùm, haud multò poſt, reformationi Eccleſiaſticorum Germanorum vehementiùs Pontificem incubuiſſe, videbimus. Interim dediſſe hac ipſa occaſione, uti ad cœteros hujus Provinciæ Epiſcopos, ad Electum quoque Colonienſem literas, ea demonſtrant, quæ inferiùs dicenda erunt. Cùm verò ſuo muneri, adhùc ſatisfeciſſe non cenſuiſſet, his, quæ ad Cæſarem, & ad Eccleſiaſticos Præſules ſcripſit, alios quoque Catholicos Principes officii admonuit, ut hic poſitæ ad eos Epiſtolæ oſtendunt.

[Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Auſtriæ.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c.

VEreri nos cogunt multorum ſermones, ac literæ, ac mos ipſe perpetuus hæreticorum, nè quid in Comitiis Auguſtanis agatur, quod Apoſtolicæ Sedis dignitate alienum ſit, quodque ad corrumpendum valeat quidquid ab hæretica pravitate iſtic ad hoc tempus, Dei beneficio integrum permanſit. Cui rei occurrere, pro Paſtoralis ſollicitudinis officio cupientes, & Ven. Fratres noſtros Epiſcopos officii ſui admonuimus, & Catholicorum Principum auxilium implorandum duximus. Quia igitur exploratam, & benè cognitam habemus ſinceram devotionis Tuæ conſtantiam erga Sedem Apoſtolicam, & ſingulare ſtudium erga Fidem, ac Religionem Catholicam; hortamur Nobilitatem tuam, & per Omnipotentem Deum rogamus, ut ſi hæretici talia tentare auſi fuerint, tàm neceſſario tempore egregiam pietatem tuam, & dignum Te, & Majoribus tuis animum, & virtutem oſtendas, eorumque conatibus obſiſtas. Quòd ſi ſtudio concordiæ, & unitatis eas res ab ſe tentari dixerint, debebunt, ſi verè, & ex animo ipſi veritati ſtudent, non hujuſmodi turbas commovere, ſed S. Generalis Tridentinæ Synodi Decreta reverenter ſuſcipere, quibus ſanctè, maturè, providè omnia, quæ, vel ad patefaciendam, & declarandam Catholicorum Dogmatum veritatem, vel ad reformandos mores, & corrigendos abuſus, & curandam animarum ſalutem pertinebant, declarata, definita, ac ſtatuta fuerunt. Tempus tandem eſſet, Dilecte Fili, hæreticos pertinaciæ ſuæ finem facere, Deum vereri, ac ad Apoſtolicæ Sedis devotionem, depoſitis odiis, erroribuſque, reverti. Quàm graviter Deus eos ulciſci ſoleat, qui ab Eccleſiæ Catholicæ unitate receſſerint, poſtquàm eos, ſatis diù, dùm reſipiſcant, expectaverit; Græcorum, & aliarum Nationum, quæ ſe ab Eccleſia ſepararunt, exempla luctuoſiſſima declarant. Non iſtis de rebus in tali Conventu agendum eſſet: illud agi expediret, atque adeò neceſſarium eſſet, ut Principes Germaniæ, cogitan-

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

tes

tes periculum, quod ab hoſtibus noſtris potentiſſimis, ſibi finitimis, imminet, ad id depellendum, ſanctiſſimum inter ſe fœdus iniret. Quod quidem ſi fieret, parati Nos eſſemus, quantacumque poſſemus, auxilia, illis, adverſùs communes hoſtes, ſubminiſtrare, & reliquos Chriſtianos Reges, ac Principes, ut eos itidem omnibus viribus ſuis juvarent, cohortari. Sed hac de re, ac de aliis, mandato noſtro, tecum aget Cardinalis, Commendonus vocatus, Legatus noſter, Vir Nobis probatiſſimus, cujus orationi fidem, ut habeas, & ad mandata noſtra exequenda, pro tua inſigni erga Sedem Apoſtolicam pietate, ac reverentia, omne ſtudium, & auxilium tuum impendas, à Nobilitate tua petimus, & rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xxvj. Januarii MDLXVI. Pontific. noſtr. anno primo.

Ad Ferdinandum Auſtriæ Archiducem.

[Dilecto Filio, Nobili Viro Ferdinando Archiduci Auſtriæ.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili, ſalutem &c.

Ex eodem Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

SImul atque Apoſtolicæ ſervitutis onus, Nobis à Domino injunctum ſuſcepimus, ſtatim convertimus mentis noſtræ oculos ad iſtam nobiliſſimam Nationem, cujus ex calamitatibus ingentem animi dolorem ſemper hauſimus, nec ſolùm Catholicæ Religionis cultores, in ea, tuendos eſſe Nobis ſtatuimus, ſed omni etiam cura, ſtudio, ac diligentia, & charitate, & pietate paternâ enitendum, ut, ſi poterimus, etiam eos, qui hæreticæ pravitatis labe infecti fuerunt, ſanemus, & ad Matris Eccleſiæ gremium revocemus; Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Romanorum Imperatoris electi, Fratris tui, & tuum nobis auxilium non defuturum eſſe confiſi. Multorum autem ſermonibus, & literis admoniti ſumus, verendum eſſe, nè in Conventu Auguſtano, aliqua tententur ab hæreticis, quibus majores tenebræ iſti Provinciæ offundantur, & de iis rebus agatur, de quibus in tali Conventu agi minimè deceat, neque animarum ſaluti expe-

A *diat. Huic nos periculo occurrere cupientes, ut debemus, Nobilitatem tuam, ut Catholicum Principem, & ut devotum, & ſincerum Eccleſiæ Filium, & noſtrum, hortamur in Domino, & vehementèr rogamus, ut, pro tua parte, iſtis hæreticorum conatibus enixè reſiſtas, atque omni ſtudio, ac auxilio, Catholicæ Fidei, & Catholicorum cauſas defendas, atque hujus Sanctæ Sedis, omnium Chriſtifidelium Matris, honorem, jus, dignitatemque tuearis, ſicut te facturum eſſe confidimus.* B *Reliqua Nobilitati tuæ referet dilect. Filius noſter Jo: Franciſcus Cardinalis, Commendonus vocatus, Sedis Apoſtolicæ Legatus; cui, ut pro Sedis Apoſtolicæ reverentia, adſis, ad mandata, quæ à Nobis habuit, exequenda, & ut omnibus de rebus, fidem ejus orationi habeas, perindè ac ſi Nos ipſos audires, Nobilitatem tuam rogamus.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Januarii 1566. Pontificatus noſtri anno pri- C mo.

Ad Albertum Bavariæ Ducem.

[Dilecto Filio, Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir ſalutem &c.

D

Ex eodem Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

IN plurimis, & graviſſimis curis, quibus, hoc noſtro Pontificatus initio, angimur, illa in primis Nos premit, noſtrum cor torquet, & aſſiduè cruciat, nè hæretici, hæreticorumque fautores in Conventu Auguſtano, de eis etiam rebus agendum curent, quæ non ad ejuſmodi Conventum, ſed ad Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Judicium, & Epiſcoporum Concilia pertinent; & ea obtinere conentur, quibus (quod Deus avertat) E *expreſſiùs augeantur hæreſes, & confirmentur; & antiqui, & Sanctæ Eccleſiæ ritus, ac inſtituta ſalubria abrogentur, & quidquid ad hoc tempus in Germania, à pravitatis hæreticæ labe, Dei beneficio; integrum remanſit, corrumpatur. Hæc nos timere cogit ſolita illorum audacia. Quibus eorum conatibus occurrere, ſicut Paſtoralis officii ſollicitudo poſtulat, cupimus: tùm quia*

Dei

Dei Omnipotentis honorem, & animarum ſalutem, vitâ noſtrâ ſemper chariorem habuimus; tùm etiam, quia tantam belli tempeſtatem, hoc anno, Chriſtianæ Reipublicæ ab immaniſſimis, & potentiſſimis hoſtibus imminere cernimus, ut vehementèr verendum ſit, nè Dei in talibus factis vehementiùs ira provocetur, & per eos Eccleſiæ ſuæ injurias, & Sedis Apoſtolicæ contumelias ulciſcatur. Confidimus tamen, Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum, Romanorum Imperatorem electum, Comitiis ipſis præfuturum, memorem fore officii ſui, Majorumque ſuorum; ac pro ſua pietate, ac ſapientia, non permiſſurum agi de talibus rebus; & cùm in aliis Catholicis Viris ei Conventui interfuturis magnam ſpem habeamus, tùm in te, Dilecte Fili, præcipuam, & maximam. Etenim ſcimus, te Catholicæ Religionis acerrimum defenſorem, & propugnatorem fuiſſe, ſicut fuerunt omnes Majores tui; ſcimus te, & Deum timere, & Sedem Apoſtolicam revereri, & tuam ipſius ſalutem, tuamque, & Nationis tuæ honorem, exiſtimationemque diligere. Etſi autèm tali tempore non dubitamus, te tua ſponte functurum officio pii, & Catholici Principis; tamen prætetire noluimus, pro noſtri muneris officio, quin pietatem tuam hortaremur, & rogaremus, ut pernicioſis hæreticorum conſiliis, ſumma ope obſiſtas, atque obviàm eas; ac nè quid adversùs Sanctam Catholicam Fidem agatur, nè quid de probatiſſimis, ac vetuſtiſſimis Eccleſiæ Inſtitutis commutetur, nè quid de Jure, & poteſtate Epiſcoporum, ac Eccleſiaſtica libertate detrahatur, omne ſtudium, atque authoritatem tuam interponas: nullâ re denique violari permittas Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritatem, ac dignitatem. Quæ cùm facies, conſtabis tuæ, ac Majorum tuorum eximiæ pietati, ac Deo Omnipotenti gratiſſimum facies, cujus favore, gratiâque protectus, talium meritorum præmium, non in altera modò vita, ſed in hoc quoque ſæculo conſequeris; Noſque, & Sanctam hanc Sedem, quam piam, & benignam erga te Matrem, tu, & Majores tui ſempèr experti ſunt, tibi obligabis. Reliqua Nobilitati tuæ exponet Dilectus Filius N. Jo: Franciſcus Cardinalis, Commendonus appellatus, Sedis Apoſtolicæ Legatus, vir Nobis probatiſſimus, cujus orationi fidem, ut habeas, & ut

A *eum conſilio, ſtudio, gratia, & authoritate tua, pro Sedis Apoſtolicæ reverentia, juves, abs te vehementèr petimus, & rogamus.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23. Januarii 1566. Pontific. noſtri anno primo]

Et iiſdem fermè verbis, quibus ad Archiducem Auſtriæ, Maximiliani fratrem, ſcribens uſus fuerat, ad Gulielmum, Clivenſem Ducem, literas quoque exaravit, & eadem promens, de quibus

B cœteros admonuerat [*Sicùt verò* (dicit) *ab hujuſmodi rerum tractatione abſtineri decet, ità ſuaſerimus, ut Principes quicumque illis Comitiis interfuturi ſunt, ſecum cogitent, quantum Germaniæ ab immaniſſimis, & potentiſſimis hoſtibus periculum immineat, & quantoperè ad eam, quod Deus avertat, bello vexandam, atque vaſtandam, inteſtinæ diſſentiones, atque diſcordiæ illis opportunæ ſint; nec ſolùm vires, & potentiam hoſtium ſecum reputent, ſed Divinum*

Ex eodem Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

C *multò magis numen horreant; cùm ſciant, quid Græcis, & aliis Nationibus acciderit, quæcumque unquàm à Sedis Apoſtolicæ devotione, & Catholicæ Eccleſiæ unitate defecerunt. Quod ſi fœdus inter ſe inierint, ei Nos quoque adſcribi volumus, parati pro ſalute Germaniæ, non modò quæcumque poterimus auxilia ſubminiſtrare, ſed ſanguinem ipſum fundere, authoritatemque, apud reliquos Chriſtianos Principes diligentiſſimè interponemus, ut adversùs communem ho-*

D *ſtem, commune fœdus vobiſcum ineant. Qua de re, & de cæteris, de quibus tecum agendum duximus, Nobilitatem tuam alloquetur dilectus Filius Noſter Jo: Franciſcus Cardinalis Commendonus &c.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 26. Januarii 1566. Pontific. noſtri anno primo)

Prætèr iſtas, ad ſingulos Epiſcopos, ac Principes miſſas literas, in eodem Vaticano Regiſtro, ſequentem x.

E etiam Epiſtolam reperimus, ad omnem Auguſtanum Conventum ſcriptam.

[Cha-

[Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Maximiliano Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, electo Romanorum Imperatori, & Univerſis S. R. I. Principibus, tàm ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, & Comitibus, & Baronibus, in Auguſtanis Comitiis congregatis.

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chiſto Fili, Ven. Fratres, Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ibid. ut ſup.

CUm dolere antea ſolebamus, tàm perniciofis de Religione diſcordiis, atque diſſidiis, quibus humani generis hoſtis, Chriſtiani populi antiquam unitatem, diviſit, concordiamque diremit: tùm verò, poſtquàm Nos Dominus, licèt tanto loco, & munere indignos, ad hujus Sanctæ Sedis regimen vocare dignatus eſt, crevit majorem in modum angor, luctus, & dolor noſter; tantum ſcilicet, quantum ſuſcepta à Nobis, communis omnium Chriſtianorum Patris perſona poſtulat: nec poſſumus, contemplando miſerabilem ſtatum populi Chriſtiani, ſine maximo gemitu, hæc tempora cum Majorum noſtrorum temporibus comparare. Tunc enim inter Chriſtianos omnes, vigebat ſumma de Religione conſenſio; nunc verò populus Chriſtianus in varias, & diverſas ſectas diſcerptus, ac ſciſſus cernitur. Tunc ab immaniſſimis hoſtibus, ſua illum concordia facilè tueri poterat; nunc, propter iſtas diſſentiones, & ſchiſmata, illis ad ſe opprimendum opportunus effectus eſt. Tunc in Omnipotentis Dei auxilio maxima illi meritò ſpes ſalutis ſuæ repoſita erat: nunc Divina multò magis flagella, quàm potentiſſimorum, & crudeliſſimorum hoſtium arma, timenda ſunt. Quibus verò lacbrimis, quo luctu, ſatis dignè quiſquam deplorare queat tot animarum jacturam, quæ pretioſiſſimo Chriſti Sanguine redemptæ, propter hæc peſtifera ſchiſmata perierunt? Conſiderate quæſo Vos quoque, quantò magis inclyta veſtra Germania, illis Avorum veſtrorum temporibus florere ſolebat: memineritis, quantis, propter iſtas de Religione diſſentiones, calamitatibus afflicta fuerit, quantum de veteri ſua gloria, & dignitate amiſerit. Quid verò aliis Nationibus, propter iſtas diſſentiones,

A *Dei judicio, evenerit, diligenter cogitate. Quid enim aliud Græcorum Imperium*
evertit, ac tot florentiſſima Regna, tot
Provincias Chriſtianas, non ità multis ab
hinc ſæculis, eripuit, niſi illarum Natio-
num ab Eccleſiæ unitate defectio? per-
mittente nimirum Deo, eos, qui ſe ab
Eccleſiæ corpore ſepararunt, teterri-
mum jugum ſubire barbaricæ ſervitutis.
Earum Nationum caſus horribiles mo-
B *nent, atque ideò clamitant, & denun-*
ciant, quid timendum ſit de iſtarum diſ-
ſenſionum exitu.

Illud verò etiam, pro veſtra prudentia diligentèr attendere debetis, ſi hoſtes tunc, cùm nequaquàm tantis opibus præditi erant, nec tantum terrà, marique poterant, tantas clades, & calamitates inferre Chriſtianis, tot Regna, & Imperia adimere potuerunt; quantò magis, hoc tempore, timendi ſint, quo
Imperium ſuum, alias, ex aliis Europæ
C *Nationes, & Provincias ſubigendo, tàm*
longè, latèque propagarunt; & res noſtræ adeò imminutæ, atque attritæ ſunt. Proinde, cum in iſto Conventu adeſtis, utimini, per viſcera Miſericordiæ Dei noſtri Jeſu Chriſti, utimini iſtà temporis opportunitate; & omiſſis illis, quæ corroborare, & augere ſchiſmata poſſent, ac pravis ſuaſoribus, atque Doctoribus repudiatis, humiliter acquieſcite Univerſalium Conciliorum decretis, &
Sanctorum Patrum doctrinis, quibus ad
D *Scripturas Divinas rectè intelligendas,*
Spiritus Sancti lux, & gratia haud dubiè affuit, ſicuti omnes, qui Catholici eſſe, & dici voluerunt, ab Apoſtolorum temporibus uſque ad hæc tempora acquieverunt. Flectite tandem mentes veſtras, ad pacem, ad concordiam, ad unitatem. Conſulite, dum poteſtis, ſaluti Patriæ communis, & totius Chriſtianæ Reipublicæ; nè patiamini, vos diutiùs ab hominibus decipi, qui, maligno ſpiritu acti,
& odiis, & cupiditatibus obcæcati, tur-
E *bas, rixas, & diſſidia iſta concitarunt;*
& in quam ipſi foveam ceciderunt, alios trahere conantur: à quibus vos diutiùs falli, nimis indignum, nimis alienum prudentiâ veſtra eſt.

Ut enim omittamus ſalutem Patriæ, pro qua ſcitis, tot fortiſſimos viros, ex Gentilibus ipſis, ſanguinem, & vitam non dubitaſſe profundere: ut taceamus, quantum quiſque veſtrum ſalutem animæ ſuæ facere debeat, cujus detrimentum, nè Univerſi quidem mundi lucro

compenſari poſſit: certè inclyta veſtra A *Natio, laudis, & gloriæ, præter cæteras appetens ſemper fuit. An non igitur intelligitis, quantam, & quàm turpem notam quidam veſtrûm (Vos hoc loco alloquimur, qui Proteſtantes vocamini) veſtris avis, & majoribus, viris clariſſimis, quos veſtrâ ſententia damnatis, dum illos hæreticos fuiſſe videri facitis? Atqui negare non poteſtis, quin illi viri, æquè ac vos prudentes, ac ſapientes fuerunt, ac multi eorum etiam longè religioſiſſimi; id quod declarant tot, & tàm* B *magnifica ab eis per Germaniam extructa, ad Dei honorem Templa, & alia opera pia, quæ vos ab hæreticis inducti, dirui, & ſolo æquari paſſi fuiſtis. Eoſne turpiſſimi criminis ipſimet arguere ſuſtinebitis, quorum famam, & exiſtimationem, vel veſtrûm ipſorum ſanguine tueri, ac defendere debetis? Quis verò, qui modò mediocri prudentia præditus ſit, ex ipſorum hæreticorum tot, & tantis inter ſe diſſentionibus, mutabilibuſque doctrinis non intelligat, eos à veri-* C *tate excidiſſe, & more eorum, qui à recto itinere aberraverint, in diverſa diverticula abjiſſe? Indicet Vobis omnibus Deus, quàm puro corde, quàm ſincero animo, quàm fide non ficta, Vos ad unitatem, & concordiam hortemur. Non egemus rebus veſtris; nihil à Vobis quærimus: Vos, Vos ipſos, qui à Matre veſtra Eccleſia ſeparati, proptèr hæreticorum fraudes, fuiſtis, deſideramus; Vos quærimus, veluti Bonus Paſtor oves er-* D *rantes quærit, & ad ovile reducere ſtudet: Veſtræ famæ, veſtræ ſaluti, paternâ Charitate conſultum volumus. Utinam intimum animi noſtri ſenſum, & ardens cor noſtrum penitùs inſpicere poſſetis! Reducere vos in gratiam cum Deo, reddere ſanctæ Matri Eccleſiæ, reſtituere unitati Corporis Chriſtiani cupimus, & optamus; atque utinàm veſtram ſalutem redimere noſtro ſanguine poſſemus!*

Noſti, Sereniſſime Cæſar, ut vos E *omnes, quantas Turcarum tyrannus Claſſes hoc anno, quantas terreſtres, ac navales Copias paret, quantoperè immineat exitio nominis Chriſtiani. Non ille opibus, ac viribus ſuis, licèt maximæ ſint, tantum fidit, quantum iſtis populi Chriſtiani diſſidiis, atque diſcordiis: his illi animus augetur, has ſibi opportuniſſimas, ad reliquias Chriſtianæ Reipublicæ opprimendas eſſe intelligit. In extremum res eſt adducta diſcrimen: finis tandem iſtarum diſcordiarum fiat, & ſicut præſentis periculi magnitudo monet, ſanctiſſimum inter vos fœdus, ad tantum depellendum periculum ineatur. Quod, ſi factum fuerit, ejus fœderis, pro loco, in quo ſumus participes Nos facturos profitemur; Tecum unà, Sereniſſime Fili Cæſar, non modò noſtris vos auxiliis enixè adjuturi, ſed authoritatem etiam noſtram apud reliquos Chriſtianos Principes interpoſituri, ut ad communem ſalutem, & libertatem ab impio, & nefando hoſte defendendam, vobiſcum conſpirent, atque conſentiant; quod quidem pulcherrimum fœdus, ſi Deo dante, & Te Cæſar, ut pro tua ſapientia Te facturum eſſe ſperamus, hortante, & vobis aliis conſentientibus, factum fuerit; ſperare poſſumus, Deo juvante, vos, & reliquos Principes, non modò res veſtras ab hoſtibus eſſe defenſuros, ſed eas etiam, quas illi jampridem, diſcordiarum noſtrarum occaſione uſi, Chriſtianis ademerunt, ſumma cum gloria recuperaturos.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xiij. Februarii MDLXVI. Pontific. noſtri anno primo)

In eodem verò M. S. Cod. Vaticano, in quo hæc Epiſtola legitur, adnotata hæc verba reperimus. (*Hæc epiſtola non fuit tradita*) quod quidem eveniſſe cenſemus, ob ea, quæ inferiùs dicenda erunt. Sed ad ipſa jam Auguſtana Comitia veniamus.

Poſt Albertum Bavariæ Ducem, primus qui ad ea venturus in viam ſe dediſſe legatur, Joachimus Elector Brandeburgicus extitit, ſed morbo in itinere correptus, retrò domum abire coactus fuit; Auguſtam tamen miſſo, Georgio filio, ac Nepotibus, nobiliſſimo ſtipatis comitatu. Poſt hunc Electores tres Eccleſiaſtici, Moguntinus, videlicèt, Colonienſis, & Trevirenſis, Archiepiſcopus Saliſburgenſis, Willelmus Clivenſis, & Holſati Duces Dani; paucíſque interjectis diebus, Saxonum Elector Auguſtus, & Gulielmus Saxo Vinarienſis, cui cum Joanne Friderico Fratre de ditionis diviſione lis erat, convenere; & poſtmodùm Georgius Federicus Marchio Onoslabachii, Philippus Rheni Comes, Otho Truſcheſius, & Altaëmpſius, S.R.E. Cardinales, alter Auguſtæ, Conſtantiæ alter Epiſcopus, & Imperii Principes; reliqui autem Pro- XI. *Tracagnot. hiſt. Thuan.*

Digitized by Google

Proceres, qui adeſſe non potuerunt, & A Civitates, quæ mittere debebant, qui adeſſent, legatos cum plenis mandatis miſerunt, qui ſuo nomine in Comitiis agerent. Dùm verò hi omnes cogerentur, in Cæſarea Aula, alia privata negotia tractata fuiſſe, ſcribit Thuanus; nempè de Eliſabetha Cæſaris filia cum Galliarum Rege Carolo, matrimonio jungenda; ejuſmodi nuptias Bernardino Bucatello Redonum Epiſcopo curante; De controverſiis Sabaudiæ Ducis contra Mantuæ Principem, ob Montisferrati Principatum; De Germanicis legionibus B Philippo Hiſpaniarum Regi tradendis, quibus tùm Guletam in Africæ faucibus ſitam, tùm Ciſalpinæ Galliæ præſidia communirentur; quævè Neapolim mitterentur, ut, ſi quid rursùs Turcæ in Melita, & vicinis locis molirentur, præſtò eſſent. Quod facilè impetratum, Thuanus ipſe aſſerit. Langravio etiam Cavorum Duci, & Purpurato Harudo, per Procuratores, Principatuum ſuorum; necnon Abbati C Ehemptenſi, qui coràm accepit, ditionis ſuæ inveſtituram, Cæſarem conceſſiſſe, Natalis Comes, & Tracagnotta ſcripſere. Haſtiludia quoque, carniſprivii tempore, inſtituta fuere, & ſpectacula, ut ex læta rerum facie cuncti de læto rerum ſucceſſu benè ſperarent. Multa etiam viciſſim convivia; tamquàm (inquit præfatus Natalis Comes) ad ludicra quædam, & non ad reſiſtendum ingentibus copiis potentiſſimi, & infeſtiſſimi Chriſtiano nomini Solimani, D & ad libertatem Principatus, ſalutem ſuam, omniumque ſuorum defenſionem, quæ non poculorum provocationibus, ſed conſilio, & armis fuerant protegenda, cnnveniſſent.

XII. Cùm omnes igitur, qui ad Comitia expectabantur, vel ipſi, vel per Legatos adveniſſent, tandèm Comitiorum eorumdem factum initium, vel VII., ut aliquis dixit, vel VIII., ut alii tradunt, Kalend. Aprilis. Ibi Cæſar, auxiliorum contra Turcas neceſſitate propoſita, Im- E perii Ordines, ac Principes enixè rogavit, nè ea, quæ Carolo V., & Ferdinando, ab eodem Solimano laceſſitis, tàm valida, promptaque ſubſidia detulerant, ſibi eàdem adacto neceſſitate, & ab ipſo hoſte impetito, minimè ſubducere vellent; cum præcipuè immaniſſimus ipſe hoſtis, Viennam, Germaniæ propugnaculum, rursùs aggredi decreviſſe diceretur; qua ſuperata, haud dubiè, non Germaniam tantùm, ſed totum etiam Chriſtianum ferè Orbem, tyrannidi ejus expoſitum remanſurum. Id igitur, quod, & periculo futurum erat, & unà Germanicæ Nationi dedecori, avertere curarent, neceſſariâ ope, opportuno tempore adhibita; quam pari ſtudio, quo erga Majores ſuos ſe ſemper oſtenderant, ab eis quoque expectare faciebat, & ſervandæ amplitudinis Imperii amor, & in tanti hoſtis retundendis conatibus parata gloria. Et licèt hoc ad communem Germaniæ dignitatem, & utilitatem ſpectare videretur; tamen tanquàm in ſe ſolum præſtiti beneficii, ejuſdem memoriam, nunquàm ex animo deleturum. Quibus dictis, Cæſaris nomine Bavariæ Dux capita propoſuit, de quibus in Comitiis decerneretur; fueruntque ejuſmodi, ut à Thuano, Natali Comite, & aliis adnotata reperiuntur.

I. Ut ratio iniretur, qua hæreſes in pace Religionis non comprehenſæ, ex Imperio eliminarentur.

II. Ut octo millia equitum, & quadraginta millia peditum contra Turcas deſcriberentur, quibus in tres annos ſtipendia per octo menſes ſolverentur; eaque collatio in ſignata pecunia fieret, quæ tota, proùt occaſio urgeret, in bellum impenderetur.

III. Imperialis item Cameræ emendandæ ratio iniretur, & quod in ea ſancitum eſſet, locum haberet.

IV. Decreta, de publica tranquillitate, & moneta ſervarentur.

V. Diſſidia inter Principes, de præcedendi ordine, componerentur.

VI. De Finalio in Liguria controverſia, jamdiù in Comitiis agitata, terminaretur; & ſubditis ditionis illius, edicto Cæſareo mandaretur, ut quamprimùm arma deponerent.

Secundùm hæc, ut refert Thuanus, XIII. ante omnia, decreta auxilia adversùs Turcas: majora, quàm unquàm cuiquam Cæſarum, & majori animi alacritate; cùm plerique, præter promiſſa auxilia, Imperii nomine, etiam privatas opes, & operam ſuam, in eam militiam ultrò deferrent. Miſſum quoquè aſſerit, Finalium *Parthinum*, qui Cæſari à Conſiliis erat, cum Præfecto Tridentino; cujus authoritate, & interventu, ea, quam diximus lis, inter Dominum, & Loci ſubditos componeretur. Plures inſuper

Prin-

Principum propoſitæ controverſiæ, & inter cœteras illæ, quæ, ut innuimus, inter Sabaudiæ, & Mantuæ Duces verſabantur, quique diſceptaturi de Monteferratenſi Principatu, Comitia cùm haberentur, & ipſi venerunt; ſed hæc, & aliæ, uti etiam caput de Religione, ut mox dicetur, in aliud tempus dilata ſunt, quod nimirùm Turcarum, quàmceleſrrima expeditio urgeret, nec iis animo, tunc intendere ſineret.

XIV. At de iis, quæ Commendono in Comitiis evenere audienda ſunt, quæ profert Thuanus. [*Cùm Pontifex novus, nempè Pius,* (inquit) *ex Oratoris, quem in Aula Cæſarea habebat, & aliorum literis didiciſſet, iu Comitiis Auguſtanis, inter alia capita, quæ proponi debebant, de ratione componendorum Religionis diſſidiorum actum iri; id ad ſuam, atque adeò Romanæ Sedis, omnium aliarum Matricis authoritatem pertinere ratus, Commendono enixè injunxit, ut, ſi Religionis negotium in Comitiis deduceretur, ipſe, ſuo nomine, publicè proteſtaretur, & Pontificem in cunctos, qui aderant, tàm ſæculares, quos vocant, quàm Eccleſiaſticos Principes, Divinæ Cenſuræ gladium diſtricturum, interminaretur; & contra Cæſarem in primis, quem, & Imperio, ac Regnis, & ditionibus, ſucceſſionibus, & Iuribus, quæ in Hiſpaniæ Regnis ei competebant, privaturus eſſet. Benè autem evenit, quòd viro moderationis, ac ſummæ prudentiæ negotium commiſſum eſt; qui veritus, nè ea proteſtatione, magis animi exaſperarentur, quàm idoneum remedium malo, quod timebatur pro tempore adhiberetur, aliam rationem deliberationis illius impediendæ ſibi ineundam exiſtimavit; reque cum Cæſare communicata, & ſpe ab eo facta, negotii in aliud tempus rejiciendi, ad Pontificem ſcripſit, & proteſtatione ea nihil opus fuiſſe, monuit. Verùm, homo imperioſus, & qui nullas rationes voluntati ſuæ contrarias admitteret, alteris mandatis, enixè magis, quàm priùs injunxit, ut ſi mentio ulla, de Religionis negotio in Comitiis fieret, publicè proteſtaretur, & Cæſarem, atque alios Principes, Pontificis nomine, à Communione Chriſtiana excluderet. Sed neque ſecundis mandatis Miniſter, hero prudentior, paruit; & commodum accidit, ut cùm ſecunda mandata venerunt, jam illud caput in aliud tempus dilatum eſſet*]

Iſta Thuanus, quæ etiam inconſideratè, ab eo forsàn accepta, & ipſiuſmet narrationem, ut opus fuerat, non ſatis exploratam habentes, Spondanus, aliique ſcripto tradidere. Dicit ſiquidem, (ut audiſti) ex Apoſtolico apud Cæſarem Oratore, aliiſque literis Pium accepiſſe, inter capita, in Comitiis proponenda, illud quoque futurum de componendo Religionis diſſidio; ideòque Commendono (ſi id in medium proferri accidiſſet) quam ponit proteſtationem facere imperaſſe; additque à Commendono eodem, re cum Cæſare communicata, & ſpe ab iſto facta, in aliud tempus negotium illud rejiciendi, proteſtationem minimè eſſe neceſſariam, ab eodem Legato admonitum Pium; & illicò ſubjungit, quòd homo imperioſus, qui nullas voluntati ſuæ contrarias rationes admitteret, aliis mandatis enixè magis, quàm priùs, proteſtationem fieri injunxit: ſic, & tempora, & temporum confundens rationes, ut mendaciis circumvolutam veritatem exponat; doloſè, nimirum, cauſas reticens, cur ſecunda mandata dederit; (ſi tamen dedit, quod falſum eſſe inferiùs monſtrabitur) imò primis ea permiſcens, ut neutrorum caput agnoſcatur, & imperioſum, & duræ cervicis, & omninò regimini ineptum, Pium repreſentet. Cùm enim proteſtationem facere Commendono Pontifex primò mandavit; hoc procul dubio (ut ipſemet vult) ea appoſita conditione imperavit, ſi Religionis negotium in Comitiis deduceretur. Ex ſuſpicione tantùm, quòd in Comitiis res Fidei in medium proferri poſſet, (ſuſpicione tamen, non ex levibus quibuſdam, ſed ex validiſſimis indiciis potiùs prudenter educta) conditionale mandatum Legato Pius dedit. Conditione igitur ſublatâ, cùm Fidei, & Religionis negotium jam in Comitiis deductum fuiſſet (cùm nimirum de Religionis pace cum hæreticis, hæreſibuſque nonnullis tolerandis, vel non; iiſque dijudicandis primo loco jam ageretur: quæ res, quanti eſſet momenti, quantumque ad Fidem, Religionemque ſpectaret, cùm de Polonicis rebus ſermo erit, luce clariùs apparebit) abſoluto alio mandato incongruum procul dubiò non fuit, proteſtationem fieri, Pontificem juſſiſſe, ut malo occurreret, quod in Religionis perniciem majora incrementa ſumere poſſet; imò abſolutum de proteſtatione facienda mandatum

Thuan. ut ſup.

datum dare debuit, quod ſpe à Cæſare datâ,rem in aliud tempus rejiciendi,Legatum ſuum fruſtratum agnoverit.Poſtquàm enim à Maximiliano ſpes iſta facta eſt Commendono, & de ſpe ipſa Pium admonuerat, ut ſe proteſtatione abſtineret; contra ſpem ipſam datam, cum res in Comitiis, & omnium prima, ut dicebamus, propoſita eſſet; cur mandata alia, nova hac, & graviſſima cauſa, & ratione ſuperveniente, Pio ſacere opus non fuit? Non parva negotio acceſſio facta erat,ex criminis dumtaxàt ſuſpicione, ad crimen ipſum; nàm crimen fuit, nec levis momenti, hujuſmodi cauſam in Comitiis, quorum pars potior validiorque laicorum erat, nec laicorum tantùm, ſed Fide proſtitutorum, componendam, aut cognoſcendam ſuſcepiſſe: id certè nihil ad eos, ſi tamen Ambroſio Auguſtum Valentinianum alloquente ſit fides, nam ſcripſit. [*Si tractandum eſt, tractare in Eccleſia didici, quod Majores fecerunt mei. Si conferendum de Fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe,qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit Judicium Sacerdotibus.*) Iſta Ambroſius: cujus conſtantiam animique robur imitatus Pius, ſi vera eſſent, quæ narrat Thuanus, ab ipſomet Thuano dicendus eſſet,ſi recta, ac vera eloqui vellet, cùm proteſtationem fieri iterùm, atque iterùm imperavit; nè laicis videlicèt jura ſacerdotalia proſterneret; nec jamMaximiliani verbis fidere eſſet,cujus ſe, ſuumque Legatum jampridem illuſum compererat. Poſtquàm verò, nèc ſecundis Pontificis mandatis Commendonum obtemperaſſe idem Thuanus retulit; cur tandèm reticet, Pium laudaſſe Villicum iniquitatis,eò quòd prudenter egiſſet? licèt id cuncti ferè Scriptores, & Spondanus ipſe, qui ipſius commenta ſequutus (ut dictum eſt) agnoſcitur, diffiteri vereatur.

D. Ambroſ. Epiſt. lib. 2. epiſt. 12.

Spondan. Annal. anno 1566.

XV. Verùm his, aliiſque, quæ ad rem, & ex ipſomet Thuano contra Thuanum adduci poſſent, rationibus,penitùs poſthabitis; ex ſimplici narratione veritas prodeat, & dolosè permixta ſeries rerum,hic debito ſuo reſtituta loco,excogitata mendacia diluat. Accepimus autem præclara tantæ rei monumenta, ab inſigni Bibliotheca clar. mem. Fabriiii Cardinalis Spadæ, cujus diligentiæ, & ſtudio hæ, & aliæ, quæ ſuis locis proferemus, à temporum injuria ſervatæ, Eccleſiaſticæ memoriæ debentur. Has autem, quas hic damus,& injuſtè illatas prudentiſſimo, ſanctiſſimoque Pontifici criminationes penitùs expungunt; ipſo agente, divinitùs potiùs acceptas cordatus quiſque cenſebit; nàm hujuſmodi memoriæ in bibula, necnon corroſa papyro ſcriptæ erant, barbaro quoque, ſeù Gothico, obſcuroque charactere obumbratæ veriùs,quàm expreſſæ:cùmque propttereà Urbe tota, antiquorum, difficiliorumque ſcriptorum peritiſſimos quoſque ſtudioſiſſimè conſuluiſſem, nè unum quidem reperire potui, qui vel apiculum operoſi ſcripti percipere valeret. Animum idcircò jam deſponderam, projeceramque theſaurum, quo uti non poteram, cùm ecce extemplò nil amplius ea de re cogitanti, qui recens Romam ſe contulerat peregrinus, & exterus exhibetur juvenis,quo, amanuenſe uti poſſem. Statim verò menti occurrit, imperceptibile ſcriptum, illud ei legendum præbere, quò ſi fortè minùs ille placeret, ea velut occaſione, rite à me dimiſſum oſtenderem. Verùm ille, ut ſcriptum vidit, ea facilitate percurrere cæpit, ac peritiſſimi alii, optimo, quæque, charactere exarata, legere conſueverunt. Me ergo jubente,ejuſdem deinde exſcriptioni ſe dedit, ac tridui ſpatio, totum abſolvit. Biduo poſt,ex condicto,ſcriptionis mercedem recepturum expectabam; cum en defertur jam Romà diſceſſiſſe; quò ad id tantum ſe contuliſſe,ut id opus perficeret, videri nimirum poſſet. Quam quidem rei geſtæ narrationem ſapientium conſilio acquieſcens,ſilentio prætereundam non duxi,ut his,quæ hic inſerimus, eò majoris auctoritatis pondus accedat, ac neſcio quid, præter ordinem eveniſſe, ut hoc loco exhiberentur, prudentem Lectorem non lateat. Quem etiam minimè latere æquum eſt, quiſnam fuerit Joannes Andreas Caligarius ille, quem paulo antè memoravimus, quove potiſſimùm vſus eſt Commendonus, ut de his, quæ in Auguſtanis Comitiis agebantur,Pontificem certiorem redderet. Extitit hic ſiquidem, Ughellio teſte,patria Braſighellenſis,& utriuſque Signaturæ Referendarius,qui deindè ob eximiam virtutem,atque in agendis ſolertiam, Apoſtolicæ Sedis Nuncius in Poloniam miſſus; cùm ibi eo munere fungeretur,apud Regem Stephanum Battorium,

Vghell. Ital. Sac. tom. 2. pag. 664. in Epiſcop. Foropopilienſiu, & Bertinori.

rium, à Gregorio XIII. Foſopompilienſis,& Bertinoſi, Epiſcopus cseatus, ſub anno 1579. die 14.menſis Octobris; ab Stanislao Vvladislaviæ Epiſcopo,Rege, ac Regina celebritatem ſua præſentia cohoneſtantibus, die 10. Januarii 1580. in D. Joannis Collegiali Eccleſia in Varoviana Diœceſi Pontificalibus initiatus eſt; ac deindè ad Eccleſiam, in qua dignus miniſter fuerat conſtitutus,cùm ſe contuliſſet,eam, quoad vixit,optimè rexit. Ex epiſtola igitur, ab ipſo Caligario, quem Romà Auguſtam miſſum à Pontifice diximus, ad inſignia Legationis Commendono deferenda, quemque Auguſtâ Romam denuò Commendonus miſit, ut Pontificem de iis, quæ in Auguſtanis Comitiis tractabantur, admoneret, ad eumdem Commendonum ſcripta hæc habentur.

Ex M. S. Card. Spadæ tom. 216 pag. 376.

[*Ubi ad Pontificis Max: conſpectum perveni, Tibi, Illuſtriſsime Domine, neceſſarium viſum fuiſſe dixi, me mittere, ut non tàm literis, quàm vivâ alicujus voce ea cognoſceret, quæ uſque adhùc in Comitiis peracta fuerant; quapropter, ni Sanctitas Sua gravaretur, negotium omne,ordine panderem. Annuit perbenignè Pontifex, & ſe cuncta libenter auditurum profeſſus eſt. Juxta igitur mandatum tuum rem expendere cæpi, dicens, Germanos hæreticos, utilitatis plurimum, & profectûs ſe capturos ſperaſſe, ex hiſce Comitiis, tàm in concordia, & commixtione ſectarum, tàm in eo,quòd capita duo abroganda ſtatuiſſent, ex pace inita anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto;& ulteriùs, quòd ſibi cogere Provinciale Concilium permitteretur; imò, quòd ipſe Maximilianus ſe palàm hæreſum ſectatorem profiteretur. Quæ nempè omnia Catholicis omnibus, magno terrori, ac formidini fuerant. His verò non obſtantibus, cùm præter morem, Maximilianus pietatem, ac Religionem exhibuiſſet, Sacroſancto Miſſæ Sacrificio interfuiſſet, ſacraſque frequentaſſet conciones, optimo, & enixo præſertim tui ſtudio, dùm præter ea,quæ ſecum habueras privatim Camboldùni colloquia, ſingulis quoque hebdomadibus, ipſum Auguſtæ conveneras, atque cum eo diutiſſimè egeras, ut verum ſe Catholicæ Religionis cuſtodem, ac protectorem præberet; factum fuerat, ut ejuſmodi omnia enarrata pericula evaderentur, & inſupèr, ut ex octo capitibus, in Comitiis propoſitis, de tribus tantummodò ageretur; quorum primum extiterat ſuppetiarum Cæſari præſtandarum, frementibus licèt hæreticis, qui Religionis aliud, omnibus præponi maluiſſent: quod idem deinde, te eodem curante, ad alia Comitia rejectum fuerat; nàm caput illud de quo modò agebatur, de publica erat Religionis pace, & concordia: Et hic Pontificem edocui, Catholicos, utpotè audacia, & viribus hæreticis impares, confirmationem pacis expetere, quæ anno milleſimo quingenteſimo quinto inita fuerat: quod eorum conſilium cum incredibili tuo ingenii acumine, prævidiſſes, literis tuis, ſexto non. Martii exaratis, clar. mem. Cardinalem Reomanum deprecatus fueras, ut Pontificis ipſius mentem exploraret, immò in mandatis ab eo acciperet, quid agendum fuiſſet, ſi fortè eveniret à Catholicis præfatam fieri petitionem: Et quod, eodem Cardinali interprete, Sanctitatis Suæ mandatum ea lege acceperas, quòd ſi pace hujuſmodi præjudicium inferebatur Tridentino Concilio, quo ad Dogmata, proteſtationem faceres, ac ſtatim diſcederes. Hic me loquentem Pontifex interpellavit, & mandatum id dediſſe faſſus eſt. Deinde ſermonem proſequutus, ut ipſius mandato, qua oportebat diligentia obtemperares, Te inprimis Deum, Miſsâ de Spiritu Sancto celebrata, enixè exoraſſe narravi: & poſtmodùm, quòd hac de re, non ſolùm Theologos, quos ipſe Pontifex ad Comitia miſerat; ſed alios inſupèr, in conſilium adhibueras, ad hoc, omnibus pluriès congregatis, atque ſingulos de ſententia, non tantùm voce, ſed etiàm ſcripto tradita, rogaveras; quorum omnium conſilia, atque opiniones Sanctitas Sua, partim à me, partim verò à Societatis Jeſu Generali, jam acceperat. Interim tamen laborem nullum, ac ſtudium te neglexiſſe dixi, quo efficeres, ut tùm Cæſar, tùm Catholicorum alii in officio continerentur, nullumque penitùs Tridentino Concilio præjudicium inferretur; Catholici Regis etiam Oratore, Viro prudentiâ prædito, ſummoque Religionis zelo exornato, Cardinali Auguſtano, Apoſtolico Nuncio, & Præſule Lancellotto in conſilium adhibitis; & quod tandèm una omnium, eodem Lancellotto dempto, opinio fuerit, ejuſmodi pace, nil prorsùs Dogmatibus Tridentini Concilii detractum iri. Quo verò ad publicam proteſtationem coràm Notario, & Teſtibus; omnium opinio tulerat,*

rat, rem tàm ingentis periculi eſſe, ut nulla ratione fieri debere contenderent, ob innumera, quæ, ex ea, damna poterant exoriri; & hic ſingula enumeravi incommoda, quæ ex exaſperato, ob hujuſmodi rem, Cæſaris animo procedere poterant; tenues Catholicorum vires expoſui. Nationalis Concilii conſilium, quod hæretici moliebantur, detexi, ſchiſmatis pericula patefeci, & demum rem, quantum potui, magnificavi, utpotè eam, quæ in omnimodam eſſe videbatur Catholicæ Religionis in Germania perniciem; addidique, rem ipſam talis, ac tanti periculi eſſe, ut ex hoc, animo anxius, & fueras, & adhùc eſſes; neque in ea labori, aut ſollicitudini peperceras, ut ipſe ex additis ſcripturis agnoſcere poterat; ideòque ad prudentem Sanctitatis Suæ decretum, quidquid agendum erat, te rejicere dixi, paratum quæcumque mandata feciſſet, libentiſſimè exequi.

Pontifex cuncta hæc, adeò pacato animo, & benigno vultu audivit, ut quid ulteriùs concupiſcerem, non haberem; hinc reſpondere exorſus, primùm quidem in hac Legatione, tàm in re, de qua agebatur, quàm in reliquis, opera, ac ſtudia tua ſummis laudibus extulit; & ea quidem, de quibus certiorem eum feceram, omnia jam, magna ex parte, ſe comperta habuiſſe, ex ſcriptis à te literis oſtendit. Quo verò ad caput illud, de quo quæſtio erat, aliud ſe non ſentire monſtravit ab eo, quod primùm cenſuerat; nàm ad tuendam Catholicam Fidem, quæ tunc nil aliud eſſe videbatur, quàm ipſum Tridentinum Concilium; paratum ſe eſſe dixit, & mortem ſubire, & ſanguinem fundere: nàm corde, inquit, credebatur ad juſtitiam, confeſſio autem fiebat ad ſalutem; quia audacter, & ubique Fidem noſtram profiteri oportebat, quavis periculi poſtpoſita formidine; cùm antiqui Patres, qui Fidem hanc proprio ſanguine plantaverant, ejuſmodi nobis confeſſionis reliquiſſent exempla. Quapropter, etſi incommoda offenderentur, tamen quod injunctum munus exigeret, minimè prætermittere æquum erat, quia ſi, qui Catholico nomine cenſebantur, verè Catholici non fuiſſent, ut Catholici habendi non erant; poſito enim, quòd Tridentino Concilio præjudicium aliquod inferretur, melius certè fuiſſet, ad Auguſtana Comitia, nec Legatum, nec Apoſtolicum Nuncium miſiſſe: periculum ejuſmodi ſe maximoperè timere, & ab ea vehementer ſe angi demonſtrans.

Ad hæc ego reſpondi, quòd quotieſcumque Tridentini Concilii dogmata in diſcrimen vocari evidenter tibi patuiſſet; tu, ex injuncto tibi munere, certè proteſtationem facturus eras, & illicò diſceſſurus: ſed quia periculum iſtud haud apparebat, imò quia communis omnium Theologorum ſententia tulerat, præfatam pacem, Tridentini nequaquàm dogmata lædere; ideò tu à proteſtatione abſtinueras, nec aliud à te ipſo ſtatuere, abſque ipſius mandato volueras. Quapropter, penſatis eorumdem Theologorum opinionibus, & auditis de hac re, ſi ei viſum eſſet, Granuellano Cardinali, & Franciſco Borgia, Societatis Jeſu Generali Præpoſito; quid faciendum erat ipſe decerneret, judicaretque, an confirmatio pacis, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto firmatæ, præfatis dogmatibus præjudicium inferret: dùm tu conatus omnes facturus eras, & cum Cæſare, & cum Catholicis omnibus, nè Tridentino Concilio, minimum quid detraheretur. Hinc narravi, qua ratione tu curare excogitaveras, ut Tridentini Concilii profeſſio, quam ipſi fecerant, ſcripto etiam firmarent; & quòd tandem, ſi prætèr opinionem proteſtatio jubebatur, tu eam facturus eras, ſed clàm, & ſecretò; & priuſquàm Comitiis finis imponeretur, Auguſtâ diſceſſurus. Reſpondit Pontifex ea, quam prædixerat diſtinctione; & Theologorum penſatis ſententiis, quid fieri voluiſſet, ſe demùm dixit decreturum. Quibus dictis, me dimiſit. Romæ quarto Idus Maji 1566.

XVI. Veritati rerum, quæ hac in Epiſtola referuntur, ea quoque adſtipulantur, quæ, in Vita Cardinalis Commendoni, paulò antè memoratus Gratianus habet: nàm ubi de iis, quæ ipſi Commendono in hac Legatione evenerunt, ſermo recurrit, iſta narrat, [*At hæretici in omnem ſempèr occaſionem intenti, more ſuo multa moliebantur: ante omnia Maximilianum ipſum magnis pollicitationibus ſollicitabant, ut tandem ſententiam proferret, palàmque in partes tranſiret. Nàm paucis antè annis, hæreticorum, partim ſpe, partim conſuetudine corruptus, alienati à Catholicæ pietatis Fide animi, haud ambigua ſigna dederat; qui, & ſacris eorum interfuerat, & quemdam profligatæ doctrinæ Magiſtrum domi aluerat, habue-*

Vit. Card. Commend. Gratian. ut ſup.

ratque in honore; & Viennæ in templis, A *de divinis rebus concionantem frequentèr audierat; nec, niſi magno ſtudio, ac cura Ferdinandi Patris, in primis pii, ac religioſi hominis, denunciantis, eo abdicato, ad alium ſe Filium, natu minorem, Imperium, atque nomen Cæſaris delaturum, à nefariæ opinionis profeſſione eſt revocatus. Poſt mortem inde Patris, aſſecutus Imperium, ità vixit, ut dùm ſpem ſui utrique parti facere ſtudet, omnibus æquè ſuſpectus, neutrorum gratiam tenuerit. Tùm quidèm hæretici,* B *promiſſa exigentes, vehementèr urgebant, ut jungeret ſe illis, & mentem aliquandò nudaret, ac proptereà extorquere ab eo conabantur, ut fœdera concordiæ, paciſque, anno 1555. inter ipſos, & Catholicos Paſſavii conſtituta, violata ſæpè ab iis, tùm penitùs reſcinderentur: eo enim anno, quemadmodùm à Ferdinando Cæſare ab ſimili periculo Turcici belli, copiarum, ac pecuniæ indigo, expreſſerant, ut quibus libuiſſet, ſacrorum cæremonias, ex Auguſtana formula colere, atque habere jus eſſet; ità additum fœderi fuerat, ut qui à priſca ſacrorum* C *ratione, & Catholicæ Eccleſiæ ſenſu deficerent, aut omninò diſſentirent, ji nè vectigalia quidem ulla, aut honores Eccleſiaſticos obtinerent, aut potiri poſſent. Id, ut antiquaretur, ſummis ſtudiis hæretici contendebant; item illud, ut qui diſciplinæ eorum ſectatores, Catholicorum Imperio, ac ditioni ſubjecti eſſent, paterna bona venum exponere, & excedere patriâ, atque exulare cogerentur.* D *Quibus hæretici ſtare jam ab inſita animis arrogantia, atque contumacia detrectabant, & impiè paritèr, atque impudenter poſtulabant, ut poteſtas omnibus foret, quam quiſque probaret, opinionem, habendi, & pro ſua cuique Religione Deum colendi; vel, ſi hæc non placerent, Concilium (Nationale, quod appellant) haberetur, ad quod coactum, omne Germanicum nomen, de univerſo jure ſacrorum, inter ſe conſtitueret. Harum rerum utram tenuiſſent, amittenda Germania erat, & cuncta prædæ hæreticis futura, cuncta, confuſo omni humano, ac Divino Jure, peſſum itura videbantur.*] Iſta Gratianus: Quinam verò fuiſſent, qui impiè paritèr, atque impudentèr poſtulabant, ut poteſtas omnibus fieret, quam quiſque probaret, opinionem habendi, & pro ſua cuique Religione Deum colendi; vel ſi hæc non placuiſſent, Nationale Concilium totius Germaniæ petebant; elici poſſe cognoſcitur ex Spondano, qui, recens exortas, & in Imperio propagatas, hæreſes Sacramentariorum, Zuvingliano rum, & Calviniſtarum extitiſſe tradit. Sectæ ſiquidem hujuſmodi, in pace anni 1555. firmata, comprehenſæ minimè fuerant; nàm præter Catholicam Religionem, & Auguſtanam Confeſſionem, in Imperio cœteræ prohibitæ fuerunt. Et nè in pace hujuſmodi comprehenderentur, in Comitiis his Catholici contenderunt; & alio certè conſilio ab eo, quo in Poloniæ Regno, Religionis bono, ac ſecuritati, Catholicos Polonos proſpexiſſe videbimus. Nefarios autem, quos ex Caligario, & Gratiano produximus, hæreticorum auſus, dubiam Maximiliani Religionem, & hujus generis alia, (quæ meritò Pio ſollicitudinem ingerebant, & ab eo, vel invito, ritè extorquere videbantur proteſtationis mandatum) ſubdolè reticent Thuanus, & alii, quòd Pontifici præcipitis ingenii, ac imprudentiæ notam impingere ſtudeant, ſed inopportunè, tantùm repetitum proteſtationis faciendæ præceptum recinunt, ut in eo crimen deprehendant, quod minimè commiſiſſe cognoſcitur. Nàm, licèt ex iis, quæ vel ab Apoſtolico ſuo apud Cæſarem Nuncio, vel à Cæſareo apud ſe Oratore, vel ab aliorum literis Pius acceperat, aliquid in Auguſtanis Comitiis in re Religionis, hæreticos molituros audiſſet; hiſque permotus ad eadem Comitia Legatum Commendonum decreviſſet; tunc tamen ei proteſtationem ullam faciendi mandatum aliquid dediſſe (ut Thuanus, & alii ſomniarunt) haud reperimus. Quod quidem etiam confirmare videntur ſuperiùs à nobis recitatæ, ad Cæſarem, & ad Eccleſiaſticos, & laicos Germaniæ Principes, Pii literæ, in quibus certè nullum proteſtationis, & multò minùs minarum, quas Thuanus ipſe à Pontifice factas recolit, E eſt invenire veſtigium. Et reverà mandatum hujuſmodi, non modò non debuit, ſed nec eo tempore dare potuit Pius; cùm nil certi, vel inſidiarum, quæ in Religionis perniciem hæretici excogitaſſent, vel artis, qua Catholici eaſdem propulſare meditarentur, compertum haberet: nàm ex præfata Caligarij Epiſtola, non tàm hæreticorum fraudes, quàm etiam Catholicorum conſilia, non

modò

modò Pium, Romæ commorantem, ſed Commendonum ipſum, licèt Comitiis præſentem, diù latuiſſe, evidentiſſimè colligitur. Ubi autem, ingenti ſua ſolertia Commendonus præſenſit, Catholicos, utpotè audacia, & viribus, hæreticis impares, pacis anni 1555. confirmationem expetere velle; tunc tantùm Cardinalem Reomanum deprecatus eſt, ut Pontificis mentem exploraret, à quo reſponſum eſt illi, quòd, ſi pace hujuſmodi præjudicium inferebatur, quoad dogmata, Tridentino Concilio, proteſtationem Commendonus faceret, & ſtatim diſcederet. Et hoc quidem fuit proteſtationis faciendæ primum, quod à Pio prodiit, mandatum. At, cùm tandem ab Alberto Bavariæ Duce caput illud, ut vidimus, propoſitum fuit, tunc à Commendono dubitatum eſt, an ea pacis confirmatio præjudicium aliquod Tridentini Concilii dogmatibus inferret, & hinc, an ex Pontificis juſſu, proteſtationem facere deberet. Quare, Theologis auditis, rem omnem ad Pium rejecit, à quo certè mandatum aliud factum minimè reperimus; undè jure miramur, quòd iſta ignorantes Scriptores omnes, non conditionatum, ſed abſolutum Pii mandatum dixerint, & unà tàntum vice factum, plurièſ repetitum tradiderint; cùm ſemel tantùm, & interrogatus, id Pius præceperit, & ea lege, ſi dogmatibus Tridentini detractum eſſet: Ideòq; præter allata, contra Thuanum, ex ipſius Thuani narratione deſumpta, ulteriùs eum etiam, ex his, mendacii ritè coarguere non veremur; quod, nempè, injuſtè ſimul, ac perperàm Pium id feciſſe reprehenderit, quod nunquàm fecit; nàm licèt, ex præjudicio, quod Religioni timuit, ad proteſtationem propenſus fuiſſe agnoſcatur; non tamen hinc ritè educitur proteſtationem eamdem fieri iterum, atque iterum præcepiſſe, ut ipſe, & alii excogitarunt; imò oppoſitum, ut ex ipſius Caligarii inferiùs ponendis Epiſtolis, evidentiſſimè cognoſcetur. Quæ autem fuerunt Pontifici, hac de re, exhibitæ Theologorum ſententiæ, ejuſmodi ſunt. Et prima quidem, quæ in medium afferatur, ſit ea Scipionis Lancellotti, qui poſtmodùm, ob egregia merita, à Gregorio Decimo tertio, inter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales adſcriptus fuit. Dicit igitur.

Annal. Eccl. Tom. 22.

A

DUBIUM PRIMUM. XVII.

An per confirmationem receſſus anni 1555. præjudicetur in univerſali toti Concilio Tridentino, & conſequentèr particularibus dogmatibus ejuſdem?

Dicendum exiſtimarem, in omnibus præjudicari. Siquidem, licèt ex Ex MSS. Card. Spadæ nu. 13d.
B *ſimplici lectura receſſus ejuſdem confirmationis faciendæ, nulla inſpiciatur facta mentio de dogmatibus contrariis Fidei noſtræ Catholicæ, illuſtratæ à Concilio Tridentino; tamen receſſus ipſe fundatus eſt ſuper re probibita, & ab ipſo etiam Concilio damnata; nàm, cùm inter Confeſſioniſtas, & Catholicos propter Religionem orta eſſent diſſidia, & controverſiæ, ut dicitur in principio receſſus; deventum fuit ad pacem faciendam hanc, cum nonnullis decretis, quæ Concilio*
C *contradicunt.*

Et primò dicitur, & ſepiùs in eodem receſſu replicatur, quod Principes, & Status non debent abſtrahere, vel cogere aliquem Statum ejuſdem Imperii à Religione, Fide, & Cæremoniis confeſſionis Auguſtanæ, ſed ſinere illum debent quietè, & pacificè vivere in ſua religione. Verùm hoc reperitur probibitum in Concilio Tridentino in ſeſs. 25. cap. 5. de recipiendis, & obſervandis Decretis Concilii, ubi dicitur fuiſſe ab eodem Concilio
D *damnatos, & anathematizatos præcipuos hæreticorum errores noſtri temporis, & fuiſſe etiam traditam veram, & Catholicam doctrinam; & quòd ideò moneantur Principes omnes, ad operam ſuam, ità præſtandam, ut quæ ab eodem Concilio decreta ſunt, non permittant ab hæreticis depravari, aut violari, ſed ab his, & omnibus devotè recipiantur, & obſerventur. Cùm itaque in receſſu dicatur, Confeſſioniſtas non moleſtandos in eorum hæreſi, ſed permittendos, ut quietè vi-*
E *vant in eorum Fide, & in Concilio dicatur, quòd Catholica doctrina obſervari mandetur à Principibus; utique receſſus contradicit Concilio, quod fuit abſolutum poſt ipſum receſſum conditum; cùm non ſtent ſimul, quòd quis permittatur quietè vivere, & quòd compellatur ſecundùm aliam legem vivere.*

Secundò dicitur in eodem receſſu, quòd Chriſtiana Religio debet ad concor-

diam, Chriſtianamque intelligentiam, A
& unionem non alitèr adduci, niſi per
Chriſtiana, amica, & pacifica media.
Verùm, ſi per hujuſmodi media non in-
telligendum eſt de Concilio univerſali, le-
gitimè congregato, & cùm tunc illud
excludatur; illi, ac congregantis poteſta-
ti manifeſtè derogatur: verba enim illa,
non alitèr, niſi per amica media &c. ex-
cludunt omnem viam etiam Concilii, præ-
ter ipſam concordiam. Sin verò per me-
dia intelligendum eſt de Concilio, cùm
illud ſit jam abſolutum, & perfectum, do B
conſenſu omnium Patrum, & Principum,
& ab eis ſubſcriptum, & authoritate
Sedis Apoſtolicæ confirmatum; expiravit
receſſus, dum ibi dicitur, pacem hanc du-
rare debere, uſque ad amicam, & pro-
priam concordiam, vel compoſitionem
rerum Fidei, & Religionis; & quòd, ſi
ejuſmodi compoſitio per viam Generalis
Concilii, vel Synodi Nationalis colloquio-
rum &c. non habeat ſuum effectum;
quòd nihilominus pax maneat, uſque ad
finalem concordiam. Sed, cùm idem Con- C
cilium fuerit congregatum in Civitate
Tridentina, ad tollenda hæc eadem Ca-
tholicæ Religionis diſſidia, quæ in Ger-
mania vigebant, & adhuc hodiè vigent; &
efflagitantibus Carolo V., & Ferdinan-
do Imperatoribus ad illud fuerunt ipſi
hæretici Germaniæ vocati, propoſito eis
ſalvoconductu accedendi liberè ad illud,
& ivi eo manendi; & viginti tribus ferè
annis expectati, per quod tempus dura-
vit Concilium, & eorum iniquæ cauſæ
conſcii, contumaces non comparuerint; D
propterea eorum opiniones, & hæreſes,
à doctiſſimis Theologis, ex omnibus Mun-
di partibus delectis, diſcuſſæ, & à Pa-
tribus maturè, & prudentèr extirpatæ,
ac anathematizatæ fuerunt; non debent
nunc Catholici aliter affirmare, niſi
quòd vera compoſitio, & concordia Fidei
ſubſecuta ſit à Concilio, quia conciliatæ
ſunt opiniones utriuſque Religionis, ac
veritates Catholicæ ab hæreticis aſſer-
tionibus diſtinctæ, & illas amplecten-
das, has rejiciendas eſſe declaratum fuit; E
hæreticus verò nunquàm fatebitur, ali-
quam concordiam ſubſecutam fuiſſe, niſi
eorum damnatis opinionibus aſſentia-
mur.

DUBIUM II.

An ſit neceſſaria acceptatio Concilii Tridentini?

SI obtineri poſſet, ut Concilium acce-
ptaretur, à Catholicis in hac con-
firmatione, ſatis benè conſultum eſſet;
nobis verò, ſi Concilio præjudicaretur ob
confirmationem, fruſtratoria eſſet acce-
ptatio, ſi in continenti ſubſequeretur
derogatio; ideò non exiſtimo neceſſariam,
B ſi illi derogatur, ſed neceſſe eſt, ut illi
non derogetur.

DUBIUM III.

An ſufficiat Concilii mentionem fieri, & ubi illa, & quomodo, & quibus verbis facienda?

REtenta eâdem opinione, quòd Conci-
lio præjudicetur, ſola Concilii men-
C tio non ſufficit, niſi in fine ipſius confir-
mationis, vel alia congruentiori parte,
his, vel ſimilibus verbis à Catholicis ex-
primendis, mentio fiat. Sic conſentimus
confirmationi, ſalvis ſemper dogmatibus,
ac cæteris decretis Concilii Tridentini,
cujus Fidem, & doctrinam profitemur,
ac obſervaturos nos jurejurando promit-
timus, nec illi, minima etiam in parte,
præjudicatum eſſe volumus, & declara-
mus, ob confirmationem hanc, quam non
alia ratione probamus, niſi pro noſtra,
D noſtrarumque Eccleſiarum, & Subdito-
rum quiete, & tranquillo, ac pacifico
ſtatu.

Si verò verior ſit opinio, quòd Con-
cilio non præjudicetur, Concilii mentio
etiam ſimplex, & abſoluta ſufficeret;
nàm cùm Religionem Catholicam hære-
tici, falſis eorum argumentationibus, &
auctoritatibus oppugnaverint, plurimis
etiam editis Libris, & Centuriis; ſic
quandò mentionem de Religione facimus,
debemus illam ad Concilium Tridentinum
E referre, in quo nè dùm illuſtrata, &
expurgata Fides noſtra reperitur, ſed in
eodem etiam licet intueri anathemata
adverſariis inflicta, & reprobationes
eorum. Accedit, quòd hæreticis nova
daretur contra illud argumentandi occa-
ſio, quòd in Confirmatione, ubi mentio
de Religione habetur, Catholici de illo non
meminerint, tamquàm non legitimo, nec
libero, quod ipſi ſemper clamant.

DU-

DUBIUM IV.

An cenſeatur per hunc receſſum confirmata Confeſſio Auguſtana?

EX lectione receſſus non video confirmari hanc Confeſſionem, ſed permitti utriuſque Religionis profeſſores quietè vivere, donèc finalis religionum concordia ſubſequatur.

DUBIUM V.

An cenſeantur hæretici, qui conſenſerunt receſſui, & conſentiunt, præſertim poſt Concilium Tridentinum?

SI confeſſio Auguſtana, quæ hæreticam continet Religionem, non fuit approbata, & confirmata in receſſu, uc ſupra dixi; minùs exiſtimo hæreticos cenſendos, qui receſſui illi tunc conſenſerunt. Qui verò Catholici eidem receſſui poſt Concilium conſentient, non puto eſſe etiam hæreticos, quia non negant contenta in Concilio Tridentino, ſed illi non parent.

DUBIUM VI.

An proteſtatio videatur neceſſaria propter officium Legati?

SI quidèm conſtaret, Concilio præjudicari, deberet Illuſtriſſimus Legatus, abſque aliqua expreſſa commiſſione proteſtari, & admonere Cæſarem, nè quid committeret, quo præjudicaretur Concilio, cùm ipſe ſit Advocatus Eccleſiæ Romanæ, & Defenſor, & omnibus viribus uti debeat, ut Concilium obſervetur, prout Concilium illi, & aliis Principibus præcepit: & ad faciendum utilia Sedi Apoſtolicæ, nè dùm Legatus de Latere, ſed Epiſcopi etiam, ex proprio eorum juramento tenentur; quod, ſi non fecerint, eſt quod illis imputari poſſit.

A

DUBIUM VII.

An ſit neceſſaria proteſtatio Legato, quoniam Pontifex, ità mandavit, ſi veniretur ad receſſum, vel concluſionem aliquam, quæ præjudicet Concilio Tridentino, quò ad dogmata?

B *REſolutio oritur, ex jam dictis; quia, ſi præjudicatur Concilio, proteſtandum eſt, præſertim cùm ità præceperit Summus Pontifex, cui parendum eſt.*

DUBIUM VIII.

An ſit utilis proteſtatio?

C *PRoteſtatio conſervat jus proteſtantis, videlicet, Catholicæ Eccleſiæ, de cujus dogmatis obſervantia agitur; & monet, ſivè incitat, nè quid fiat, quod fieri non debet.*

DUBIUM IX.

D An, ſtante mandato Pontificis, quod deveniatur ad proteſtationem, quandò præjudicetur Concilio circa dogmata, & affirmantibus expreſsè Theologis, quod per confirmationem pacis anni 1555. non præjudicetur Concilio, quoad dogmata, ſit nihilominùs deveniendum ad proteſtationem?

NOn exiſtimo hoc in controverſiam adduci poſſe, quia ſi Theologi expreſsè conſentiunt, non adeſſe præjudicium; ceſſat proteſtandi facultas, quia ſi non eſt præjudicium, potiùs præjudicaretur Papæ mandanti, cujus mandatum non eſſet obſervatum, quia mandatum ſub certa qualitate, illa ceſſante, ceſſat etiam ipſum.

E

DUBIUM X.

De qua proteſtatione intelligit Pontifex per ea verba — Factis debitis, quæ in tali caſu convenirent, proteſtationibus?

SI quidem præjudicatur Concilio, proteſtatio fieri debet illi, qui contra debitam juſtitiam, quid facit, veluti Cæſari,

A *ſari, qui Comitia congregavit, & propoſuit, hac de confirmatione tractandum eſſe. Item fieri poſſet Catholicis Prælatis, & Principibus, qui votum habent in Comitiis, ſi Legato tutus daretur acceſſus ad proteſtandum Catholicis, quandò ſimul conveniunt, ut hac de re diſſerant. Sed quoniam id vix ſecurè fieri poſſet, quia in Conventu Catholicorum, adſunt etiam, & hæretici, & daretur occaſio ſcandalis; propterea ab hac ſecunda ſpecie proteſtationis abſtineri poſſet, quid præſuppo-* B *nitur in hoc dubio, quod Pontifex uſus fuerit illis verbis-debitis proteſtationibus factis, quæ in tali caſu convenirent-Et propterea, ſi timeretur de ſcandalis, etiamſi fieret proteſtatio Cæſari, poſſet illi fieri admonitio, ut perpetuis futuris temporibus conſtaret, hoc illi fuiſſe præmonitum; & ſi de hac etiam admonitione, ſcandali ſuſpicio oriri poſſet, fieri poſſet etiàm, coram teſtibus, & Notario.*

DUBIUM XI.

C Quæ ſint neceſſaria ad proteſtationem ſolemnem coram Cæſare?

Concepi formulam proteſtationis faciendæ, tàm coràm Cæſare, quàm etiàm, coràm honeſtis Viris, in præſentia Notarii, ad quam formulam me remitto.

DUBIUM XII.

D An ſit timendum, nè det ſchiſmati occaſionem?

Si mitioribus verbis conciperetur proteſtationis formula, abſque comminatione ſchiſmatis, belli, & Excommunicationis, & aliorum hujuſmodi; non exiſtimarem, in hoc periculum nos incurſuros; ſed, in hoc eorum opinionem ſequerer, qui Provinciæ hujus mores, & Cæſaris naturam noverunt.

E

DUBIUM XIII.

An Cardinali Auguſtano, & Oratore Regis Catholici, & Theologis monentibus, nè proteſtatio fiat, ſit nihilominùs proteſtandum?

Tam nobiliſſimis Viris, & rerum multarum experientia pollentibus crederem, ſi hoc atteſtentur, & intelligant de rigoroſo proteſtandi genere. Sin verò proteſtatio conciperetur ſub ea forma, ut Cæſar admoneatur, nè permittat hanc fieri Confirmationem, cùm ceſſaret timor ſcandali, & Concilii præjudicium abeſſet, parerem mandatis Papæ, & in omnem eventum etiàm proteſtari expediret.

DUBIUM XIV. & ultimum.

An poſſit fieri etiam poſt Comitia? an verò neceſſaria ante concluſionem horum Comitiorum, cùm neque interveniat aliquis nomine Pontificis, neque petatur hujus approbatio, aut conſenſus?

Si facienda ſit Cæſari, fieri debet antè reſolutionem, ſeù concluſionem hujus articuli de confirmatione, quia eſt inhibitio, nè fiat, & ſic præſupponit prohibitionem ante factum; ſi verò fiet etiàm, tunc etiam poſt factum fieri poteſt, quia eſt declaratio diſſenſus, & quòd non conſentis proteſtans.

Et ità dicendum arbitror ſuper præmiſſis dubitationibus, ſalvo ſemper ſaniori judicio, cui me ſubmitto.

S. Lancellottus.

Contra autèm hanc Lancellotti opinionem, Theologorum, qui item Comitiis interfuere, ſententias hic etiam ponere curavimus, & inter eas prima ſit illa inſignis Theologi Nicolai Sanderi Angli, quæ dicit. XVIII.

[An per confirmationem Receſſus anni 1555. præjudicetur in univerſali, toti Concilio, & conſequentèr particularibus dogmatibus?

Cum Papa nominatim dixerit -- Si veniatur ad concluſionem, quæ præjudi- Ex eodem M.SS. Cardin. Spad.

Digitized by Google

judicet Concilio, quoad dogmata &c. non videtur fuiſſe hoc animo, ut, etiamſi præjudicaret in univerſali, & per conſequens dogmatibus, eam præjudicationem attendi vellet, alioquin non expreſſiſſet ſpecialim, quoad dogmata — per quam clauſulam oſtendit, ſe particulare Judicium in dogmatibus tantùm reſpicere; nàm benè videbat, ex qualibet concluſione in univerſali, præjudicium aliquod toti Concilio fieri poſſe, ſed non ex qualibet, dogmatibus particularibus fieri, quò ſolùm ille reſpexit.

An particulare præjudicium dogmatibus fiat?

NUllum particulare præjudicium fit ex parte Catholicorum, qui hoc genus, propter ipſarum rerum magnam difficultatem, quæ neceſſitati par habetur, admiſiſſe præſumi poſſunt; in quo genere, non tàm decernunt aliquid, & definiunt circa Fidem, quàm ſibi, & ſuis cavent, ut majus malum evitent; hæretici autèm, & ſi præſumant velle dogmatibus Concilii in particulari præjudicare, tamen neque id exprimunt, & magis eſt reſpiciendus Catholicorum favor, quàm illorum odium.

An ſit neceſſaria expreſſa acceptatio Concilii Tridentini?

IN hac receſſus confirmatione non eſt neceſſaria, quia eſt adeò difficilis ejus rei expreſſio, (ſi pacem in Germania ſervare volumus) ut pro impoſſibili habenda videatur: porrò cum infirmior ſit Catholicorum pars, pax negligenda adhùc non eſt.

An ſufficeret mentio Concilii? & ubi, & quomodò, & quibus verbis?

EXtra receſſum, non tantùm mentio, ſed & acceptatio expreſſa petenda eſt ab illis, qui Catholicam Fidem profitentur; idque, ſivè ſigillatim, ſivè in ſeparato Catholicorum Conventu; ità ut promittant Illuſtriſſimo Legato, ſe id Concilium promoturos, & exequuturos, quatenus id bona fide poſſint.

An cenſeatur per hunc receſſum confirmata Confeſſio Auguſtana?

NOn magis à Catholicis illa confirmata cenſetur, quàm Religio vetus ab hæreticis; nam de utraque utrinque tranſigitur, abſque eo, quod hæc, vel illa præferatur.

An cenſeantur hæretici, qui conſenſerunt, vel conſentiunt confirmationi receſſus, præſertim poſt Concilium?

UBi potiùs tranſigitur pro pace publica, quàm aliquid, vel docetur, vel defenditur in negotio Fidei; ibi hæreſis crimen hærere non cenſetur.

An proteſtatio ſit neceſſaria propter mandatum Papæ, iis verbis, ſi veniatur ad receſſum, vel concluſionem aliquam, quæ præjudicet Concilio Tridentino, quoad dogmata?

POtiùs videtur neceſſarium eam omittere; nàm, cùm hic receſſus non præjudicet Concilio, quoad dogmata, ſinè mandati authoritate proteſtatio fieret.

An proteſtatio ſit neceſſaria propter officium Legati?

CUm officium ejus à mandato potiſſimùm pendeat; & præter mandatum proteſtatio foret; etiam præter officium foret.

An ſit utilis proteſtatio?

ADmonitio quædam eſt utilis, ut tàm Cæſarea Majeſtas, quàm reliqui intelligant ejuſmodi receſſus, non tàm approbari, quàm tolerari; ſed proteſtatio quælibet videtur animos utriuſque partis irritatura; deinde timendum eſſet, nè interpoſitâ proteſtatione, vel Confeſſioniſtæ occaſionem arriperent diſcedendi ab omni fœdere, & opprimendi Catholicos, ſicut ante fecerant; vel Catholici, relictos ſe à Pontifice putantes, arctiore fœdere cum Confeſſioniſtis conjungerentur.

Nicolaus Sanderus
Doctor Theol. Anglus.

Quæ

Quæ ſequuntur ſententiæ, à Hieronymo Natali, Petro Caniſio, & Jacobo Ledeſma Societatis Jeſu Theologis ſubſcriptæ ſimul leguntur: earumque prima in fronte hæc verba præmittuntur: Propoſitæ hæc eſt Queſtio:

Si pax, ejuſque conditiones annexæ, quemadmodum in receſſu Imperiali anno 1555. Auguſtæ ſancitæ; deindè anno 1557., & 1559. in Imperio confirmatæ fuerunt, in hoc ipſo Receſſu rursùs confirmarentur: an idcircò, quoàd Catholicos attinet, dogmatibus Concilii Tridentini præjudicaretur?

Contra hujus Concilii dogmata, quæ Fidei eſſe intelligimus, fieri, vel præjudicari non videtur, ſi pax in ſuperioribus receſſibus conſtituta, iterum confirmetur, dùm Germaniæ Stacus, in his tantis diſſidiis graviter ſanè laborat.

Deindè ſi adiectæ huic paci conditiones expendantur, videntur illæ omnes conſtare cum dictis dogmatibus Concilii; cùm earum nulla contra Catholicum dogma in eodem Concilio definitum, facere videatur; in quibus quidem conditionibus aliud eſſe nihil intelligimus, præterquàm permiſſionem, diſſimulationes Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, ac Juris etiam Imperialis debiti ſuſpenſionem; quæ media ab adverſariis obtruſa, idcircò à Catholicis acceptata videntur, ut duræ, & inevitabili neceſſitati cemporum, & ſectariorum perverſitaci, ad tempus cedatur, utque majora mala evitentur, cùm graviſſimus metus, qui in viros conſtantes cadere poterat, ipſis videretur, conſiliis melioribus locum non reliquiſſe.

Quoniam verò nonnullæ ſuſpiciones, & præſumptiones malæ hujuſmodi paci, ejuſque conditionibus poſſint opponi; nè præterea Concilio Tridentino, ratione ulla, præjudicare videatur; valdè optandum, & omninò curandum videtur, ut in hoc poſtremò receſſu, cùm Catholici dictam pacem confirmare voluerint, expreſſam mentionem, & profeſſionem faciant dogmacum Concilii Tridencini.

Neque parùm refert illud, ut quæ ſtatuentur de pace, affirmativè; reliqua verò de conditionibus, quibus Cacholici gravari videbuntur, nonniſi enuntiativè

A *enuntientur, ut factum permitti, non Jus, vel potentia ſtatui videatur. Sic enim rectè dicetur: pacem ſervabimus, Auguſtanæ Confeſſionis homines non moleſtabimus, juriſdictionem non exercebimus, ſtante pace &c.*

Cæterùm, ut Catholici Status in hoc negotio rectiùs inſtruantur, illud etiam, atque etiam Catholicis iiſdem inculcandum videtur, Sanctam Sedem Apoſtolicam ferre quidem dolentèr hanc Catholicorum in Germania injuriam, &
B *neceſſitatem, ut qui, ob ingentes nunc hæreſes, executioni Juris ad tempus cedere, multaque à ſectariis indigna ferre cogatur; donèc nimirùm Chriſtus Jeſus illorum vires augeat, quibus Jus ſuum pro dignitate poſſint perſequi; nec tamèn idcircò ab eadem Romana Eccleſia probari, quidquid in his neceſſitacibus actum eſt, nec pacem hanc publicè conſtitutam laudari; permittit interim, nec impedit pro materna ſua in Filios indulgentia, quod Principes Catholici hujuſ-*
C *modi pacis conditiones admittanc, confirment, & obſervenc, quando illi rebus Germaniæ, tàm afflictis, & præſenti neceſſitati, hac ratione conſulendum eſſe arbicrantur.*

Poſtremò, neque cum dictis Principibus, neque cum N. in hac cauſa duriùs videtur agendum, donec à Sanctiſſimo Domino Noſtra, primo quoque tempore, conſulatur, eòque maximè conſilia dirigenda, ut interim Tridentini Concilii mencionem, & profeſſionem in ipſo re-
D *ceſſu diſertè illi interponant, ſicut eſt ſuprà dictum; at ſi hoc fortè nequeat obtineri, ut iidem in Congregatione Principum, hac ipſa de re, mentem ſuam declarenc, publicèque teſtentur, quod eorum teſtimonium in Acta referri, & apud poſteros valere poterit aliquandò, Chriſto auxiliunte.*

Hæc à nobis dicta ſint, & ſubjecta reverencèr Sanctiſſimo Domino Noſtro, & S. Sedi Apoſtolicæ, omniumque rectiùs ſentientium judicio.

E Hieronymus Natalis. Petrus Caniſius. Jacobus Ledeſma.

Ab iiſdem verò fuſiùs diſputatam hanc ipſam rem, in eodem M. SS. Cod. reperimus; ideòque omnia, ut de cœteris fecimus, quæ in ipſo adinvenire contigit, hic ponere duximus. Scripto autem hic eſt titulus (*Reſponſiones breves ſine argumentis ad quæſtiones aliquot ſubſequences*). Dictas ſic verò fuiſ-

ſe

ſe ſine argumentis,ejuſmodi reſponſiones exiſtimamus, quòd quæſtionibus ſcholaſtico more minimè reſponderint; ità enim ſe habent.

PRIMA QUÆSTIO.

An per confirmationem receſſus anni 1555. in univerſali præjudicetur toti Concilio Tridentino, & ex conſequenti particulariter dogmatibus ejuſdem?

Reſp. Quoniam de Catholicis quæritur, hi, etiamſi receſſus ille Imperialis anni 1555. nunc iterùm confirmarent, neque in univerſali, neque in particulari, dogmatibus Concilii Tridentini, ad Fidem, ſcilicèt, pertinentibus, apertè præjudicare viderentur; verùm, ſi nulla hujus Concilii mentio, vel profeſſio à Catholicis Statibus modò fiat, certè in univerſum Concilii præjudicium fieri magna eſt ſuſpicio, atque præſumptio, quòd per conſequens fiat particularibus etiam dogmatibus.

SECUNDA QUÆSTIO.

An acceptatio Concilii Tridentini ſit neceſſaria?

Expreſſa hujus Concilii acceptatio, ſivè in ipſo receſſu exprimatur, ſivè alibi, inſignes utilitates afferret, ac neceſſaria quoque videretur, ad ſuſpicionem, & præſumptionem illam, de qua dictum eſt, evitandam, utque nullum Concilio præjudicium fieri videretur.

TERTIA QUÆSTIO.

An ſufficeret Concilii mentionem fieri? & ubi illa, quomodo, & quibus verbis facienda?

Reſp. Quandò à Statibus Catholicis hoc, quod optimum, & maximè urgendum eſt, obtineri non poſſet, ut in ipſo receſſu liberam profeſſionem faciant de acceptatis dogmatibus Concilii Tridentini; ſaltèm eò inducendi videntur, ut verbis non obſcuris dicti Concilii dogmata ſe profiteri, & confirmare declarent. Id autem fieri poterit inter Principes publicè, vel in aliqua Congre-

A *gatione Statuum Catholicorum, vel certè ſi alitèr fieri nulla ratione poteſt, inter paucos, uel apud Illuſtriſſimum Dominum Legatum. Modus verò adhiberi poterit, quo, & minimè offendantur hæretici, & Catholici ſuam Fidem profiteri non omittant. Et fortè ſatis eſſe videbitur, ſi dicerent, ſe profiteri, ac velle Tridentini Concilii dogmata manere per omnia ſalua, atque integra, neque ſe ab illius Fide, & doctrina eſſe diſceſſuros. Eaque profeſſio, vel per Inſtrumentum*
B *publicum, vel per ſcriptum, præſentium Principum Eccleſiaſticorum manibus firmatum, vel per Epiſtolam, ab iiſdem ad Summum Pontificem datam, conſtare poſſet. Quod ſi Catholici nullam omninò hujus Concilii mentionem interponerent, non videmus quomodò excuſari, & à gravi ſuſpicione liberari poſſent, quandò neque in receſſu ipſo, neque in Conventu Principum, neque apud paucos quidem, dogmata Concilii profiteri velint, ut Religionis ſuæ teſtimonium, hoc tempore, & loco, in foro exteriori pro-*
C *ferant, præſertim, cùm alitèr Pontifici Maximo, & Eccleſiæ ſatisfacere, & ſuſpicionem eluere non poſſint. Neque tamèn propterea, etiamſi nullam mentionem interponerent, ad publicam proteſtationem deveniendum ſuademus, ſine Pontificis novo, & expreſſo mandato.*

QUARTA QUÆSTIO.

D An Confeſſio Auguſtana per hunc receſſum confirmata videatur?

Reverà non confirmatur apertè à Catholicis illa Confeſſio, quæ ab hæreticis, ſicut per vim intruſa, ſic hactenùs ſceleratè defenſa eſt, & ob Sectariorum potentiam, à Catholicis non potuit prohiberi, quominùs à multis reciperetur. Illud quidèm verum eſt, præſumptionem, & ſuſpicionem eſſe gravem, ſi Catholici
E *nullo pacto Tridentini Concilii mentionem facere vellent.*

QUINTA QUÆSTIO.

An hæretici cenſendi, qui conſenſesunt receſſui, ſcilicèt ſupradicto, vel conſentiunt, præſertim poſt Concilium Tridentinum jam editum?

REſp. Hæretici cenſendi hujuſmodi non videntur, qui antea receſſui conſenſerunt, vel nunc fortè conſentient, etiam poſt editum Concilium. Quandoquidèm nihil confirmari videmus in eo receſſu, quod apertè cum Fidei dogmatibus pugnet; & ſi quid in hoc receſſu recepto, vel recipiendo peccatum eſſet, licèt peccantes ſuſpecti forent, non tamen hæretici planè eſſent exiſtimandi, niſi re certò explorata.

SEXTA QUÆSTIO.

An neceſſaria videatur Proteſtatio, propter officium Legati?

REſp. Multa quidèm requiri videntur, priuſquàm ad proteſtationem neceſſariò veniatur, qua illi ſanè gravandi, & contriſtandi non eſſent, qui Catholicæ Religionis hoſtès, vel deſertores ſe eſſe, non apertè declarant. Deindè non neceſſaria videtur proteſtatio, ſi Legati officium ſpectemus, modò amica quadam, aut etiam ſeria commonitione, vel paterna conqueſtione, flecti poſſent animi, ad profeſſionem Concilii Tridentini ſufficientem exhibendam. Tùm verò neceſſaria videri poſſet hæc proteſtatio, ſi Catholici Confeſſionem Auguſtanam palàm acceptarent, aut dictum Concilium reprobarent, vel ſaltem nulla ratione comprobarent.

SEPTIMA QUÆSTIO.

An ſit proteſtatio Legato neceſſaria, quoniam Pontifex ità mandavit — Si venietur ad receſſum, vel concluſionem aliquam, quæ præjudicet Concilio Tridentino, quoad dogmata?

MAndatum hoc Pontificis nullam neceſſitatem, vel obligationem afferre videtur, ad proteſtationem hoc tem- A *pore faciendam; imò potiùs impedire, cùm receſſum Concilio Tridentino præjudicare, quantum ad dogmata, non conſtet, ex receſſu anni 1555. ſed de futuro receſſu nullum poteſt nunc certum judicium fieri.*

OCTAVA QUÆSTIO.

An ſit utilis hæc proteſtatio?

B *REſp. Utilis eſſe poſſet, ſi ex neceſſaria cauſa legitimè fieret, nullaque ſuppeterent alia media, Principes Catholicos ad Tridentini Concilii Fidem, & profeſſionem adducendi. Nunc verò res in eo ſtatu verſari videtur, ut multa incommoda, & gravia pericula ex hac proteſtatione conſequutura eſſe facilè ſit proſpicere; nimirùm N., & omnium Statuum inſanabilem defectionem, Catholicorum Auguſtanæ Confeſſionis confirmationem; breviter, Germanicarum Eccleſiarum miſerabilem everſionem, ut* C *reliqua incommoda prætereamus.*

Ex quibus omnibus intelligi facilè poteſt, quid in rem præſentem, tùm conſulendum, tùm deſiderandum, & elaborandum maximè videatur. Primùm quidem, nè ad ultima remedia ſtatim veniatur, ſi receſſum 1555. anni confirment Status Catholici. Deindè, ut Status iidem ad liberam, & apertam profeſſionem Concilii Tridentini permaneantur conſtantiſſimè, atque efficaciſſimè; quacumque demùm id ratione faciant, D *modò ipſorum Fides Pontifici Maximo conſtare poſſit; ſic enim ſuſpicione ſe ipſos liberare, ſic officium ſuum Catholicum probare, & Pontifici Maximo animum ſibi, ſuiſque Eccleſiis conciliare videbuntur.*

Cæterùm, ſi, quod volumus, hoc ab illis non poſſimus conſequi, quod tamen tentandum modis omnibus, & contendendum eſt; illud ſupereſſe videtur, ut Illuſtriſſimus Dominus Legatus apud illos edat non obſcuram ſignificationem E *animi ſui, qua teſtatum faciat, ſuſpectam hanc illorum, in re ſalutari, ac neceſſaria, tergiverſationem, ſibi, & Pontifici Maximo non poſſe, non admodùm diſplicere. Prætereà minas interponere, & terrorem illis injicere poterit, propoſitis, ex hac diſſimulatione, & tergiverſatione, incommodis, & periculis, quæ ſecundùm ſapientum judicia, conſequutura videntur. Addi poſſet, nullam reliquam*

A *quam eſſe ſpem, prudentiſſimo, & in his rebus exercitatiſſimo Pontifici perſuadendi, Status hos, ab hæreſeos ſuſpicione liberos eſſe, niſi Tridentini Concilii Fidem profiteantur: & apud N. præcipuè curandum videtur, ut Eccleſiæ Advocatus, & in re tàm honeſta, & ad totius Religionis in Imperio commodum publicum, neceſſaria, Legatum juvet, ac totius Germaniæ utilitati, atque neceſſitati conſulat.*

Quibus rationibus, ſi nihil proficiatur, ſignificari poterit, de proteſtatione B
interponenda; ſed eam tamen differre licebit, uſque ad reſponſum Pontificis ex Urbe afferendum. Mox verò ſcribendum, & celerrimè quidem ad Pontificem Maximum mittendum videtur, ut is intelligat diligentiæ hactenùs adhibitæ rationem, & cauſas dilatæ proteſtationis, & ſtatum totius negocii, & incidentes hic Doctorum dubitationes, ac difficultates, ob quas Legatus ipſe non potuerit certi aliquid in re tanti momenti conſtituere; præſertim, cùm vi- C
deret apertum id non eſſe, quòd receſſus anni 1555. Concilio Tridentino, quoad dogmata præjudicaret. Interim quidquid Pontifex Maximus decreverit, id, cùm allatum huc ex Urbe fuerit, executioni ſtatim demandandum eſſe promittatur —, ſalvum enim, ac integrum Pontifici jus manet, ut quod ipſe voluerit in hoc negotio ſtatim efficiatur. Legatus verò, etiam ſi non proteſtetur, tamen disertè teſtari poteſt, ſe nihil iſtorum acta probare. Precamur, ut Domini D
voluntas in omnibus fiat, ad Eccleſiæ Catholicæ ædificationem, & Germaniæ ſalutem.

Hæc à nobis dicta ſint, & ſubjecta reverentèr, judicio S.D.N., & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, omniumque rectiùs ſentientium.

Hieronymus Natalis. Petrus Caniſius. Jacobus Ledeſma.

XIX. Ipſæ fermæ quæſtiones, ab iiſdem Theologis compendioſè diſputatæ ſic ſe habent, huncque præferunt titulum.

A Quæſtiones cum brevibus reſponſionibus?

PRIMO.

An ſtante mandato Pontificis, ut ad proteſtationem deveniatur, cum præjudicaretur Concilio Tridentino, quoad dogmata: & affirmantibus interim expreſsè Theologis, huic Concilio, per confirmationem pacis, quoad dogmata, non præ-
B judicari, ſit nihilominùs ad proteſtationem deveniendum?

REſp. donec Pontifex Max. certi aliquid reſpondeat, non videtur ad proteſtationem publicam, & ſolemnem, vel ob quam metuitur periculum, eſſe deveniendum.

SECUNDO.

An proteſtatio Cæſari cum Notario,
C & teſtibus facta, probabilitèr credatur moleſta, & cum offenſione Cæſaris, ac Religionis futura eſſe?

REſp. Videtur illa Cæſari moleſta, & cum ejus offenſione futura, & verendum, nè cum jactura etiam Religionis in multis fiat, hoc tempore.

TERTIO.

D An timendum, nè proteſtatio det ſchiſmati occaſionem?

REſp. Videtur timendum, nè indè ſumatur occaſio ſchiſmatis, aut ſaltem, nè minor ſit unio Statuum Catholicorum cum Capite ſuo, Pontifice Maximo, undè initium ſchiſmatis conſequi poſſit.

QUARTO.

E An Cardinali Auguſtano, & Oratore Regis Catholici, & Theologis omnibus monentibus, nè proteſtatio fiat, ſit nihilominùs proteſtandum?

REſp. Non videtur, niſi allata clariore Pontificis Maximi ſententia, ut dictum eſt.

QUINTO.

An poſſit hæc fieri proteſtatio etiam poſt Comitia ?

REſp. Videtur fieri poſſe, per quem, & quemadmodùm voluerit Summus Pontifex, modò interim conſtet non conſenſiſſe Illuſtriſſimum Dominum Legatum.

Hæc à nobis dicta ſint, & ſubjecta reverentèr judicio Sanctiſſimi Domini Noſtri, & Sedis Apoſtolicæ, omniumque rectiùs ſentientium.

Hieronymus Natalis. Petrus Caniſius. Jacobus Ledeſma.

xx. Cum autèm ex Caligario conſtet, has Theologorum ſententias, partim à ſe, partim verò à Franciſco Borgia Pontifici exhibitas fuiſſe, ut ſuprà dictum eſt; quæſtiones has, brevitèr diſputatas, eorumque fuſiorem explicationem, inferiùs ponendam, ad ipſum Borgiam, à Natali, Ledeſma, & Caniſio miſſas fuiſſe, ex ipſorum ad eum epiſtola, quarto non. Maji, Auguſtæ datâ evidenter apparet, nàm in ea hæc habentur. (*Propoſitas quæſtiones videbis, quas unà cum Epiſtola hac, & reſponſionibus accipies: & ut plenè de his omnibus edocearis, quæ in eis continentur, earumdem explicationem, diſtincto ſcripto exaratam, ad te quoque mittimus.*) Hæc igitur explicatio hunc Titulum profert.

Ex eodem M. S.

[Declaratio rerum precipuarum, pertinentium ad receſſum Imperialem, Auguſtæ habitum anno 1555.

REceſſus anni 1555. cum ſuis conditionibus, ſimplicitèr ex Catholicorum parte præjudicare non videtur Concilii Tridentini dogmatibus; nàm pacem inter Catholicos, & hæreticos eſſe convenit; qui Catholici omne id, quod in ejuſdem Concilii dogmatibus continetur, credant. Verum quidem eſt, quòd diligentèr nonnullis receſſus ejuſdem, imò toto eo receſſu inſpecto, ſuſpicari facilè aliquis poſſet præjudiciam aliquid Tridentino Concilio, quoad dogmata inferri; at ſuſpicio ejuſmodi averteretur, ſi Catholici legitimè, & publicè Concilium A *idem acceptaſſe profiterentur; & tandèm viſum eſt nobis, quod ſivè acceptationem hanc palàm faciant Catholici, ſivè non, ut ad proteſtationem omninò non procedatur, donec Summus Pontifex de omnibus admonitus, quid agendum ipſemet decernat.*

Ad hoc ſtatuendum, inter conditiones receſſus anni 1555. quæ confirmandæ ſunt, nil videtur concedi, quod hæretici dogmatis conceſſio ritè dici poſſit; dùm ſola Catholicis neceſſitas fuit, B *(ut nimirùm ſervarentur reliquiæ Statuum, Dominiorum, Eccleſiarum, Bonorum, atque perſonarum Catholicam Religionem in Germania profitentium) ut debitis pœnis in Proteſtantes ſe minimè animadverſuros Catholici pollicerentur, quas nempè pœnas nulla prorsùs ratione infligere poſſant; ita ut nihil aliud agant, quàm ſuſpendant authoritatis Eccleſiaſticæ, & brachii ſæcularis adversùs hæreticos executionem, quæ jam ex ſe, ob virium imbecillitatem, ſuſpenſa* C *eſt.*

Prætereà conſiderandum eſt, quòd quotieſcumque in hoc receſſu dicitur, non debet hoc fieri, juxtà loquendi modum apud Germanos, nil aliud ſignificatur, niſi, quòd id, vel aliud, haud fiat; ità ut quando dicitur, non poſſit, minimè legitima, & ordinaria poteſtas denegetur, ſed ipſius dumtaxàt exequutio prohibeatur, quod evidenter apparet ex pœna impoſita in Articul. 3. 4., & 11.

Præcipua item Catholicorum in hoc D *receſſu intentio minimè fuit, nec modò eſt, de rebus ad Religionem ſpectantibus agere, nec hæreticorum Religioni aſſentiendi; ſed pax Religionis vocatur, quòd nempè pax ſit inter eos, qui duas Religiones profitentur, quoad perſonas, bona, & ut quietè, & pacificè juxtà exteriorem politiam, vitam ducant; nec ideò Catholici articulo alicui, vel Fidei dogmati ſe ceſſiſſe arbitrati ſunt.*

Ubi Eccleſiaſtica, & Civilis Ju- E *riſdictio ſuſpenſa pronuntiatur, non ità accipiendum noſcitur, quòd idcircò Catholici, in Locis, in quibus merum Imperium habent, exequutionem, ut priùs habere prohibeantur: ſed tantùm quòd in eos, qui profeſſionem Auguſtanam profeſſi fuiſſent, ad pejora ſcandala evitanda, non animadverteretur, per viam pleni Juris, donèc Catholici Status validioribus ſumptis viribus, ad ſuum jus integrè exequendum reſurgerent.*

Con-

Concilii autèm dogmata, ea dumtaxàt dicimus, quæ ſunt circa Fidem, non reliqua, quæ ad reformationem, & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent; nàm his certum eſt, quòd in receſſu præjudicium infertur; at de iſtis quæſtio non eſt, ſed de aliis, quæ ad Fidei dogmata ſpectant.

Concil. Trident. ſeſſ. 20 & 25.

Quia verò in aliquibus receſſus capitibus, quò ad libertatem, & Eccleſiaſticam Juriſdictionem, ejuſque exequutionem, Catholici nimis concedere videntur: ideò notandum eſt, (ut ſupra dictum eſt) omnem conceſſionem hanc fieri, ad devitanda non tàm magna, quàm etiam extrema, quæ hinc ſequerentur incommoda, pace politica ſic deturbata, quam Catholici, ſe recipere, ſuſtinere, ac tueri cogi aſſerunt, quia adverſarii pluſquàm anteà, modò apparent viribus validiores; nec Catholici excogitare ſciunt, qua ratione, quovè humano præſidio, à quibus undequaquè circuuntur adiacentibus, & infeſtiſſimis hoſtibus, ſe tueantur.

His præſuppoſitis, ſi ad Articulos receſſus anni 1555. deveniatur, (nam de iſtorum tantummodò confirmatione uſque adhùc actum eſse, compertum eſt, quia Catholicis conſilium aliud haud ſupereſt) breviter Articulos eoſdem, quodammodò explicare contendemus, ut appareat, eorum neminem apertè contra aliquod Tridentini Concilii dogma conſurgere; data opera tamèn omiſſis primo, ac ſecundo capite, in quibus difficultas aliqua minimè proſpicitur.

In tertio igitur Articulo, nil aliud ſtatuitur, niſi, quòd ſæculare Catholicorum brachium, Proteſtantium Status haud vexet; quod nimirum nil aliud eſſe convincitur, quàm Juriſdictionis exercitium ſuſpendere, quod ad nullum dogma ſpectare cognoſcitur.

Quartus, & quintus evidentiſſimè Catholicis favent; imò in quarto id commodi percipitur, quòd Proteſtantes Catholicos quietè, ac pacificè vivere ſinant, & ab occupandis Monaſteriis, Eccleſijs &c. ſe abſtineant. In quinto etiam illud commodi habetur, quòd Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, aliique ſectarii, nihilominùs debitis pœnis affici poſſint.

Sextus Eccleſiaſtico nemini permittit, ut à Fide deficiat, & in univerſum, Religionis libertas nulla ratione confirmatur; quæ, nempè, libertas, impudentiſſimè, & furentèr ab adverſariis poſtulata, A *conſtantiſſimè à Catholicis infecta fuit, tùm in aliis, tùm in his præcipuè Comitiis; itaùt quilibet Catholicorum, qui à Fide defecerit puniri poſſit, ac impediri in Statibus Catholicis ſaltèm per exilium, quod ad omnes attinet; & in Eccleſiaſticis, etiam per amiſſionem bonorum, ut nimirùm facere conſueverunt Principes, qui ſic ſe gerere volunt, & audent; itaut ex hoc articulo ea utilitas emergat, quòd, quotieſcumque de facto Eccleſiaſticus aliquis, vel plures à* B *Fide deficerent; tamen, ex ipſo adverſariorum conſenſu, in Eccleſia Dei Eccleſiaſtica bona remaneant, neque ad adverſarios tranſeant, quod terribilibus conatibus obtinere ipſi ſemper connixi ſunt.*

Septimum nil aliud eſt, quàm Catholicos pati, eorumque ſuſpendi actionem in ea bona, quæ vi, & furto Eccleſiis ſubducta ſunt, quæ nempè bona nulla ratione recuperari valent, donec Deus Opt. Max. ad ea recuperanda vires ſup- C *peditare dignetur; & in eodem nil aliud continetur, quàm Judicibus prohibere executionem Juris eorumdem Catholicorum, ſuper recuperatione præfatorum bonorum.*

In octavo expreſſè videtur, quòd ad tempus ſuſpenditur, magna ex parte, exequutio Eccleſiaſticæ Juriſdictionis contra Proteſtantes, & tamen aliqua retinetur, ut dictum eſt ſexto Articulo.

Nono illud cautum eſt, nè utriuſque D *Religionis quis Sectator, à contraria, modis ſeditioſis, & coactivis compellatur (ita ſiquidem accipienda eſt Germanica dictio, practicis) & contra Magiſtratus ſubſidio aliquo ſuffultus &c. itaùt hic exequutio prohibeatur, Proteſtantibus opem ferendi, & ad Fidem ducendi, viis coactivis, ac ſeditioſis; reliquis omnibus liberis remanentibus, ut cognoſcitur ex tertio articulo, dempto nempè exilio, & quoàd Eccleſiaſticos, privatione omnium bonorum, ut ſupra dictum eſt.*

E *In decimo ſola hæc libertas Catholicis, vel Confeſſionis Auguſtanæ ſectatoribus tribuitur, quòd eorum quilibet ſubſiſtere cogi non poſſit, inter eos oppoſitæ Religionis; ſed cum familia unuſquiſque ſua, propriis bonis diſtractis, liberè abire valeat. Quod, nempè, in magnum Catholicorum commodum verſitur, qui inter hæreticos commorari cogebantur, & graviſſima, ab iiſdem illata mala patie-*

Digitized by Google

tiebantur, nec modico periculo expoſiti erant. Ideòque non ſimplicitèr Religionis libertas in Locis præcipuis Catholicorum Principum tribuitur, neque his poteſtas adimitur in exilium pellendi eos, qui deficiunt, vel à Catholica Religione defecerunt, ut in praxim deductum, poſt initam pacem, conſpicitur.

Undecimus Articulus, aliquas difficultates in ſe continere videri poteſt, nàm dicit [quod ſi talis pacificatio, & concordia, per viam Generalis Concilii nonſequeretur &c.] præcipuè poſt Tridentini Concilii confirmationem, ac ſi de Jure facta non eſſet concordia; & tamèn videtur, quod alitèr factum ſit; nàm illud (conſequeretur) Germanicè aliud non denotat, niſi factum rei non Jus, uti apertè deducitur, ex ipſius articuli verbis. Et reverà res ita ſeſe habet; nàm ex Tridentino Concilio pax, & Religionis concordia ſubſequuta non eſt, in pertinacia ſua perſeverantibus hæreticis.

In duodecimo de Civitatibus Liberis, atque Imperialibus agitur, in quibus tunc, ſcilicet anno 1555. utraque Religio, Catholica nempè, & altera, jam ex aliquo tempore in uſu erant, ut utriuſque ſectatores pacem inter ſe haberent: & id, non modicum auxilium Catholicis confert, qui inter innumeros penè Proteſtantes, agentes, (ut hic Auguſtæ) ſecurè Religionem ſuam profiteri valent; & quod additur (debet poſthàc ita manere), accipiendum eſt, ut ſupra diximus, quòd de facto, ſub intentatis à receſſu pœnis, adverſæ partis aſſeclas oppugnare, nec ab illis viceverſa oppugnari poſſint. In reliquis Articulis nil aliud, quàm confirmatio pacis comprehenditur, ſub pœna &c.

Hæc à nobis dicta ſint, & ſubjecta reverentèr judicio Sanctiſſimi Domini Noſtri, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, omniumque rectiùs ſentientium &c.

Hieronymus Natalis. Petrus Caniſius. Jacobus Ledeſma.

XXI. Pontifici igitur exhibitis, tùm à Præpoſito Societatis Jeſu, Franciſco Borgia, tùm à Caligario, his Theologorum ſententiis, uti Commendono acciderat, inter diverſas nempè, interque ſe pugnantes opiniones, & in pleno periculi negotio, quid potiſſimùm faciendum eſſet, minimè percipere, nec decernere audere; ſic Pio evenit, inter innumeras dubitationum hinc indè angi, jactarique procellas, & ancipiti hæſitatione diſtracto, quid ſtatuendum haud cognoſcere. Verùm, ut ex altera ejuſdem Caligarii ad Commendonum Epiſtola, tertio Idus Maji ſcripta, colligitur; poſtquàm Borgia ſuper præpoſitas quæſtiones, aliorum quoque Theologorum ſenſus audiſſet, omneſque in Natalis, Caniſii, & Ledeſmæ ſententiam deſcendiſſe cognoviſſet; Pontificem, unà cum Pollancho, ipſius ſuæ ſocietatis Theologo adiit, & de negotio diutiſſimè egit. At Pius in dubitationum, undequaque anguſtias conjectus, ad orationis tandem præſidium ſe confugere velle edixit; & quod interim menti occurrebat, conſilium explicans, Commendoni Legati eximiæ prudentiæ, cauſam ſe committere cogitaſſe, faſſus eſt. Ex alia autem ipſiuſmet Caligarii, ad eumdem Commendonum Epiſtola, data Idibus Maji, Caligarium ipſum à præfato Franciſco Borgia accepiſſe habemus, Pontificem, in Inquiſitionis Congregatione, coràm ſe habita, ejuſdem Congregationis Cardinales, quid decernendum, de ſententia rogaſſe; & quod omnium ſententia tulerat, proteſtationem nullatenùs faciendam eſſe. Inquiſitioni verò Cardinales, tùnc præpoſiti, erant Pacecus, Trani, Piſanus, & Gambara; addiditque ipſe Borgia, ad rem hanc ritè decernendam, aliam Cardinalium Congregationem Pium inſtituere voluiſſe, & ut ex eadem Epiſtola patet, id potiſſimùm curante Cardinali Granuelano; qui, ut Moronus, Pacecus, Farneſius, à ſe primùm inſtructi, in hac Congregatione in conſilium à Pontifice adhiberentur, Cardinali Alexandrino interprete, effecerat.

XXII. Horum igitur intellectis opinionibus, ſtatim Pius decrevit, nullatenùs à Cardinali Commendono Legato proteſtationem faciendam eſſe, ſed omnia, quæ ad Religionem ſpectabant, ejuſdem Legati prudentiæ committenda; ut ex altera ipſiuſmet Caligarii epiſtola, decimo ſeptimo Kal. Junii data, patet; nàm in ea de Apoſtolico hoc decreto Commendonum ipſum ille certiorem fecit. Conſilium verò, quod primò occurrerat, ut videlicèt idem Caligarius, uti venerat, Auguſtam, mutatis ad celeritatem equis rediret, de ipſo Decreto Legatum commonefacturus, abjectum

ctum fuit; nè quacumque ratione receſſus anni 1555. comprobari exiſtimaretur; dùm ille, etſi pro dura temporum, & Catholicorum neceſſitate, & anguſtia ſimulandus, minimè tamen commendandus videretur; per conſuetum, idcircò Tabellarium, res ſignificata eſt Commendono.

XXIII. Hæc dum Romæ agebantur, jam Auguſtanis Comitiis finis impoſitus fuerat, in quibus, (ut ſcribit Gratianus) conatibus, tantoque ad exitium, atque ultimum impietatis gradum ruenti, hæreticorum furori, una oppoſita fuit Commendoni prudentia, atque induſtria; nàm ipſe, rei graviſſimæ, nec defuit, aut ſui diſſimilis fuit, admirabili ſolertia indagando, inveſtigandoque omnia; & authores cujuſque conſilii, fautoreſque, & quò eorum rationes cogitataque ſpectarent, ac ſi eorum cœtibus intereſſet, exploratum, cognitumque habebat, & ſumma cum cura, atque ſtudio, omnibus eorum machinamentis, nunc hortando, monendoque Catholicos, & adverſariorum dolos, fraudeſque enudando, nunc deterrendo, continendoque occurrebat: tantumque, oratione, atque authoritate, cùm apud alios, tùm apud Cæſarem ipſum valuit, ut & Catholici, nunquàm ſe commodiore, aut Cauſæ æquiore, Maximiliano uſos eſſe prædicarent; & ille negaret, unquàm anteà firmiores, vehementiùſque inter ſe conſociatos, Catholicos expertum eſſe.

XXIV. Cùm verò pari ſtudio, quo proteſtationem à Legato minimè faciendam exiſtimaverant ferè omnes Theologi (nè eàdem, tùm Cæſaris, tùm Catholicorum animi exaſperarentur) legitimam, ac publicam, à Catholicis ipſis, Tridentini Concilii profeſſionem faciendam eſſe contendiſſent; ut ſuprà vidimus: hinc, ut ipſam efficerent, ſummi etiam, & ingentes Commendoni labores, vehementiſſimique conatus; quos, cùm, inter alios, egregiè retulerit Petrus Caniſius, unus ex Societatis Jeſu Theologis, quos Româ Auguſtam ad Comitia Pium miſiſſe diximus, in Epiſtola ad Franciſcum Borgiam ejuſdem Societatis, ut totiès innuimus, tunc Generalem Præpoſitum; ideò eamdem Epiſtolam; in qua inſuper plura, ad ipſa Comitia ſpectantia recitantur, noſtramque hucuſq; factam narrationem confirmant, ponendam hic duximus. Dicit igitur.

A [*De ſtatu rerum, quæ nunc Auguſtæ geruntur, ſæpè antehàc, multùmque præſcripſimus, hic verò Divinæ voluntati viſum fuit, ut morbis Germaniæ probè curandis, fidus, ac peritus medicus non deeſſet, Illuſtriſſimus Cardinalis Legatus Apoſtolicus, Commendonus. Is pergraves hoc loco ſibi objectas habuit, ſimulque vicit moleſtias, ac difficultates. Deo ſumma ſit gloria. Ad Concilium Nationale, multorum animi propendebant; alii ſubdolam, & inſidiis plenam,* B *de concilianda utraque Religione, tractationem in medium afferebant. Nonnulli ſeriam inter Principes collationem, de toto Religionis negotio perlubentèr urſiſſent. Communis, & ingens Proteſtantium ardor hoc flagitabat, ut Eccleſiaſticis ea daretur poteſtas, ac profana libertas, ut qui vellent, ad Lutheranam Sectam deficerent, & bonis interim Eccleſiaſticis, minimè fraudarentur. Verùm, adversùs has omnes artes, & fraudes hoc ſanè pugnatum eſt, & vicit Chri-* C *ſtus, Chriſtique Vicarius in Legato ſuo, ut diſſectis tenebris, lux Catholicæ veritatis clariùs effulgeret, nihilque nobis adimeret poteſtas tenebrarum. Quod præclarum D. Cardinalis certamen, eò ſpectabilius etiam fuit, quò celebriorem videmus, hunc Principum hæreticorum eſſe Conventum, qui undequaquè plurimos, & audaciſſimos, & obſtinatiſſimos novæ perfidiæ propugnatores tenet; nunc hoc tandem effectum eſt, ut de Religione tractatio, quam Sectarii poſtulabant,* D *penitùs rejecta ſit, ut nullum indè periculum metui queat. Cæterum nova, & ſingularis illa difficultas emerſit, ut Sacrum Concilium Tridentinum in hoc ipſo Conventu, ſuum habeat locum, & aperta confeſſione Catholicorum cohoneſtetur. Qua in re difficile dictu eſt, quales, quantoſque labores exhauriat Dominus Cardinalis, qui omnem hunc lapidem movet, ut opportunè, & importunè commendet Synodum, ejuſque Fidem, & authoritatem Germanis comprobet, quò-* E *ad ejus fieri poteſt. Precamur Deum Optimum Max., quod bene cœptum eſt, virtutis ejus, ut dexterâ promoveatur, ac felicitèr conficiatur; partim nè Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, & veræ Religioni præjudicium ullum afferatur, partim, ut Catholica veritas, & dignitas, quæ cum premitur, illuſtratur, ex hac lucta ſuum etiam capiat incrementum. Ora pro nobis, & Germania, Reve-*

ren-

Ex M. S. Card. Spadæ. Ibid. ut ſup.

rende Pater: *Auguſtæ* 4. *Maji* 1566. Servus in Chriſto P. Caniſius.

XXV. Cęterùm cùm omni prorsùs ſtudio, ac conatu, Germanis Catholicis Tridentinum Concilium commendare ſtuduiſſe Commendonus referatur, ac opportunè, & importunè, ad Catholicos eosdem in officio continendos, elaboraſſe legatur: minimè à veritate alienum eſſe cognoſcitur, ſi ad faciliùs avertenda, quæ Fidei damna pertimuit, & obtinendam Tridentini Concilii, quam concupierat, acceptationem, pluriès, & ſeriò B proteſtationem, Pii nomine, à ſe faciendam, Commendonum interminatum eſſe credatur; cùm id, negotio, quod præ manibus habebat plurimùm prodeſſe potuerit: imò ex hoc derivaſſe cenſemus, ut Scriptores ferè cuncti verè repetita Pii mandata perperàm exiſtimaverint, ac ſcripſerint, quod ex induſtria, id credi ſuſpicarique Commendonus ſiverit, vel ut animos deterreret, vel ut ſibi magis devinciret, eòque ad ſibi obtemperandum promptiores, alacrioreſque efficeret, quò interminati C vulneris ictum avertiſſe, Legati tantùm benevolentiæ, ac officiis tribuendum eſſet. Nàm ſicut in dubium vocari minimè poteſt, ſemel tantùm proteſtationem fieri Pontificem præcepiſſe, & tunc etiam, ea appoſita conditione, ſi dogmata Tridentini Concilii in aliquo lædi contingeret; ſic ejuſdem faciendæ mandato Commendonum pluriès perterrefeciſſe, non incongruum exiſtimabitur ab iis, qui tunc inanem ejuſmodi D conatum fortè non fuiſſe, optimo jure judicabunt.

XXVI. Nec irritæ prudentiſſimi Legati artes, ac ſtudia fuere; nàm poſtquàm ſeorſim Catholicorum Procerum ſingulos, ad Tridentini Concilii acceptationem præmonuit, tandèm domi ſuæ Catholicorum Concionem habere decrevit, miſſis, qui ſingulos Principes convocarent: nec illi gravatè paruere (ut *Gratian. in Vit. Card. Commend.* narrat Gratianus) quòd erat ejus apud E Germanos magnum nomen, magna ab ſuperiori Legatione, integritatis, Religionis, eloquentiæ fama. Primæ dignitatis, (ut idem refert) in iis Cardinales duo extitere, nempè Otho Truxes, & Marcus Altempſius, alter Auguſtæ, alter Conſtantiæ Epiſcopus, & tres ſeptemvirali honore præfulgentes, quos Electores appellant, Moguntinorum, Colonienſium, & Trevirorum Archie-A piſcopi, & præter hos, magnæ nobilitatis, & potentiæ Viri, Albertus Bavarorum, & Gulielmus Clivenſium, & Henricus Brunſuicenſium Reguli, multique prætereà Liberarum Civitatum, & abſentium Epiſcoporum, ac Principum legati. Ad hos orationem habuit, qua primùm eos, ad tutandam priſcæ Religionis integritatem, propulſandoſque impios hæreticorum conatus magnopere eſt adhortatus. Id autem fore iis haud difficile, ſi conſentientibus ſtudiis, conſtantibuſque animis ſeſe adverſariis oppoſuiſſent, quos haſtenùs, tàm ſocordia, atque inertia noſtra, & diſſociata conſilia, quàm vires eorum firmiores, validioreſque adversùs nos feciſſent. Hanc verò voluntatem animorumque conſenſionem, & mutuam de ſalute, atque incolumitate alterius curam, cùm præſentibus rebus ſalutarem fore, tùm eſſe laudem Chriſtianorum hominum propriam, & veram, ſolidamque virtutum omnium radicem, ac fontem, ignotum cœteris gentibus, nobis ab ipſo Chriſto Deo, indito charitatis vocabulo, proditum, cujus vim, nec veteres aſſecutos eſſe humanæ ſapientiæ Doctores, nec niſi ab iis intelligi, qui eadem in Deum Fide, eodem ſenſu, eodem ſtudio, atque mente conjuncti, veluti corpus unum, uni præſenti Capiti, parentis Eccleſiæ Catholicæ gremio continerentur. Maximè autem, ejus eſſe virtutis expertes, hæreticorum omnes factiones, qui nomen modò charitatis, ſuis immanibus flagitiis prætendentes, rem ipſam exploderent, rectè faciendi neceſſitate ſublata, & ab illo Capite, quod Vicarium ſuæ poteſtatis conſtituit inter homines Deus, ſeſe præcidentes, omnia ſocietatis, & mutuæ neceſſitudinis vincula refringerent, concordiam, pacemque illam abrumperent, quam terras relinquens, in Cœlum abiens Chriſtus, tantoperè nobis commendavit.

Cùm multa in hanc ſententiam, XXVII. (inquit idem Gratianus) magno animo, communibuſque conſiliis obſiſtendum, atque obviàm eundum audaciæ hæreticorum eſſet, & majeſtas Religionis, & ſua ipſorum libertas, dignitaſque, piè, fortiterque defendenda, dixiſſet; Orationem ad Concilium Tridentinum flexit: In eo, cùm ſacrorum, & Fidei rationem egregiè explicatam, atque inſtitutam eſſe, tùm morum, ac vitæ diſci-

pli-

plinam ad priſcæ ſanctitatis conſuetudinem revocatam, acerrimumque telum adverſariorum manibus ereptum, atque in ipſos per ſummam omnium flagitiorum, ac turpitudinum licentiam degentes retortum, pariterque, & impiè dicta in Deum, & improbè jactatas in bonos obtrectationes repulſas, ac refutatas eſſe. Suſciperent ergo ſalutares Leges, & quod ſanandæ maximè Germanorum genti, tot per annos, tantis ſumptibus, tanto, ab ultimis quoque terris, Patrum, doctorumque virorum concurſu, habitum Concilium eſſet; ejus decretis *Principes* ipſi parerent, ex eorum Jure rem Eccleſiaſticam regerent, ſancirentquè, conſenſum cum bonis oſtenderent; impios, & hæreticos contumaciæ, ac diſcordiis ſuis relinquerent, donèc aut tædio diſſidendi, in novaſque, & contrarias quotidiè ſectas tranſeundi, reſipiſcerent, aut in illa pravitate perſeverantes, juſtas pervicacis animi pœnas Deo penderent.

XXVIII. Germani, cùm paulò inter ſe conſultaſſent, Moguntinus Archiepiſcopus, qui dignitate cœteros anteibat, de reliquorum ſententia, gratias Pontifici Maximo, atque ipſi Commendono egit, quòd de Germaniæ ſalute, deque eorum rebus tantam curam gereret, eaſque ſtudio, opera, conſiliis juvaret: Quæ apud ipſos de animis, voluntatibuſque jungendis, item quæ de Concilii Tridentini Legibus graviter, copioſeque diſſeruiſſet, ſcire vera eſſe, & ſe adnixuros, ut vulneribus ſuis ea maximè remedia adhiberent, quæ ipſe commemoraſſet. Scita Concilii accipere eos, ſanctèque omnia polliceri, ejus ſe juſſis obtemperaturos, in iis, quæ Fidem, & Sacrorum cultum reſpicerent, ſine exceptione ulla, aut dubitatione: in diſciplinæ ratione quædam eſſe capita, quibus excipi cuperent; quòd in tàm depravatis hominum moribus, tantaque licentia, ac perturbatione Germaniæ, nec utile foret, tùm revocari, nec tutum; ad id pacatius, magiſque tranquillum eſſe tempus opperiendum. Quæ apud ipſum eò libentiùs profiterentur, quòd ſibi cum prudentiſſimo Germanicarum rerum eſſe ſermonem ſcirent, quo etiam ab eo peterent, ut ſuſceptum erga Germanos ſtudium retineret, poſtulatiſque eorum publicis, privatiſque, apud Pontificem Maximum, authoritate ſua, gratiâque adeſſet, atque in præſentia, ut cæpiſſet, tegeret, tueretur que, tantorum ejus in gentem ſuam officiorum, perpetuam apud Germanos manſuram eſſe memoriam. Iſta ex Gratiano, quæ iis cohærent, quæ ab aliis recitantur, cùm nempè referunt plenis votis, nullo penitùs contradicente, Catholicos Germaniæ Principes, Tridentini Concilii dogmata ſuſcepiſſe. *Tracagnot. & alii &c.* Ità, hæreticorum ſpe, conſiliiſque fruſtratis, nullum ex Comitiis veræ Religioni incommodum fuit, ſed potiùs utilitatis plurimum emerſiſſe viſum eſt, cùm in Fide, Orthodoxi confirmati ſunt, & hæreſis cancer, nè ulteriùs, ſæviùſque ſerperet, prohibitus fuit.

Hæc verò, cum ulteriùs confirmata videri poſſint ab eodem Archiepiſcopo Moguntino, in Epiſtola, ad ipſum Pontificem data; illam idcircò, ex proprio originali deſumptam, hìc duximus inſerendam. XXIX.

[Beatiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Pio, ejus nominis Quinto, Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Pontifici Maximo, Domino ſuo Clementiſſimo. Poſt debitam obedientiam, & devota ſemper ſacrorum pedum oſcula. Beatiſſime Pater, & Domine, Domine Clementiſſime. *Ex Archiv. Card. Alexand. &c. Thuan. ut ſup.*

BReve S. V. ſecundâ præteriti menſis Maji Romæ ad me miſſum, proximis diebus, ex manibus ejuſdem Veſtræ Sanctitatis Legati de Latere, Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Domini Gardinalis Commendoni, Domini, & Amici mei charissimi, nomine Sanctitatis Veſtræ, ea, quâ par fuit, devotiſsima reverentia accepi. Ex quo equidem haud vulgarem Apoſtolatus ſui ſuſcepti muneris proſequutionem, affectuoſo animo libentèr cognovi. In Domino, omnium bonorum auctore, & opitulatore fiduciam repoſitam habens futurum, ut non modò magno certè Eccleſiæ ſuæ ſatis (proh dolor!) afflictæ, commodo, cùm eidem Sanctitati Veſtræ onus impoſitum leve fiat, tùm etiam ipſa quoque Reſpublica Chriſtiana, reſciſsis calamitatibus, quibus miſerè premitur, priſtino nitori reſtituatur, & reſplendeat.

Ad me quod attinet, ſupervacaneum eſſet, majoribus verbis meam in juvandis, & provehendis piis S. V. inſtitutis, erga ſe propenſam voluntatem, & obſervantiam

tiam teſtatam facere: cùm dubio procul prædictus Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Legatus, quo cum amore, & familiaritèr colloquutus, & converſatus ſum, de hiſce pleniſſimè referre poterit; ipſius namque dilectio, quia ea, qua eſt ſingulari ornatus, & præditus virtute, gravitate, & prudentia, commiſſum munus Legationis, non minùs gravitèr, quàm fortitèr, ac eximia quoque laude, præcipuè in habito proximo Conventu Imperiali, exequutus eſt, ut ſicuti antea magnam, vel nunc uberiorem rerum noſtrarum cognitionem habet; ſingula præſertim, quæ ad Orthodoxæ, *&* Catholicæ *Religionis noſtræ, ejuſdemque aſſertorum perſecutiones, & afflictiones pertinent, Sanctitati Veſtræ ſeſe expoſiturum recepit. Qua in re, tametſi Catholicorum animi valde turbentur, non tamèn eo fuere dejecto, quin priſtinam conſtantiam, & profeſſionem avitæ hujuſmodi noſtræ Catholicæ Religionis, & privatim, & publicè in dicto Conventu Imperiali, teſtificarentur. Neque impoſterùm, ſicuti mihi polliceor, à debito ceſſabunt officio &c.* Thilingæ 2. Junii 1566.

E. S. V.

Devotiſſimus, & Obſequentiſſimus Filius

Daniel Archiep. Elect. Moguntinus)

XXX. Verùm Thuanus, poſtquàm retulit, repetitis proteſtationis faciendæ mandatis, Commendonum miniſtrum, hero ſuo Pontifice prudentiorem, minimè patere voluiſſe, & commodum accidiſſe, ut, cum ſecunda mandata venerant, jam caput illud in aliud tempus dilatum eſſet; illicò ſubjungit [*Non ceſſabat tamen Pontifex Cæſarem imperiosè, per Commendonum monere, nè quid tale in deliberationem, in Comitiis deduci in poſterùm pateretur; in eo perniciosè peccaſſe Carolum V., qui dùm ſe negociis ſacris immiſceet, Confeſſionem Auguſtanum; à Philippo Melanchtone conſcriptam, in Comitiis proponi paſſus eſſet, & alio poſtea remedio, authoritate Cæſaræa, intempeſtivè uſus, dùm ità Religioni conſultum putat, Religionem in diſcrimen revocaverit. Id rerum confuſioni, & turbis, quæ poſteà in Germania incrementum ſumpſerint, cauſam dediſſe; facturumque meliùs, maximum alioqui Imperatorem fuiſſe, ſi venienti malo, cujus principia ſemper infirma*

Thuan. ut ſup.

A *ſunt, maturè, ac validis remediis occurriſſet. Nunc, libertate peſſima, in Imperio permiſſa, ſpiritum vertiginis inter Germanos regnare, & quot homines à vera Romana Religione diſſident, tot ſectas eſſe, fluctuantibus, in incerto opinionum ſalo ingeniis, & cum locorum mutatione paritèr mutantibus eam. Opportunam occaſionem à Deo oblatam videri, ut malo tempeſtivum remedium adhibeatur, diſſidentibus partibus, quæ benè convenientes, difficiliùs ad officium*
B *reduci poſſent. In primis procurandum eſſe, ut Concilium nupèr Tridenti celebratum, ubique in Germania publicetur, &, ſi per univerſam Germaniam non poſſit, ſaltem in Civitatibus, quæ Majorum Religionem retinent, promulgetur, Salſeburgi, Conſtantiæ, Eiſteti, Auguſtæ, Friſinghæ, Paſſavii, Brixinæ, ac Tridenti. Et quoniam Epiſcopi, quominùs Diœceſanas Synodos celebrare poſſint, eo impediuntur, quòd Metropolitani, à quibus initium fieri debuit, non-*
C *dùm ſuas celebraverint; agendum cum Moguntino, ac cæteris Archiepiſcopis, uti Concilium Tridentinum in Synodis ſuis recipiant, ut eorum exemplo, Suffraganei, in Diœceſi quiſque ſua, illud publicandum curent. Monendum verò Colonienſem, ut confeſſioni, juxta Concilium Tridentinum promulgatæ, & in cujus verba per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Sarmatiam, Pannoniam paſsim Epiſcopi, etiam in Germania plerique juraverunt, & ipſe ſubſcribat; ſi facere*
D *detrectet, cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubjiciatur, & Septemvirali dignitate abdicetur. Providendum item Cæſari, quandocumque contigerit, Magdeburgicum Preſulem, nuper electum, fatis concedere; nè Septemvir Saxo in eam Matricem totius Germaniæ Eccleſiam, uti jam in tres vicinos Epiſcopatus fecerat, manus injiciat. Eamdem de Argentinenſi Epiſcopatu ſollicitudinem eſſe debere. Libros ſectariorum, & improbatæ lectio-*
E *nis, quantum fieri poteſt, prohibendos eſſe; pios ubique, & publicandos eum cura, & diſſeminandos. Præmia viris doctis à Præſulibus opulentis proponenda, & Seminaria, ubique in Civitatibus, juxta Concilii Tridentini præceptum, inſtituenda. Poſtremò agendum eum Cæſare, ac reliquis Imperii Principibus, ut quamprimùm Palatini Septemviri audacia, qui aliam à Confeſſione, in Comitiis recepta, amplectatur, & Præſules vicinos,*

nos, & in ditione ſua, & ubique diverſis vexationibus oppugnet, authoritate Imperiali coerceatur. Quod de Palatino addit, non fruſtra fuit: nàm Commendonus, captata occaſione, cùm videret Chriſtophorum Vitembergicum, & Volfangum Bajoarum Bipontinum infeſtis animis in Palatinum ferri, qui prætèr duas, Catholicam, & Auguſtanam Confeſſionem comprehenſam doctrinam, nullas alias in Imperio admittendas contendebant, ita enim in Comitiis decretum eſſe; Cæſarem adit, & ut tàm pulchram occaſionem ſectarium virus ex Imperio expellendi, minimè prætermitteret, monuit; quod ille non ſegnitèr fecit, habitoque ſuper ea re Principum conſilio, Palatino denuntiatum eſt, ut Septemviratu cederet, quem Cæſar in ejus filium libenter collaturus eſſet, aut Calvinianæ ſectæ Paſtores ditione ſua excluderet. Sed cùm ille, niſi, cauſa cognita, Calvinianam Religionem damnari minimè æquum eſſe diceret, & id communis hoſtis, atque adeò Pontificis aſtu fieri, ut commixtis inter ſe Imperii Principibus, publicam Germaniæ pacem turbaret: Auguſtus Saxo ſeptemvir, jam totus in bellum contra Gentiles ſuos intentus, & qui vereretur, nè turbata Imperii quiete, illi majores animos, ſimul, ac vires ſumerent, interceſſit, & cum aliis Principibus, qui Palatinum oppugnabant, conſilia, ac vires conjungere recuſavit; & ità conatus Commendoni, & aliorum Principum irritus evaſit.]

XXXI. Iſta Thuanus, quæ inconſideratè credidiſſe primò, deindè tranſcripſiſſe fuſiori, & prolixiori ſtylo viſus eſt Bzovius, qui pluribus hac ratione Pii zelum commendandum putavit. Verùm nos, ad deferenda Pio laudis inſignia, à falſo, & mendace Hiſtorico reſpuimus narrationum emendicare commenta, quòd nobis in primis illud ſit cordi, ut veritati per omnia conſulamus. Nè verò temerè, & immeritò Thuani rejeciſſe narrationem inſimulemur, breviter ipſam diſcutere non pigeat, ut iniqui teſtis os obſtruatur, & ut Scriptura loquitur, mentiatur iniquitas ſibi.

Poſtquàm igitur multimodè, ut audiſti Commendoni prudentiam, ac ſummam moderationem, ſummis etiam laudibus extulit, in eo, quòd proteſtationem facere renuit, narravitque clàm re Religionis in Comitiis dedu- A cenda, cum Cæſare communicata, & ſpe ab eo facta negotii in tempus aliud rejiciendi, ad Pontificem ſcripſiſſe, proteſtatione ea nihil opus eſſe, quà magis animi exaſperarentur, & reliqua, quæ propoſuimus; quibus nil aliud quàm Pium duri capitis hominem, imprudentem, præcipitem, imperioſum exhibere contendit. Ubi omnia deindè ex Catholicorum ſententia eveniſſe deſcripſit, cum videlicèt Religionis caput in aliud tempus rejectum fuit; addit B Commendonum ipſum Pontificis nomine Cæſarem imperioſè commonuiſſe, nè quid tale in deliberationem in Comitiis deduci imposterùm pateretur &c. Quo nihil certè imprudentius. Si enim ſanum conſilium fuit Commendono, non paruiſſe Pontifici, & cum Religionis neceſſitas id exigere videbatur, de illa tamen, vel parvam, vel nullam mentionem publicè injicere, nè videlicèt animi exaſperarentur: quæ ſanè inſania fuiſſet, exaſperare voluiſſe, inopportu- C nis, quas affert, commonitionibus, vel cùm jam in Comitiis omnia ex ſententia Religioni ceſſiſſent, vel cùm illato in Comitiis iiſdem Religioni præjudicio (ſi tamen præjudicium aliquid fuit) nullum tunc ſupereſſet remedium? Quæ amentia, Cæſaris animum exulcerare, ob periculum Religionis negotii, in futuris Comitiis deducendi; Comitiis, inquam, vel quæ nunquàm deinceps à Maximiliano cogenda eſſent, vel in quibus fortè negotium illud deducen- D dum non foret, cùm ipſa Comitia, nè quidem animo ficta, vel cogitatione, & mente, ab aliquo complexa eſſent? Decebat quidem, juxta Apoſtoli monitum, ſummum Eccleſiæ Paſtorem, per Legatum ſuum arguere cum omni imperio; quapropter ex hoc etiam non fit, quòd Thuanus ei detrahat, cum imperioſè commonuiſſe Cæſarem narrat; tamen cùm Pium id feciſſe, nullatenùs conſtet, & iis, quæ de Commendoni prudentia edixit, iſta, quæ addit Thuanus, nullo E modo cohæreant; ritè mendacii ipſum coarguendum putamus, quòd non tantùm vera non dixerit, ſed inveriſimilia quoque, iiſque contraria, quæ dixerat, plectenda temeritate protulerit.

Pari modo fabuloſum etiam dignoſcitur, Commendono impellente, Palatino denuntiatum fuiſſe, ut Septemviratu cederet, quòd præter duas, Ca- XXXII.

tholicam, & Auguſtanam Confeſſionem, A comprehenſam doctrinam, contraque confirmationem receſſus anni 1555. Calvinianæ nomen dediſſet, habitoque, ſuper ea re à Cæſare, Principum conſilio: nàm hæc, vel in Comitiis ipſis acta ſunt, vel poſteà; ſi primum, quomodò aſſerere Thuanus potuit, Religionis caput in alind tempus dilatum fuiſſe, ſi tanta ſeveritate, ex ipſo eo tunc capite, animadverſum fuiſſet in Princi- B pem, cujus poteſtas ipſi Cæſari fuerat metuenda? vel qua ratione, id permittere potuiſſe hæreticos Principes, cenſendum eſt, qui impudentèr, ut vidimus, hoc ipſum poſtulabant, ut, videlicèt, poteſtas omnibus foret, quam quiſque probaret, opinionem habendi; nihilque aliud exoptabant, quàm ut occaſionem captarent, undè Religionis negotium, & quidem quoàd caput iſtud, in medium adduceretur, cùm, audaciâ, numero, & viribus Catholicis ſuperio- C res, eos in negocio ipſo facilè ſuperare poſſe certiſſimè comperiſſent? Si autem depoſitionis hujus periculum, dicatur poſt Comitia factum fuiſſe, ut verè ſignificare voluiſſe Thuanus videtur; & hoc pariter commentitium cognoſcitur. (*Habito ſuper ea re Cæſar, inquit Thuanus, Principum conſilio, Palatino denuntiatum eſt, ut Septemviratu cederet &c.*) Illicò poſt Comitia Principum multi abjerant, quibus abſentibus, & inſciis, rem tanti momenti agere, nec D licitum Cæſari omninò, nec tutum. In conſilium idcircò eos adhibere, qua ratione potuit? Super ea re à Cæſare inſupèr Principum conſilium habitum, cùm omnes paritèr adeſſent, haud veriſimile agnoſcitur, quia, cùm eorum pars potior hæreticorum eſſet, coràm ipſis rem in medium àdducere auſum eſſe Maximilianum, exiſtimandum omninò non eſt, cùm ob adverſariorum præpotentiam, ex ſententia evenire minimè poſſe deprehenderet. Quapro- E ptèr ex eorum etiam conſilio, ut Septemviratui cederet, Palatino fuiſſe denunciatum, haud probabilitèr cogitari valet. Si verò, ex Principum Catholicorum ſententia tantùm, denunciatio hujuſmodi Palatino facta aſſeratur; & hoc in primis falſitatis arguitur, cùm Saxonem Septemvirum Palatini depoſitioni obſtitiſſe, ipſemet referat Thuanus; (quo oſtendat, non cum Catholicis tantum, ſed cum hæreticis

Thuan. ut ſup.

etiam habitum ſuper ea re ſuiſſe conſilium) deindè hoc Maximiliani eſſe nequivit, qui medius intèr Catholicos, & hæreticos ſempèr exhibere ſe ſtuduit, nec in tanti momenti negotio, Catholicis tantùm adſcitis, ſectariorum conſilia reſpuiſſe credendum eſt; & eò magis quòd, niſi Imperii cunctis Ordinibus conſentientibus, vel ſaltèm parte potiore adnitente, ut diximus, unâ ſuâ, vel Catholicorum tantùm authoritate, id efficere minimè potuerit.

Si igitur, inter tot coacervata Thuani mendacia, veritatis aliquid immixtum eſſe fortè exiſtimandum eſt; & Palatino, ex Principum conſilio, depoſitionem denunciatam, cenſendum ſit; id ob nefaria alia ſcelera, quibus Princeps ille obnoxius eſſet, & ob quæ non à Catholicis modò, ſed ab hæreticis quoque depoſitionem demereri judicaretur, ejuſmodi in eum prolatam fuiſſe ſententiam, putandum videtur. Cùm autem ille, juſtè ſibi illata crimina propulſare nequiret, (hujuſmodi hominum more, qui, cùm ex propriis actibus ſe defendere, tuerique minimè poſſint, alios inſimulando, propriæ pravitati defenſionem parare arbitrantur) Pontificis aſtu hæc in ipſum agitata fuiſſe conſilia, perperàm dixiſſe credimus; qua aſſimulata ſpecie, erga ſe illos miteſcere faceret, quos ad evertenda omnia Pontificis ſtudia, ſempèr agnoverat paratiores: non quòd verè hoc in negotio, vel Religionis Cauſâ, vel Pontificis, vel Commendoni conſilium aliquid interceſſerit. XXXIII.

Quàm denique falſum ſit, ob Religionis caput, depoſitionem Palatino fuiſſe denuntiatam, ea evidentiſſimè teſtari videntur, quæ in Comitiorum actibus recenſentur; nàm, ubi de totiès memorata confirmatione receſſus anni 1555. actum fuit, hæc leguntur, ſub hoc titulo: XXVIV.

[Actum 27. Aprilis anno 1566. In Senatu Electorum, & à Cancellario Moguntino toti Principum Senatui propoſitum, & exceptum à quodam Eccleſiaſtico Legato, dicto Cancellario.

Electores, aliorumque Conſiliarii præſentes, Articulum de Religione, & pace publica in deliberationem vocaverunt,

A verunt, atque conſilia ſua, eo, quo Cel-
ſitudines veſtræ intellecturæ ſunt, modo,
formaverunt.

Celſitudines autem veſtræ in me-
moriam revocare debent, quòd Cæſarea
Majeſtas ante hàc, in omnibus celebratis
Comitiis ſæpenumerò, maximè verò,
quemadmodùm Articulus ille ſervari,
& quomodò ſervandum conveniri debe-
ret, propoſuerit, neque certè Electores,
quidquam videre mallent, quàm uti ita,
quemadmodum anno 1555. conſtitutum
B fuit, omnes vixiſſent. Et ut ea demùm
via inveniri poſſet, qua hunc Articulum
contentioſum dirimere liceret. Cùm
autem ea ratio inveniri non poſſit, &
media, hactenùs quæſita, non ſuppetant;
cùmque ſit metuendum, quòd etiamſi,
& colloquia, & conſilia Nationalia in-
ſtituerentur, fruſtrà laboraretur; undè
neceſſe eſt, rem hanc Omnipotenti Deo,
quoàd aliæ viæ inveniantur, commit-
tere.

Et cum anno 1555. pax Religionis
C inſtituta, atque illa eò directa fuerit,
ut omnes, uſque ad Chriſtianam concor-
diam, in pace manerent; & cùm eadem
pax anno 1557., & demùm 1559. pru-
dentibus additionibus meliorata fuerit;
Electores pro eo tenent, quemadmodùm
etiam Cæſarea Majeſtas in propoſitione
ſua judicavit, ut ea Religionis pax,
quemadmodùm deciſa, promiſſa, & con-
cluſa fuit, ità maneat. Articulum tamen
hunc ità examinarunt, ut ipſorum Cel-
ſitudines, ſi quis contra eam intereà
D temporis gravaretur, ut ad illius in-
ſtantiam agatur. Et ut hæc Religionis
pax, juxtà literam, quemadmodùm ſu-
periùs dictum eſt, ſemel conſtituta, pro-
miſſa, & concordata fuit, ità maneat:
quamquàm Majeſtati ſuæ conſultum vi-
deatur, uti, ſi placeret, de iis viis, & me-
diis, quibus diſſecta Religio ad concor-
diam reduci poſsit, cogitetur.

Et cùm Majeſtas Sua in propoſitio-
ne ſua etiam mentionem fecerit de ſe-
ctis, quæ irrepſerunt, & uti quomodò
E illæ tolli poſsint, ab Electoribus Princi-
pibus, & reliquis Statibus conſultetur:
deliberatio verò ipſorum Majeſtati Suæ
intimetur: ſuper eo Electores inter ſe
conſuluerunt; neque quiſquam pro ſe
recordari poteſt, quòd ejus generis ſectæ,
quæ antiquæ, vel Auguſtanæ Confeſsio-
ni contrariæ eſſe debeant, in illorum
ditionibus irrepſerint, vel inveniri poſ-
ſint. Quod cùm ità ſit, Celſitudines ipſo-
A rum neſciunt, qualis informatio, ea de
re, Majeſtati ſuæ dari poſsit. Quod ſi
verò Majeſtas Sua in ſpecie, & diſtinctè
judicaverit, quæ illæ ſectæ ſint, tunc
ſententias ſuas, ea de re, obedientèr
impertiri non gravabuntur. Et quam-
quàm à Brandeburgenſi introductum
ſit, quod ad libertatis conceſsionem at-
tinet, ac Eccleſiaſticis viris non con-
gruat, in eo intromittere ſe, cùm hoc ad
illos ſolos non pertineat, cogitarunt Ele-
ctores de eo ad Majeſtatem Cæſaream
B referre]

Hùcuſque acta, ex quibus innu- XXXV.
mera Thuani mendacia liquidò depre-
henduntur; & primum quidem, poſt
ſecundum, faciendæ, quod ipſe excogi-
tavit, proteſtationis mandatum, Com-
mendono à Pio factum, hæc apud Cæſa-
rem aggredi, Pontificem ipſum Legato
ſuo imperaſſe; nàm cum quinto Kalen.
Maji, quæ propoſuimus, acta fuerint
in Auguſtanis Comitiis; & è contra
quarto Idus Maji ad Urbem pervenerit
C Joannes Andreas Caligarius, Auguſtâ,
ut diximus Romam miſſus, Pontificem
percunctaturus, an primo proteſtationis
faciendæ mandato obtemperandum eſ-
ſet, vel non? evidens eſt, poſt ſecun-
dum Pii mandatum, quod nunquàm
fuit, poſito etiam quod fuiſſet, nec
Pium ea Commendono imperare qui-
viſſe, nec Commendonum, ex mandato
Pii ea efficere. Deindè in eadem actio-
ne, in qua Religionis pax, confirmatio-
ne receſſus anni 1555. dicta fuit; in
D eadem de ſectis, quæ irrepſerant habi-
tum Principum fuiſſe conſilium: quo
inepta Thuani calliditas diluitur, qui
generatim, & quidem fraudulentèr in
Comitiis receſſum anni 1555. (in quo
ut totiès dictum eſt, Catholica tantùm
Fides, & Auguſtanæ confeſſionis ſecta,
cœteris rejectis, permittebantur) con-
firmari curaſſe Catholicos, oſtendere
videtur; ut poſtmodùm in aliarum ſe-
ctarum aſſeclas, ſpeciatim in præfato
receſſu non comprehenſos, animad-
E vertere poſſent: nàm ex allata actione
evidentiſſimè deprehenditur, ſimul, ac
ſemel omnia hæc acta fuiſſe, palàmque,
& ſine fraude, Principum Senatui pro-
poſita. Et demùm, cùm una, & ipſa eſſet
res, de qua tractabatur, idque cauſa, ſua
ſpontè ferret; non quidem de Palatino,
ſed de Brandeburgenſi tractatum fuiſſe
apparet, ea tamèn ratione, ut nil penitùs
in Comitiis contra eum decretum fuerit.
Quæ

Digitized by Google

Quæ Thuanus addit, de Tridentini Concilii publicatione, & alia ejuſmodi, quæ brevitatis ſtudio præterimus; uti ſuperiora, pariter cautè legenda agnoſcuntur, nàm ex iis, quæ ſuprà propoſuimus, liquidò apparet, qua ratione Tridentini Concilii publicationem in Germania Pius edixerit, & Pii nomine à Germanis Commendonus illam expetierit primùm, ac deindè obtinuerit: quique illorum temporum hiſtorias legit, an illæ omnes, quas Thuanus recitat Civitates, in quibus Tridentini publicatio, præ aliis facienda erat, (ut ipſe dicit) inter Germaniæ cœteras, Majorum tunc Religionem retinuerint; ſatis ſuperque exploratum habebit.

XXXVII. Verùm, cùm inter graviora Germaniæ mala, graviſſimum illud eſſe, quod è peſſima Eccleſiaſticorum vita, ac exemplo oriretur, Commendonus ipſe animadvertiſſet; hinc, cum Joannem Andream Caligarium, Romam, ut diximus, miſit, inter alia, quæ ei in mandatis dedit, illud inſupèr fuit, (quod etiam Maximilianus deſiderare viſus erat, ut ex mox dicendis colligitur) ut Pontifex, præter eas, quas anteà ſcripſerat, noſque ſuprà retulimus, datas hac de re ad omnes ferè quarumcumque gentium Epiſcopos literas, alias etiam ad Germaniæ Præſules daret, quibus eos, ad corruptos Cleri mores reformandos, vehementiùs incitaret: quod certe nil aliud fuit, quàm Pio currenti calcaria addere, qui idcircò ſtatim Legati ſui conſilium ſequutus, ad Maximilianum ipſum in primis ſic ſcripſit.

Ex Epiſt. Caligarii ad Commendon. Ep. 2. ex M. SS. Card. Spada.

[Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Maximiliano, Ungariæ, & Boemiæ Regi Illuſtri, Electo Romanorum Imperatori.

PIUS PAPA V.

Chariſſime &c.

Ex Archiv. Vatic. ſign. 2906.

CUm Sacerdotes ante Dominum, pro delictis populi interceſſores, & deprecatores eſſe debeant, neceſſe eſt, eos caſtos, & mundos eſſe, ut eorum preces, Deum populo propitium reddere poſſint. Deus enim vaſa, & tamquàm canales puros, & mundos requirit, per quos ſua A *beneficia derivet. Sicut ad hujus Mundi Principes, cum placandi ſunt, homines, qui illis placeant, ablegantur; ità Deo, pro ſalute populi ſupplicaturi, ea cordis munditia eſſe debent, ut alienorum peccatorum impetrare veniam mereantur: ſcriptum eſt enim: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Et ſanè, ut B. Gregorius anteceſſor noſter dixit: Cùm is, qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus provocatur. Cogitantibus igitur Nobis, & Virorum,* B *qui rerum Germaniæ periti ſunt, ſententiam exquirere ſolitis, quæ cauſæ fuerint, cur his miſerrimis temporibus noſtris, Nobiliſsima Germaniæ Provincia, in qua adeò Catholicæ Religionis cultus vigere ſolebat; tot populi, ac gentes, à Catholica Religione defecerint; illa in primis cauſa tantarum hæreſum excitiſſe videtur, quòd Sacerdotum, & aliorum Eccleſiaſticorum vita, ac mores, nimis corrupti, ac depravati, populos ipſos maximè offenderunt. Qui enim lumen illis præferre debuerant, ad hone-* C *ſtè, caſtè, pièque vivendum: ji, ſicut accepimus, (quod tamen ſine bonorum contumelia dictum volumus) vitæ ſuæ turpitudine, atque infamia, turbulentis, ac novarum rerum ſtudioſis hominibus, diſſeminandarum, propagandarumque hæreſum materiam præbuerunt. Adeò enim pleroſque Eccleſiaſticos, (id quod dolentes referimus) oblitos jampridem fuiſſe audivimus officii, ac profeſsionis ſuæ, ut nè poſt tot, ac tantas quidem* D *exortas hæreſes, mores ſuos correxerint, ſed inhoneſtè, ac nequitèr vivere perſeverent, & palàm Concubinas habeant, eaſque perindè, ac ſi eorum legitimæ uxores eſſent, ſine ulla verecundia circumducant; ac multi eorum, nè Clericales quidem veſtes deferre dignentur. Cui ergo mirum videri debet, ruinæ populi, cauſam tales Sacerdotes extitiſſe; nec fuiſſe eos, ad placandum populo Deum, idoneos, cum ipſi, qui exorare debuerant, eum graviùs irritarent? Quia igitur in* E *eo loco, in quo conſtituti ſumus, omnium ſalutis curam habere debemus, nec eam, ſine ſalutis noſtræ periculo, negligere poſſumus; & quia, tamquàm ea, quæ oculis cernuntur, videmus, niſi hoc deteſtabile Concubinatus vitium in Clero Germaniæ extirpetur, brevi tempore Catholicam illic Religionem penitùs defecturam: ad conſervandas Catholicorum reliquias, & eos, qui Eccleſiam deſe-*

rue-

ruerunt ad ejus gremium veluvendos; putavimus excitandos, & ſub divini obteſtatione Judicii monendos eſſe Epiſcopos Germaniæ, Fratres noſtros, ut in ſua quiſque eorum Civitate, atque Diœceſi, Eccleſiaſticorum vitam, & mores diligentèr inquirat, & cùm alia, quæ emendanda repererit, emendet, tùm in primis eos, qui Concubinas habent, illas, & ſua, & noſtra authoritate, dimittere, & poſthàc, honeſtè, & caſtè vivere cogat; ac ſi qui eas ab ſe ſegregare, & ejicere recuſaverint, eorum contumaciam, ſecundùm Canonicas puniat ſanctiones. Si enim Eccleſiaſtici, ea, quæ debent laicis exempla præbuerint, ſperari poterit, ipſos laicos honeſtiùs eſſe victuros; Catholicis porrò honeſtè viventibus, eos quoque, quos Catholicorum vitia offenderunt, & à Catholica Religione deduxerunt, ad Eccleſiæ gremium reverſuras. Sed quia ipſis Epiſcopis, ad tale officium efficacitèr exequendum, ſcimus opus fore auxilio Majeſtatis Tuæ; rogamus te chariſſime Fili, & per viſcera Miſericordiæ Dei obteſtamur, ut, ſicuti dignum eſt pietate tua, favorem eis, & auxilium tuum propensè impendas. Nihil eſt, quod Deo gratius facere poſſis, nihil, in quo meliùs de iſta tua inclyta Natione mereri. Auxilio tu quidem maxima, adversùs impios Chriſtiani nominis hoſtes, pro ſalute Germaniæ, & totius Chriſtiani populi, diceris comparaſſe; ſed tale officium tàm opportuno tempore, ipſius Dei Omnipotentis auxilium Majeſtati tuæ, ad frangendam hoſtium ſuperbiam comparabit. Et tunc tibi Sacerdotum preces proderunt, cum mores eorum, pio tuo ſtudio emendati, gratas eas Deo, & dignas, quæ exaudiantur, effecerint. Cupimus Germanicæ Nationis ſaluti, pro noſtro Paſtorali officio conſulere; ſed tua quoque apud Deum merita creſcere cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. Die 12. Junii 1566. Pontific. noſtri anno primo]

XXXVIII. Circularis verò Epiſtola, quam ad omnes Germaniæ Epiſcopos Pius ſcripſit, hujuſmodi fuit.

[Venerabili Fratri &c.

Ven. Frater &c.

Ex Archiv. Vatic. loio.ut ſup.

PRo loco, in quo viſum fuit Domino Nos conſtituere, paterno animo de ſalute Germanicæ Nationis cogitantes, non deſiſtimus, nec dies, nec noctes meditari, quibuſnàm remediis tantas hæreſes, quæ indè ortæ, tamquàm ex fonte quodam, in alias Provincias dimanarunt, quæque, præter miſerabilem animarum jacturam, tot, & tàm graves illi Nationi calamitates invexerunt, extinguere poſſimus. Sed cum nobiſcum cogitamus, & cum viris, rerum Germaniæ peritis, de tanti mali remediis conſultamus; tantis hæreſibus cauſam in primis dediſſe intelligimus, turpem, inhoneſtam, & pudendam Eccleſiaſticorum vitam. Qui enim lucem laicis præferre debuerant, ad rectè, honeſtè, piéque vivendum; ii, (ſicut accepimus; quod tamen ſine bonorum contumelia dictum volumus) Concubinas, domi habentes, ſine ullo Dei timore, ſine ulla hominum verecundia, eaſque ſecum circumducere ſoliti, & in Eccleſiis, ac conviviis, perindè, ac ſi legitimæ uxores eſſent, (quod ſine pudore referri non poteſt) etiam Ordinis, & Dignitatis ſuæ nominibus appellatas, oſtendere: tàm impudenti vitæ nequitia populos adeò offenderunt, ut propter eorum infamiam, & contemptum, facilè potuerint hæretici ſuas frequentare ſectas, & hæreſum venena diffundere. Itaque hujus tanti mali, illud in primis aptum, & neceſſarium exiſtimatur eſſe remedium, ut Sacerdotes, & alii Clerici, Concubinas dimittere, & vitam, profeſſione ſua dignam, degere cogantur. Quod, ni ità fiat, propediem (quod Deus avertat) nullæ ſupererunt in Germania Catholicorum reliquiæ, & omnis prorsùs lux Catholicæ Religionis extinguetur. Quocircà, cùm, pro commiſſo Nobis Officio, prætermittere nolimus, quin faciamus quidquid poſſumus, ut Catholicorum reliquias in Germania conſervemus, eoſque etiam, qui à recta Fide deducti ſunt, ad unitatem Eccleſiæ reducamus: Fraternitatem tuam, ſub Divini Judicii obteſtatione hortamur, ac monemus, ut officii tui memor, nec quicquam aliud, præterquàm Dei honorem, & animarum ſalutem reſpiciens, Diœceſim tuam viſites, & mores, atque actus Eccleſiaſticorum diligentèr inquiras; cùm alia, quæ correctione eguerint, corrigas, tùm quoſcumque repereris Clericos, Concubinas habere, illas ab ſe ſegregare, eas, & expellere compellas; contumaceſque, & in nequitia perſeverantes, juxtà canonicas punias ſanctiones, in ſubjectos tibi, ordinaria tua, adversùs exemptos

autem Apoſtolica, quam tibi, quatenùs ea opus ſit, concedimus, authoritate procedas. Memento, Frater, ejus quod B. Gregorius anteceſſor noſter dixit; Cum in ſubjecto peccatum non corrigitur, in eos, qui præſunt, ſententia retorquetur. Cogita, quàm hæc vita ſit brevis, quàm ſint hujus Mundi honores fluxi, & momentanei. Cogita, reddendam fore ab unoquoque noſtrum rationem officii ſui, in illo tremendo Judicio: Væ, Væ, Væ illi, qui tanta ſcandala, quæ removere potuerit, negligentiâ confirmaverit, & diſſimulatione approbaverit. Dum igitur potes, enitere, cura, & labora, nè criminum tantorum, à quibus eos, quibus præes, revocare neglexeris, abs te pœna, quod abſit, luenda ſit. Quò ſidentiùs autem in Clero tuo, quæ corrigenda fuerint, corrigere aggrediaris, ſcito, Nos cum Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Romanorum Imperatore electo, cui ipſi quoque hanc Cleri correctionem, maximè neceſſariam videri intelleximus, vehementer egiſſe, ut ad officium, tàm neceſſarium, exequendum tibi, reliquiſque Epiſcopis, & Fratribus noſtris, Cæſarei ſui favoris auxilium efficacitèr velit impendere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris. Die xiij. Junii 1566. Pontific. noſt. ann. primo]

XXXIX. Præter iſta ad omnes Germaniæ Antiſtites ſcripta, proùt occaſio tulit, ſingulos etiam commonefacere Pius ſtuduit, ut huic tanto malo, pro viribus occurrere conniterentur. Quapropter ad quaſdam Archiepiſcopi Trevirenſis Epiſtolas reſpondens, ſic dicit:

[Venerab. Fratri Joanni Archiepiſcopo Trevirenſi.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

Cum cætera, quæ in literis tuis, pridiè non. Junii datis, ſcribis, libenter cognovimus; tùm ex eis, adeò perſpexiſſe videmur dignam bono, ac diligenti Paſtore voluntatem, erga commiſſum tibi Gregem, ut laudandum te potiùs à Nobis, quòd iſto animo ſis, quàm ad ea, quæ officium tuum poſtulat, hortatione noſtra incitandum eſſe ducamus; præſertim cùm ita abs te illam hortatio-

A *nem noſtram, qua incitandi tua cauſa uſi fueramus, acceptam eſſe videamus, ut indicare ſatis ſit, quo remedio, Dominicarum ovium ſaluti proſpici poſſe putemus. A nonnullis viris, fide dignis, & rerum Germaniæ peritis agnovimus, tantæ, ac tàm luctuoſæ in Germania animarum peſti, atque jacturæ, cauſam in primis dediſſe, impuram, ac turpem Eccleſiaſticorum hominum vitam; adeò enim pleroſque Dei timorem, ac pudorem ſimul hominum abjeciſſe, ut Concubinas* B *palàm habere, ac ſecum circumducere, minimè vereantur, perindè, acſi legitimæ uxores eſſent, & quidem iiſdem officiorum, & dignitatum Eccleſiaſticarum, quibus illi vocantur, nominibus appellatas. Tàm nefandam Cleri nequitiam, tàmque deteſtandam vitæ turpitudinem, quis non intelligat, hæreſum in primis ſemen, & materiam extitiſſe? populi enim, non quid Eccleſiaſtici doceant, ſed quemadmodùm vivant, intueri ſolent, & quorum vitam improbam eſſe* C *vident, nè meliorem quidem eſſe doctrinam putant: morum turpitudo omnem orationi fidem abrogat. Creverunt igitur, & corroboratæ ſunt hæreſes, quia Sacerdotes mali, ſuis eas moribus aluerunt: quibus enim piè, caſtè, ſobrièque vivendi exempla præbere debuerant, eos ipſi, & flagitiis ſuis offenderunt, & ità offenſos, hæreticis facilè corrumpendos, & omnibus imbuendos erroribus tradiderunt. Quapropter huic tanto ſcandalo obviam, Frater, ire neceſſe eſt. Diligen-* D *ter inquirendum eſt, quemadmodùm quiſque eorum, qui curationi animarum, vel alio Officio Eccleſiaſtico præeſt, vivat, ac ſine ullius perſonæ reſpectu, Dei tantùm honore, præ oculis habito, extirpandum eſt, ſacerdotali zelo, tàm nefarium Concubinatus vitium. In quibus, ſi ità inveteraſſe compertum fuerit, ut corrigi non poſſint; ii, ſicut ſacris ſancitum eſt Canonibus, privandi ſunt loco, & Officio, quod tantoperè polluunt, atque dedecorant, & in eorum locum* E *alii, quorum, & Fides ſpectata, & vita probata ſit, ſubrogandi. Tuæ quidem Fraternitatis curæ eſſe confidebamus, ut, & hoc, & quidquid aliud in Clero tuo corrigendum ſit, corrigas: ſed tamèn cùm cæteros Fratres noſtros, Germaniæ Epiſcopos, ad fungendum, tàm neceſſarium, & debitum officium excitaremus, abs te quoque, ut in hanc curam incumbas, fraternè duximus admonendum*

dum &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris. Die xvj. Julii MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo]

XL. Eadem fermè, quæ ad Trevirenſem, ad Joannem Jacobum quoque Archiepiſcopum Salisburgenſem ſcripſit, ad quem data Epiſtola, ſub die xvij. Julii hujus anni, ſtudio prætermittimus, quòd inter editas à Gabau habeatur. Quòd verò ad Salisburgenſem Metropolim plura loca pertinerent, quæ Ducis Bavariæ ditionis eſſent; idcircò ad hunc quoque Principem, utpotè pietate, ac Religione præclariſſimum, ſcribendum Pius cenſuit, ut ipſe etiam evellendis ab Eccleſiaſtico Ordine, tàm impiis, nefariiſque ſceleribus, eidem Archiepiſcopo, & Suffraganeis ejus, auxilio eſſet. Epiſtola hujuſmodi fuit.

Gabau. Epiſtol. Pii lib. 1. Ep. 4.

(Dilecto Filio, Nobili Viro, Alberto Bavariæ Duci &c.

Dilecte Fili &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

NOn ſine maximo dolore cognovimus, à Viris Catholicæ Religionis zelo præditis, & rerum Germaniæ peritis, quàm turpitèr, & inhoneſtè in Germania plerique Eccleſiaſtici vivant, ſe, & Sacerdotalem Ordinem nequitia ſua dedecorantes, atque in maximam apud laicos contemptionem adducentes; quo nimirum factum eſt, ut tantoperè creverint, & multiplicatæ ſint hæreſes. Audimus enim, eos adeò, & Dei timorem, & hominum verecundiam abjeciſſe, ut palàm concubinas habeant, eaſque in Eccleſijs, & conviviis conſpici patiantur; iiſdemque, quibus illi vocantur Beneficiorum, & Dignitatum nominibus, appellatas. Quia verò, niſi tantum ſcandalum tollatur, verendum eſt, (quod Deus avertat) nè ullæ brevi tempore ſuperſint in Germania Catholicorum reliquiæ, ſed omnis prorsùs Catholica Religio extinguatur; idcircò Ven. Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Salisburgenſem hortandum diligentèr, & incitandum duximus, ut Clerum ſuum viſitet, quæ in eo corrigenda repererit, corrigat, atque hoc in primis deteſtandum concubinatus vitium extirpare conetur. Quò faciliùs autem id tollere poſſit, Nobilitatem tuam, cui diſplicere certum habemus, Eccleſiaſticos, adeò licentèr, & inhoneſtè vivere, hortandam in Do-

A *mino duximus, & rogandam, ut ad hoc, & alia Cleri vitia corrigenda, auxilium ſuum ipſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis ejus, quorum Eccleſiæ in tua ſunt temporali ditione, & ipſe propensè, quotieſcumque eo opus fuerit, impendas, & à Magiſtratibus, ac Miniſtris tuis impendi jubeas. Quo quidem officio pietas tua, nec Deo gratiore, nec Nobis acceptiore ullo fungi poterit.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die xvij. Junii 1566.

B Pontific. noſtr. ann. primo]

At quàm arduam provinciam Pius ſuſceperit, cum Germanicorum morum reformationi animum intendit, præter ea, quæ ab eo in præfatis literis recitantur, illud etiam oſtendere videtur, quod à Cardinali Hoſio, anno ſuperiori, ad Cardinalem Amulium ſcriptum, in hæc verba legimus [*Cùm fuiſſem Tridenti, memini, quemdam ad me venire, qui diceret: non aliam ob cauſam ad* XLI.

Hoſii Card. Opuſc. to. 2. Epiſt. 94. pag. 188.

C *Concilium ſe veniſſe, quàm ut ratio poſſit inveniri, qua corrupti mores Eccleſiæ emendarentur, nàm de revocandis in viam hæreticis, nullam ſibi ſpem ſubeſſe: cui reſpondi: Mibi non minùs difficile prius illud, quàm poſterius hoc videri, præſertim in Germania; ac exempla protuli, quibus demonſtraſſe ſum conatus, nihil difficiliùs præſtari poſſe, quàm ut collapſi mores iſti reſtituerentur; quòd metuendum ſit, nè reperiantur etiam inter Catholicos, qui citiùs ad*

D *caſtra, Chriſti perduellium, defecturi ſunt, quàm ut quædam in ſuis moribus emendari patiantur. Itá nunc eſt hominum vita diſſoluta, vix ut ulla diſciplina ferri poſſe videatur.*] Sic ille.

Et reverà, hoc anno (ut Thuanus, ab Iſſelt, aliique ſcribunt) cùm Monaſterienſis Epiſcopus, Bernardus Raeſuelt, quod prædiximus, mandatum à Pontifice Maximo accepiſſet de concubinis removendis, illudque in Diœceſi ſua recitari juſſiſſet; id immanem quamdam obtrectationem, ac tumultum ex- LXII.

E citavit, quem Collegii Sodales, antè, aliis ex cauſis exacerbati, tùm præcipuè, ex concubinarum inſtinctu, promoverunt. Quorum pertæſus vir bonus, ultrò Epiſcopatui ceſſit, octav. Kalen. Novembris. In ejus locum Joannes ab Hoja, jam Oſnabrungenſis Epiſcopus, & anteà Cameræ Imperialis Præſes, ſuffectus eſt. Vir, inquit, Thuanus, illuſtri generis ſplendore, eruditione, munificen-

tia cum paucis comparandus, & omni denique commendatione dignus, niſi ex Sodalium contagioſa ſocietate, prioris vitæ exercitiis intermiſſis, ſtatum mutaſſet, ac priſtinam famam, & præclaras animi dotes, diſpari vitæ exitu obſcuraſſet.

XLIII. Inventi etiam ſunt, hoc anno, Epiſcopi, qui potiùs, quàm corruptos mores corrigerent, (ut Hoſius prædixerat) ad Caſtra, Chriſti perduellium emigrarunt. Ex his unus fuit (ut ab Iſſelt, Thuanus, aliique referunt) Sigiſmundus Brandeburgicus, vel potiùs, qui ei ſucceſſit Joachimus Fridericus, pariter Brandeburgicus: Sigiſmundus Joachimi II. Electoris frater, per quatuor, & decem annos, Magdeburgenſem Archiepiſcopatum cùm adminiſtraſſet, ad Proteſtantium doctrinam inclinare cœperat; ſed cùm, exploratis plurimarum ſectarum ſententiis, juxtà eas, impium, quod meditatus fuerat, conſilium opere implere molitur, ſceleris pœnas luit, & morte præoccupatus, extremum diem objit, in quo, juxtà Prophetam, peccatoris periit deſiderium. Ejuſdem verò Eccleſiæ ſodales, Sigiſmundi molitionum, ac criminis participes, in ipſius locum ſtatim ſuffici curarunt, quem diximus, Joachimum Fridericum Joannis Georgii Electoris Brandeburgenſis, eo tempore unicum filium, qui ſtatim, inchoatum à Patruo ſcelus, perficiendum curavit, proſtitutoque (inquit ab Iſſelt) optimo illo ſemine, quod Albertus primus, Archiepiſcopus, è Cœnobio Sancti Maximi ad Treverim, Imperatoris Othonis primi juſſu, evocatus, in hoc Wandalico agro ſeminaverat, zizania ſuperſeminans, Religionem Catholicam in Lutheranam commutavit, Sacco quodam, vel, ut alii ſcribunt, Sigiſrido. Monthuſano, in ea Eccleſia, primò in peſtilentiæ Cathedra conſtituto. Idem pravitatis exemplum ſecutus eſt Chriſtophorus, ex Ducibus Magapolitanis, qui, cùm Sedem Racemburgenſem obtineret, lutheranico eodem flagitio, ipſam, hoc eodem anno, contaminare præſumpſit. Nihilominùs irritos penitùs non fuiſſe Pii labores, in reformatione Germanicorum Eccleſiaſticorum, ſuſceptos, præter alia, Provinciale oſtendit, paulò poſt coactum, ab eodem Saliſburgenſi, ipſo Pontifice ſuadente, Concilium; quo tùm populi, tùm verò in primis Cleri ſui reformationi pro-

A ſpexit: cæptumque hoc anno, agente Commendono, ejuſdem reformationis opus, cùm rurſùs, ut dicetur, apud Cæſarem Legatione functus eſt in Germania, feliciter proſequutum fuit, prout ſuo loco narrabitur.

XLIV. At, nè quis arbitretur, ſæcularem dumtaxàt Clerum in Germania reformatione eguiſſe, ea prohibent, quæ, hoc ipſo anno, eidem Pontifici acciderunt. Ipſo enim fermè tempore, quo, ſuadente Legato Commendono, quas B propoſuimus, literas dederat, delatum eſt illi, in Oppido Diœceſis Polenſis, annua mercede conductum, in quodam Auguſtiniani Ordinis Cœnobio, hæreticum quemdam, ut nonnullos pueros nobiles doceret literas, domicilium habere. Quo audito exarſit Pius, &, more ſuo, Fidei zelo refectas, ad Carolum Auſtriæ Archiducem, ad quem, Oppidum pertinebat, has literas dedit.

C [Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Auſtriæ.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir ſalutem &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

IN notitiam noſtram nuper perlatum eſt, in Oppido quodam ditionis tuæ, Flumine vocato, Diœceſis Polenſis, Conventum eſſe Sancti Hieronymi, Ordinis D *Fratrum Sancti Auguſtini: Ibi ali, certâ annua mercede, tamquàm in ludo quodam licentiæ, ac potiùs impietatis, octo pueros, nobili genere natos, quorum patres omnes, Magiſtratus gerunt, ac Miniſtri ſunt Nobilitatis tuæ; habere eos Magiſtrum Grâmatices, & Linguarum, Italicæ, atque Illyricæ, quemdam hæreticum, à quo doceantur, non illis quidem, ut Catholicorum filios inſtitui deceret, Deum timere, & Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepta ſervare; ſed omnibus ferè* E *Eccleſiæ præceptis, & Catholicæ Religionis inſtitutis neglectis, licentèr vivere, & planè impietate imbuuntur. Sanè doluimus majorem in modum, & miſerati ſumus vicem illorum, nec potuimus illorum patrum impiam incuriam non accuſare. Cùm enim cæteri patres, ut eorum liberi, ſanctè, honeſtè, pièque inſtituantur, diligentèr curare ſoleant; eorum patres id verè curare, & ſtudere viden-*

videntur, ut planè illi corrumpantur. Quodque perniciosius eſt, ut in Magiſtratibus, & muneribus publicis, ità corrupti, & hæretica pravitate imbuti, populis ditionis tuæ ipſis aliquandò ſuccedant, quod, quàm ipſis populis perniciosum futurum eſſet, Nobilitas tua, pro ſua prudentia intelligit. Ut accepimus autem, tàm peſtiferæ ſcholæ author fuit quidam Franciſcus Barbus à Caſtello Coslavo, illius Oppidi Gubernator, cujus duo filii in eo ludo aluntur; qui, & ipſe, & cuncta ejus familia, atque cognatio, hæreticæ pravitatis labe infecti eſſe dicuntur. Id Nobilitatem tuam ignorare certum habemus; cùm enim Catholicus Princeps ſis, & cùm Dei honorem, tùm etiam exiſtimationem tuam, ut debes, diligas, tuæque piæ voluntatis non obſcura ſigna dederis; id, ſi antea reſciviſſes, profectò minimè paſſus fuiſſes. Quia verò res eſt peſſimi, ac deteſtabilis exempli, pueros in tali loco, tamquàm in media Saxonia, ſpecie, atque prætextu diſcendarum Linguarum, hæreſes, impietatemque doceri, & tamquàm Seminarium hæreticorum, inſtitutum eſſe in Oppido ditionis tuæ; Nobilitatem tuam hortamur, & paternè monemus, ut, ſicùt ipſius pietate dignum eſt, tanto ſcandalo occurrat, provideatque, nè illius Loci Gubernator, & Scholæ, ut diximus, author, poteſtate ſibi abs te conceſſa, ad alendas ibi hæreſes, & latiùs diffundendas, abuti, nè ſuos modò, ſed alienos etiam liberos illa vivendi licentia corrumpere poſſit; & de homine ſtatuat, prout exiſtimatio ſua, tàm graviter læſa, ab eo poſtulare videbitur; ut puerorum illorum patres, & alii diſcant, diligentiùs, impoſterùm filios ſuos educare, eoſque bonis, Catholiciſque Magiſtris, in diſciplinam tradant. Magiſtrum autem illum, tàm improbum comprehendi, & Ordinario Loci tradi jubeat, aut ſaltem ex Provincia illa, & Locis omnibus ditionis ſuæ ejiciat, & propoſita graviſſima pœna redire prohibeat. Quæ cum facies, Deo admodùm grato, & te digno fungeris officio; teque Catholicæ Religionis zelo, Majorumque tuorum, piæ memoriæ Principum, planè imitatorem eſſe oſtendes. Ita ergo fac, dilecte Fili, ut, ſicut confidimus, tuam hac in re diligentiam, & pium zelum collaudare in Domino debeamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris. Die V. Junii *1566.* Pontific. noſtr. anno primo)

XLV. Carolus autem, & ſe rei conſcium, & malo pro viribus occurriſſe ingenuè faſſus eſt. Verùm undè morbi origo procedebat, ibi in primis adhibendum eſſe medicamentum docens, ad Pontificem ſic reſcripſit. Epiſtolam, ex proprio originali acceptam, hic damus.

[Beatiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino, Domino Pio V. Sanctæ, & Univerſalis Eccleſię Summo Pontifici, Domino meo Obſervandiſſimo.
Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine mi Obſervandiſſime.

Ex Archiv. Card. Alexan. MSS. Cod. ſign. num. 66.

AD Literas Sanctitatis Veſtræ, quinta Junii nupèr ad me datas, quibus mihi ſignificat, in notitiam ſuam perlatum fuiſſe, in Oppido meo ad Sanctum Vitum, fluminis, in Conventu Auguſtinien. eſſe Ludimoderatorem quemdam, qui octo pueros nobiles, annua mercede conductum, Sanctæ Matris Eccleſiæ præceptis neglectis, omni labe hæreſum inſtituat; ità Sanctitati Veſtræ humilitèr reſpondeo. Cùm ſuperiori menſe tale quidpiam etiam mihi demonſtratum fuiſſet, ſtatim commiſiſſe me Epiſcopo Tergeſtino, necnon Locumtenenti ibidem ad Sanctum Vitum fluminis, ut ea de re diligentem inquiſitionem haberent, meque poſteà ſtatus ejus prolixè edocerent. Cùm igitur conveniſſent, prævia ſufficienti indagine, invenerunt eſſe in dicto Cœnobio dictum Ludimoderatorem, eumque, annos jam quatuor, & eo ampliùs, aliquos adoleſcentes docere, hominem quidèm de Catholica noſtra Religione minùs benè ſentientem, qui tamen nullum ſcandalum Oppidanis præberet, ſed tantùm domi, cum pueris ſuis ageret, atque eos præſertim in addiſcenda lingua Sclavonica, & Italica erudiret. Quam quidem rem certè eò moleſtiùs percepi, quòd in dicto Monaſterio fieret, ubi potiùs convenit, ejuſmodi peſtem omnibus modis propulſare: vel ſaltem, ſi quid Conventui impedimenti obveniſſet, auxilium meum, & adiutorium implorare. Cæterùm, cùm id neglectum fuerit, Sanctitas Veſtra facilè videre poteſt, quàm inutile ſit hoc genus hominum, & quanta animadverſione hæc eorum negligentia opus habeat. Itaque, cùm ego Priorem ibidèm

ſeriò admonuerim, ut dictum Ludimoderatorem ſtatim domo ejiceret, Sanctitas Veſtra curare poterit, ut Conventus ipſe, qui non ità benè audit, quoque debitè reformetur, & corrigatur: & his Sanctitati Veſtræ, quam benè valere precor, accuratè me commendo: Ex Civitate mea Graz. Die ſecunda Auguſti. Anno MDLXVI.

E. S. V.

Obſequens Filius
Carolus D.G. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, ac Comes Tiroli &c.

LXVI. Licèt nobis compertum haud ſit, quid, his auditis, egerit Pius; tamèn, proùt ex cœteris illius geſtis, verbiſque, elici poteſt, nec abſque debita reformatione, Cœnobium illud prætermiſſum fuiſſe, nèc hæreticum illum, tùm ab ipſo Pio, tùm à Carolo, Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimo, diutiùs eo loco conſiſtere paſſum eſſe, cenſendum eſt; nàm, ſicut reformandis corruptis Eccleſiaſticorum moribus enixè ſemper Pontifex incubuit, ſic inſectandis hujuſmodi hominum peſtibus, ubicumque eſſent, totis etiam nervis ſemper intendit; quod quidem comprobare videtur ſequens ad Patavienſem Epiſcopum, hoc ipſo fermè tempore, ab eo ſcripta Epiſtola.

[Ven: Fratri Epiſcopo Patavienſi.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater ſalutem &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup. *PErvenit ad aures noſtras, ſatis certa relatione quorumdam, dilectos Filios, Auſtriæ regimen appellatos, uti Commiſſario, ad ſecularia negotia, Chriſtophoro quodam Illingher, Eccleſiæ tuæ Canonico, qui manifeſtus eſſe fertur hæreticus: quod nos, non ſine moleſtia, audivimus. Quo circà Fraternitatem tuam monemus, ac diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut veritate diligentèr inquiſita, ſi tanti criminis infamia eum verè laborare ſibi compertum fuerit; tanto ſcandalo obviàm eas, ac nihil, niſi Deum reſpiciens, ea illum Præbenda, atque Canonicatu, ſententia tua, juxtà ſacros Canones, privatum fuiſſe declares; nè infamia, ac labe ſua diutiùs Eccleſiæ tuæ Capitulum, ac reliquum Clerum polluat, atque dedecoret. Hoc tu quidem, non expectata admonitione noſtra, tua ipſa ſponte prohibere debueras; ſed præteritam negligentiam, hoc mandato noſtro diligenter exequendo, corrigere debebis. In ejus autem locum, aliquem volumus ſubrogari, quem, & Catholicum eſſe conſtet, & cæteris rebus idoneum, atque illo loco dignum.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris. Die XII. Julii MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo]

Pius igitur, qui, ad exequenda, quæ ſui eſſent muneris, tanta ſolertia, non modò ſimul, ſed ſpeciatim Germaniæ Epiſcopos impellere conſuevit; cùm ji ab eo opem, auxiliumque deprecarentur, illis defuiſſe minimè cenſendum eſt. Hos inter, hoc anno, extitit Beatus Curienſis Epiſcopus, de quo, anno ſuperiore, iſta ad Pium IV. Pontificem maximum Helvetici Cantones Catholici ſcripſerant, prout ex ipſo originali. XLVIII.

Ex Archiv. Card. Alexandrin. M.SS. Cod. tom. 68. [*Nulla ſanè privati commodi ſpe, aut alia ſiniſtra affectione, ſed pios, eruditos, & idoneos viros, ad omnium, maximè autèm Cathedralium Eccleſiarum regimina, quantum in nobis eſt, promovendi deſiderio, & maxima rei indignitate, quæ Reverendo Domino Beato de Porta, pio, & docto Viro, ad Epiſcopatum Curienſem electo, præter ſuum demeritum contigit, commoti, non p[illegible]mus intermittere, quin interceſſorum officium aſſumentes Sanctitati tuæ, ſæpiùs pro eodem ſupplices ſiamus. Quis enim tàm durus, & inhumanus eſt, qui, cùm tantam vim, & violentiam, tàmque atrocem injuriam, qua vir ille bonus, & probus affectus fuit, & quotidiè afficitur, audiat, ejus non commiſereatur? Quis virum, multis nominibus hoc Epiſcopatu digniſſimum, canonicèque, & legitimè electum ejici, & hominem ſimoniacum, ineligibilem, & nullo modo idoneum, in peſſimum totius Germaniæ exemplum, violentèr intrudi, atque taliter intruſum, in bonis Eccleſiaſticis, ſacrilegis manibus, cum tanta hujus venerandæ, & vetuſtiſſimæ Eccleſiæ jactura verſari, eaque tàm profusè, & inutiliter dilapidare æquo animo ferat? Rogamus itaque, & obſecramus Sanctitatem tuam ſummis affectibus, ut, pro ſua innata pietate, & clementia, hunc virum, ritè videlicet electum, tamquàm rarum,*

rum, & verum Chriſti Sacerdotem, in gratiam noſtram, ſibi commendatum habeat, atque decreto electionis ſuæ, uti veræ hiſtoriæ, & in tota ferè Germania jam notoriæ, fidem indubiam adhibeat, & proindè electionis confirmationem, quantùm eidem poſſibile fuerit, acceleret, decernatque, & concedat. Sanctitas namque tua, pro ſua prudentia, probè conſiderare poterit, quantum periculi, & irrecuperabilis damni Eccleſiæ Curienſi ex hujuſmodi confirmationis dilatione immineat, & præterea quanta confuſio, non tantùm in noſtris partibus, ſed apud omnes alias Eccleſias Germaniæ ſequutura eſſet, ſi ſubditorum alicujus Eccleſiæ electio laica, ſeu potiùs intruſio, rata, & grata haberetur; quod tamen minimè futurum ſperamus. Ex Badena die 15. menſis Julii 1565.

XLIX. Iſta (ut dicebamus) Catholici Helvetii ad Pium IV. At, quamvis is, quam optaverant, Beato de Porta confirmationem dediſſet, acceſſiſſetque, ex more, ad illum exornandum etiam Maximiliani Imperatoris placitum, quo temporale quoddam jus ei tribuebatur; tamen adhùc graviſſimis anguſtiis ab æmulis, cùm eum premi contingeret, atque in Epiſcopalem poſſeſſionem minimè admitti; ideò illi ad Pium V. confugiendum fuit, quo authore turbas contra ſe concitatas, nullo propè negotio ſedandas ſperavit; ideòque poſt gratulatorias, quas ad eum miſerat, de adepto Pontificatus apice, literas; ſequentes dedit, quibus ſuas, Eccleſiæque ſuæ, lugendas ærumnas pandit.

[Beatiſſime Pater.

Ex Archiv. Card. Alexan. M.SS. Codd. 63.

TUæ Sanctitati debitam obedientiam, & obſervantiam, ultrò beatorum pedum oſcula offerimus. Nupèr, cùm Curiæ eſſem, humillimas ad tuam Sanctitatem dederam literas, in quibus tuæ Sanctitati, communi Eccleſiæ noſtræ gratulabar nomine, quòd Divina ordinatione talem conſecuti eſſemus Summum Paſtorem, noſque in his tuæ Sanctitati humiliter commiſeramus. Verùm, quia hæ literæ, caſu quopiam intercipi potuerunt, denuò tuæ Sanctitati gratulamur, Deumque precamur, ut clavo Eccleſiæ gubernando diù incolumem tueri dignetur.

Cæterùm, cùm à Sanctiſſimo Domino Papa Pio Quarto, ſanct. recordat. tàm confirmationem, quàm conſecrationem fuiſſem conſecutus; etiam à Cæſarea Majeſtate temporalem Juriſdictionem, quam Regalia vocant, qua Epiſcopi per Germaniam, uti ſolent, haud gravatim impetravi. Verùm confœderati Domus Dei, noſtri in temporalibus ſubditi, Salicenſium inſtinctu, perſuaſi, hæc omnia, nullâ, vel Sanctiſſimi Domini Papæ, vel etiam Cæſareæ Majeſtatis, ratione habita, ſpernunt, neque nos in Epiſcopalem poſſeſſionem admittere hactenùs voluerunt, omnemque, ut dicitur, movent lapidem, quo, omnium excuſſo jugo, ipſi liberi, ſuo arbitratu vivere poſſint. Ego tamen intereà nihilominùs, pro mea, omnia, quæ epiſcopalis ſunt muneris exequor: & cùm per Anteceſſorum noſtrorum negligentiam, plurimi in Diœceſi noſtra pullularint abuſus, tàm apud hæreticos, quàm etiam Catholicos retinendos nomine; hiſce corrigendis non mediocrem herclè adhibemus operam, atque Confirmandi uſum, qui longo tempore fuit intermiſſus, ac propè in deſuetudinem venit. Verùm, quoniam haud leves in hoc negotio pertulerim ſumptus, neque Epiſcopalium proventuum, vel minima ex parte, hactenùs particeps fieri potuerim; & juxtà D. Pauli ſententiam, dignum ſit, ut qui Altari ſervit, de Altari etiam victitet: humillimè obteſtamur, ut tua Sanctitas nobis auxilio eſſe velit, & ſuis cohortationibus cauſam noſtram tutari non deſinat. Et quoniàm, adverſariorum contumacia, omnium proventuum uſum percipere ſit difficile; ſaltem tua Sanctitas Illuſtriſſimum Principem Ferdinandum, Archiducem Auſtriæ, Apoſtolica authoritate commonere velit, ut illi cenſus, qui, in Tirolenſi Comitatu, noſtro Epiſcopatui debentur, nobis dependeantur, donec tandèm, finitis his tragicis turbis, omnium proventuum compotes fiere poſſimus. Nos hactenùs ea moderatione Cauſam hanc egimus, nè cruentos aliquos tumultus excitaremus, neque hæreticis cavillationibus occaſionem offerremus, licèt illi inſtigatione Salicenſium incitati, omnes calumniarum, & technarum numeros compleant, & veloces, ut Propheta ait, ad effundendum ſanguinem greſſus habeant. Adverſarii mens, perſonatus ille Epiſcopus, nullis hactenùs, vel cohortationibus, vel aliis etiam mediis, à pertinaci ſuo propoſito

addu-

adduci potuit; verùm Epicurea quadam A
ingluvie omnia prodigit, nulla ratione
afflictæ noſtræ Eccleſiæ conſiderata: quò
hujuſmodi inſana prodigalitate, vulgum
ſibi favorabilem facere poſſit, pleraque
Epiſcopalia prædia jam oppignoravit,
ac nihil, ad ſummam profuſionem, ſibi
reliquum fecit. Sed ſperamus, ſi T. S.,
uti etiam Sanctiſſimus Dominus Papa
Pius Quartus ſan. record. ſummus amator juſtitiæ, & pollicitus eſt, & præſtitit, adiutricem porrexerit manum, has
turbas brevi ſopiri poſſe: nàm ſoli fæde- B
rati Domus Dei, noſtri tamen ſubditi,
nobis refractariè colluctantur, reliqui
autem totius Diœceſis Catholici, quorum
longè major eſt numerus, fidelem nobis,
ac ſpontaneam præſtant obedientiam.
Quare, Sanctiſſime Pater, me cum commiſſa mihi Eccleſia tuæ Sanctitati humillimè committo, ſubmiſſè obteſtando,
uti noſtri etiam, tamquàm ſupremus Paſtor rationem habere velit; nos etiam
Deum Opt. Max. enixè deprecabimur,
ut tuam Sanctitatem Univerſali Eccle- C
ſiæ ſummum Antiſtitem, diù ſuperſtitem
conſervare dignetur. Datum Veldirchii,
ultima Februarii anno à Virginis partu MDLXVI.

Sanct. Veſtr.

Humillimus Sacellanus
Beatus Epiſcopus Curienſis]

L. Verùm, ſi authoritate, & præſidio
Pii, recens hic creatus Epiſcopus, ut
tùm jura, reſque obtineret, tùm onera
ſibi commiſſæ, Curienſis Eccleſiæ, ferre D
poſſet, opus habuit: moleſtum è contra,
hoc ipſo fermè tempore, eidem Pontifici accidit, à ſe Friſingenſem Epiſcopum, Paſtorali munere levari poſtulaſſe. Perturbationem auxerat, & ipſum
Epiſcopum, & Albertum Bavariæ Ducem, Erneſtum filium, in illius Cathedræ ſucceſſorem petiiſſe; nàm, cùm
admodùm ille juvenis eſſet, juxta noviſſima Sacri Tridentini Concilii decreta, ad illam eum evehere dignitatem nefas erat; & viciſſim adeò præcla- E
râ, in Catholicam Religionem, & Apoſtolicam Sedem, ejuſdem Alberti erant
merita, ut vix, quod ab illa quoquomodo proficiſci poſſet, gratiæ, ac favoris, ei denegari poſſe videretur. Ad
præſtandam Pontifici obedientiam, agendumque cum eo, hac de re, Albertus Joannem Piſterum Friſingenſem
Canonicum, virum probitate, & erudi-

A ditione præcipuum, & Martinum Eiſenbrein, Oratores ſuos legaverat, qui, cùm longum ſermonem cum Pio habuiſſent, tandem ab eo nil aliud elicere valuerunt, quàm, quod ipſemet, ad præfatus, Friſingenſem Epiſcopum, & Albertum Ducem, reſcribens, his verbis ſignificavit.

[Ven. Fratri Mauritio Epiſcopo
Friſingenſi.

B PIUS PAPA V.

Ven. Frater ſalutem &c.

EX Literis tuis, quas Nobis dilectus Ex Archiv. Vatic.
Filius Magiſter Joannes Piſterus, 2 Ibid. ut ſup.
Canonicus Friſingenſis reddidit, cognovimus, quas ob cauſas in animo habeas Eccleſiam iſtam in noſtris manibus reſignare. Dolemus admodùm vicem ipſius Eccleſiæ, & tot labores fruſtrà à te, ut ſcribis, ſuſceptos fuiſſe ægrè ferimus; ſed
C *de perſona, quam nominas ad ſuccedendum tibi, in ejus Eccleſiæ regimine, vix ulla deliberatio Nobis incidere potuit difficilior. Cùm enim reputamus nobiſcum merita dilecti filii, Nobilis viri Ducis Bavariæ; nemo eſt omnium Principum, cujus ſinceræ Fidei, pietati, devotioni, obſervantiæ erga Sedem Apoſtolicam, plus à Nobis deberi putemus. Rursùs cùm attendimus ætatem ad ipſam Eccleſiam promovendi, etſi de bona ejus indole, & educatione, omnia Nobis præclara*
D *polliceri poſſe videamur; tamen videmus, quanto, & quàm gravi ſcandalo omnes, & Catholicos, & hæreticos offenſuri ſimus, ſi in ea re derogemus, tàm recenti Sacri Tridentini Concilii decreto, de ætate eorum, qui ad Eccleſias, & Sacros Ordines ſunt promovendi. Itaque verſamur in magnis anguſtiis, & pro rei magnitudine decrevimus attentiùs cogitare, ac cum Venerabilibus Fratribus noſtris conſultare, id capturi conſilium, quod Deus nobis inſpirare dignabitur.*
E Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die decima tertia Maji MDLXVI. Pontific. noſtr. anno primo)

Ad Bavariæ Ducem

(Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Bavariæ Duci.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem &c.

Ex eodem Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

DIlectos Filios Magiſtros Joannem Piſterum, & Martinum Eiſenbrein, Oraturos tuos, eâ, qua decuit, benignitate excepimus. Obedientiam, quam tuo nomine reverenter admodùm Nobis, & Sedi Apoſtolicæ præſtiterunt, paternè accepimus. Id ſanè officium, dignum fuit Principe Catholico, & devoto Sedis Apoſtolicæ Filio, qualis ipſe ſemper extitiſti; de qua ſincera Fidei, & devotionis tuæ conſtantia te magnoperè in Domino laudamus. Adierunt Nos poſteà iidem Oratores tui, & de Friſingenſis Ecclesiæ negotio nobiſcum loquuti ſunt. Cupiſſemus admodùm, eam rem primùm à nobis petiiſſes, in qua Nobilitati tuæ ſtatim, ſine ulla cunctatione gratificari potuiſſemus. Non majorem tu ex ea re lætitiam cœpiſſes, quàm nos ipſi capturi fuiſſemus. Nunc valdè angimur, & in magnis verſamur anguſtiis; nàm, & durum admodùm videtur, quidquam abnuere deſiderio tàm Catholici, tàmque à Nobis dilecti Principis; & rursùs id concedere, quod petitur, alienum eſt valdè, his temporibus, ab exiſtimatione noſtra, & hujus Sanctæ Sedis dignitate; cùm, præter alia, quæ nuper in Sacro Tridentino Concilio providentiſſimè ſtatuta fuerunt, adeò diligentèr ſancitum fuerit, de ætate eorum, qui ad Sacros Ordines, & ad Eccleſias Cathedrales promovendi ſint; ejuſque Concilii decreta, Nos, ſimul ac Pontificatum inivimus, ſervare inſtituerimus, & de illis obſervandis, literas per univerſas Chriſtiani nominis Provincias miſerimus. Hinc ergò Nos, tua, majorumque tuorum perpetua erga Sedem Apoſtolicam Fides, obſervantia, atque devotio, & ſingulare ſtudium ergà Religionem Catholicam urget; indè magnitudo ſcandali, & hæreticorum, Catholicorumque ſimul offenſio Nos deterret. Qua Nos in difficultate verſantes, nihil magis conſolatur, quàm quòd eam animi tui æquitatem, modeſtiam, ac prudentiam novimus, ut nihil te ab hac Sancta Sede impetrare cupere perſuaſum habemus, niſi quod rectum ſit, quodque expediat, & tuam ipſius conſcientiam minimè læſurum ſit. Volumus tamen de ea re diligentiùs, & nobiſcum cogitare, & cum Venerabilibus etiam Fratribus noſtris conſultare. Quam deliberationem noſtram petimus abs te, Dilecte Fili, ut in bonam partem accipias. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die XIV. Maij MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo)

Et quoniam, pro negotii expeditione, enixè Pontificem urgere Albertus voluit; ab illo tamen obtinere non valuit, quòd præcipiti, ſeù minùs conſiderato conſilio, rem ageret. Id teſtatur Epiſtola, quam, ejus literis reſpondens, ad eum dedit. LI.

(Dilecto Filio Nobili Viro, Alberto Bavariæ Duci.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

NObilitatis tuæ literas, die ſeptima Junii datas, ſuper negotio Friſingenſis Eccleſiæ accepimus. Credimus autem, te jam ab Oratore tuo certiorem factum eſſe, quantoperè cupiamus invenire aliquem modum, quo, ſine offenſione hominum, deſiderio tuo in ea re ſatisfieri poſſit. Perſuaſum illud ſibi verè habere poteſt Nobilitas tua, nullum eſſe in terris Principem, quem pluſquàm te diligamus, & cujus preces propenſiùs Nobis exaudiendas eſſe putemus; ſed hæc ipſa amoris noſtri erga te magnitudo facit, ut diligenter Nobis cavendum eſſe ſentiamus, nè quid minùs conſideratè agamus, quo, non ſolum noſtra, ſed tua etiam, quam æquè, ac noſtram diligimus, exiſtimatio violetur. Proindè hanc cunctationem in optimam partem te accipere volumus, atque etiam ſperare, Domino inſpirante, Nos aliquam ejuſmodi rationem inituros, qua, ſalva noſtra, & hujus Sanctæ Sedis dignitate, & abſque Dei offenſione, voti tui compos efficiaris) Quod & fecit, ut ſuo loco dicendum erit; cùm videlicèt, re maturè, ac diligenter perpenſa, rationem tandem injit, qua Friſingenſis Epiſcopi, & Bavariæ Ducis deſiderio obſecundare poſſet, & Deus in primis, quem ſemper

præ

præ oculis habuit, deindè Apoſtolicæ Sedis dignitas, inoffenſa manerent.

LII. Permoleſtum autem illi accidiſſe, hoc fermè tempore, Alberſtadenſem Eccleſiam, mortuo, quem paulò ante memoravimus, Epiſcopo ſuo, Sigiſmundo Brandeburgenſi, quò ſibi ab hæreticorum contagione caveret, Henricum Julium, & ipſum puerum, Henrici Julii Ducis Brunſuicenſis acerrimi Catholicæ Religionis propugnatoris nepotem, in Epiſcopum ſuum elegiſſe; ſequenti anno ſcriptæ ab ipſo Epiſtolæ demonſtrabunt. Et reverà, quod Pius, ex hujuſmodi electionibus, verebatur, in Henrico accidit, cùm impiè, videlicèt, Alberſtadenſium Catholicorum ſpe fruſtratâ, in Proteſtantium errores, ubi adolevit, dilapſus ſit. Comprobat autem verè ex animo, non ex curiali dumtaxàt, ut dicitur, urbanitate, ea amoris, ac officii pleniſſima, verba, Pium Alberto Bavaro dediſſe, non Friſingenſe modò negotium, quod juxta votum, ut innuimus, Alberti ejuſdem, Pontifex ad optatum demùm finem perduxit; ſed aliud etiam, pro quo, apud illum Albertus idem, Cardinalem Alexandrum Farneſium interceſſorem duxerat adhibendum; ut ex ſequenti epiſtola apparet, ab ipſo originali deſumpta.

(Beatiſſime in Chriſto Pater,
ac Domine, Domine
Clementiſſime.

Ex Archiv. Card. Alexan. M.SS. Cod. nu 163.

POſt pedum beatorum oſcula devotiſſima, Reverendiſſimum, Illuſtriſſimumque Dominum Cardinalem Farneſium rogavi, ut apud Sanctitatem Veſtram in meum favorem, certa de re, intercederet, ut ex ipſo intelliget. Quapropter eamdem humillimè oro, ut prædictum Dominum Cardinalem clementer audire, ac interceſſionis ſuæ benignam rationem habere, inſtitutumque meum ſua liberalitate juvare dignetur. Pro quo, me, non ſolùm ad quævis obſequentiſſimi, gratique filii officia promptiſſimè offero, ſed, & quidquid à Sanctitate Veſtra proficiſcetur in perpetuam ejuſdem memoriam aſſeruari curaturum eſſe polliceor. Quibus Sanctitatem Veſtram Eccleſiæ diù incolumem, feliceemque præeſſe opto, meque eidem humillimè commendo. Datum Monaci, die IV. Junii 1566.

E. S. V.

Obſequentiſſimus Filius
Albertus Dux Bavariæ)

LIII. Pontifex igitur, ubi has literas accepit, deſideriumque Alberti cognovit, haud expectatis Cardinalis Farneſii officiis, in calce ejus, quam propoſuimus Epiſtolæ, iſta addidit.

Ibid. ut ſup.

(*De illa re, de qua alteris literis tuis pridiè datis, Venerabilem Fratrem noſtrum Cardinalem Farneſium, tuo nomine nobiſcum acturum eſſe ſcripſiſti, nondùm is loquutus fuerat, etenim ab Urbe aberat; ſed deſiderio tuo, ex ejus familiari cognito, libentiſſimè ſatiſfaciemus*. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo &c. die XII. Junii MDLXVI. Pontificatus noſtri anno primo)

LIV. Et eximia hæc quidem Pii comitas, atque clementia verum oſtendit, quod de illo quidam ſcripſit; nimirùm: Nihil in ejus moribus aſperum, nihil cernere fuiſſe in ejus imperio ſuperbum, & quod difficilimum eſt, ità manſuetudinem cum gravitate temperaſſe, ut neque de authoritate facilitas, neque ſeveritas quidquam de ſuavitate detraheret. Quapropter immeritò eum mordere aggreſſum eſſe Thuanum, ex eo, etiam quod Comitiorum Auguſtanorum occaſione, (ut audiſti) per Legatum ſuum, Electum Colonienſem, ad Fidei profeſſionem emittendam urgere non deſtiterit; omnibus rem verè exploratam habentibus, in confeſſo eſſe debet. Neque enim ea ratione, quam refert Thuanus idem, ad inconſultum Pontificis zelum amplificandum, Pium ipſum cauſam eamdem curaſſe; illius ad Maximilianum Cæſarem datæ literæ docent, in quibus ab ovo (ut dicitur) exorſus, rem omnem exponit. Nos hìc eas ponendas cenſuimus, ut illam minimè à Pio, vel diſſimulandam, vel ferendam fuiſſe, ac eximia prudentia, ſimul, ac manſuetudine eſſe actam, omnibus in aperto ſit; dicit enim:

Gabut. Vit. Pii V. lib. 6. cap. 7. pagin. 215.

(Cha-

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Maximiliano , Hungariæ , & Boemiæ Regi Illuſtri, electo Romanorum Imperatori ,

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

QUanti momenti ſit negotium , de quo ad M. T. ſcribendum eſſe duxerimus , & quantæ curæ Nobis eſſe debeat ; M. T. pro ſua ſapientia facilè intelliget . Colonienſis electus ab hinc triennium , & eò ampliùs , cùm ad eam Eccleſiam electus fuit , etſi initio, confirmationem ſuam ab Apoſtolica Sede, prædeceſſorum ſuorum , & aliorum Catholicorum more , petiit : tamen quominùs eam obtineret, duo impedimenta , ac difficultates ipſemet objecit , quarum altera , quæ ad Jura Cardinalium , & aliorum Curiæ Romanæ Officialium pertinet , quæ levior fuit, fel. record. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri hortatu , & ipſorum Cardinalium æquitate, ac benignitate, minui facilè potuiſſet , ſicut ipſi ſignificatum fuit . Altera ejuſmodi fuit, ut eam nemo Catholicus , nè dùm Prælatus objicere debuerit . Cùm enim deberet , juxtà Sac. Tridentini Concilii decretum ſanctiſſimum , & his temporibus maximè neceſſarium , Fidei ſuæ confeſſionem facere , priuſquàm confirmaretur ; & de ea facienda, non ſemel admonitus fuiſſet , eam facere recuſavit , tametſi ea ſuſcepta, & uſu recepta fuerit, juxtà formam ab ipſo Prædeceſſore noſtro approbatam , non in Italia ſolùm , & Franciæ , Hiſpaniæ , ac Poloniæ Regnis , ſed in ipſa etiam Germania . Qua in re ejus recuſatio , & tàm diuturna contumacia , Fidem ejus non parvam in ſuſpicionem adduxit , & maximum Colonienſibus , & omnibus Catholicis ſcandalum peperit : quod Nos ſcandalum , pro Paſtoralis officii munere removere compellimur. Sed quia inviti ad acriora remedia eſſemus deſcenſuri ; tentandum priùs duximus, ſicut hujus Sanctæ Sedis, ac noſtra manſuetudo , ac moderatio poſtulat , ſi ipſum lenibus remediis adducere poſſimus , ut errorem ſuum agnoſcat , ac Catholici viri , ac Prælati officio fungatur . Quocircà Majeſtatem Tuam, cujus authoritate magnoperè eum commotum iri ſperamus , hortandam in Domino duximus, & rogandam, ut eum benevolè officii ſui admoneat , & ad hujuſmodi confeſſionem faciendam , ac parendum Apoſtolicæ Sedis, tàm æquis , & ſalutaribus monitis adhortetur , & illis eum rationibus, quas Majeſtati Tuæ ſua ſapientia ſuggeſſerit , inducat ; ac, ſi de hac re in Comitiis agere tentarit , alicujus Principis favore nixus , ſicuti eum in animo habere certiores facti fuimus ; ab hac eum temeritate deterreat . Erit hoc pietatis Majeſtatis Tuæ dignum officium, & illi gratiſſimum eſſe debebit . Nobis certè erit , qui nollemus ullam neceſſitatem Nobis imponi, cum eo ſeveriùs agendi ; ac parati ſumus , ſi ille officio , quo debet , functus fuerit , & debitam huic Sanctæ Sedi obedientiam præſtiterit, paterna illum charitate complecti . Sed , ſi in contumacia perſeveraverit , nec Apoſtolica monita , nec Cæſareæ Tuæ Majeſtatis authoritas ſatis apud eum valuerit ; non poterimus officium noſtrum prætermittere, & juxtà Canonicas Sanctiones , neceſſitati tàm nobilis Eccleſiæ , quæ tamdiù Paſtore caret , tametſi is ſe pro Archiepiſcopo gerere minimè vereatur , providere ; & nè id malum propter exemplum latiùs ſerpat , occurrere, Deo juvante, curabimus: Majeſtatis Tuæ, & omnium Catholicorum favorem Nobis juſtè , quod juſtum fuerit facientibus , ipſiuſque in primis Omnipotentis Dei auxilium non defuturum eſſe confiſi . Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris . Die XXIII. Martii MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo]

LV.

Ritè in ſuſpicionem, nedùm unius Pontificis , ſed Catholicorum omnium hominem veniſſe, qui tàm æqua tamdiù facere recuſaverat , nemo inficiabitur . Quem ſiquidem non latet , hoc ipſo tempore, plures, ac non ignobiles Germaniæ Eccleſias , ut inferiùs dicetur , pluribus annis , Paſtoribus extitiſſe viduatas , quòd ad id munus deſtinati , hæreſis labe infecti, à Pontificibus Summis deprehenſi , utpotè eo munere indigni, rejecti fuerint ; (cum ſatiùs illis nimirùm viſum fuerit , oves ſine Paſtore eſſe , quàm, ut Chriſti ovile latronibus, furibuſque committerent.) Quem (inquam) iſta non latent, reprehendere qua ratione Pii ſollicitudinem valeat , haud mente concipi poteſt . Augurari autem , virum , qui obſirmato

adeò, ac pertinaci animo, Fidei ſuæ rationem reddere detrectabat, iniquum aliquid commoliri, ad ſuam perfidiam tuendam in Comitiis potuiſſe; à ratione alienum minimè cenſendum eſt; ideòque laudandi Pii conatus, qui impia conſilia hujuſmodi antevertere ſtuduit. In hanc tamèn curam (ut ex allata ad Maximilianum Epiſtola apparet) nè vulnus exaſperaretur, lenioribus remediis incubuit, ideòque etiam, cùm ad Auguſtana Comitia Cardinalem Commendonum miſit, ut vel leviſſimæ offenſionis umbram devitaret, ſicut ad Catholicos cunctos Principes, tàm Eccleſiaſticos, quàm ſæculares ſcripſit, hujuſmodi quoque officio cum Colonienſi perfunctus eſt; cujus quidem, non Pii, conſilium fuit, ut ſuum negotium in Comitiorum tempus rejiceretur. En literæ, quas Apoſtolicis Epiſtolis ſibi à Cardinali Commendono exhibitis, electus ipſe Colonienſis reſpondit.

(Beatiſſime Pater, ac Domine Clementiſſime.

Ex ipſo originali ex Archiv. Card. Alexand. M. SS. Cod. 63.

Poſt beatorum pedum oſcula, & debitam, promptiſſimamque erga Sanctam Sedem Apoſtolicam reverentiam, obedientiam, & obſervantiam. Quandoquidem Omnipotens, & Miſericor Deus, poſt obitum felic. record. Pii Quarti Pontificis Max. S. V. ut excellenti doctrina præditam, & vitæ innocentia inſignitèr ornatam, ità Summo Pontificatu maximè dignam, ad regimen Eccleſiæ ſuæ vocavit; non poſſum niſi, & Divinæ ejus Majeſtati, ac bonitati ex animo gratias agere, & S. V. eo nomine reverenter, & humilitèr gratulari, fauſtaque, & felicia omnia illi precari. Quamvis autem maturiùs aliquando hoc ipſum facere, & pro impetranda confirmatione, devotè, humilitèr, & diligentèr inſtare conſtitueram; cùm tamen intelligerem Sanctitatis Veſtræ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ Legatum, hiſce Auguſtanis Comitiis interfuturum, non incomveniens exiſtimavi, hanc rem in hæc Comitia rejici: humiliterque hinc petens, ut S. V. illud quidquid eſt moræ, atque dilationis, patientèr ferat, mihique piè ignoſcat. Porrò Sanctitatis Veſtræ clementiſſimas literas, per eiuſdem Legatum, Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum Dominum Joannem Franciſcum Cardinalem Commendonum, in hiſce Comitiis mihi præſentatas, ea, qua decet, reverentia, & humilitate accepi. Ex quibus Sanctitatis Veſtræ, Summo Pontifice dignam, curam, ſollicitudinem, & verè paternum affectum, erga gregem ſibi commiſſum, & me (cui, & Filii nomen clementer tribuit, & paternis adhortationibus, ad præſtandum id, quod officii ſuſcepti ratio exigit, non leve calcar addidit, & promptiſſimum animum ſuum gratioſiſſimè ſignificavit,) facilè intellexi. Quo nomine Sanctitati Veſtræ ſummas meritò gratias ago, humiliterque, ac reverenter polliceor, me, & hiſce, tàm ſalutaribus, piis, ac paternis adhortationibus, quantùm in me erit, ea, qua decet, obedientia pariturum, & Deo volente, uſque ad extremum vitæ ſpiritum in obedientia Sanctæ Romanæ, & Catholicæ Eccleſiæ, Sediſque Apoſtolicæ conſtantèr permanſurum; & nihil, quod ad ejus authoritatem, ac dignitatem conſervandam, & gregis mihi concrediti ſalutem, Eccleſiæque commiſſæ utilitatem pertinebit, & in mea poteſtate erit, intermiſſurum. Cæterùm, cùm ad has tantas res, quas officium meum poſtulat, ritè peragendas, electionis meæ confirmatione ſummoperè opus habeam; non potui non cum præfato Reverendiſſimo Domino Legato, de hujuſmodi confirmationis negotio diligenter conferre, illique omnes difficultates, quæ hactenùs circa idem negotium interciderunt, & cauſas, propter quas nihil inſoliti, & inuſitati à me exigendum exiſtimem, plenè, & confidentèr recenſere. Quamvis autem idem Reverendiſſimus Dominus Legatus, vir integerrimus, ad hanc rem promovendam ſeſe perquàm benignè, amanter, & fraternè obtulerit; nè tamen mandati ſui fines excedere videretur, ad Sanctitatem Veſtram me remiſit, promiſitque, ſe hac in re facturum, quæ poſſet, omnia. Cùm igitur, Sanctiſſime Pater, omnibus aliis difficultatibus ſuperatis, hæc ſola ſuperſit, quòd non tantùm vetus juramentum, ad quod præſtandum me ſemper obtuli, nec ea tantùm obedientia, quam Predeceſſores mei hactenùs præſtare conſueverunt, (cujus in Brevi Sanctitatis Veſtræ fit mentio) ſed præterea inſolita quædam, atque jurata Fidei profeſſio à me exigitur: ea autem, vel hanc ob cauſam, quòd electio de me facta, & negotii confirmationis plena inſtru-

ſtructio, ab ejuſdem impetratione, (quam nihil, quod in mea poteſtate fuit, impedivit) benigna juris interpretatione non differens, & exiſtimationis, ac Fidei meæ ſufficiens defenſio, & profeſſio, Summi etiam Pontificis calculo approbata, dudùm ipſius Concilii Tridentini concluſionem, & confirmationem præceſſerit, in hoc caſu, nec neceſſaria ſit, nec infelici, ac turbolento hoc tempore, ſine ſummo Catholicæ Religionis, & Eccleſiæ afflictiſſimæ mihi commiſſæ detrimento, à me præſtari poſſit: ut hæc omnia prædictus Dominus Legatus ex me, meiſque pleniùs intellexit, & Sanctitati Veſtræ procul dubiò fideliter relaturus eſt. Idcircò quanta poſſum, & debeo, humilitate, & reverentia peto, ut tandem Sanctitas Veſtra ſolito juramento, à Procuratore meo, Romæ excolente, recepto, omnique difficultate, & mora ſubmota, confirmationem, tantoperè deſideratam, & periculoſiſſimis hiſce temporibus, Eccleſiæ Colonienſi, adeò neceſſariam, gratiosè mihi concedere, & benigna legis ſequentis interpretatione, totque relevantium cauſarum ratione habita, hac vice inſoliti, & inuſitati juramenti præſtationem clementer remittere dignetur. Quòd ſi, ut ſpero, fiat, non poterunt illi, qui poſthàc eligendi, & confirmandi ſunt, quorum par, ſimiliſque cauſa non erit, hoc ipſum in exemplum trahere. Ego certè, non eò minùs Catholicæ Fidei, & Religionis, quam totiès, & verbis, & ſcriptis, & re ipſa profeſſus ſum, ſectator, & propugnator ero, & ab eo, Deo me favore ſuo proſequente, nunquam recedam. Spiritus Domini noſtri Jeſu Chriſti animam, & omnes conatus Sanctitatis Veſtræ, ad Dei gloriam, & ſalutem Chriſtiani Orbis dirigere, & Sanctitatem Veſtram diù nobis incolumem ſervare dignetur. Datum Auguſtæ Vindelicorum 6. Aprilis 1566.

S. V.

Devotiſſimus Filius

Fridericus Electus Colonienſis

LVI. At Pontifici haud tanti ponderis hujuſmodi à Colonienſi allatæ rationes viſæ ſunt, ut propterea ab exigenda ab illo Fidei profeſſione ſe temperandum putaret: nàm, licèt, quæ in ſui excuſationem in medium ille proferebat, nemini ſuffragari poſſe viderentur; tamen peſſimo, ac pernicioſiſſimo exem-

A plo, cauſis aliis aſſimulatis, (quæ nunquàm defuiſſent) ut Concilii decretum paſſim eluderetur, via aperiebatur: nec facile etiam fuiſſet, illos, qui prætextu omni expertes, ab ejus ſe obſervantia ſubtrahere nequiviſſent, ad ipſius decreti obedientiam compellere; ex uno eo ſaltem, quòd alius alio ſe deteriorem videri velle, minimè paſſurus eſſet, detracturuſque idcircò onus, quo alius levabatur. Perſtitit proindè in ſententia Pius, & ſingulas diluens rationum ſpecies, à Colonienſi, in allata B Epiſtola propoſitas, in hunc modum illi reſpondit:

[Dilecto Filio Friderico, electo Colonienſi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

C *Cuperemus admodùm, te Fratris nomine poſſe honorare, ſicùt mos eſt Pontificum Romanorum, eos, qui conſecrationis munus jam ſuſceperunt, Archiepiſcopos, & Epiſcopos appellare; ſed te, donèc id ſuſcipias, Filium, ad paternæ noſtræ erga te benevolentiæ indicium, appellamus, confiſi fore, ut utrumque erga te, & Patris, & Fratris affectum conſervantes, uſitatiore te nomine appellemus. Accepimus literas tuas, quibus* D *primùm Nobis gratularis, quòd ad Apoſtolatus officium aſſumpti fuerimus. Gratum fuit Nobis, perindè ac debuit, iſtud tuæ erga Nos pietatis indicium. Hoc autem Dei de Nobis judicio, ità demùm Nos quoque lætabimur, ſi quid dignum hoc loco, in quo ſine meritis noſtris conſtituti fuimus, ad Divinæ Majeſtatis honorem, & Eccleſiæ Catholicæ utilitatem agere, Divina gratià favente, ac te, ac cæteris, qui Nobis adeſſe debent, juvantibus, poterimus;* E *omnes labores, ac moleſtias, quas tecum tantæ ſervitutis officium affert, patientiſſimo, ac libentiſſimo animo excepturi. Cùm dilectionem tuam de aſſumptione noſtra certiores per literas feciſſemus, grato quoque animo acceptum abs te fuiſſe hortationem noſtram, libenter cognovimus; tuæ cohortationi noſtræ, quòd ea, qua decet obedientia, obtemperaturum te eſſe polliceris; laudamus admodùm in Domino iſtud*

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

iſtud pium propoſitum tuum, & ma- A
gnam in ſpem venimus, fore, ut noſtris
ſalutaribus monitis acquieſcas. De pro-
feſſione Fidei, ſecundùm Tridentini Con-
cilii decretum facienda, intelleximus,
quæ tu, excuſandi tui cauſa, attuliſti;
ſed in ea exigenda perſeverare compellit
Nos, commiſſum Nobis officium. Etenim
curare debemus, ut, cùm omnia, quæ
tàm ſalubritèr, & ſapientèr, non ſine
Spiritus Sancti inſtinctu in eo fuerunt
Concilio ſtatuta, atque decreta, ab om-
nibus, & ubique ſuſcipiantur, tùm ea B
maximè, quæ ad Fidem pertinent, in-
violata ſerventur, nec quicquam in eis
gratiæ concedat, nec ullam tibi in eo in-
juriam facimus. Etſi enim electio tua il-
lud Concilii decretum præceſſit; tamen,
cùm non fueris adhùc confirmatus, non
tempus, quo electus fuiſti, ſed quo con-
firmandus es, ſpectari debet. Neque eſt,
quòd verearis, nè Fides tua, ob eam cau-
ſam in dubium vocari videatur; non
enim lædetur fama tua, non æſtimatio
violabitur; læderes eam tu ipſe potiùs, C
& quadam nomen tuum labe commacu-
lares, ſi quod omnibus electis in univer-
ſum præſcriptum eſt, ipſe exequi perti-
naciùs recuſares. A Nobis quidem, ſi
quis noſtræ Fidei profeſſionem exigeret;
eam juxtà Apoſtoli præceptum, reddere
ſine mora, & cunctatione ulla parati eſ-
ſemus. Quò circa te, etiam, atque etiam
hortamur, & admonemus, ut hac in re
Nos audias, qui te ſincerè in Domino di-
ligimus, & id tibi ſuademus; quod, ſi
feceris, ut ſperamus, omnes rectè, piè, D
ſapienterque abs te factum judicaturi
ſunt. Conſules honori tuo, conſules con-
ſcientiæ, conſules Eccleſiæ, tàm nobili,
cui officium Pontificale præſtare non po-
tes, ſicùt à Prædeceſſore noſtro monitus
fueras, niſi confirmationem obtinueris,
ut Conſecrationis munus poſteà ſuſcipe-
re, atque ità Eccleſiam, ſicut decet, ad-
miniſtrare poſſis. Sed de hac re tecum
pluribus aget Legatus noſter, cujus
orationi fidem habebis. Datum Ro-
mæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo E
Piſcatoris. Die xiij. Junii 1566. Pon-
tific. noſt. ann. primo]

LVII. Sed neque Cardinalis Commendoni adhortationibus, neque verè paternis Pontificis monitis, Fridericus acquieſcens, iterum datis ad illum literis, ejus animum expugnare tentavit; at irrito conatu; cùm Pius nullius, ſivè gratia, ſivè metu, rectè fixum ſibi, propoſitumque haberet, nè quidquam in tanti momenti re remitteret. Quapropter ad illum his verbis reſcripſit:

[Dilecto Filio Friderico, electo Colonienſi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Cum literas illas ad te dabamus, ad quas tuis tu proximis literis reſpon- Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.
diſti, ſperabamus, dilectionem tuam pro-
penſo, ac pio animo admiſſuram eſſe pa-
ternam hortationem noſtram; ſed, cùm
eam in ſententia ſua adhùc perſiſtere
perſpexerimus, nè, quæ ſuperioribus li-
teris ſcripſimus, iteremus, hortamur eam
iterùm, ut diligentiùs de ea re conſide-
rans, inducat in animum ſuum id face-
re, quod ab ea petimus, quod honeſtiſ-
ſimè poteſt, quodvè, ut tùm ſcripſimus,
ſi quis à Nobis peteret, facere Nos qui-
dem minimè recuſaremus. Cedat pater-
nis adhortationibus noſtris; det hoc Apo-
ſtolicæ Sedis reverentiæ. Si hac in re
deſiderio noſtro obſecuta fuerit, ſciat fo-
re, ut omnes, qui verè, & ex animo ejus
exiſtimationem, ac dignitatem diligunt,
& rectè, & ſapienter feciſſe eam judi-
cabunt: de Nobis verò omnia ſibi pollice-
ri poterit, quæ ab amantiſſimo hujus
Sanctæ Sedis Præſule expectari æquum
erit. Datum Romæ apud S. Petrum ſub
annulo Piſcatoris. Die 2. Junii 1566.
Pontific. noſtri anno primo]

Has Pii literas, amoris, & charitatis ſenſibus refertas, quia non legit Thuanus, ideò, ex ingenio ea excogitavit, quæ ſcripto tradidit. Cœterum Fridericus, licèt Auguſtæ Vindelicorum, ut diximus ex Gratiano, inter Catholicos alios Præſules, ac Principes concioni interfuerit, quam Cardinalis Commendonus domi ſuæ habuit, quaque Germanos omnes Proceres, Eccleſiaſticos paritèr, ac laicos, ad Tridentinum Concilium ſuſcipiendum hortatus eſt; quavè per moti, ſimul Scita Concilii ejuſdem accipere, ſanctèque ejus ſe juſſis in his, quæ ad Fidem ſpectabant, obtemperaturos polliciti ſunt; tamen æquè immobilitèr, ac irrationabilitèr in ſuo defixus propoſito, nec LVIII. Gratian. Vit. Card. Commend. lib. 3. cap. 2. pag. 254.

A minis flexus, (ſi quæ fuerunt) nec blanditiis illectus, ad cor redire recuſavit; maluitque tandèm potiùs, quàm Fidei profeſſionem emittere, ſe Epiſcopatu abdicare, ut ſequenti anno dicendum erit.

LIX. Ex iiſdem Auguſtanis Comitiis, præclarum teſtimonium ſummæ integritati, ſapientiæ, aliiſque virtutibus Othonis Cardinalis de Truſches, ipſius Auguſtæ Vindelicorum, ut diximus, Epiſcopi, egregius ille reddidit Catho- B licæ veritatis aſſertor, Albertus Bavariæ Dux, datis ad Pontificem literis, quas, ex proprio originali acceptas, ſtudio hic ponendas duximus; nè qui Germaniæ Eccleſiaſticorum vitia (id hiſtorica veritate exigente) recenſere coacti fuimus, virtutes prætériiſſe videamur; ſcripſit enim;

[Beatiſſime in Chriſto Pater, & Domine, Domine Clementiſſime.
Humilitatis, & devotionis
C perpetua ſtudia, beatiſſimorumque pedum oſcula.

Ex Archiv. Card. Alexand. MSS. Cod. num. 63.

ETſi multa ſunt, & propemodùm infinita, ſummæ virtutis exempla; imò quod verius etiam eſt, etſi omnium virtutum, quæ divinitùs contingere homini poſſunt, merita, & ornamenta in Sanctitate Veſtra, ad miraculum vſque, confluxiſſe videntur, quibus, cum ſummo illo Chriſtiani Orbis faſtigio, juſtiſſima D *ab omnibus veneratio optimo jure debetur: tamen, uti ſunt hominum res comparatæ, ſuum ex his quiſque ſibi gratulatur, charumque præ cæteris habet; ità Sanctitatis Veſtræ incomparabilem prudentiam, & ſapientiam Eccleſiæ Catholicæ meritò ex animo gratulor: ità manifeſtam ejus bonitatem, integritatem, ac manſuetudinem unicè veneror, ità Judicis rectitudinem, ſincerique animi infractam conſtantiam, perverſiſſimis hiſce temporibus, ſummo Dei beneficio* E *conceſſam, devotiſſimè exoſculor ego cum bonis, & piis omnibus. Quis enim aliam admittet cogitationem? quis non talem ſtatuat tripudianti animo modum, qui perſpectum habet, quàm opportunè, & ſalubritèr contingat inclinatis Eccleſiæ, ac Religionis rebus, prudentiſſimus, & ſapientiſſimus Moderator, fovendis, ſervandiſque ovibus, optimus, & manſuetiſſimus Paſtor, ac ſanandis, reſtituendiſque collapſis, præſentiſſimus opitulator? At verò, ubi communibus Eccleſiæ rebus, non abſque ingenti mea lætitia hæc longè commodiſſima accidunt, ità quòd privatim mihi gratuler, quòd certiſſimi beneficii loco ducam, in primis eſt, Sanctitatis Veſtræ in Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum Dominum, Othonem Cardinalem Auguſtanum, & Albanenſem, compatrem, & amicum mihi honorandum, & chariſſimum, diù jam perſpecta benevolentia, notuſque favor. Cùm enim illum ipſum Dominum Cardinalem, propter virtutes, & merita plurimùm amem, cùm illi eo nomine optimè cupiam, fieri non poteſt, quin ex animo nunc læter, cùm præſidere rebus Chriſtianis Pontificem, ex quo ſumma illi ſperanda eſt pietas, certiſſimaque liberalitas, & beneficentia complectendum ſibi deſumpſerat; haud obſcurè eumdem data jam ampliſſima occaſione, præ cęteris evectum, ornatumque procul dubio cupiet. Quam ſanè utriuſque noſtrum opinionem non mediocriter confirmat præſaga ingentis boni lætitia iſta, quam ex Sanctitatis Veſtræ electione Cardinalis conceperat, mihi communicarat, ſtatim ex itinere, ubi de ea certior fuiſſet factus. Mirum dictu, quanta animi affectione gratulatus fuerit Eccleſiæ, ac Religioni, quàm optimè publicæ Orbis tranquillitati conſultum ſcripſerit. Et quæ non effundat lætiſſimæ mentis indicia, qui virtuti, integritatique ſuæ benigniſſimum Patronum, ſanctiſſimis ſtudiis auxiliatorem liberaliſſimum repentè eſt nactus? Quamobrem, ità mihi perſuadeo, cùm maxima ſint hujus Cardinalis in Eccleſiam, & Rempublicam Chriſtianam, merita; hoc demùm ſub Sanctitate Veſtra idoneum veniſſe tempus, quo ejus juſta habeatur ratio, quo præmia virtuti concernantur, quo laboribus, atque periculis grata mercede ſatisfiat. Ut enim pietate in Deum, ſtudio, ac devotione in Sacroſanctam Sedem Apoſtolicam, animi ſinceritate, & candore erga omnes, à nemine ſui Ordinis facilè ſuperetur; hoc certè ſibi peculiare, & quaſi proprium habet, quòd nemo eſt Antiſtitum in Germania, qui tantum in Religionem contulerit, tantaque pro eadem perpeſſus ſit, ac etiamnùm ſuſtineat fortitèr; nàm ſi eulcus Divini amorem, & obſervantiam ſpectet S.V. nihil deſiderabit in eo, quod priſcorum Eccleſiæ Procerum pietati, & devotioni addi queat:*

queat: ſi zelus fervens, ſi animus pro Religione intrepidus, ſi neglecta præſentiſſima pericula in conſiderationem veniant, heroicæ appareant iſtæ virtutes, omneſque in ſui admirationem, atque amorem rapiant, neceſſum eſt; ſi denique tàm Epiſcopatus, quàm propriorum bonorum effuſiſſima largitio, in uſus Eccleſiæ optimos, & ſaluberrimos facta, ſuo pondere diſcutiatur; digniſſimus profectò judicabitur, cui ab eo loco, in cujus honorem, & dignitatem iſta omnia collata ſunt, gratiæ efficaces ſæpiùs habeantur. Ac pietatis quidem ſtudia, eaſque Cardinalis virtutes, quæ Romæ in admirationem veniunt, ipſa Sanctitas Veſtra luculentèr mecum teſtabitur. Ego nihil hic addam aliud, niſi quòd periclitanti Germaniæ tales Epiſcopos plures optarem libentèr, qui precibus ad Deum ardentiſſimis, quodque plurimum habet ad docendum, & ædificandum momenti, ipſa vitæ integritate, & manſuetudine, vivoque exemplo idem agerent, quod ipſe, idemque ſibi propoſitum haberent. Catholicæ autem Religionis, quàm fervidè, & ſincerè ſit amans, ipſa poſteritati ſemper loquentur pericula, teſtabuntur damna, injuriæ, afflictiones, & perſequutiones ejus, quibus affectus quidem graviſſimè, & ſæpiſſimè fuit, at nunquàm expugnatus, nunquàm ità oppreſſus, ut officium deponeret, ut pacem cum hæreticis, manifeſtis periculis præferret. Ceſſit aliquandò Auguſtanæ Reipublicæ furiis, dùm ea à peſſimo, & ſeditioſiſſimo quoque invaderetur, ejectumque Clerum in Bavaria mea, & alibi continere maluit, quàm hæreſis, & rebellionis ſpectatorem Auguſtæ agere. Ac nihil interim omninò remiſit de generoſi animi conſtantia, nihil iniquiſſimi temporis pravitati tribuit, cujus pænitudine rebus melioribus duci potuiſſet; ſed quò creſcerent magis injuriæ, quò inſultaret impudentiùs fortuna, eò cordatiùs ſeſe opponebat. Neque ſatis illi erat, pro Dei gloria, pro Eccleſia, & Religione, jacturam paſſum eſſe bonorum, & poſſeſſionum, niſi vitam quoque in diſcrimen adduceret, & ſanguinem, qui ſolus ſupereſſe videbatur, inſtructiſſimis Eccleſiæ hoſtibus ſubjiceret. Quàm opportunam autem, in bello iſto Germanico, Imperatori Carolo V. piæ mem. navarit operam, quàm promptiſſimè, in ejus belli uſum, ſua omnia contulerit, teſtes ſunt multi, quorum vita

A etiamnùm ſuperſtes manet, Italicarum cohortium ductores, qui, ſub Pauli III. Summi Pontificis auſpiciis, Cæſari tùm militabant, & rei eventus ipſe invicti Cardinalis virtutem illuſtri teſtimonio exornavit, cùm, ſubjectis hoſtibus, triumphanti Cæſari comes adhæreret, ſuaque colligeret, magna cum dignitate. Enituit cùm maximè moderatiſſimi ejus animi manſuetudo, qua, & hoſtibus ignovit facilè, & ſuis clementer pepercit, ſeque Patrem, & benefactorem B exhibere omnibus maluit, quàm duriùs cum Cæſare victoria uti. Etſi autem graviſſima, iſto belli tempore, oppida, & bona Epiſcopatus ſui, miſeris modis dilacerata, & afflicta fuerint, ac propter illatam calamitatem, multis adhùc annis, ad ſe redire vix queant; ſtudia tamèn liberalitatis, & munificentiæ, tàm impigrè exercuit Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Cardinalis, ut undè ſuppeterent, iſta omnia miraretur quidem aliquis, nemo autem eſſet, qui vel C Epiſcopatum, vel paterna Cardinalis bona tantis impenſis reſpondere putaret. Nam univerſalis Dilingenſis Studii nova conſtructio, & inſtitutio, ampliſſima Profeſſorum ſalaria, pauperum ſcholarium ſtipendia, Ædificia, & Collegia, his rebus idonea, & neceſſaria, quanti conſtiterint, quàm exhauſtum reddiderint Authorem; facilè conjecturam facient, qui talium rerum experientia ſunt edocti. Addita quoque novæ Scholæ D Libraria Officina, ſuos requirit peculiares ſumptus, ac dignum eſt illud opus ingenti beneficio: ſiquidem ex eo ſubindè prodeunt, elegantiſſimis typis excuſi, optimi, & utiliſſimi libri, qui per Germaniam, ac Gallias etiam hinc indè diſperſi, plurimos in Fide Catholica confirmant, nutantes erigunt, perverſos reſtituunt, eos maximè, quibus, per Magiſtratus ſuos, non eſt integrum vivas habere, & audire recta docentium voces. Hæc novæ Scholæ fundatio, quæ, tùm E propter ſe ipſam, æternitatis gloria digniſſima eſt, utpotè quæ inſtructiſſimi promptuarii inſtar, omnis generis, ac ordinis idoneos homines Reipublicæ largitur; tùm etiam Authoris pietate, ac virtute commendabilis exiſtit, omnibus ſatisfacere, omnibus placere atque grata eſſe meritò potuit, ipſi autem Fundatori non ſatisfecit ſoli. Florebant ibi ſtudia publica, privata docebantur, diſcebanturque ingenuæ artes magna alacritate.

Verùm

Verùm, qui nihil magis in votis habebat, quàm ut ea, quæ docerentur, diſcerenturque, ad Omnipotentis Dei laudem, ac gloriam ſimul unicè confluerent; utque honeſtiſſimis morum præceptis, vitæ quædam ſanctimonia egregiè reſponderet, deſiderabat in magiſtris laici: diſciplinæ rigorem, in diſcipulis, & auditoribus, vitæ, ac morum continentiam. Quibus ut mederetur, ex æquo, ut tàm profeſſores in ordinem redigeret, quàm ſcholarium petulantiam cohiberet, maximis impenſis jam erexit Dilingæ novum Societatis Jeſu Collegium, hominum ſanctiſſimorum, & doctiſſimorum contubernium, qui formandorum ingeniorum, ac morum, ſoli deinceps magiſtri maneant, ſolique in cæteros imperium habeant. Qua ex re, quantum ad Eccleſiam Catholicam, quantum ad Rempublicam, & conſervandas in Germania, ſinceræ, avitæque Religionis reliquias, accedere queat; ipſa Sanctitas Veſtra æſtimabit commodiſſimè. Ego certè tàm publicæ Eccleſiæ, quàm meo nomine, privatim tantum mihi polliceor ex iſto Catholici Cleri Seminario, ex hac nobilium, & ingenuorum adoleſcentum caſtiſſima educatione, & informatione, quantum ex omnium aliorum Germaniæ Epiſcoporum ſcholis, ſtudiis, & impenſis, cùm indè non eruditi ſolùm, ſed, & ſanctiſſimis moribus imbuti homines expectentur. Quæ omnia, cùm ita ſe habeant, cùm Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Cardinalis, non modò omnes ſuas, & Epiſcopatus facultates, his rationibus, in uſus, tàm ſanctos, & utiles optimè collocarit; ſed etiam temporis iniquitate, belli, ac ſeditionum incommodo, ſumptuumque magnitudine obrutus, æs grande alienum conflaverit; unius, ac ſolius certè Pontificiæ liberalitatis erit, auxiliares adhibere manus, tàm præclariſſimas virtutes, nè ſub pondere concidant, & langueſcant, fovere; tot erga Sanctiſſimam Sedem Apoſtolicam, in Religionem, in Rempublicam merita agnoſcere, frequentiſſimas profectiones, itinerumque, cum valetudinis diſcrimine, varia pericula ponderare, & his omnibus digniſſima munera decernere. De veſtra quidem Sanctitate, minimè mihi dubium eſt, eam hujus optimi Cardinalis rationem habituram, inque illum, & Pontificiæ benignitatis theſauros, & benevolentiam priſtini amoris effuſuram. Sed quod idem hucuſquè non præſtiterint ſuperiores Pontifices, quibus, & ſuis meritis, & multorum commendatione notus extitit, miror equidem vehementèr, atque ità mecum ſtatuo, quæcumque tandem adverſa fortuna illi obſtiterit, eo in loco, ubi honorari, præmiiſque affici maximè debebat, nihil ejus ſua accidiſſe culpa. Quamobrem, Beatiſſime Pater, Domine mi colendiſſime, & clementiſſime, devotiſſimo ſtudio, oro, & obteſtor Sanctitaecem Veſtram, ut hunc nobiliſſimum, & ampliſſimum Cardinalem, quo nemo eſt Sanctitati Veſtræ obſervancior, nemo tot nominibus de Sacroſancta Sede, de Religione, de Republica magis meritus; nemo pro iiſdem tàm gravibus injuriis, damnis, & perſecucionibus, etiam ad ſanguinem uſque affectus, certis amplioribus redditibus, ac utili aliqua in ditionibus Eccleſiaſticis Legatione augeat, quo, & ferendo eſſe poſſit, exolvendoque æri alieno, & virtutibus ſuis neceſſarios nervos addere. Erit hoc Sanctitati Veſtræ, atque Deo Optimo Maximo gracum, Eccleſiæ, Religioni, ac Reipublicæ ſaluberrimum, & dignum immortalitate, ſequucurumque poſteritatis gratitudine. Ego ſanè quidquid illud erit beneficii, tàm gratum habebo, tanta animi devocione exoſculabor, ac ſi mihi ipſi contigiſſet; Veſtræque Sanctitati viciſſim ſtudia, atque officia paratiſſimi, & obedientiſſimi filii perpetua, & conſtanti fide offero, dedoque. Deus miſericordioſiſſimus eamdem Sanctiicatem Veſtram ad ſui laudem, & gloriam, Eccleſiæ, ac Reipublicæ Chriſtianæ conſolationem, & tutelam diù ſervet incolumem. Datum Auguſtæ Vindeliciæ, ex Comitiis Imperialibus, ipſa die Purificationis Sanctiſſimæ Virginis, & Matris Mariæ. Anno Chriſti MDLXVI.

E. Sanctitatis Veſtræ,

Obſequentiſſimus Filius

Albertus Dux Bavariæ &c.]

Pium autem, & inſignibus tanti Cardinalis meritis id exigentibus, & tàm Catholici Principis officiorum, quam debebat, ratione habita, ſingularibus beneficiis, illum proſequutum eſſe; ejuſdem Alberti literæ oſtendunt, quibus plurimas eo nomine Pontifici gratias agit. LX.

In his ipſis etiam Auguſtanis Comitiis proſcriptum fuiſſe rursùm tertio Idus Maji Vvilelmum Grumbacchium, qui

A qui jam ſub Ferdinando Cæſare noviſſimè damnatus fuerat, quique Herbipolitanum Epiſcopatum, antè triennium inſidiosè occupatum, diripuerat; nunc verò unà cum ſociis, apud Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem, in Gothana Arce morabatur; tradunt Iſſelt, Belcharius, Tracagnotta, & alii, licèt, & quidem minùs probabilitèr, id non Auguſtæ, ſed Viennæ, poſt Auguſtana Comitia ſtatutum aſſerat Thuanus; qui cum Grumbachio, proſcriptos quoque fuiſſe aſſerit Erneſtum Mundeolum, B Gulielmum Steinum, & ſocios, Grumbachii ſcelerum participes, & publicæ pacis perturbatores. Auguſtæ verò in Comitiis, decretum abſque dubio fuit, quod præ omnibus Maximilianus exoptaverat, prævalidum, nempè, ab Imperio contra Turcas ſubſidium; nàm prætèr illud, quod plurimi Principes ſe ipſos ultrò venturos ad Turcicam expeditionem exhibuerint; cuncti Principes, & Ordines Imperii (quod nullus C unquàm Cæſarum, ante Maximilianum obtinere potuerat) hoc anno tres Romanas expeditiones Cæſari polliciti ſunt. Singulæ autèm Romanæ expeditiones, ut obſervant Scriptores, priuſquàm diviſum, diminutumque fuiſſet Imperium, ex triginta ſex millibus peditum, & octo millibus equitum conſtabant; nunc verò infirmatis Imperii viribus, tertia pars detracta eſt. Ejuſmodi verò expeditiones, Romanarum nomen ſortitæ antiquitùs fuere, quòd D Romam adeuntibus Imperatoribus, imperiale Diadema à Summis Pontificibus ſuſcepturis, is peditum, equitumque numerus, honoris gratia, ab univerſo Imperio, pro comitatu deſignaretur: prætereaque Maximiliano in triennium una expeditio, & in ſex menſes dimidia conceſſa eſt, quibus ſubſidiis, haud majora certè ab ipſis hæreticis obtinuiſſet, ſi, ad illorum ſibi benevolentiam captandam, in Religionis, ac Fidei re indulgendum aliquid illis, E putaſſet; quo Evangelicum illud impletum videretur: iis nimirùm omnia adjicienda, qui primùm Dei Regnum, ac juſtitiam ejus quæſiiſſent.

Michel. ab Iſſelt hoc ann. pag. 11 Belchar pagin. 1075. Tracagnot. hiſt. lib. 9.

Thuan. hiſtor. ut ſup.

LXI. At, ſi in Auguſtanis Comitiis ſpiritualia à Maximiliano exigere Pontifex toto conatu ſtuduit; temporalia viciſſim, contra eoſdem Turcas præſidia, & eo tempore, & poſteà expetere à Pio Maximilianus non ceſſavit; cùm enim, & ſcripto, & voce, tùm iis quas propoſuimus Epiſtolis, tùm Cæſareo Oratori, ac cubiculario, à Maximiliano ad Pontificem, ut diximus, miſſo, ut Apoſtolicam ei gratularetur dignitatem, Pius ipſe præſentiſſimas, ſe Cæſari ſubminiſtraturum, ſuppetias pollicitus eſſet, ſi tamen nil contra Catholicam Religionem, Sedemque Apoſtolicam, in Auguſtanis Comitiis actum fuiſſet; cum jam, ea in re, omnia, ex Pii ſententia eventura præviderET, acrior, conditione propemodùm impleta, Maximilianus, ad exigenda ejuſdem Pontificis promiſſa inſurrexit, ac ad ipſius Epiſtolam, in qua de cubicularii legatione agebat, reſpondens, ea occaſione arrepta, auxilia ſollicitat, & promiſſis ſtare Pontificem monet. Dabimus hic literas utrinque ſcriptas, & eas quidem Maximiliani ad Pium ex proprio originali, Pii verò ad Maximilianum, ex Archivo Vaticano acceptas.

[Beatiſſimo in Chriſto Patri, Domino Pio Quinto, Dei Providentia Sanctæ Romanæ, ac Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Domino Reverendiſſimo.
Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Reverendiſſime.

Ex Archiv. Card. Alexand. MSS. Cod. 63.

Poſt officioſiſſimam commendationem filialis obedientiæ continuum incrementum. Quòd Sanctita Veſtra officium illud congratulationis, quod Sanctitati Veſtræ, ob adeptam, præteritis menſibus, Apoſtolici muneris dignitatem, tùm per literas, tùm etiam per cubicularium noſtrum, nobilem fidelem nobis dilectum Joannem Kevenhiller ab Aichilberg, prout debuimus, ſecundùm filialem noſtram, erga Sanctitatem Veſtram, obſervantiam impendimus, tàm paterno animo ſuſceperit, ſicuti ex literis Sanctitatis Veſtræ, die prima vertentis menſis datis, cognovimus, dictuſque cubicularius noſter, unà cum Oratore noſtro magnifico fidele nobis, dilecto Proſpero Comite Archinos latiùs, quoque informavit; id nobis ſanè, & meritò, maximam voluptatem attulit, quandoquidem in eo luculentiſſimè perſpeximus paternum Sanctitatis Veſtræ in nos amorem, quem nobis tantoperè integrum, & perpetuum conſervare, ac filiali obſequio fovere jugitèr cupimus.

mus. Quaproptèr Sanctitati Veſtræ pro hac ſua paterna voluntate, maximas habemus gratias, eamque in futurum, per omnem occaſionem, filialis noſtræ obſervantiæ officiis uberiùs etiam promereri ſtudebimus. Prætereà reddiderunt etiam nos certiores antedicti noſtri Orator, & cubicularius, quid Sanctitas Veſtra ad filialem, & officioſam requiſitionem noſtram, ſubſidii nomine, nobis, ad inſtantem expeditionem bellicam, contra perpetuos Chriſtiani nominis hoſtes decreverit, quod, & ipſum Sanctitatis Veſtræ optimum, & paternum erga nos animum, ac pium, & præclarum ipſius in Rempublicam Chriſtianam ſtudium declarat, & conteſtatur: quo nomine agnoſcimus, & profitemur nos itidem Sanctitati Veſtræ quæcumque grati, & obſequentis Filii officia debere, quæ etiam, ubi res poſtulaverit, ut in nobis deſiderari queant, non committemus. Sed quoniam contra tàm immenſam hoſtis potentiam, & in hac communi totius Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitate, validiſſimis auxiliis opus eſt, & Sanctitas Veſtra ſpem facit, hoſtili claſſe in maria iſta non veniente, ſe ad iſta ſubſidia tantum inſuper addituram, ut ad intertentionem quater mille peditum ſufficiant: injunximus proindè dicto Oratori noſtro, ut cum Sanctitate Veſtra hac de re ampliùs agat, quem Sanctitas Veſtra dignabitur benignè audire, atque id decernere, quod Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitas maximè poſtulat, & Sanctitatis Veſtræ pietas, ac ſumma erga nos benevolentia nobis pollicetur; factura in eo rem, ſua, & Apoſtolicæ Sedis amplitudine digniſſimam, & non noſtris tantùm Regnis, atque Provinciis, ſed toti quoque Chriſtiano Orbi utilem, & neceſſariam; cujus memoriam perpetuam conſervabimus, & ejus promerendæ nullam unquàm occaſionem prætermittemus. Deus Opt. Max. Sanctitatem Veſtram pro beneficio Eccleſiæ ſuæ, quamdiutiſſimè ſervet incolumem. Datum in noſtra Imperiali Civitate Auguſta Vindelicorum. Die XXIII. Aprilis Anno Domini MDLXVI. Regnorum noſtrorum Romani quarto, Hungarici tertio, Boemiæ verò decimo octavo.

Obſequens Filius
Maximilianus &c.]

A Non abnuit promiſſis manere Pius; verùm non quatuor, (ut ex ipſius Maximiliani mox in medium proferendis Epiſtolis elicitur) ſed tribus millibus militibus ſe ſtipendia, tantùm numeraturum, Pontifex dixerat. A Claſſis etiam turcicæ periculo, tantum abeſt, ut tùnc Mediterraneum Adriaticumque maria expertia eſſent, quòd illis fermè diebus, quibus iſta Maximilianus ſcribebat, ſextodecimo videlicèt Kalend. Maji, ut diximus, Chium Tur- LXII.
B cæ occupaverint; quod facinus, è veſtigio maritimarum Regni Neapolitani orarum populatio ſubſecuta eſt. Ad hæc, præter alia, Scotici tumultus acceſſerant, qui Mariam Reginam, ut dicetur, in graviſſimas anguſtias conjecerant, quibus, ut eam levaret, ſibi omni ſtudio connitendum, ex Paſtoralis officii munere, ritè Pius arbitrabatur; qui ad præfatas idcircò Maximiliani literas, non niſi in hunc modum reſpondendum cenſuit.

C

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Maximiliano electo Romanorum Imperatori.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter. ſalutem &c.

EX literis tuis, die 23. Aprilis datis, & ex Oratore tuo, M. tuæ deſiderium de augendo ſubſidio pecuniæ, ea benignitate cognovimus, ut ſi facultates *Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.*
D *noſtræ ipſi animi noſtri propenſioni pares eſſent, ejus poſtulationi cumulatiſſimè ſatisfacturi fuerimus. Adeò enim in tanti belli neceſſitate, dignam illam omni à nobis auxilio putamus, ut non pecuniâ modò, ſed ſanguine ipſo, ſi poſſemus, ei ſubvenire, à Nobis æquum fore cenſeamus. Verùm, poſt illud tempus, quo majoris ſubſidii ſpem ſibi à Nobis factam fuiſſe Majeſtas tua ſcribit, accidit, præter opinionem noſtram, ut Reginam*
E *Scotiæ ab hæreticis vexatam, & in maximum Regni, ac vitæ ipſius periculum adductam, pecunia juvare coacti fuerimus; cùm nefas fuerit, Reginam, tàm Catholicam, in tanta neceſſitate deſerere. Accidit præterea, ut magnis præſidiis munire cogamur Oppida maritima utriuſque maris, noſtræ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditionis, ad quæ tuenda multò majore pecunia eſt opus, quàm fuerit mittenda dilecto Filio Magiſtro*

 Hoſpi-

Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, Inſulæ Melitæ tuendæ cauſa : tametſi quoque non multò majorem pecuniam ſubminiſtrare cogamur ad ipſam Inſulam muniendam : atque has impenſas facere cogimur, cùm tamen nullum ipſi ſubſidium à populis Eccleſiaſticæ ditionis exigere poſſimus, propter graviſſima onera, quæ ſuperioribus annis illis injuncta fuerunt, eis parcere coacti. Quæ cùm ita ſint, Majeſtati tuæ promiſſum à Nobis pecuniæ ſubſidium, ad conducenda tria peditum millia, omninò præſtabimus; ſed ſi in præſenti majorem pecuniam Majeſtati tuæ non promittimus, Majeſtas tua certum habeat, non voluntatem Nobis deeſſe, ſed facultatem; ac tamen, ſi poterimus, plus etiam, quàm polliciti ſimus præſtabimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die XV. Maji MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo)

LXIII. Onera autem gravia, & importabilia, ut ſubſidia Germanis ſubminiſtraret, ſuper ſubditorum ſuorum humeros imponere Pius recuſavit, nè ut iſtis (ut Apoſtolus loquitur) remiſſio, illis fieret tribulatio: inhiantibuſque cuncta abſorbere, providus, communiſque Pater plura ſubtrahere debebat, quibus, egentibus aliis filiis ſubveniret. Iniquo autem animo ferebant Germani, auxilia à Pio, Scotiæ Reginæ ſuppeditari, quòd omnem Pontificis pecuniam exhaurire ipſi, cunctaque ejuſdem beneficia, in ſe tantùm collata voluiſſent, detractumque ſibi, quod aliis tributum eſſet, exiſtimarent; effutientes, (ut Caligarius in Epiſtola ad Cardinalem Commendonum, ſub die xx. Maji hujus anni ſcripta narrat) Pontificio hoc præſidio, Scotiæ Reginæ præſtito, perduellibus hæreticis Scotis, & Anglis, ulteriùs indignatis, eiuſdem Reginæ res in deterius prolapſuras. Verùm his, ut videbimus, nihil commotus eſt Pius, qui licèt illam, quam iteratis vicibus, pollicitus fuerat Maximiliano perſolvendam pecuniam, ad Cardinalem Commendonum jam miſiſſet; Commendonus tamen minimè eam eidem Cæſari duxerat numerandam, donec nimirum, Comitiis fine impoſito, Sedis Apoſtolicæ, ac Religionis res in tuto eſſent; nàm tunc, inquit Gratianus, (*Pius Pontifex quinquaginta millia nummorum aureorum tribus penſionibus ſolvenda, Maximiliano, ejus belli cauſa, dono dedit; quam pecuniam Commendonus Auguſtam ad ſe miſſam, ad Concilii finem, eo dimiſſo, omnem ſimul, conſulto tamen priùs Pontifice, Cæſari repræſentavit.*) Sic ille :

Ex M. SS. Card. Spad. Ibid. ut ſup.

Gratian. Vit. Commendon. lib. 3. cap. 2. pagin. 140.

Verùm Maximilianus, neque accepta pecunia, neque allatis Pii literis acquievit, ſed haud multò poſt, ubi Auguſta Vindelicorum, Comitiis abſolutis, ſe Viennam contulit, aſſimulatas ſpecies, quibus majora ei præſtare ſubſidia Pontifex detrectaverat, jam è medio ſublatas contendens, aliis ipſum literis, & per Oratorem ſuum urgere duxit : Epiſtola ſic ſe habuit :

[Beatiſſimo in Chriſto Patri, Domino Pio Quinto, Divina Providentia, Sanctæ Romanæ, ac Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Domino Reverendiſſimo.
Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Reverendiſſime.

Ex ipſo original. Ex Archiv. Card. Alexan. M.SS. Cod. 10. 65.

Poſt officioſiſſimam commendationem, filialis obedientiæ continuum incrementum. Benignum, & paternum Sanctitatis Veſtræ deſiderium, quo Sanctitas Veſtra ſeſe teneri oſtendit in literis ſuis, decima quinta præteriti menſis Maji datis, nos in præſenti noſtra bellica difficultate, majore ſubſidio pecuniario juvandi, ſi facultates propenſioni animi ſui pares eſſent, nobis ſanè longè gratiſſimum accidit. Etſi enim Sanctitas Veſtra de petito augmento nobis nihil certi pollicetur; cùm tamen interea, nihilominùs nos certos facias in præſtando illo, quod nobis ad conducenda tria millia peditum promiſit, nullam difficultatem fore, & ſperandum ſit, impedimenta illa, quæ Sanctitas Veſtra oſtendit benignæ voluntati ſuæ obſtare, partim jam ſublata eſſe, reliqua verò ſimilitèr facilè de medio ſublatum iri; in magnam profectò ſpem erecti ſumus, Sanctitatem Veſtram, ubi intellexerit, Principem Turcicum jam ad fines Regni noſtri Ungariæ acceſſiſſe, & nos quoque propediem, ſimul atque copiæ noſtræ omnes convenerint, in expeditionem eſſe exituros; pro paterno ſuo in nos amore, ac pio, & præclaro in rem Chriſtianam ſtudio, adhùc omnes rationes, & vias inituram, per quas in præſenti ſumma, & publica neceſſitate, ampliore aliquo ſubſidio, eoque celerrimo, à Sanctitate Veſtra

Veſtra adiuvari queamus: quo nomine A *Sanctitatem Veſtram enixè rogamus: & quoniam mandavimus Oratori noſtro magnifico, fideli, nobis dilecto, Proſpero, Comiti Archi, ut Sanctitatem Veſtram ſubindè hac de re reverenter admoneat; ſupervacaneum duximus Sanctitati Veſtræ prolixioribus literis tædium afferre, & cauſas, ac rationes hujuſce filialis petitionis noſtræ diffuſiùs commemorare; cùm, & Sanctitati Veſtræ, & omnibus hominibus ſint notiſſimæ. Cæterùm Sanctitas Veſtra in eo* B *faciet rem, non modò utilem Regnis, ac Dominiis noſtris, ſed, & pietate ſua, & amplitudine Sedis Apoſtolicæ digniſſimam. Nos certè hoc tàm præclarum paternæ ſuæ in nos benevolentiæ ſtudium, mutuis filialis noſtræ obſervantiæ officiis, per omnem occaſionem, erga Sanctitatem Veſtram promereri connitemur. Quam Deus miſericors, ad beneficium, & commodum Eccleſiæ ſuæ plurimos in annos ſalvam, & ſoſpitem conſervare dignetur.* Datum in Civitate C noſtra Vienna, die prima Julii. Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Regnorum noſtrorum, Romani quarto, Ungarici tertio, Boemiæ verò decimo octavo &c.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ.

Obſequens Filius

Maximilianus.]

LXIV. At Pius, qui minimè aſſimulatis cauſis, ſed veris, majora ſubſidia ſe D Cæſari præbere non potuiſſe, ingenuè denuntiaverat; iis exceptis, quæ ſuperioribus literis ad eumdem Maximilianum ſcripſerat, nil præterea habuit, quod ei reſponderet. Leniter corrigendum tamen putavit, quod ad omnes rationes, viaſque ineundas cogendæ pecuniæ hortatus eſſet; cùm ipſe in propoſito, ſuſceptoque conſilio permaneret, nullo modo, quo, vel inſtitutum ſuum, vel conſcientia læderetur, à ſe pecuniam corradendam; nàm E parùm æqua ratione conflata, & ſibi damno, nec ipſi profutura eſſet, in cujus commodum ceſſiſſet, Maximiliano. En Epiſtola ab eo ad ipſum Cæſarem ſcripta.

A [Chariſſimo in Chriſto Filio, Maximiliano, Ungariæ, & Boemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem electo.

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

B *Ex literis tuis, datis die prima Junii, & ex Oratoris tui accurato ſermone, cupere te inteleximus, augeri à Nobis illud pecuniæ auxilium, quod hoc bello tibi ſubminiſtraturos Nos eſſe promiſimus. Id tua Majeſtas, videlicèt, poſtulat, quia minores Nos hoc tempore ſumptus facere putat, quàm tunc faciendos Nobis eſſe putabamus, cùm illam Majeſtati tuæ pecuniæ ſummam promiſimus. Utinam autem Majeſtatis tuæ deſiderio ſatisfacere poſſemus; non id ei eſſet, quàm Nobis ipſis jucundius;* C *qua enim in re honeſtiùs, pecuniam erogare poſſemus, quàm in te, chariſſimo, & piiſſimo Filio noſtro, in tanti Infidelium belli diſcrimine largiter adiuvando? Sed illam ipſam pecuniam, quam ſingulis menſibus Nos ſoluturos eſſe polliciti fuimus, non ſine difficultate conficere poſſumus. Etenim in maximis Ærarii Apoſtolici anguſtiis, plurimos, ut anteà ſcripſimus, ſumptus facere cogimur; nàm, & oræ noſtræ oppida, ſuperi, atque inferi maris, non parvis præſidiis tuenda* D *Nobis ſunt, adversùs ingentem Turcarum Claſſem, ac prædones Mauros, quibus hæc maria redundant; & ad muniendam Inſulam Melitam, Magiſtroque Ordinis Militum Sancti Joannis Hieroſolymitani, adeò de Chriſtiana Republica optimè merito, non potuimus auxilium menſtruum ſatis magnæ pecuniæ denegare. Miſimus præterea nupèr pecuniam ſatis magnam chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Scotiæ Reginæ Illuſtri, ad ſalutem ipſius, & Regni illius, contra nefarias hæreticorum* E *inſidias, defendendam. Itaque tantum abeſt, ut ſumma ſumptuum noſtrorum imminuta fuerit, ſicùt Majeſtas tua putat, ut etiam creverit in dies, & creſcat. Cogendæ verò pecuniæ nullam rationem inire volumus, quæ inſtituto noſtro adverſetur, & conſcientiæ repugnet; tali enim modo confectam pecuniam, illis, quibus mitteremus nocitu-*

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

ram potiùs, quàm profuturam eſſe vereremur. Quapropter rogamus Majeſtatem tuam, ut excuſationem noſtram, ea, qua decet animi æquitate, & quòd ejus deſiderio non ſatisfaciamus, id non voluntati, ad cujus propenſionem nihil accedere poteſt, aſſignet, ſed noſtris difficultatibus tribuat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die xij. Julii MDLXVI. Pontific. noſt. ann. primo.]

LXV. Nihilominùs præter ea, quæ pollicitus fuerat, jamque præſtiterat Maximiliano, nulla in re, quam æquè potuit, ei Pium defuiſſe, ea demonſtrant, quæ his verbis narrat Gabutius. [*At verò Pius, Cæſaris rerum anguſtia perſpecta, ad eam rem ſexaginta millia nummorum aureorum ei decrevit, pollicitus alia prætereà quinquaginta millia in annos ſingulos, donec bellum conficeretur, ac paulò poſt eidem petenti, alia quoque triginta millia, ad oppidum Caniſiam, aliaque loca contra Turcam in Pannonia communienda, Venetiis numerari juſſit; aliam porrò grandem pecuniarum vim, ad id paſſim elargitus.*] Sic ille, qui alibi referens, quàm longè abeſſet Pontificis ipſius animus ab omni avaritia, ac ab omni, vel in ſpeciem, minùs recta cogendæ pecuniæ ratione abhorreret. [*In ſociali,* inquit, *bello, de quo inferiùs ſuo loco, contra turcas, cùm pecuniarum magna premeretur inopia, atque ei complures ſupplices libelli, de Beneficiorum, quos vocant, regreſſibus, offerrentur, ac de ſolvendis legibus, atque aliis abundè colligendæ pecuniæ artibus, multa referrentur; audiit ille quidem omnia, quaſi oblatam vellet occaſionem arripere, ſed mox: avertat,* inquit, *hoc à me Deus, ut, pietatis cauſa, quidpiam agam, aut permittam, quod vel minùs pium, vel avaritiæ ſpeciem præſerre videatur. Inter hæc verò libellos ipſos omnes in ignem conjecit &c. Quidam, capitis damnatus, quòd ſub alio Pontifice eadem feciſſet, nummum aureorum decem millia, pro ſui redemptione, vel ſupplicii commutatione, cum ſe depenſurum offerret; eam pecuniam accipere Pius, non ſolùm recuſavit, ſed, ut lege in eum ageretur, imperavit, atque ideò in alios pleroſque reos ſe geſſit.*] Et poſt nonnulla [*Hiſpani viri quidam Principes, conjugii cauſa, ſolvi ſe legibus poſtulantes, ut voti compotes fierent, ſe nummum aureorum quindecim millia Pontifici penſuros obtulerunt: quod, cùm ille intelligeret, poſtulatorum momenta diligentiùs recognoſcens, eaque videns, ejuſmodi eſſe, ut id fieri liceret, illis indulſit, nulla recepta pecunia. Objicienti Datario, eam ſummam, ſalvis legibus, accipi poſſe, atque in pios uſus impendi: ſubjecit Pius; verba Concilii ſunt: rarò, ex cauſa, & gratis. Quemdam, exquiſitis, callidiſque actibus inſtructum, conditiones multas, atque exigendæ pecuniæ modos, abſque populorum damno, uti dicebat ipſe, proponentem; non modò non audiendum Pius putavit, ſed etiam Româ quamprimùm juſſit abſcedere, improbabile videri, poſſe Principem id ſine populorum detrimento præſtare. Verùm id illi ſolemne fuit; nèc tamèn quid poſſet, ex re qualibet obvenire compendii, quàm quid juſtitia, quid æquitas poſtularet, ſpectare conſueverat. Intelligebat enim, nullum vitium eſſe tetrius avaritiâ, præſertim in Principibus, ac Rempublicam gubernantibus.*] Iſta, ex Gabutio, occaſione eorum, quæ ad Maximilianum Pius ſcripſit: ad propoſitum redeamus.

Gabut. Vit. Pii lib. 2. cap. 3. pagin. 53.

Ibid. lib. 5. cap. 4. pagin. 207.

LXVI. Eodem tempore, quo Maximilianus Auguſtana Comitia habebat; ipſiuſmet frater Carolus, Hungarorum alia Poſſonii, Pannoniæ oppido celebravit, in quibus ejuſdem Regni Procerum, ad auxilia ſuppeditanda ſic paratos, promptoſque reperit animos, ut non ſolùm cunctis, quæ petiit annuerint; ſed inſupèr ultrò, non ſua modò, ſed ſeipſos etiam periculo, pro tàm juſta cauſa, objecturos profeſſi fuerint. Eadem pariter, nec diſpari animo, in Viennenſibus Comitiis (quæ Carolus idem poſt Hungarica Poſſonii, ea in Urbe coëgit) ab Auſtriacis, contra Turcas ſunt decreta ſubſidia; nàm ex ipſorum conſenſu collationes pecuniarum, & alia, ad ejuſdem Viennæ præcipuè munitiones inſtaurandas, factæ ſunt; & ad impiiſſimi tyranni impetus confringendos, cuncta diſpoſita; quapropter Caniſia, Giula, TocKayum, aliaque Ungariæ Loca, firmis propugnaculis, præſidiiſque muniuntur; undequaque, in Auguſtanis, Poſſonienſibus, & Viennenſibus Comitiis promiſſis auxiliis, ſummo ſtudio à Cæſare adſcitis, qui etiam præcepit præcipuis Germaniæ Ducibus, ut militem paſſim conſcriberent, ut Natalis Comes, inter alios refert,

bel-

Natal.Com. Hiſtor. bellicos Maximiliani apparatus ſic deſcribens : [*Jubet, Philippum Badenſem Marchionem trecentos equites colligere, Ludouicum Ugnotium mille, Bucchardum Comitem Oradienſem, Jacobum Caucum, Chriſtophorum Schellenduſium, Georgium Praunenſem, mille equites ſingulatim jubet colligere. Gunterum Comitem Sebborzpurgenſem mille ducentos, & quinquaginta, Chriſtophorum Liechtenſteinum trecentos, Zachariam Grumbergum mille, & alios prætereà Duces, ac Tribunos alios numeros* B *equitum &c. Dux Ferrarienſis obtulit tria millia peditum per Gaſparem Lodronium, ſeque ad illud bellum ipſum etiam venturum. Promiſit accedere, & Vulfangus Dux, & Richardus cum multa ala equitum Filius item ſecundus Bavariæ cum magno equitum armatorum globo, multiſq; etiam Germanorum peditum regimentis. Promiſit, & Andrianus Balleonus, Proſper Columna, Aurelius Fregoſus, Nicolaus Pitilianenſis regulus cum multis Italis. Epiſcopus Bregetienſis* C *triginta bellica tormenta Cæſari dono mittit; Arrobrigenſes trecentos cados plenos pulveris tormentarii; ſic fiebat, ut per varia Principum Civitatumq; munera, mi intrium ad pontes, annonæ, machinarum belliearum, tormentorum, omnium bellicorum apparatuum facis abundans copia ſuppeteret; nàm reliqui ferè omnes Chriſtiani Principes auxilia pro viribus ſubminiſtrarunt; itaut ad Solimani adventum, ferè centum millia armatorum eſſent in Cæſarianis caſtris.* D *Cæſar cum magnis armatorum copiis, Juliobona exit, & ad Bregetium caſtrametatur in planitie, factis vallis, & aggeribus, ac foſſis milicaribus, & caſtrenſibus. Imperata ſunt inſtrui, & multa navigia, quæ per Danubium navigarent, quinque phaſelli, ſcilicet, octo Triremes, ac trecentæ Naſades, quæ navigia ſunt triginta remis impulſa, grande tormentum bellicum geſtantia. His ſingulis gubernandis Græci homines præfecti ſunt, ut rerum maritimarum* E *periti &c.*) Hæc ille:

LXVII. Dum verò Maximilianus tanto ſtudio copias, aliaque ad bellum gerendum cogebat, paci etiam, omni conatu, operam dabat; ad hoc Conſtantinopolim ad Solimanum miſſo legato, quem tamen tyrannus, pro innata arrogantia, neque conſpectum, neque auditum in vincula conjici juſſit; & licèt morbis, & annis, ætate gravitèr affectus, ad bellum nihilominùs Cæſari inferendum, per ſeipſum paratus. Ad hoc gerendum, ſtudium eluendæ ignominiæ Melitenſis cladis præteriti anni, ſuperbi hominis animum impulſum tradunt; qui cùm concepti furoris conſilia intelligi comperiſſet, atque vulgari ab Albertaccio Alberto, ſolertis ingenii viro, ac Florentini Ducis provido Oratore, Conſtantinopoli tunc commorante; intra menſem alterum, humanitèr quidem, præter barbaricam conſuetudinem, è toto Imperio eum excedere imperavit. Quæ autem, ad explendam iræ, & vindictæ famem in Chriſtianos Solimanus paravit, ſic recitat præfatus Natalis Comes:

(*Solimanus Bizantis apparatus bellicos ſingulari diligentia procurare: omnes quotquot commodè poſſet, non ſolùm terreſtres copias, ſed etiam ingentem Claſſem inſtruere; undique remiges Bizantium, & in minorem Aſiam acciri jubere; ſupremæ authoritatis purpuratus inſtare artificibus, in navali cum purpurato rebus maritimis Præfecto.* (*nàm Solimanus non erat, niſi inſtructa Claſſe, Bizantio exiturus*) *navem actuariam, & duas mabonas campeſtribus tormentis currulibus, & multo ferro laborato, ad multa artificia, & globis ferreis, & aliis bellieis apparatibus oncrari, quæ per Danubium ad caſtra conveherentur. Jubentur omnia Turcica navigia bellica, per Danubium navigantia, Taurumnum convenire: conceditur licentia Jannizzeris de more, per has opportunitates, ut equos capiant, ubicumque invenerint. Solimanus jubet proponi ſuſpendii ſupplicium, niſi omnes copiæ conveniant Bizancium ad ſept. Kalend. Maji. Jubet, quantum fieri poſſet, copiarum Georgianorum convenire, qui ſunt populi agreſtes, ſanè feroces, Armeniæ finitimi. Jubetur Ferratus Purpuratus Curtenſis, caſtra cum Tranſylvano conjungere. Schander Purpuratus præficitur Bizantio. Selimus, ſimulato metu, & trepidatione, ob bellicos motus Regis Perſarum, in his finibus cum quadraginta millibus equitum relinqui procurat, cum imperio rerum bellicarum ad illos fines tutandos. Mahometus, vir callidus, & gnarus, qui eſſent domeſtici, & participes conſuctudinis Imperatoriæ, cùm omnia propè ſint venalia apud Turcas, quamvis putabatur forc privatus*

Natal.Com. ut ſup.

tus à Præfectura Nicomediæ; tamèn per A *largitiones, purpuratis, & Solimano ſibi conciliatis, ſufficitur in Memphiticam Præfecturam: qui, ut ſtudere rebus Imperatoris videretur, Deoſque ipſi Imperatori conciliare propitios, cùm jubeat lex, Turcas omnes à vino abſtinere: ut dictum eſt, curavit ibi, ut omnia vaſa vinaria infringerentur, præter illa, quæ eſſent in cornu Bizantii, ſi qua reliqua eſſent inventa; atque, nè quid contra leges ſuas ſacras commiſſum, divinam indignationem provocaret in Turcas,* B *proponit capitale ſupplicium denuò vinum bibentibus, ubique, præterquàm in cornu Bizantii*) Et poſt alia nonnulla (*Aſciſcit quadraginta Scytarum millia ad illam expeditionem. Maritimi quoque apparatus fiunt ſingulari induſtria, quippè cùm jam triremes omnes, & remiges eſſent parati in Cilicia, & Bizantii, & panis nauticus in uſum Claſſis, tùm Bizantii, tùm in Calcide Eubeæ fieret magno ſtudio &c.*) ſic Comes: C

LXVIII. Cùm autem dicat, Solimanum Ferrato purpurato Curtenſi caſtra cum Tranſylvano jungere præcepiſſe; ſciendum eſt, id à Solimano, ea de cauſa imperatum, quòd Tranſylvanus, Joannes nomine, eumdem turcarum tyrannum, (qui ut diximus, ob Melitæ infauſtum facinus, mala jam, & vindictam in Chriſtianos furenter commoliebatur) ad Pannoniam aggrediendam impulerit. Erat is, (ut Michael ab Iſſelt tradit) Joannis Zapoliæ filius, D potentiſſimi Cepuſienſis Comitis Stephani Palatini Tranſylvaniæ nepos, cujus patrem, Ungariæ poſſeſſione dejectum, Solimanus Regno reſtituit. Quo mortuo, cùm Ferdinandus Cæſar jure ſucceſſionis regnum repeteret, Budamque obſideret; Joannes hic infans, Buda obſidione liberata, cum matre in Tranſylvaniam ablegatur, Ungariamque per ſuos Præfectos Solimanus defendit, atque ipſum deindè Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæque regali titulo E inſignivit. Maximilianus verò ad Imperii apicem evectus, non modò Solimano tributum, à Ferdinando Patre, ob Pannoniæ Regnum, concedi ſolitum, perſolvere reſpuerat; ſed inſupèr præfatum Tranſylvanum bonis expoliaſſe, & præter alia, ejuſdem Oppido, Riſpia contra Danubium, & Tatta occupatis, Strigoniam etiam aggredi, ejuſque potiri, meditatum fuiſſe tradit Natalis Comes. Verùm Michael ab Iſſelt probabiliùs aſſerit, Maximilianum munitiones Tranſylvano, ToKayum, videlicet, Zerenticium, Satmaram, Ordodum, Bathorum, aliaſque tunc tantùm præripuiſſe, cùm jam certò Pannoniam petiturum Solimanum intellexiſſet; quo enim ad Tattam, & Riſpiam, vi, & armis, cùm jam bellum inter Ceſarianos, ac Turcas committeretur, captas à Cæſare, duntaxàt eſſe, cuncti fere Scriptores teſtantur, & infra dicetur. Joannes igitur, cùm ſe Maximiliano imparem agnoſceret, nec ad eum propulſandum vires è Pannonia ſuppetere; ad illum confugit, ut firmaretur in Regno, à quo fuerat conſtitutus in ſolio, certoque percepto nuncio, Solimanum ſibi opitulaturum, petiturumque Ungariam, & Maximilianum, ut ipſi obſiſteret, Auguſtæ Viennæ, & Poſſonii, quæ diximus Comitia congregaſſe; non modò ingentes bellicos apparatus, copiaſque cogere ſtuduit, ac ipſe etiam ſuorum Comitia habere voluit; verùm etiam editis ſuis literis, Pannonum animos, ut in ſuas partes tranſirent, provocavit. Ejuſmodi fuerunt eæ litteræ.

(Joannes II. Dei gratia electus Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex.
Præſtabiles, Magnifici, egregii,
nobiles, nobis ſincerè dilecti
ſalutem, & gratiæ noſtræ
erga vos benevolam oblationem.

Potentiſſimus Imperator Turcarum, Benefactor noſter clementiſſimus, per literas, per præſtantem Guiſum, & Legatum ſuum proximè ſeriò nobis mandavit, ut univerſos Status, & Ordines Regni Hungariæ, ad fidem, & obſequentiam nobis præſtandam benevolè hortemur. Pergratum enim ſibi videri, ſi mutuam inter ſe Hungari concordiam amplecterentur, & eam conſtanter foverent, ac obſequentiam in nos paribus votis conteſtarentur. Indè enim afflicti Regni Hungariæ publica conſervatio, & ſtatuum, & omnium ordinum quies, & tuta cuique in ſuis ſedibus permanſio contingeret, neque magnitudo illius totiès inſtituere copias militum, phalanges conſcribere, ad bellum, expe-

Apud Natal. Comit. lib. 16. pagin. 346.

expeditionem tantis ſumptibus movere, nec tàm laborioſa, tàmque longa itinera ſuſcipere cogeretur. Mandat autem magnitudo illius, reſipientiam maturè fieri oportere, antequàm ipſa in perſona ſua, citrà fines Hungariæ cum ſuis copiis penetret, nè, dùm Cæſaris perſona moverit, & vires illius intra viſcera Regni curſitabunt, fruſtra ſalutem meditentur. Nos igitur pro functione noſtra, & propenſa benevolentia, qua in publicum bonum afficimur, & Hungaros noſtros tueri, ac ruinam publicam propulſare nitimur, de mandato benigno ipſius Imperatoris potentiſſimi reſpondere volentes, hortamur clementer, & officiosè univerſos, & ſingulos Ordines, & Status, ac univerſitatem quoque nobilium ipſius Comitatus veſtri, ut tanta Dei benignitate, ut par eſt, perpenſa, quam per ſummum Monarcham, toto Orbe potentiſſimum, vobis offerre dignamur; ſimul etiam bonum publicum, & conſervationem Regni, perſonarum veſtrarum, liberorum, familiæ, & cunctorum ad vos pertinentium; tutam item, & ſecuram in ſedibus veſtris quietem ob oculos habentes, jam tandem reſipiſcite, capeſſite tempeſtivè nobiſcum Rempublicam, &, dùm licet, liberis veſtris, fractiſque rebus communis patriæ ſuccurrere; eam ab imminentibus potentiſſimi Principis copiis, obſequentia, & fide veſtra erga nos propugnare, hoſtilia bellorum molimina, & injurias barbaricas evitare ſatagite. Quantum ad nos, ſolitamque clementiam noſtram erga vos attinet, dabitur opera, nè vel hoc tempore noſtri diſſimiles judicemur; imò quoque apud potentiſſimum Imperatorem noſtrum Patriæ veſtrum, & afflicti Regni noſtri Hungariæ ſalutem, totis viribus promovere, firmareque ſtudebimus, nihil prætermittentes, quod ad concordiam Chriſtianorum, & Patriæ ſubditorum ſuorum amatoris Principis munus attinere cenſebitur. Cùm autem certæ, ac arduæ cauſæ inſtent, de quibus vos cum fidelibus noſtris dominis regnicolis conferre, & decernere oporteat; ob hoc, communicatis conſiliis cum dominis conſiliariis, aliiſque præſtantibus viris, nobiſcum exiſtentibus, ſtatuimus fidelibus noſtris dominis regnicolis Hungariæ, & Univerſitati trium Nationum Tranſylvanicarum ad Dominicam Reminiſcere, nunc venturam in Oppido noſtro Thorda partialia Comitia indicere, & ex uſu publico de cunctis negotiis imminentibus deliberare; ac ut ſumptibus parceretur, de ſingulis Comitatibus, quatuor præſtantes viros, cum plena informatione eò tranſmittendos eſſe. Proindè vos harum ſerie, benevolè hortamur, ut, viſis præſentibus, ſtatim potiores perſonas fratreſque veſtros ex illo Comitatu deligere, & eos ad præſcriptam Dominicam Reminiſcere, cum plena inſtructione, & authoritate concludendi, ad ipſa Comitia Thordam mittere debeatis, cum quibus præſentibus ibidem, aliiſque noſtris fidelibus regnicolis de inſtantibus, & neceſſariis Regni noſtri rebus, & negotiis, pro dignitate noſtra, & conſervatione Regni noſtri utilitèr conferre, & decernere queamus. Secùs igitur, patriæ conſervationi conſulere volentes, non feceritis. Datæ in Civitate noſtra Alba Juliæ anno 1566.

LXIX. Sic, dùm propriæ ambitioni Tranſylvanus ſtudet, barbaricæ ſervitutis jugo Pannoniam ſubjicere non veretur; Chriſtianitatemque totam diſcrimini offerre non dubitat. Non defuiſſe, qui ad ſaniora conſilia ipſum hortati fuerint, ut ſcilicet, deſerto Turcico fœdere, cum Chriſtianis Principibus ſe conjungeret; aſſerit Raemundus; ſed contrarium totum ei Petrovitium hæreticum facilè perſuaſiſſe, tradit. Mirum tamèn haud eſt, ità Chriſtianorum parvipendiſſe ſalutem, Principem, qui turpitèr à Chriſto defecerat, turcarumque tyrannidi fideles tradere contendiſſe, qui Chriſto eidem Divinitatem eripere conatus fuerat. Eodem ſiquidem propè tempore, quo ipſe Thordæ ſuorum, ut diximus, Comitia cogi imperavit, ut Solimano auxilia, ad ſubjiciendam ſibi Pannoniam pararet: Varadini in Tranſylvania etiam diſputatio habita eſt, in qua coram ipſo Joanne Tranſylvaniæ Principe, ex Calviniano, Arriano facto, litiſque Judice conſtituto, inter Georgium Blandratam, (ut ſcribit Spondanus) & Franciſcum Davidis Arrianos, ejuſdem in Eccleſia totiès damnatæ impudentiſſimæ hæreſis, (cujus præcipuum Auctorem Joannem Gentilem, Valentinum Conſentinum Italum faciunt: quem hoc ipſo anno Bernæ ſcelerum luiſſe pœnas retulimus) ſectatores: & Petrum Caroli, Petrum Milium, nonnulloſque alios Luteranos ſimul, ac Calvinianos, oppoſitam unà ſententiam tuentes,

tes, acritèr de hac re actum eſt. Cujus A
impudentiſſimi jurgii is fuit exitus, qui ab hujuſmodi colloquio, cui tamquam arbiter, ac Judex Princeps præerat (qui authoritate terreret, in ſuamque ſententiam diſſidentes timore, ac minis adduceret; ſtolidus inſuper, funditùſque omnis ſcientiæ expers, quique obſtinato jam animo Arrianiſmo nomen dederat) expectari poterat; ut plerique, nempè Calvinianorum, in gratiam Principis, cum Blandrata ſentire, aut ſimulaverint, aut ſeriò aſſeruerint, Calvi- B
niſmum ad Arrianiſmum, & Mahomettiſmum gradum exiſtere. Calviniſtarum tamèn nonnulli ſe, ſuamque cauſam melioribus temporibus reſervare maluerunt. Blandrata verò, & Franciſcus Davidis, miris de Calviniſtis triumphis actis, nefarii colloquii, ut libuit, acta conſcripſere; additque Spondanus, duos libros, contra Sanctiſſimam Trinitatem edidiſſe; juveneſque, præ cœteris, ingenio pollentes, ſelegiſſe, quos in Italiam miſerunt, ut cum C
Judæis conſuetudinem, Venetiis præſertim, ac Patavii inirent; ac ab eis, artem omnem, ac modum, Chriſtum maledictis omnibus, ac blaſphæmiis proſcindendi, perdiſcerent. Jacobo inſuper Paleologo, homini græco, corrigendæ Bibliæ poteſtate facta; ex Germania Homerum quemdam, loquacem, ac perverſum hæreticum, & græcæ linguæ non ignarum; & ex Polonia Matthiam in hæbræa peritum evocarunt; ut nil intentatum relinquerent, quo D
virus ſuum in Chriſtum evomerent. At quemdam Gregorium Pauli, qui omnium primus, eo perverſæ doctrinæ genere Poloniam corrupit, pictas tabellas in lucem edidiſſe, refert Spondanus idem, Templi effigiem repræſentantes, cujus tectum Lutherus dejiciebat, parietes Calvinus diruebat; ipſe verò cum ligone fundamenta ſubruebat; cùm ſcilicèt doctrinam de Sanctiſſima Trinitate everteret: non omnia revelata fuiſſe Luthero dicens, ſed plura E
Deum dediſſe Zuinglio, plura adhùc Calvino, ſed majora ſibi; addebatque ſperare plura etiam Dominum revelaturum. Iſta apud Spondanum: verùm hæc omninò haud veritati conſona videntur, nàm, ſi pictis tabellis, perverſæ mentis conſilia patefeciſſet Gregorius, ut refert; non ad errores amplectendos, ut exoptabat, homines allicuiſſe viſus eſſet, ſed potiùs ab erroribus abhorrere, ipſorum oſtenſa fœditate, docuiſſet; cùm, è contrà, licèt perſæpè ad ſummam impudentiam perveniant hæretici, ut plurimùm tamèn, quò meliùs decipiant, non mala oſtendunt, ſed bona pictè jactant: & ut dicit Gregorius (*quamvis contra veritatem intùs ſuperbiant, exteriùs tamèn in verbis humilitatem per ſimulationem ſectantur*) Alicujus igitur Catholicorum, nefandiſſimarum hæreſum effectum exprimere volentis, ut odio haberentur, pictas ejuſmodi tabellas opus fuiſſe, cenſendum meliùs videtur; ſi tamen verum extitit, quod eæ prodierint.

D Gregor. in Cantic. cap. 2.

LXX. Tot in Pannoniam irruentibus malis, ex Paſtorali ſollicitudine occurrere volens Pontifex, unicum, quod ſupereſſe tunc poterat, medicamentum, languido Regno, vix ad Petri Cathedram evectus, adhibuerat, operam dando, ut in eo, Sacroſancti Tridentini Concilii decreta in mores inducerentur, ſcriptis ad hoc Apoſtolicis Literis Archiepiſcopo Strigonienſi, Regni ejuſdem Primati, & Suffraganeis ejus; quos etiam de hoc, ac de aliis ad Eccleſiarum Hungaricarum ſecuritatem, ac utilitatem pertinentibus, à Fratre Antonio de Groſupto, Ordinis Prædicatorum alumno, viro, tùm eruditione, tùm probitate vitæ clariſſimo commoneri voluit. Literæ Pii ejuſmodi fuerunt:

[PIUS PAPA V.

Venerab. Fratri, Archiepiſcopo Strigonienſi, Hungariæ Primati, & Suffraganeis ejus.

Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Inter Epiſt. Pii lib. 1. Ep. 2.

AD exequendum Apoſtolicæ ſervitutis officium, quod non ſine timore, ac tremore in ſpiritus humilitate, Divinæ vocationi obedientes ſuſcepimus, oportet Nos, omnium, qui in ſollicitudinis noſtræ partem vocati ſunt, auxilio, tantò ſtudioſiùs ſublevari, quantò infirmiores vires noſtræ, & Eccleſiæ graviora, ac turbulentiora ſunt tempora. Nullum enim occurrit Nobis, mentem noſtram hùc, & illùc verſantibus, aliud remedium, ad Eccleſiam ipſam in commodiorem, & tranquilliorem ſtatum redigendam,

Digitized by Google

dam, quàm ut Sac. Generale Concilium A *Tridentinum, quod ſub fel. record. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro, Deo auctore, tandem felicitèr peractum fuit, ubique ſervetur. Nullum certè eſt aliud remedium, quod tot, tantiſque malis Eccleſiæ adhiberi poſſit: nullum reſtat auxilium, quo poſſit Religioni Catholicæ, & ſaluti gregis Dominici ſubveniri. Hoc bonorum omnium votis optatum, hoc precibus à Deo ſempèr expetitum fuit. Proindè vos in Domino ſalutantes obteſtamur, ut officii veſtri memores, cùm* B *alia, quæ tàm piè, tàm maturè, tàm providè in ipſo Concilio ſtatuta fuerunt; debita obedientia obſervare curetis, etiam illud, de Clericorum Seminario in unaquaque Eccleſia inſtituendo, quo nihil utilius, nihil his temporibus Eccleſiis opportunius, neque accomodatius ſtatui potuit. Actum de ea re fuiſſe vobiſcum audimus, dùm idem Prædeceſſor noſter viveret, à dilecto Filio noſtro Zaccaria Cardinale Delfino, & à duobus aliis Sedis Apoſtolicæ Nuntiis; & vos* C *reſponſum, dignum veſtra pietate, dignum veſtra erga hanc Sedem devotione, & reverentia dediſſe, & ſperamus vos id, quod promiſiſtis præſtituros. Sed quia vehementèr optamus, Decretum, quod tantoperè Eccleſiæ utile eſſe conſtat, atque adeò neceſſarium, ſine longiore mora ad effectum ubique, quacumque ratione fieri poterit, adduci; mandavimus dilecto Filio Antonio de Groſupto, Ordinis Prædicatorum profeſſori, viro nobis probatiſſimo, ut vos ad id,* D *quod tùm polliciti fuiſtis, ſine longiore mora præſtandum, noſtro nomine moneat, & hortetur. Cujus orationi fidem, ut habeatis, & ut præclarum teſtimonium, quod de vobis ab eodem Cardinale habuimus, recomprobetis, petimus. Si quid autem ipſi à Nobis requiritis, quod vobis, ac veſtris Eccleſiis opportunum ſit, deſideriis veſtris, quatenùs cum Deo poterimus, ſatisfacere, & vos, ut eximios Fratres, juvare, atque honorare curabimus.* E Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die undecima Februarii MDLXVI. Pontific. noſtr. anno primo)

LXXI. Nec impari vigilantia in his, quæ Cæſaris erant, Tranſilvaniæ dolos, ac artes ſubvertere niſus eſt Lazarus Svendius, conſilio vigilantia, celeritate, ac fortitudine præſtantiſſimus, qui Maximiliani nomine, Hunghariæ tunc præerat; nàm cùm Tranſilvani literarum exemplaria in ejus manus perveniſſent, etiam ipſe, literis in omnes Hunghariæ fines miſsis, Cæſaris nomine diſtrictè prohibuit, nè quis ad denunciata Thordæ Comitia pergeret, vel alium ſuo loco mittere, aut aliud quidquam commercium cum Tranſilvano habere auderet, ea pœna, ut qui primus in hoc delicto comprehenſus fuiſſet, læſæ Majeſtatis crimen incurriſſe cenſendus eſſet; utque mendacia dejiceret, atque deleret, quorum aſsimulatione dolosè Tranſilvanus rebellionem excitare, atque fovere conabatur; in iiſdem addidit, falſum, atque à veritate alienum omninò eſſe de Hungarorum ſalute ſollicitum Turcam extitiſſe, aut de his, quæ ad ipſorum incolumitatem pertinebant, curam geſsiſſe; cùm inſidiis, dolo, atque aperta tyrannide, ducentis ab hinc annis, & ampliùs, & Solymanus, & majores ejus nihil magis in votis habuiſſent, ac omni labore, & ſtudio curaſſent, quàm, ut florentiſſimum hoc olim Regnum, vi, & armis, ſeù, cum alitèr non valerent, dolis, & excitatis inter proceres diſſenſionibus everterent, ſibique ſubjicerent. De his autem ſe eos commonefacere voluiſſe, non quòd de ipſorum fide, ac prudentia dubitaſſet; ſed quòd officii ſui eſſet, ut nil de ſtudio erga Cæſarem, aut patriam remitterent, hortaretur; & ad bellum non modò juſtum, ſed neceſſarium ſeſe pararent; quod quidem contra Chriſtiani nominis præcipuum hoſtem jure ſuſceptum, Dei opem, ac protectionem demereri cenſendum erat.

Sic verbis certatum eſt, ſed tamen acriùs paulò poſt ad arma ventum, incertoque exitu belli utrinque pugnatum. Tranſilvanus, ac Turcæ Ainaſum, Oppidum haud longè ab Agria, præcipuo milite nudatum, per abſentiam Præfecti, ſcalis admotis, inopinatò aggreſſi, non. Kal. Maji, qui ſuperfuerant, paucis trucidatis defenſoribus, vi cœperunt; quo inflati ſucceſſu caſtra ad Zighetum promoverunt, ſed à Comite Nicolao Zerino Urbis Præfecto, poſt acrem quatuor horarum pugnam, in fugam acti, Quinqueeccleſias ſe receperunt. Palotam quoque Oppidum, quod octavo lapide aberat à Javarino, haud longè ab Alba Regali, purpuratus Budenſis obſidere cœpit; ſed poſt LXXII.

octi-

octiduanam pulſationem, licet Præfectus loci, Georgius Thuurius, graviter ex ſaxei fragmenti ictu vulneratus eſſet, & defenſores auxiliorum ſpe abjecta, jam de deditione cogitarent; obſidio tamèn ſoluta eſt, Turcis de auxiliaribus Cæſaris à tergo venientibus falsò injecto metu. Præſidium verò Leventi, quod Oppidum eſt in ea parte Hungariæ, quæ ad montes pergit, dùm prædatum egreſſum fuerat, in ipſum purpuratum Budenſem incidit, à cujus copiis partim cæſum, partim autem in ſervitutem redactum fuit.

LXXIII. Officio ſuo tamèn, ac ſtrenuitate alibi Chriſtianæ copiæ haud defuere, nàm Huſtum Oppidum, ultra Danubium Svendius obſedit, in quem idcircò Tranſilvaniæ Præfectus viginti armatorum millia miſit, tumultuariè rapta, undè atrox prælium commiſſum eſt; ſed decem tandem cæſi ſunt hoſtium millia, capti Præfectus ipſe, & Sangiachus unus, præter tormenta, & vexilla plurima, abrepta à victore exercitu Svendii, qui mox Urbe potitus, Fileco Oppido, & pleriſque arcibus captis, Vinundriam obſidione cinxit.

LXXIV. Liberata quoque ab ea, qua premebatur (ut diximus) obſidione Palotta, cùm, captis Turcarum exploratoribus, intellexiſſent Chriſtiani, Veſprini Præfectum, ut noſtris damna inferret, egreſſum, & locum meliori præſidii parte expoliaſſe; Egon Salmenſis Comes ſuas cum Helfeſteino, & Nicolao Hateſtadio conjungens copias, urbem iiſdem circumdedit, ac mirâ celeritate poſtridiè expugnavit. Omnes, (annum quintum non excedentibus, duntaxàt exceptis) in ea exiſtentes, trucidati ſunt barbari, quòd non ità pridèm captivos ipſi, magno numero, Chriſtianos immanitèr trucidaſſent. Riſpiam etiam, peramplam civitatem, decem millia circitèr paſſuum à Palotta diſtantem, magna præſidiariorum Turcarum ſtrage, Salmenſis occupavit, cujus metu Geſterenſes, Ucolaimenſes, Iſchochiani, aliorumvè finitimorum oppidorum incolæ, flamma munitionibus injecta, iiſdem deſertis, Strigonium ſe receperunt. Id obſidere victricibus armis Salmenſis inſuper ſtatuerat; ſed à concepto conſilio, alia Maximiliani mandata revocarunt; cùm priùs tamen Tattam, ſivè Theodatam, quod inter Javarinum, & Commatam eſt Oppidum, ex quo Chriſtianis ab hoſtibus multa damna inferebantur, in Cæſaris poteſtatem redegiſſet.

LXXV. Maximilianus intereà, non tàm armis, quàm precibus à Deo exercituum, opem, ac auxilium contra hoſtes ſuppliciter juſſit efflagitari: cùm enim, (ut narrant Thuanus, & alii) vires humanas citra Divini Numinis gratiam, debiles, ac fluxas eſſe ſciret; [*Thuan. hiſt. Natal. Com. Tracag. &c.*] ante omnia inſtituit, ut Viennæ, & in caſtris, ad tintinnabuli ſonitum, omnes in genua procumbentes, publicis precationibus, pro communi ſalute quotidiè defungerentur; ità ut paſſim videre eſſet in Urbe per vicos, & extra per vias, cunctos ad ſignum ſtatim genua flectere, & ſi in equis eſſent, mox ex equo ad preces faciendas deſcendere. Quod confirmat Raemundus his verbis: [*Eccleſiaſtiei interim precibus, & ſupplicationibus, Cæleſtis Numinis iram placarc ſtudebant; tùmque inſtitutum fuit, ut ad campanæ ſonitum, certis diei horis, omnes, ubicumque eſſent, ſeſe proſternerent, & flexis genibus Deum, pro felici belli exitu comprecarentur; ſic, ut in exercitu Principes, & Magnates ex equis deſcendere, & flexis genibus, ac complicatis manibus precari, ac terram oſculari viſi ſint.*] [*Floren. Raemund. lib. 4. cap. 7. pagin. 347.*] Additque, ad oſtendendam hæreticorum perfidiam, quæ nullo pietatis affectu, ob publicæ calamitatis periculum movebatur: (*Cùm verò Imperator, quodam die, Viennæ è feneſtra proſpectans, Lutheranos quoſdam vidiſſet, campana ſonante, nihil ſe moventes, hæc verba effatus eſſe dicitur: Bone Deus! Vereor equidem, nè hominum iſtorum ſocietas nobis damnoſa ſit, & infelix &c.*) Hæc ille; Et utinàm facto res comprobata non fuiſſet. Imperatorio inſuper Edicto, ſpectacula item omnia, luſus, tripudia, & hujuſmodi lenocinia, quibus homines ad voluptates alliciuntur, diſtrictè prohibita fuere.

LXXVI. At Pius, ferventiori Religionis, ac pietatis zelo, divinam opem Chriſtianis copiis, contra Turcas agentibus, demereri conatus eſt, ut illius temporis Auctores tradunt, & legitur in epiſtolis apud Caracciam; nàm in his hæc habentur. *Nec ſatis ei fuit, Cæſari Maximiliano, quæ ad belli contra Turcam gerendi ſubſidia pertinent, liberalitèr polliceri, & pecuniæ vim ingentem donare, qua aliquot equitum mil-* [*Epiſt. 5. menſ. Junii 1566.*]

millia (ut audivimus) ſuſtentari poſſe
dicuntur; de ſpiritualibus etiam ſub-
ſidiis, in ſummo diſcrimine, Cæſari por-
rigendis, bonus Pater, & Paſtor ſollici-
tus fuit. Itaque ſupplicationes publicas,
& ſolemnes indixit, quæ non Romæ ſo-
lùm, ſed per totum etiam Chriſtianum
Orbem inſtituerentur. Quare, ut vete-
rum Patrum mos fuit, ad arma illa,
quibus ira Divina avertitur, confugien-
dum putavit, ad pœnitentiam excitavit
omnes, triduana Jejunia præſcripſit,
Stationes, & collectas haberi voluit, ad
communem precationem, tribus diebus
inſtituendam, populum convocavit, Apo-
ſtolicam gratiam, benedictionem ſimul,
& Indulgentiam ampliſſimam omnibus
conferens, qui jejuniis, eleemoſynis, &
orationibus piis intenti, & ad Confeſ-
ſionis, atque Communionis Sacramenta
accedentes, adversùs Chriſtianæ Fidei
hoſtes, victoriam Cæſari Max., & ejus
copiis militantibus, à Deo precaren-
tur &c.) Iſta apud Caracciam.

LXXVII. Ex Archivo verò Vaticano exem-
plar habuimus Jubilei ejuſdem, quod,
ad auxilium Divinum implorandum,
Romæ primùm, ac ubique gentium
deindè, Apoſtolica liberalitate Pius
conceſſit, vulgarique imperavit, ut ſe-
quitur.

(PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Univerſis Chriſtifidelibus, præſentes
Literas inſpecturis,

Salutem, & Apoſtolicam
Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. inter Brevia Pii V. ſign. 2906.

SPeculatores ſuper Dominicum gre-
gem conſtituti, & imminentium
periculorum magnitudinem reputantes,
paſtorali ſollicitudine excitamur, ut ad
ipſius ſalutem invigilemus, & ab eo Di-
vinæ iræ flagella conemur avertere.
Veh enim Nobis, ſi venientem gladium,
ſicut Dominus comminatur, videntes,
non inſonemus buccina; & tamen adeò
omnibus notum, & ante oculos poſitum
ipſum periculum, ut non tàm ad id pro-
ſpiciendum vocem noſtram exaltare ne-
ceſſe ſit, quàm, quemadmodum vitan-
dum ſit, populo præcipere, & admone-
re. Miſericors eſt enim Dominus, &
ipſe affirmat, nolle ſe mortem impii,

A *ſed, ut convertatur à via ſua, & vi-*
vat. Quantoperè iratus fuerit Deus Ni-
nivitis, & illis Patriæ inſtans excidium,
per Jonam Prophetam prænunciaverit;
nemo eſt, qui neſciat; quibus tamen ad
Deum converſis, & pœnitentiam agen-
tibus pepercit. Cùm igitur Dominum
ſciamus, quod unius precibus non con-
ceſſurus fuerit, multiplicatis ſolere ali-
quando interceſſoribus elargiri; ad pe-
ricula, quæ Chriſtianæ Reipublicæ im-
minent, repellenda, neceſſarium eſſe du-
B *ximus, univerſis Chriſtifidelibus, ſicut*
gravioribus Chriſtianæ Reipublicæ tem-
poribus fieri mos eſt, publicas Litanias,
& ſupplicationes indicere, & omnes ad
eas piè, & religiosè celebrandas adhor-
tari. Quocircà univerſis, & ſingulis
Locorum Ordinariis, Apoſtolica autho-
ritate mandamus, ut poſtquàm harum
Literarum notitiam habuerint, non
die quidem Dominica proxima, ſed al-
tera, quæ illam ſequetur, ut plurium
dierum ſpatium ad eas habeant promul-
C *gandas; illas in ſua cujuſque Civitate,*
& ſingulis Diœceſis ſuæ Oppidis, Ca-
ſtris, & pagis, per Parochos diligentèr
curent promulgandas, atque in tertiam
Dominicam, Clero univerſo, & Populis,
ſupplicationes, ac Proceſſiones publicas,
& ſolemnes indicant; nec ſolùm Religio-
ſorum Ordines, ſed etiam omnes Con-
fraternitates laicorum, ad eas religio-
ſiſſimè celebrandas invitent, & cunctos
Chriſtifideles, ut humili, pio, & con-
trito corde Omnipotenti Deo preces, pro
D *ſalute, & incolumitate Reipublicæ*
Chriſtianæ fundant, adhortentur; eaſ-
demque Litanias, & Proceſſiones, die
ipſa Dominica, & quarta ejuſdem heb-
domadæ, ac ſexta feria itidem cele-
brent. Prætèr ipſas autèm Proceſſiones
publicas, omnes, & ſingulos Chriſtiſide-
les, præter eos, qui adverſa fuerint
valetudine præpediti, quibus pium pro-
poſitum, & preces, unà cum eleemoſynis,
ad conſequendam, his Literis propoſitam
Indulgentiam ſufficere volumus; horta-
E *mur, ut quò gratiores eorum Deo ſint*
preces, jejunio eas trium dierum, quartæ
videlicèt, & ſextæ feriæ, & Sabathi
ejuſdem hebdomadæ, ac prætereà elee-
moſynis, pro cujuſque arbitrio, qui qui-
dem eorum potuerint, condiant; ſuaque
peccata, aliquo ejuſdem hebdomadæ die,
ea, qua decet, cordis humilitate, &
contritione, Sacerdotibus confiteantur;
atque ita contriti, & confeſſi, poſteà, die

 pro-

proxima Dominica, devotè Sacram Euchariſtiam ſumant. Omnibus autem, qui ita fecerint, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum ejus Apoſtolorum Petri, & Pauli authoritate confiſi, plenam omnium peccatorum Indulgentiam, & veniam, cum remiſſione pœnæ, quovis modo debitæ, miſericorditèr elargimur, atque concedimus. Nè quis autem, propter alicujus peccati magnitudinem, ab his piis, & ſalutaribus operibus, & à participando tanto ſpirituali munere retardetur; omnibus, qui hæc devotè fecerint, utriuſque ſexus Jeſu Chriſtifidelibus, authoritate Apoſtolica, eligendi ſibi Confeſſorem ſæcularem, vel alicujus Ordinis Regularem, qui audita eorum confeſſione, ab omnibus eos, quamlibèt gravibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini publicè recitari conſuevit, caſibus, & peccatis, injuncta pœnitentia ſalutari, poſſit abſolvere; cum poteſtate etiam, vota, in alia pietatis opera commutandi, (Votis Caſtitatis, & Religionis dumtaxàt exceptis) facultatem damus, atque concedimus. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, manu alicujus publici Notarii ſcriptis, ſubſcriptiſque, vel in hac alma Urbe, aut alibi impreſſis, ſigillo, & ſubſcriptione munitis Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, fides ſine ulla dubitatione habeatur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die xx. Julii MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo)

LXXVIII. Firmanus verò, præfatas à Pontifice habitas ſupplicationes ſic deſcribit (Die Dominica 14. Julii, Pontifex ſummo mane celebravit in Cappella Palatii Sancti Marci; deindè cum Stola deſcendit ad Eccleſiam Sancti Marci, ubi, ipſo abſente, cantavit primam Miſſam Epiſcopus Januenſis, præſentibus duodecim Cardinalibus cum Mantellectis. Dum celebraretur Miſſa, Religioſi omnes cœperunt ire proceſſionalitèr versùs Baſilicam Lateranenſem, cum crucibus, abſque ornamentis, & cùm Pontifex illùc perveniſſet, Cantores cœperunt dicere Litanias, quas per viam Proceſſionis cantaverant, & aliquot pſalmos in voce flebili. In porta Eccleſiæ Lateranenſis Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Columna dedit aſperſorium. Papa oravit ante Capita Apoſtolorum, quæ fuerunt oſtenſa, & ante Sanctiſſimum

Diar. Firman. menſ. Julii 1566.

Sacramentum, & Altare majus. Interim Cantores dixerunt pſalmum: Ad Dominum cum tribularer &c., quo completo, Pontifex ſurgens dixit: Pater noſter &c. cum verſiculis, & Orationibus, ut infrà, in tertia ſupplicatione; & vix potuit complere propter lachrimas &c. Dicta Proceſſio, cum ſequentibus, fuit ordinata, ad orandum Deum, & petendum Divinum auxilium, pro liberatione populi Chriſtiani à perſecutione Turcarum, qui tunc pugnabant contra Imperatorem, & ea de cauſa Papa conceſſit magnum Jubilæum.

Die Mercurii, ultima Julii, Archiepiſcopus Maffeus, in Eccleſia Sancti Marci celebravit Miſſam de Beata Virgine, cum commemoratione contra Paganos. Interfuere viginti duo Cardinales cum mantellectis. Sanctiſſimus Dominus deſcendit, ipſa completa, & fuit facta ſecunda ſupplicatio, pro cauſa de qua ſupra, & ſimili modo itum fuit ad Eccleſiam S. Mariæ Majoris &c.

Die Veneris, ſecunda Auguſti hora octava, Archiepiſcopus Vitellus celebravit Miſſam de Angelis, cum Collecta contra Paganos, in Eccleſia Sancti Marci, cui interfuere viginti ſex Cardinales. Pontifex celebravit, & deſcendit ad Eccleſiam, ut fecerat aliis vicibus, & itum fuit proceſſionaliter ad Eccleſiam de Aracæli. Oravit ante Sanctiſſimum Sacramentum, & Altare majus, & dixit pſalmum à Cantoribus cantatum, preces, & Orationem, ut infrà, videlicet. Pater noſter &c. ℣. Et nè nos inducas in tentationem &c., & ℟. Sed libera nos &c. ℣. Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces, ℟. Et confitentium tibi parce peccatis. ℣. Judica Domine nocentes nobis ℟. Et expugna impugnantes nos. ℣. Apprehende arma, & ſcutum. ℟. Et exurge in adiutorium noſtrum. ℣. Eripe nos de manu inimicorum. ℟. Et de perſequentibus nos. ℣. Confundantur, & revereantur, qui quærunt animas noſtras. ℟. Ut auferant eas. ℣. Convertantur, & revereantur. ℟. Qui volunt nobis mala. ℣. Effunde Iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. ℟. Et in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. ℣. Diſperde illas in virtute tua. ℟. Et depone eos Protector noſter Domine. ℣. Fiant tamquàm pulvis ante faciem venti. ℟. Et Angelus Domini perſequens eos. ℣. Irruat ſuper eos formido, & pavor. ℟. In magnitudine

bra-

brachii tui. ℣. Hoſtium nominis tui elide ſuperbiam. ℟. Et eorum pertinaciam, dexteræ tuæ virtute proſterne. ℣. Non nobis Domine, non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et Clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus Vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

Plentiſſime Deus, qui iniquitatum ad te converſorum non recordaris, ſed eorum gemitus clementer exaudis, reſpice Templa tua, Infidelium manibus profanata, & tui electi gregis afflictionem: reminiſcere hæreditatis tuæ, effuſione pretioſiſſimi Sanguinis tui Unigeniti acquiſitæ: Vineam, tua dextera plantatam, quam ferus exterminare conatur, ferventer viſita, ac illius cultores, adversùs devaſtantium rabiem, tuâ virtute corrobora, victores effice, in eaque bene operantes, fac tui Regni poſſeſſores: Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.) Hæc Firmanus in Diario:

LXXIX. Quàm ſingularis autem Pontificis, in præfatis ſupplicationibus pietas, ac religio extiterit, quam Deus ipſe ſignis teſtari voluerit: in aliis Epiſtolis, apud Caracciam dicitur, & in ea præcipuè, menſe Auguſto hujus anni ſcripta, hæc leguntur (*Vidimus, ac lætiſſimis quidem animis adfuimus, cùm ſe nobis contemplandam offerret illa ſingularis, verèque laudanda humilitas, religio, & ſanctimonia, quam Pius V. Pontifex Max. mirum in modum omnibus hoc loco demonſtravit. Hic, tres ſupplicationes à ſe priùs decretas, coràm cohoneſtavit, nimirum, Divinam ut gratiam cum Romanis omnibus imploraret, Cæſareæque Majeſtati, & ejus exercitui victoriam adversùs Turcas, Chriſtiani nominis infenſiſſimos hoſtes, veræ pietatis ſtudio conciliaret. Vidiſſes hic Pontificem, abſque omni pompa, licèt ætate ſenili, & imbecilli corpore fractum, iter univerſum pedibus conficere, aperto ire capite, parvo ſolum pileolo contectum, junctas tenere manus, & qui in medio vulgi cum ſolo Deo ſua miſceret colloquia, populique ſui ſalutem precibus ardentibus Domino fidè commendaret. Hujus Capitis, & Pontificis exemplo, Cardinales in unaquaque ſupplicatione non defuerunt, nimirùm 16. aut 20. (nam multi ex Urbe, ob æſtivos calores receſſerant) præter alios Prælatos, quorum hoc tempore pauci Romæ commorantur. Sed nobilium, ac plebis, utriuſque ſexus, ad ſupplicationes, tanta confluxerat multitudo, ut eundo, ac redeundo, per vias omnes, majorem me fræquentiam, multis abhinc annis, Romæ vidiſſe non meminerim. Tùm in ipſo Templo, tota veluti collecta Roma nobis adeſſe viſa eſt, ut etiam vix ad Templum ulli pateret ingreſſus. Sodalitates piorum, quas, & Fraternitates vocant, ſuum tenebant locum. Clerus univerſus ad ædem D. Marci, ordine procedebat, indeque ad Templum conſtitutum, hoc eſt ad Baſilicam Sancti Joannis Lateranenſis, Beatæ Mariæ Majoris, & in Aram Cæli ſe conferebant. Hora ſexta ferè, vel paulò ampliùs, prima, ſecundaque ſupplicatio celebrari cœpta eſt. Interea verò, dùm Sacerdotes procedunt, Pontifex ſacris eſt operatus. Abſoluto ſacrificio, in Templum inferius deſcendit, & cum præteriſſent Sacerdotes, eſt eos Pontifex ſubſecutus. Fuit hoc inſtar miraculi habitum, quòd cùm tanta ad D. Joannis Ædem, prima ſupplicatione, confluxiſſet hominum multitudo, ut major convenire minimè poſſe videretur; fræquentior tamèn in ſecunda apparuerit, quòdque demum in tertia, longè, quàm antea numeroſior ad piè precandum turba undique collecta, rebuſque Divinis intenta conſpiceretur. Primæ ſupplicationi, ſivè pietatis ergo, ſivè caſu quodam id factum ſit; fœmina obſeſſa à Dæmone intervenit, quæ cùm ingentes ſtrepitus excitaret, rei novitate commotus Pontifex, quid eſſet hoc rei quæſivit, cùmque cauſam reſciviſſet, & mulier ad illum fuiſſet adducta, incredibiles ea clamores, ac mugitus edebat. Hanc ille Sancta Cruce ter piè inſignivit. Mox quæ à pluribus teneri non potuit, benedictione Pontificis tertiò accepta, velut exanimis, in terram concidit, nec ſolùm rumore, ſed etiam rei novitate compertum eſt, eamdem convaluiſſe.*

Ob hanc cauſam, cùm præclarum factum diù latere non poſſet, ad ſecundam ſupplicationem tres aliæ, malo ſpiritu correptæ, feminæ adductæ fuerunt, quibus omnibus benedictionem triplicem Pontifex impertivit, eaſque ſingulas eſſe ſanitati reſtitutas, certum eſt. De harum una narrant, non prorſus ignobilem eam fuiſſe, & à fratribus quidem ad

Epiſt. 7. apud Carac.

varia

Digitized by Google

varia loca ductam, ac diverſis Exorciſtis commendatam, nihilo tamen rectiùs haberi potuiſſe: nunc res ipſa docet, quòd, poſt operam Pontificis, non ſolùm ad ſe miſera redierit, verùm etiam, quaſi nihil adverſi experta eſſet anteà, mentem ſanam obtineat.

In eadem ſecunda ſupplicatione, aliud etiam admiratione dignum accidit. Mulier quædam, ſanæ quidem mentis, ſed ſimplex, magnis clamoribus petebat, ut Pontifex opem ferret. Hanc ille juſſit accerſiri, & offerri ſibi, quòd exiſtimaret, eam Judicium, juriſque ſententiam in adverſarium poſtulaturam eſſe. Illa verò, de perpetuo ſui capitis dolore conqueri, quo multis annis laboraſſet, ac præſens remedium dumtaxàt ab eo deſiderare. Hìc ſubriſit Pontifex, ſingularem mulierculæ ſimplicitatem contemplatus, neque tamèn recuſavit, quominùs ejus capiti ſtolam ſuam de collo dependentem imponeret, eamque ſua benedictione eſt proſequutus. Nunc intelligimus ægrotam illam rectiùs valere.

Nec multò alitèr in tertia ſupplicatione uſuvenit: nàm quædam aliæ à dæmonibus obſeſſæ, Pontifici oblatæ ſunt, quarum una, cùm Pontifex templum ingrederetur, horrifico omnia ſtrepitu complevit. Vidi ego tùm Pontificem paululùm conſiſtere, & benedictionem ſuam miſeræ impertiri. Sed, ut ex iis, qui propiùs adſtabant, accepi, Pontifici in hac ipſa liberanda plus negotii, quàm cum reliquis fuit. Inſeruit ejus capiti ſtolam, & in os digitos immiſit, ac demùm juſſit, dæmonem abſcedere, ſuique diſceſſus ſignificationem expreſſam dare. Saliit, neſcio quotiès, fœmina, ſic impellente dæmone, qui ad extremum levi flatu facem extinxit, ut fœdi diſceſſus extaret teſtimonium. Fœmina verò, & hæc juvencula, tunc in terram corruit, ut mortuæ potiùs, quàm vivæ vultum oſtenderet. Rediit porrò non multò poſt ad reſpirationem, ſeque dæmone, hoſpite peſſimo liberatam eſſe cognovit.)

LXXX. Iſta apud Caracciam, qui in altera demùm Epiſtola, ſub die decimaquinta Maji, de iiſdem agens anteà ſcripſerat. (*Cùm de turcico*, inquit, *exercitu audiſſet, tàm numeroſo, tàm inſtructo, ac minaci, vehementèr timuit, nè detrimentum aliquod Hungaria acciperet; neque verò ſe, tàm hoc timere dixit; quàm peccata, quibus iram Dei in nos provocamus in dies; ad auxilium Dei eſſe accurrendum. Itaque edixit per ſuum Vicarium omnibus Sacerdotibus, Monachis omnibus, ut ſacrum facerent, piaſ item orationes ad Deum haberent, quibus veniam Chriſtianæ Reipublicæ precarentur, ut iracundia Dei à nobis averteretur. Idem voluit per Concionatores populo commendari. Illud prætereà addidit, præter hunc dolorem, ac ſollicitudinem de Turcis conceptum, infinita ſe animi moleſtia affici, quòd multi ſint Principes, multi Epiſcopi, qui zelum Dei non ſentiant; diſcrimen, in quo Chriſtianiſmus verſatur, non percipiant; & cum rerum ſpiritualium, cultus Divini, reformationis morum, primi rationem habere deberent, atque adeò uniti; toti tamen in conſervandis rebus temporalibus ſint intenti, ac dediti; quare mirum non eſſe, ſi populum ſuum in opprobrium det Deus hoſtibus ſuis.*) &c.

Apud Caraccam ſup.

Nec inanis ejuſmodi Pii fuit dolor, ac timor; nàm licèt Maximiliani Chriſtianus exercitus, ampliùs vigintiquinque, vel, ut alii ſcribunt, triginta millibus equitum, & octoginta millibus peditum conſtaret; adeòut multorum judicio, acies noſtrorum, ferè numero par hoſtibus eſſet, quos virtute ſuperabat; tamen nec aliquid memorabile geſſit, & ab infirmiore inimico, ſummo Chriſtiani nominis dedecore, ſe ſuperari permiſit. Die decimaquinta Auguſti, Aſſumptioni Beatæ Virginis ſacra, quaque Hungarorum Rex primus, Sanctus Stephanus, jam felici morte à Deipara in Cœlum evocatus fuerat, Maximilianus Vienna Auſtriæ egreſſus, cum Ferdinando Fratre, quem exercitui præfecerat, Javarinum ſe contulit, quò exercitum cogi juſſerat, quòque, tùm ex Germania, Boemia, Hungaria, in Comitiis promiſſæ, tùm aliundè inſtructiſſimæ copiæ confluxerant. Italiæ enim Principes, aut ipſi valida ſubſidia duxerant, ut Dux Ferrarienſis, qui cum regali, & imperatoria magnificentia duo millia fermè armatorum in Cæſariana caſtra adduxit; aut miſerant, ut Allobrogum Dux, qui Cameranenſem Comitem cum 400. ſclopetariis equitibus illùc impulit; Dux Mantuanus, qui centum quinquaginta loricatos equites; & Coſmus Etruriæ Dux, qui liberali, magnificoque animo, ſemper ad Chriſtiani nominis defenſionem, Italiæque gloriæ intento, tria lectiſſimorum, LXXXI.

rum, egregièque inſtructorum peditum millia, quibus ſtipendia, per totum belli tempus, promiſſa fuere, ab Aurelio Fulgoſo, illùc traduci imperaverat. Adrianus item Balleonus, eum quibuſdam cohortibus, & Alphonſus Caſtalius cum aliis, ex eadem Italia, illùc convenerant. Ex Gallia inſupèr Henricus Lotharingius, Ducis Guiſii, in Aureliani obſidione interfecti filius, adhùc puer, innata genti animi magnitudine, gloriæ cupidus, cum delecta Gallicæ juventutis manu, in caſtra venerat; ipſumque mox ſubſequuti fuerant Timoleon Coſſeus, Philippus Strozzius, Vidus Sangelaſius, Lanſacus, qui priore anno, cùm Melitam defenſuri ſeriùs veniſſent, perluſtratâ Italia, & ut Pontifici gratum animum exhiberent, Ancona, donec ab irruenti claſſis Turcicæ metu liberaretur, munita, in Pannoniam tandem conceſſerant. Multi etiam ex Anglia; & ex Polonia, Albertus Laſcus, illuſtris Sarmatiæ Regulus, qui cùm in Pannonia, multa Oppida obtineret, nè inducias inter Polonos, ac Turcas violare inſimularetur, non ut Polonus, ſed tamquàm unus è Pannoniæ Proceribus, cum ſuis, hungarico habitu indutis, qui tria millia equitum numerum complebant, Maximiliani exercitui ſeſe addiderat. Florentiſſimo, igitur, hoc apud Javarinum coacto exercitu, cùm ad eum, ut dictum eſt pervenisſet Cæſar, de ſententia Duces rogavit, ut quid faciendum eſſet, ſtatueret; nàm præter eas, quas prædiximus, equitum, ac peditum inſtructiſſimas copias, claſſis quoque in Danubio duodecim triremium, ac triginta onerariarum navium conſtructa fuerat, quæ tria millia ſclopetariorum, ferè Italorum gerebat, quibus Flachus Germanus præerat, Militiæ Melitenſis eques, vir ſtrenuus: unde Chriſtiani, non tàm ſe, ſuaque tueri, ſed etiam vltrò hoſtem impetere, atqne aggredi undequaque poſſe viderentur.

LXXXII. Initio, de Strigonio obſidendo actum fuit, nàm eo capto magnum operæ pretium fieri, & Turcas à Julæ, & Zigheti oppugnatione, hac ratione abducendos fore plurimi contendebant. Contrarium alii tuebantur, obſeſſo nempè Strigonio neceſſitatem aleę prçlii ſubeundæ imponi, tàm vicino Solymano; quod, cùm vitandum eſſet, nè uno certamine, cujus exitus anceps futurus erat, totius Chriſtiani Orbis vires in diſcrimen vocarentur, eam obſidionem in aliud magis opportunum tempus rejiciendam eſſe cenſebant; in quam ſententiam Maximilianus deſcendit, & ſuſtinere potiùs, quàm inferre bellum decrevit.

Solymanus intereà, initio Junii, LXXXIII.
Conſtantinopoli egreſſus, Belgradum, ſeù Taurumnum petiit, ubi Joannem Sigiſmundum Tranſilvaniæ Principem, quem Pannoniæ Regem dixiſſe ſuprà retulimus, fruſtrà Regnum ambientem (quod barbara avaritia Solymanus ipſe jam ſpe devoraverat, ac propriæ deſtinaverat libidini) ad ſe venientem benignè excepiſſe, ac ſplendidis muneribus etiam proſequutum eſſe, ſcribit Spondanus: at contrarium, & quidem probabiliùs, alii referunt, nempè Barbari gratiam ſibi promereri, magnifica munerum largitione, Tranſilvanum contendiſſe; verùm paulò poſt Solymanum, Cibinum urbem, jam Hermeſtadium vocatam, ab eo petiiſſe, ſcribit ab Iſſelt, ubi Baſſam cum quadraginta millibus collocaret; pro Cibino, Temiſvario ei promiſſo, quòd, cùm negare, inquit, eſſet periculoſum, in poteſtate tyranni præſertim exiſtenti; concedere difficile, ac miſerum, hoſtem, nimirùm, intra ſepta admittere; nullo tamen mæroris dato indicio, petitioni neceſſariò Tranſilvanus ipſe aſſentitur, & deindè ad Julæ, quam cœperat, obſidionem, eodem Solymano annuente, reversùs eſt.

Eſt Zighetum ad Pannoniæ, & LXXXIV.
Croatiæ confinia, in Lacu ſpatioſo ſitum, atque undique circumfuſis paludibus einctum, ab una tantùm parte continenti conjunctum, & totius denique Pannoniæ firmiſſimum Oppidum. In duas partes, duplicemque arcem diſtinguitur, quarum unaquæque mirè munita, omnes uſque dudùm barbarorum conatus eluſerat. Aliàs ſiquidem ab illis oppugnatus locus, minimè expugnari potuerat. Igitur cùm ipſum jam ſecundò obſidere Solymanus hac vice decreviſſet, ideòque Dravius fluvius ſuperandus eſſet, admirandi penè pontis opus aggredi voluit, ab Hamſano Quinqueeccleſiarum Præfecto. Sed, cùm re variis locis tentata, ob aquarum impetum ſe operam perdere Hamſanus agnoviſſet, de hoc, per nuncium Solymanum monendum duxit, qui ad rogatum

gatum reſpondit, linteo, ſeù mantili ad eum miſſo, in cujus extremitate, aureo charactere ſcriptum erat, ut pontem, quocumque loco, & quacumque ratione ſtatim ſupra Dravam conſtrui curaret; quem, niſi, cum ipſe perveniſſet, compleſſet, ſe, ipſo linteo in fluminis ripa ſuſpendendum ſciret. Quaproptèr timore perculſus Hamſanus, imperata, licèt maxima difficultate, labore, ac ſumptu, perfecit, ac duodecim, ſeù quindecim, aut decem duntaxàt dierum ſpatio, ultra milliare porrectum, quatuordecim cubitorum latitudine, pontem, miro prorsùs modo, vigintiquinque hominum millibus opera, inchoavit, & abſolvit.

LXXXV. Ità Solymanus Dravum ſuperavit, & trajectis copiis, ſexto Auguſti ad Zighetum caſtrametatus eſt. Quæ autem in hac obſidione acciderunt, habes à Michaele ab Iſſelt, his verbis. (*Præerat* (*nempè Oppido*) *Nicolaus Comes Serinius, Hungarus, raræ fortitudinis, & experientiæ bellicæ cum* 1200. *peditibus, qui, cùm hoſtem obſidionem moliri videret, inſigni oratione præſidiarios ad fortitudinem, & fidelitatem, Patriæ, uxoribus, liberis, Cæſari, & in primis Deo debitam, exhortatus eſt, utque majori Religionis vinculo inter ſe conſtringerentur, ipſe prior ſolemni jurejurando, per Sanctiſſimam Trinitatem juravit, ſe nunquàm ſalutem, aut defenſionem cujuſquam, pro viribus, deſerturum, atque eandem fortunam cum omnibus ſubiturum. Simile juramentum elevatis digitis omnes præſtiterunt, ſeipſos Deo, & Cæſari devoventes. Poſt multas alias ſalutares admonitiones, ad alia ſe convertit. Habebat in vinculis Turcas trecentos, quos produci, ac ſecuri feriri præcepit: utque nulli ſpes in Turcarum eſſet clemencia, capita in mænibus ſpectanda, exponi juſſit. Solymanus, maximo terrore muros convelli, & munitionem oppugnari juſſit, ſed ea fuit propugnancium dexteritas, ut Turcæ ſemper maxima clade repulſi fuerint. Solymanus, cùm videret viribus ſe parùm prodeſſe, maximis, & honorificentiſſimis promiſſionibus animum Serinii, ad faciendam deditionem ſollicitavit, ſed fruſtrà; cum ille conſtantèr aſſereret, ſe munitionem ſuæ fidei commiſſam, ad extremum uſque ſpiritum defenſurum, nec unquàm hoſti proditurum; neminem enim facere poſſe legitimam deditionem rei alienæ; petendam eſſe ejuſmodi deditionem ab ipſo Cæſare, non ab eo, qui nullum Jus habeat, ſine proditionis turpitudine, & infamia. Cùm illud quoque conſilium Sultano non ſuccederet, iterum ad arma, oppugnationes, irruptiones, omniaque ſtratagematum genera reverſus eſt. Ignis tandèm, vi tormentorum in ædificia immiſſus, veterem arcem, in qua omnis penè annona, omnia tormenta erant, & apparatus bellicus abſumptus, itaut à Turcis occuparetur. Serinius in arcem novam, commeatu minimè inſtructam, & invalidam ſeſe recepit; ſed, cùm non ignorarent Turcæ, Chriſtianos in ea arce diù continere ſe non poſſe, à præliis aliquandò ſeſe abſtinuerunt, deindè reparatis viribus, arcem denuò graviſſimo impetu oppognarunt. Sexto deindè Septembris, tanto furore obſeſſos aggreſſi ſunt, ut miſerandum ſpectaculum fuerit, videre tot fortiſſimos viros in repellendis hoſtibus vulnerari, & occidi. Eo tamen die munitionem expugnare non potuerunt, ſed irrito conatu receptui cantatum eſt. Poſtridiè auctis viribus, & animis, cùm multo majori impetu Zighetum hoſtes invadunt; pugnatum eſt tanta contentione, ut noſtri de defenſione, hoſtes de victoria deſperarent. Cæterùm, cum Serinius hoſtium ſe viribus imparem, & Locum diucius defendi non poſſe videret, brevi, ſed nervoſa oratione, ſocios exhortatus eſt, nè ſe immani barbaro dederent, ſed potiùs ſecum, fortitèr pugnando, occumberent. In quam ſententiam, cum itum eſſet, vexillum dat Laurentio Juraniſco, tormenta omnia ad portam jubet promoveri; deindè aperta porta, in accurrentes, expectanteſque Turcas, omnia uno fulmine impelli. Quibus diſploſis, recentem fumum, & cædes ſtatim Serinius, cum enſe ſtricto, tectus ſcuto erumpit, quem milites omnes, qui erant circitèr ducenti, alacritèr fortiterque pugnando, ſequebantur. Cæptum eſt certamen in ipſo arcis ponte; cùmque ità pugnando longiùs proceſſum eſſet, Serinius, glande ad caput adacta, vulneratus cecidit. Milites tàm ſtrenui Ducis morte territi, etſi animum non remitterent, à multitudine tamèn Turcarum circumfuſa, feſſi, tandèm, ſub ipſum penè caſtrorum aggerem trucidantur. Serinii caput abſciſſum, affixa inſcriptione, clàm per noctem intra Cæſarianos aggeres eſt deportatum:*

tum: *Hoc modo Zighetum, munitiſſimum contra Turcarum expugnationem propugnaculum, die 7. menſis Septembris, cum magno Chriſtianorum luctu, in poteſtatem Barbarorum venit:*) Hucuſque ab Iſſelt de Zigheti oppugnatione, quibus ex Thuano addendum videtur, quòd inclytus Nicolaus Comes Serinius, in noviſſimo, quod recenſuimus vitæ diſcrimine, cui tàm admiranda ſeſe objiciens animi fortitudine, ea, quam diximus, ad ſuos eſt uſus hortatione, ut fortiter dimicarent, ac gloriosè occumberent, peculiaris etiam pietatis ſpecimen præbuit; nomine ſiquidem JESU ter inclamato, portas arcis aperiri juſſit, & ipſius Divini nominis (quod ſanctum eſt, ac terribile) virtute, in hoſtes ſtrenuiſſimè irruit: quorum non modò in ea obſidione ad triginta millia interfecti ſunt, ſed ipſe quoque Solymanus, ut mox dicetur, interjit.

LXXXVI. Plures quoque è Turcis, & Tartaris, quorum exercitui ad quadraginta millia præerat Perthaus purpuratus, deſiderati fuerunt. Hic enim, adjunctis prætereà Joannis Tranſilvani, & Temeſvarienſis purpurati copiis, Julam, ut diximus, in Sarcadio lacu ad Pannoniæ, & Daciæ fines, munitiſſimam arcem, obſidione cinxerat. Ladiſlaus Keretſchenius Oppido præerat, illudque diù acritèr à Turcarum impetu defendit; nàm ſexaginta dierum oppugnationem ſuſtinuit, & impreſſionibus factis, multos ex hoſtibus interfecit; ſed cum Georgio Berbeco, ultimi belli, ut tradit Thuanus, inter Maximilianum, & Tranſilvanum incentore, conſultationem cùm habuiſſet; eo ſuadente, quarto nonas Septembris, certis legibus, Julæ deditionem fecit, cùm ipſius obſidio ſexto nonas Julii cœpiſſet. Sed qui turpitèr à Serinii fortitudine defecerat Ladiſlaus, ut Barbarorum fidei ſe committeret, debitas citò proditionis pœnas luit; nàm cùm inter deditionis leges illa eſſet, quòd præſidiarii rebus ſalvis incolumes dimitterentur; Ladiſlaus ad Perthavi prætorium adductus, primò humanitèr exceptus eſt; ſed cum præſidiariis ſuis vix mille paſſus ab Oppido eſt progreſſus, cùm ab armatis Turcarum copiis pręcingitur, & licèt initio acriter ſeſe Chriſtiani defenderent, tamen ab irruenti hoſtium multitudine obruti ſunt, & noctis tan-

A tummodò beneficio ſuperſtites pauci evaſere. Ladiſlaus verò hoſtium captivus, ſivè ignaviæ, ſivè perfidiæ, quàm citiſſimè pœnas dedit; nam ſequenti anno, (ut Thuanus, & alii referunt) cùm ſub idem tempus, in tumultuaria inter Cæſarianos, qui Javarini erant, & Turcas, qui ad Albam regalem caſtra habebant, pugna, Maumetus ipſius Albæ præfectus à Georgio Trurio captus eſſet, & Ladiſlaus cùm eo, (qui ſe poſteà quinquaginta aureorum mil- B libus redemit) permutari ſperaret; re tamen, neſcio ob quas cauſas protelata, Taurumno Bizantium deductus eſt ibique, conquerentibus quamplurimis, de acceptis, prætèr belli jura ab eo injuriis; à Selimo, novo Turcarum Principe, ipſum impetrarunt; qui ſtatim traditum hominem dolio, clavis acutis perforato, incluſerunt, & ſic è montis faſtigio per decliviora præcipitatum, crudeliſſimo mortis genere interemerunt. Addunt Scriptores, nec filium C ejus paternæ execrationis fuiſſe expertem, quia nullis liberis relictis, non ità multò poſt, objit, Caſtellis, pagis, & aliis ampliſſimis facultatibus, ad alienos devolutis.

Sic Solymani exercitus Zigheto, LXXXVII. ac Jula, validiſſimis Hungariæ munitionibus, eodem ferè tempore potitus eſt; gloriæ tamen Serinii fuit, non tàm ſplendidè in Zigheti expugnatione cecidiſſe, quàm animi conſtantia, ac fortitudine, Solymani ejuſdem, ſic ſu- D perbiam impetiiſſe; ut una eum, jam laboribus, ac ætate confectum, ipſius Serinii ſtrenuitas, omninò ſterneret, ac dejiceret. Cùm enim, à perpaucis Chriſtianis præſidiariis, innumeras penè ſui exercitus copias, quodammodò eluſas; & ab Oppidanis Imperatorium ſuum captum vexillum; & à ſolo demùm Serinio vires ſuas, ac poteſtatem ſperni animadvertiſſet; dirè adeò infremuit, ac excanduit, (ex nuncio etiam percepto, quod Medorum Rex in regionem Georgianam hoſtili- E tèr ingreſſus, ad 12000. Turcarum trucidaſſet, multaque Caſtella, ac Urbes cœpiſſet, aucta indignatione) ut pridiè non. Septembris apoplexia enectus fuerit; ſivè, ut alii habent, ad vitiatæ tibiæ dolores, ſuperveniente alvi profluvio; vel denique, ut alii conjungunt, è ſanguinis profluvio ſuperveniente apoplexia, è vivis exceſſerit: cùm qua-

quadraginta, & ſex; vel, ut alii ſcri- A
bunt, octo annos, Turcicum tenuiſſet
Imperium; cujus, & Pannonia in Eu-
ropa, & Armenia in Aſia eidem addi-
tis, fines magnificè amplificaverat.
Princeps ſanè inter ſuos, animi magni-
tudine, continentia, ac juſtitia inſignis;
cui ad ſummam felicitatem nil, niſi veri
Dei notitiam, ac animi temperantiam,
quam Chriſti lex docet, quavè mitiùs,
& in ſe ipſum, & in alios egiſſet, defuiſ-
ſe viſum eſt. De illo hæc ſcribit Ga-
butius: (*In obſidione Zigecana, atrociſ-* B
ſima ſanè, ac diuturna, non tàm uni-
verſa Chriſtianorum arma, quàm ef-
ficaces apud Deum Pii Pontificis depre-
cationes, ſe pertimeſcere Solymanus di-
ctitabat, nec impii tyranni timor ina-
nis, nec Pii Pontificis, quam pro ea re
fundebat, irrita omninò precatio fuit;
nàm triduò, antequàm Zighetum cape-
retur, acerrimus ille Chriſtiani nomi-
nis hoſtis, cùm per annos ſex, & qua-
draginta, variis cladibus Chriſtianam
Rempublicam afflixiſſet, tandem re- C
pentino morbo correptus, juſto Dei Ju-
dicio, infelicem vitam cum æterna morte
commutavit.) Sic ille; at id, ſi reſci-
viſſet Serinius, inſigni, quod prædixi-
mus facinore, triduo poſt, extremum
non ſubjiſſet periculum, ſed neque
ulteriùs Otthomanicæ copiæ, adeò diu-
turna fatigatæ obſidione, ipſam proſe-
qui, æqui, bonique feciſſent. Verùm
eam ſumma calliditas, ac prudentia
Mecmetis, purpuratorum Principis,
diù occultavit, noctu defuncti Medico D
clàm necato, nè per eum res innote-
ſceret; veritus, nè ſi Prætoriani mili-
tes, ac exercitus reliquus, Imperatoris
mortem comperiſſent; tumultu excita-
to, tentoria, gazamque regiam cum
Chriſtianorum, & Hebræorum rebus,
pro more diripuiſſent, ac minùs Du-
cum dicta audientes, nullius auctori-
tate ſe ampliùs in officio contineri
paſſi; ulteriùs etiam Zigheti obſidioni
inſiſtere contempſiſſent; ad quam ve- E
hementiùs propulſandam, acriores,
Chriſtiani hoſtes, vires, ex Solymani
morte, abſque dubio ſumpſiſſent.

LXXXVIII. Immò callidum hoſtem, ex Soly-
mani obitu, qui Turcicis rebus ſum-
mo periculo, ac damno eſſe poterat,
ingens commodum retuliſſe, his verbis
narrat Thuanus, (*Cùm autem reliqui*
purpurati, Centuriones, ac Prætoriani
præcipuè ſummi, ſui Principis videndi
cupidine tenerentur, nec parva ſuſpicio
eorum animis hæreret, eum è vita mi-
graſſe, jamque res ad occultos motus ſpe-
ctare videretur, Memetes aſtu, eorum
deſiderium eluſit; nàm mox cadaver ſo-
lito cultu ornari juſſit, illudque in ſubli-
mi ſella collocatum cupidis procul oſten-
dit; ità callidè re aptata, ut omnes eum
reverà in humanis adhùc eſſe crederent;
quo facto, cùm tentorio egreſſus, tam-
quàm accepto à Sultano mandato, Præ-
torianos vocaſſet, & gravi oratione ad
urgendam oppugnationem hortaretur,
accidit, ut recens heri mortui ſenſus
animo ſuccurreret, & lacrimas ab im-
prudente, vel etiam invito excuteret;
verùm animadverſo ex ſecretis militum
ſuſurris, hinc nonnullos ex ejus vultu, &
oculis, adhùc rubentibus colligere, ac
planè ſibi perſuadere, Imperatorem è
vivis exceſſiſſe, mox ad ſe rediens, &
ex caſu occaſionem capiens, vehementi
animi dolore cautè diſſimulato, non ſe
deflere Imperatoris mortem, qui valeat,
& penè ægritudine omni liberatus ſit,
ſed omnium adſtantium, ac ſui ipſius vi-
cem deplorare, quibus neceſſè erat, (ſic
enim Solymanum interminatum eſſe,)
intra tridui ſpatium, aut vincere, aut
crudeli ſupplicii genere perire: quibus
verbis, ſeriò, ac compoſito ad gravitatem
vultu, prolatis, non ſolùm ſuſpicionem
mortis Solymani purgavit, ſed milites
ità inflammavit, ut cœptæ obſidionis,
cujus proſperum exitum fortuna illis
hucuſque inviderat, ſupremum conatum
imponere decreverint, impetu ad utram-
que arcem facto, quas poſtremò hac ora-
tione, ſeù territi, ſeù perſuaſi expugna-
verunt.)

Solymani mortem oſtenſa in aere LXXXIX.
ſigna prænotaſſe, Scriptores tradunt;
nàm in Hungaria, præſertim Poſſido-
nii, circa meridiem, Stellam lucidam
per aliquot dies apparuiſſe Solem in-
ſequentem, narrant, quæ ab Oriente in
Occidentem progrediens, mox eva-
nuit; eamque Veneris ſtellam extitiſſe,
& Solymani, tùm in Hungariam ad-
ventum, deinde mortem portendiſſe,
Aſtrologorum nonnulli exiſtimarunt,
ſeù potiùs ex eventu judicarunt; uti
etiam feciſſe Franciſcum Giuntinum,
quem Natalis Comes Aſtronomicarum
rerum peritiſſimum jactat, jure cenſen-
dum eſt. Creſcentis quoque Lunæ ef-
figiem, è Regiæ Turris faſtigio Con-
ſtantinopoli delapſam, ignemque, qui
ibi

Digitized by Google

ibi perpetuò fovetur, extinctum, eandem mortem, præſignaſſe, dicit Belcarius; qui cum aliis addit, in caſtris apud Zighetum, horrendam adeò tempeſtatem Solymani obitum ſubſecutam fuiſſe, ut omnia ipſius Imperatoris, ſuorumque Purpuratorum tentoria everterit, ac dejecerit: & Danubium ad Tulniam, ità limo turbidum evaſiſſe, ut neque ad potum, neque ad carnes coquendas uſui eſſe potuerit, vixque triduo poſt, purgata aqua apparuerit.

XC. Solymani tamen obitum, quem maximis, ingentibuſque ſignis Cœlum ipſum evulgaſſe viſum eſt, cujuſque vel ſola notitia, commodi plurimum Chriſtianis rebus adferre poterat, unum Maximilianum latuiſſe, Scriptor idem aſſerit; adeòut hæc ſcripſerit: (*Pridie non. Septembris Solymanus è vita exceſſerat, cujus mortem Mecmetes Baſsà ſummus Dux militibus ità celavit, ut, non niſi Octobri menſe, ejus certiores facti ſint, cum jam Selimus Patris hæres, ac ſucceſſor, Turcici Imperii poſſeſſionem, Conſtantinopolim ingreſſus, ſub finem Septembris adiiſſet; & Maximilianus Imperator, poſt menſem, & alterum dimidiatum, Venetis renunciantibus, eamdem intellexiſſe fertur.*) Nec tantùm verſutia, ac Barbarorum ſolertia ſuperatum Maximilianum Scriptores referunt; ſed etiam ignaviæ, ac imprudentiæ ipſum, ejuſque belli Conſiliarios coarguunt, quòd nempè nihil aggredi, ſed caſtris ſe continere decreverit, & ex tàm numeroſo exercitu, majora ſaltem præſidia utrique Arci, Zigheti nempè, & Julæ non impoſuerit, quæ utriuſque Loci expugnationes remorari potuiſſent: quo futurum erat, (ut credit Thuanus) quòd, ſi poſt Solymani mortem majus negotium in oppugnando ſuperfuiſſet; ut milites, ac prætoriani Turcæ citra perniciem, quam ante oculos propoſitam habebant, ambigua inter vitam, ac mortem de Solymano fama jacta, tumultum in caſtris excitaturi eſſent, ideòque, nec Mecmetis aſtum, tàm feliciter fore proceſſurum. Nam ejuſdem Solymani morte in id ferè tempus incidente, quo, aut jam capta Jula, aut Zighetum facilè captu erat; pronum fuit homini ſagaci, & ſumma potentia freto, eam occultare, laſcivientibus victòria recenti Turcis, & ad prædas jam liberè ſurſum, ac deorſum diſcurrentibus; quam licentiam illis libentèr indulgebat Mecmetes ipſe, alioqui diſciplinæ retinentiſſimus, ut tantiſpèr occupatis in iis diſcurſionibus militibus, animi eorum à præſentis rerum ſtatus cogitatione avocarentur, donèc certior factus de morte Patris Selimus, Conſtantinopolim proficiſci, ibique conſtitutis rebus, in caſtra quamprimùm etiam conferre ſe poſſet.

Alii nihilominùs, & intèr eos Michael ab Iſſelt, Cæſaris cauſam defendere conantur ex eo, quòd ipſi cum hoſte manum conſerere, periculoſum nimis futurum erat: in iis præcipuè finibus, in quibus Turcæ parùm amittere poterant, cùm paucas, illis in partibus, munitiones haberent, illiſque iter fugæ latum pateret: ubi è contrà Cæſar cuncta eſſet amiſſurus, ſi ad Turcas victoria inclinaſſet; quibus addunt, hoſtilem exercitum, noſtro, duplo majorem extitiſſe: quaproptèr illum aggredi, temerarium, noſtrumque item in re militari parùm peritum. Verùm, cùm abſque eo; quòd univerſum exercitum diſcrimini Maximilianus objiceret, vexato tantummodò, aliqualitèr hoſte, ipſum à *Z*igheti oppugnatione facilè abducere potuiſſe videatur; & Turcas munitiones non modicas, quas, & ipſi amittere poterant, in Pannonia habuiſſe, fateri neceſsè ſit; Chriſtianorumque exercitum, licèt numero (ſi tamen extitit) inferiorem dicant, ac parùm in militari diſciplina verſatum, tamen Turcico, ſtrenuitate ſemper præſtantiorem fuiſſe, negari haud poſſit; idcircò futilibus cunctis hiſce rationibus, ad Maximilianum excuſandum allatis, potior ea eſſe cognoſcitur, quæ ex Chriſtianorum militum, inter ſe mutuis concertationibus educitur: nàm, ut præfatus Iſſelt refert, Hungarorum, & Italorum præſentiam adeò ægrè Germani tulerunt, ut ſemel atque iterùm inter has nationes ad arma ventum fuerit; reſque ad manifeſtam ſeditionem ſpectaſſet, niſi Cæſaris, ac Ferrarienſis Ducis prudentia interveniſſet. Quapropter, uti conſentientes noſtrorum vires, ac animi, graviſſimum, & omni ex parte metuendum barbaris, bellum inferre potuiſſent; ſic domeſticas noſtras concertationes, eos reddidiſſe victores, fateri neceſsè eſt. XCI.

XCII. Utcumque ſit, Zigheti expugnatio, meritò ſummo dolore Pium affecit, quòd hinc,& Chriſtianorum periculum, & communis hoſtis audaciam novas ſumpturam vires conſideraret: quapropter ejuſdem, ſub die 26. Septembris percepto nuncio, ut in Epiſtolis apud Caracciam refertur, ad Palatium Capitolii ſeceſſit, quod Ara Cœli appellatur, atque ibi à negotiis ſegregatus, grave illud incommodum piiſſimus Pontifex deploravit, Dominum precatus, ut noſtri per Chriſtum miſeratus, ſuæ iracundiæ flagella, quæ Chriſtianorum peccata merebantur, averteret.

XCIII. Nec omninò ſummi Paſtoris irritas eſſe preces, ac lachrymas paſſus eſt Miſericors Deus; nàm, ut præfatus Iſſelt, allique referunt, eodem ferè tempore Carolus Archidux, Maximliani Fratrum minor, non ſolùm probitate, ut ſupra diximus, ac magnanimitate clarus Princeps, verùm etiam fortitudine, & rei bellicæ peritia inſignis, collectis circiter triginta armatorum millibus, ſuperiorem Myſiam, multis Turcarum cæſis millibus, egregiè defendit; & ſuperiorem Hungariam Ferdinandus, alter Cæſaris Frater, unà cum Suendio, ſtrenuè à barbarorum incurſionibus aſſeruavit; itaut hi,niſi magno cum vitæ periculo, regionis ejus fines ingredi poſſent. Cimmerii quoque populi, non parùm, lætas Turcarum victorias infirmarunt; nàm, cùm annuum tributum, Turcarum eorumdem tyranno perſolvere diſtuliſſent, & hoc nomine à Piale Baſſa, hoc fermè tempore eſſent laceſſiti; illi ſuæ Provinciæ Præfecto, belli delato imperio, decem armatorum millibus, octo Turcarum millibus occurrerunt, illiſque fuſis, atque in fugam actis, tumultuariè in naves rejecerunt. Incolas deinde reliquos, montanos licèt, & agreſtes (his qui non paruiſſent capitis ſupplicio propoſito) ad communem patriæ libertatem evocarunt;& Vlvizza,Turcarum oppido obſeſſo, & hinc oppugnato,præſidiariis Turcis trucidatis, diripuerunt. Reſponſo quoque, quod iis in finibus Barbari obtinebant, expugnato, Turcicam omninò tyrannidem è cervicibus excuſſerunt.

XCIV. Intereà Solymano in Imperio Selimus Filius, 42. annos agens, ſuffectus eſt. Hic in Magneſia, Sultanorum Principum Provincia, de patris obitu à Mecmete, ut diximus, certior factus, ſumma celeritate Iſcodaram, è Bizantii regione ſitam, pervenit, ubi triremi ab hortorum præfecto de more exceptus, inſigni pompa Conſtantinopolim ingreſſus, Othomanici habenas Imperii ſumpſit. Poſtridiè verò, cùm ſe populo, prodiens per Urbem, ſpectandum exhibuiſſet, parentalibus magnifico cultu Genitori perſolutis, indè magnis itineribus Albam græcam contendit. Priuſquàm verò ad exercitum perveniſſet, Babozam capturi, Turcæ quoſdam è ſuis miſerant, qui arcem dedi juberent: quod, licèt facturos ſe noſtri negarent, quòd tamen eam defendere haud poſſe, impares viribus comperirent, incenſam deſeruerunt: quorum exemplum Sachani,& Gorgenſes ſecuti ſunt.

Quàm verò moribus, ac animi præſtantia Solymano diſſimilis fuerit, XCV.
qui eidem ſubrogatus fuit, Selimus ipſe; ea oſtendunt, quæ de eo paſſim tradunt Scriptores: nempe virum fuiſſe obeſum, totum voluptatibus deditum, & contra Mahometicæ legis jura, vinolentum. Imò non Solymani, ſed cujuſdam potiùs hebræi filium dixere,quemve Roſelinda (quam præcunctis fœminis, ex immenſo eo, quem ex barbaro more fovebat,mulierum grege,Solymanus impenſiùs diligebat) ſimulata prægnatione ſuppoſuerit. Sed,cùm poſt Selimum, Solymano hæc mulier plures filios alios genuerit, profectò commentitium fuiſſe, quod ſcripto Scriptores, ipſi maudarunt, probabiliùs aſſeritur. Apud Taurunum igitur, Patris morte evulgata, conſueto munere militibus facto, à toto exercitu, communi plauſu Imperator dicitur, & indè magno apparatu Conſtantinopolim contendit, præmiſſo tamen Solymani corpore, quod in Mauſolæo, magnifico cultu à Solymano ipſo, dùm viveret, ſibi conſtructo, conditum fuit: tamdiù nihilominùs remoratus, donec Chriſtianorum exercitum, hyemis aſperitate urgente, receſſiſſe comperiſſet. Maximilianus ſiquidem,ipſa hyemis impellente inclementia, magno procerùm comitatu, cum Ferdinando Fratre, qui poſtmodùm Boemiam contendit, Viennam petierat, & mox exercitum dimiſerat, ante diſceſſum à caſtris, tribus dumtaxàt Germanorum ſignis ſelectis, & Coma-

manæ Inſulæ præſidio impoſitis, atque in finitimis aliis hoſtibus Oppidis, qui ea tuerentur, & barbarorum excurſiones coërcerent, locatis militibus. Selimus è contra, quamvis, ut diximus, hebes, & qui à Patris ſtrenuitate, & ingenio non parùm abeſſe videretur; tamen ſat non habuit ſe, ſuaque à Chriſtianorum copiis protegere, ſed licèt remotus, atque hyemis tempore contradicente, ulterius eos aggredi, atque urgere non deſtitit; nàm Purpurato Perthavo cum plurimis Turcarum Valachiorum, ac Tartarorum turmis Joanni Tranſilvano auxilio eſſe imperavit. Nuper amiſſum Tokajum tunc Tranſilvanus obſidione premebat; quapropter, ad facinus abſolvendum, haud parùm prodeſſe poſſe viderentur ſubſidia à Selimo ſuppeditata. Verùm iniquiſſimi Principis, qui tot ſceleribus fœdiſſimè à Deo defecerat, Deum ipſum ſpem irritam reddidiſſe narrat Thuanus, his verbis (*Jam admotis decem tormentis, & capta verberatione, ToKajum in maximas anguſtias redegerat Joannes, cùm trepidus nuncius ad eum venit, decem millia Tartarorum, quos Selimus, defendendi eum cauſa, cum Turcis, ac Valachis reliquerat, totam Daciam per ſeditionem populi, & inaudita crudelitate paſſim in fortunas, ac corpora hominum, nullo ſexus, ac ætatis diſcrimine, graſſari: quapropter obſidionem ſolvere poſt octiduum coactus eſt, nè, dùm iſtic pertinaciùs hæret, ſuos ad internecionem deleri ſineret; nàm prætèr incendium, ac direptiones, horrida memorabantur, infantes videlicèt diſſecatos, & verubus transfixos, ad ignem torreri, & toſtos ab illis devorari: prætereà Chriſtianorum hoſtium carnes quotidiè edere, &, quod exquiſiti cibi loco ducunt, mulierum mammillis veſci.*

Igitur Joannes, ubi in Tranſilvaniam venit, primùm eos per Legatos amicè hortatus eſt, ut illinc diſcederent, & ab injuria, & maleficio abſtinerent: quod cùm illi facere recuſarent, ipſe cum ſuis palantes, & incautos adorſus, ad ſex mille trucidavit, & deinde Varadinum rediit, quò illum, ultionis rabie incenſi Scythæ, circumſident: is verò qui videret locum, neque naturâ, neque operibus ſatis munitum eſſe, ut eum adversùs tot hominum turbam, admotis tormentis tueri poſſet; clàm noctu egreſſus, in tutiora loca ſe recepit, ubi collectis viribus rursùs populabundos aggreſſus, multa millia ex illis cædit, & innumeros captivos, quos barbari in miſeram ſervitutem adducebant, & in iis complures nobiles Matronas, & Virgines in Oppido Beregario captas, recepit, lamentabili ubique rerum facie, præcipuè circa Caſſoviam, unde quadringenti circitèr Prætoriani, omni licentiæ, ac ſævitiæ genere uſurpato, 900. ferè captivos ſecum avehebant, ingenti ſui terrore paſſim incuſſo, præſertim circa Danubium, Vagum, & Arabonem degentibus &c. Tandem Scythæ illi, poſt unam, & alteram à Joanne acceptas clades, Getis aliquot, & Prætorianis, ſpe prædæ ad illos ſe adjungentibus, auctiores, Ruſſiam, & Polodiam, quæ Provinciæ Regi Poloniæ parent, converſo impetu deflexerunt, ubi omni ſævitiei genere graſſati, poſtremò Provinciæ Palatinum, in quodam Oppido obſident, adductis ſecum duodecim muralibus machinis. Verùm ille, non minùs vetuſtate familiæ, quàm bellica virtute nobilis, cum delectis, quos habebat, crebrò erumpens, ad extremum machinas prædonibus eripuit, & iis ademptis, immanes crudelium bellatorum reliquias ad internecionem delevit.) Sic Thuanus: quibus addunt alii, eumdem Tranſilvanum, aliis nihilominùs acceptis auxiliis, rem cum Schuendio Maximiliani Legato, vario marte, licèt majori ſuo damno egiſſe, quouſque ad inſequentis anni finem, octennales induciæ, intèr Selimum, & Maximilianum concluſæ ſunt, iiſdem conditionibus, quibus inter Solymanum, & Ferdinandum initæ fuerant; ut, videlicet quiſquis ea poſſideret, quæ ſibi poſtremo bello acquiſierat; quod magno ceſſiſſe Maximiliani commodo dicunt, quia per Schuendium, plurima loca occupaverat. Fuiſſe autem, & in ea, unà cum Venetis, comprehenſum Tranſilvanum aſſerunt, faciliori ad hæc reddito Selimo; tùm Maximiliani ingentis pretii muneribus, tùm verò maximè ob Arabum defectionem, quos ad officium reducere (ſicuti per Sinanum Baſſam fecit), in animo habuit. Sed de his anno ſequenti: hoc verò, ab ipſo Selimo rejectus fuit Horſutonus, Cæſaris Legatus, qui Bizantium, ad pacis conditiones cum Solymano ineundas, jam pridem miſſus fuerat, & ipſius Soymani morte intellecta, in viam ſe dederat, ut Viennam reverteretur; nàm, cùm juxta Taurunum

runum obviam habuiſſet Selimum, eique conceptas fœderis, ac pacis leges proponere optaret; à Mecmete prohibitus fuit, quòd illum ad Solymanum miſſum diceret, quo mortuo nihil erat, quod ageret cum Selimo, à quo, ſi Cæſar aliquid impetrare vellet, alium deſtinaret, aut ipſe cum mandatis novis rursùs accederet; quapropter Horſuto videndi quidem Selimum, non verò alloquendi facultas fuit. A

XCVI. Dùm à Maximiliano ſic, haud admodùm gnaviter, bellum adminiſtratur, & parùm decoræ paci ſtudetur, ſollicitè Pontifex animo meditabatur, qua ratione labentibus ejus, ac Chriſtianæ Reipublicæ rebus conſulere poſſet; ac tandem in eam ſententiam deſcendit, quòd omnem moveret lapidem, ut in ſocietatem belli contra Infideles, ſecum unà, Galliarum, ac Hiſpaniarum Reges adduceret; quod quidem anteà, ut vidimus, Maximiliano ipſi pollicitus fuerat. Innumeris certè difficultatibus facinus hoc obſitum Pius animadvertit; verùm celſo adeò, & erecto animo agreſſus eſt illud, tantaque ipſum efficacia peregit, ut quominùs ad optatum finem perduceretur, vel hominum malitiæ, vel temporum acerbitati, dumtaxàt ritè tribuendum cenſeatur. Cujus rei luculentiſſimum, ſcriptæ hac de re ab eo Epiſtolæ, perhibent teſtimonium. B C

Ad Galliarum Regem. D

[Chariſſimo in Chriſto Filio, Carolo, Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup. *Poſt ſuſceptum Apoſtolatus Officium, ſtatim conſiderantes, quanto in diſcrimine verſaretur ſancta noſtra Religio, & Italiæ, & finitimorum Regnorum ſalus, ſæviſſimis, & longè potentiſſimis hoſtibus Turcis, totius Chriſtiani nominis exitio imminentibus; in animo habuimus, pro ſollicitudine paſtorali, admonere Majeſtatem tuam, & reliquos Reges, & Principes Chriſtianos de tanto, & tàm manifeſto periculo, voſque hortari, & excitare ad fœdus, & ſocietatem belli intèr vos, adversùs, tam potentes, tamque immanes hoſtes ineundum. In qua cogitatione deterruit Nos quidem ille metus, quòd proptèr peccata populi Chriſtiani, & tot ſectas eorum, qui à Religione Catholica deſciverunt; veriti fuimus, nè Deus iratus, juſto judicio, nos ab Infidelibus vexari, affligique permitteret. Itaque, ad ejus iram placandam, omnes Chriſtifideles, ut reſipiſcant, ſeque ad Deum convertant, hortati fuimus, & ipſi quidquid adhuc potuimus, fecimus, ut quæ Divinæ Majeſtatis oculos offendebant, corrigerentur. Cùm autem ſperandum ſit Divinæ Miſericordiæ, auxilium nobis minimè defuturum eſſe, modò nè deſimus ipſi nobis, & ſaluti noſtræ; nec patitur periculi, ante oculos poſiti, magnitudo, differri diutiùs communis ſalutis auxilia; in hanc curam, & cogitationem incumbere cœpimus, & te, atque alios Chriſtianos Principes, qui dignitate, opibuſque antecellitis, paterna charitate, & libertate, ad ſubveniendum Reipublicæ Chriſtianæ, tàm neceſſario tempore, & vobis ipſis, & Regnis veſtris conſulendum, excitandos eſſe ſtatuimus.* E

Oportuerat ſanè Patres veſtros, tantam tempeſtatem proſpicere, nec ſinere, proptèr inteſtinas diſcordias ſuas, Turcarum vires, Imperiumque tantoperè augeri. Ut enim de veteribus cladibus taceamus, non amiſiſſemus noſtris temporibus Rhodum Inſulam, adeò diſtinendis hoſtibus oportunam; non poſteà Regnum Hungariæ, quod etiam fuerat Italiæ, atque Germaniæ firmiſſimum propugnaculum, non tot aliis locis munitiſſimæ Urbes in hoſtium poteſtatem veniſſent, nec tàm facilè, eorum imperium in Orientis partibus auctum, ac propagatum fuiſſet. Evenit igitur nobis in his Occidentalibus partibus, proptèr illas diſcordias, quod Græcis anteà acciderat; ut enim inteſtinæ illorum diſſenſiones animum hoſtibus auxerunt, ad trajiciendum Helleſpontum, aditumque patefecere ad Græciam, Macedoniam, & Thraciam invadendam, caputque, & Sedem Imperii, Conſtantinopolim expugnandam, finitimaſque Provincias, deinceps ſubigendas; ità Patres veſtri, Principes illi quidèm, maxima virtute præditi, ſed nimis inter ſe pertinacitèr diſſidentes, dùm arma, quæ adversùs communes hoſtes tractare debuerant, in mutuam perniciem converterunt, occaſionem, & facultatem illis præbuerunt, maxi-

maximarum calamitatum, & cladium Chriſtiano populo inferendarum.

Crevit igitur incendium, quod reprimi per illos, & forſitan extingui potuit, & adeò nobis appropinquavit, ut jam, non de recuperandis rebus, quæ amiſſæ fuerunt, ſed de his miſeris Chriſtianæ Reipublicæ reliquiis, de vita, libertate, de fortunis noſtris defendendis agendum ſit. Jam terra, marique cingimur. Majores noſtri, terra quidèm hoſtium viribus inferiores erant, ſed mari aliquandiù ſuperiores fuerunt. Poſtea imperium maris amiſſum eſt, hoſtes potiti ſunt. Sed antea ſuperi maris oram depopulari ſolebant; ætate autèm noſtra inferum etiam mare quotannis liberè, & ſine ullo metu, adjunctis ſibi Piratarum omnium navibus pervagari, oppida maritima diripere, incendere, & ipſis portubus naves capere, & maximum captivorum numerum (ò miſerrima tempora, ò Chriſtiani nominis ingens dedecus!) in ſervitutem abducere cæperunt. Quin etiam ſuperiore anno in maximum periculum venimus, Inſulæ Melitæ amittendæ, quæ ſi amiſſa fuiſſet, oſtium apertum eſſet hoſtibus, ad Siciliam & Italiam oppugnandam, & ad omnes maris noſtri Inſulas ſubigendas. Hoc autem anno, illa Hungariæ pars, quæ nobis reſtiterat, ab hoſtibus ferro, & igne fuit devaſtata, & aliquot Oppida munitiſſima, cum præſidiis amiſſa fuerunt. Germaniæ fines jam hoſtes attingunt, patet in Italiam illis via, ſeù terram illi invadere voluerint per Iſtros, & forum Julii, ſeù mari aggredi, unius noctis navigatione Hydruntum poſſunt.

Quouſquè igitur, tu, chariſſime Fili, tu, & alii, qui tanto periculo occurrere poteſtis, ac debetis, ceſſabitis? Quouſquè communes hoſtes, communi conſilio, & auxiliis veſtris repellere negligetis? In extremum jam diſcrimen venimus; undique circumſidemur, nec adhuc pro communi Religione, pro Templis, & Aris, pro Chriſtiani nominis ſalute, ullum à nobis couſilium capitur, nullum fœdus percutitur, nulla ſocietas initur? Videmus hoſtes potentiſſimos, & immaniſſimos, tot de nobis, & majoribus noſtris, partis victoriis exultantes, imminere exitio noſtro, Chriſtianæ Religionis interitum moliri, Templis ruinam, Urbibus incendia, Provinciis vaſtitatem, Populis cruciatus, cædem, ac morte lon-
A *gè miſeriorem, ſervitutem minari, nec adhuc expergiſcimur, nec ſaluti noſtræ proſpicimus?*

At verò illi non ceſſant, nec ceſſaturi ſunt, quoàd reliqua hæc Occidentis Regna ad Imperium ſuum adjunxerint. Infinita quadam dominandi libidine, nec minore auri, & divitiarum cupiditate ardent. Nullum eſt in Occidentis partibus Regnum, quod non jam ſpe, & cogitatione invaſerint, atque ſubegerint. Nunquàm conſenſuros, inter ſe Chriſtia-
B *nos Reges putant, nunquàm communi conſilio arma eſſe capturos, ſivè Italiam, ſivè Germaniam aggreſſi fuerint; nec chariſſimum Filium noſtrum Maximilianum Cæſarem ſolum, parem ſibi viribus eſſe in Germania futurum vident, nec in Italia Regem Philippum, & alios Italiæ Principes. Et ſanè tantæ eorum potentiæ nullum eſt Chriſtianorum Regum, ac Principum, qui ſine aliorum auxiliis reſiſtere poſsit. Res ipſa docuit, majores hoſtium vires eſſe, quàm, quas*
C *ullus, quamvis magnus, & potens Princeps poſsit ſuſtinere. Non ſuſtinuit eas Egypti, Syriæque Sultanus, non tot Aſiæ, non tot Europæ opalentiſsima, & maxima Regna, quæ ſubverterunt, dùm cum ſingulis bella geſſerunt. Sed ſi arma junxeritis tu, & chariſsimus Filius Maximilianus Cæſar, & Rex Hiſpaniæ Catholicus, tres maximi Chriſtianæ Reipublicæ Principes, & fortiſsimarum nationum Reges; ſpes eſt, Deo juvante, vos, non modò eorum eſſe impetum, terra,*
D *marique propulſaturos, ſed multa etiam, quæ amiſſa fuerant, ſumma veſtra cum gloria, recuperaturos.*

Multis ab hinc ſæculis, nunquàm tanta fuit, inter Chriſtianos Principes concordia; nunquàm tanta conſenſio. Omnes inter vos eſtis cognationibus, affinitatibuſque conjuncti. Ab inteſtinis bellis, ſingulari Dei beneficio, tandèm veſtra Regna Provinciæque conquieverunt. Sunt quidèm multæ hæreticorum ſectæ, ſed eorum quoque intereſt, hoſtes
E *reprimi, & ad ipſos à novis conſiliis deterrendos, nihil veſtra inter vos conſenſione, & fœdere utilius eſſe poteſt. Nunquàm igitur opportunius tempus oblatum eſt, ineundi inter vos adverſùs communem hoſtem ſanctiſſimum fœdus.*

Noli enim putare, chariſſime Fili, non eum tuum quoque hoſtem eſſe. Simulat ille quidem, ſe Francorum Regibus amicum eſſe; ſed commodi ſui cauſa aſtu-

A *aſtutè ſimulat, quò faciliùs reliquos Re-
ges opprimere poſſit. Novit quanta
Francorum in bello ſit gloria: ſcit quan-
tas res, majores olim cui, adversùs Tur-
cas in Aſia geſſerint, & Aſiam penè to-
tam vincendo peragrarunt. Eam ob cau-
ſam, dùm reliquos opprimit, te quieſce-
re, & ſpectare cupit; at, ſi illos (quod
Deus avertat) oppreſſerit, te quoque
ipſum invadet. Nec verò ulla magis vi-
ctoria exultaverit, quàm ſi Francos,
Turcarum olim in Aſia victores, devin-*
B *cere potuerit, præſertim cum Franciæ
Regnum omnium Orbis Terrarum Re-
gnorum opulentiſſimum eſſe, perſuaſum
habeat. Agnoſcendæ, & cavendæ ſunt
hoſtis artes: iiſdem artibus Græciæ
Principes majores ejus deceperunt, ſin-
gulis bella inferentes, cum aliis interim
amicitiam ſimulantes, dùm illos oppri-
merent. Nullum illis Barbaris juſiuran-
dum, nulla fœdera ſancta ſunt, nunquàm
ulla natio magis perfida fuit, nulla ma-
gis fœdifraga. Documentum recens Tur-*
C *carum perfidiæ capi potuit ex Solymano,
qui nupèr eſt mortuus, qui Tranſilvaniæ
Regulum, patre orbatum infantem cum
abſe in fidem acceptum eſſe ſimulaſſet;
per ſummam perfidiam Regno Hunga-
riæ, quod ad eum pertinere dicebat, ſpo-
liavit, & ex Rege ſervorum miſerrimum
effecit. Augendi Imperii, & propagan-
dæ nefandæ ſuperſtitionis ſuæ causâ,
omnia illi genti æqua, omnia honeſta vi-
dentur; nec verò perfidioſa ea tantùm
gens eſt, atque fœdifraga, ſed omnis pe-*
D *nitùs humanitatis expers, omnem Scy-
thiæ barbariem, undè illi origo eſt, im-
manitate ſuperans. Peſtis quædam, &
pernicies humani generis, omnibus illa
quidèm infeſta nationibus, ſed Chriſtia-
ni præcipuè ſanguinis avida, quem cùm
fundit, Deo ſe gratiſſimum ſacrificium
offerre exiſtimat. Ea cum Chriſtianis
æternum bellum, & inexpiabile gerit,
nunquàm conquietura, quoàd, vel cun-
ctos Chriſtianos Principes ſuſtulerit, vel
ipſa, inter ſe conſpirantibus, oppreſſa*
E *fuerit. Et Turcarum tyrannis fidem ul-
lus Chriſtianus Princeps habere poterit,
quos ſciat, dominandi cauſa, omnibus in-
ſidiari ſolere? Non fratrem, fratri, non
patrem filio, non filios patri parcere,
non illi ſociis, non amicis non ſuis, non
alienis, non Macometis ſui cultoribus,
non aliam Religionem profeſſis, non pro-
cùl, non juxtà ſitis parcunt. Omnes in
hoſtium numero habent, & maximè Re-
ges, Regum verò, ut quiſque opulen-
tiſſimus eſt, ità illum maximè opprimere
cupiunt.*

*An, cùm bello Italia, Germaniavè
flagrabit, res tuæ chariſſime Fili, in tu-
to futuras eſſe credis? ſi ità putas, longè
falleris, ſimilitèr enim id exiſtimas, ut ſi
quis, ardente vicini domo, non eſſe domui
ſuæ incendium id timendum putet. Non
eſt Majeſtati tuæ expectandum, dùm ad
te flamma perveniat: tua refert vicinis,
nè domus eorum conflagret, properè, &
naviter ſubvenire. Sed detur hoc, &
concedatur, impios hoſtes tibi perpetuò
amicos futuros eſſe; in communi excidio,
& vaſtitate, tuas unius res incolumes,
intactas, inviolatas fore. At cavendum
eſt, nè proptèr amicitiam impiorum, Di-
vinam iram in te provoces, ſicut provo-
cavit Aſa Rex Juda, quia fiduciam ha-
buerat in Baaſa Rege Syriæ, cum quo
amicitia, & fœdere junctus erat. Tur-
cæ non magis hoſtes noſtri ſunt, quàm
Domini, & Dei, ac Redemptoris noſtri,
cujus cultum, Religionem, & Fidem ſtu-
dent abolere, extinguere, atque delere.
Num Domini iram effugere poſſes, ſi in
hoſtibus ejus fiduciam haberes? abſit hoc
abs te, chariſſime Fili, abſit, ut illud
tibi objici poſſit, quod Regi illi Aſæ obje-
ctum fuit à Propheta. Cave committas,
ut illud alterius Prophetæ in te dici poſ-
ſit:* his qui oderunt Dominum amicitia
jungeris. *Prava verò, & indigna gene-
roſo Rege calliditas, abſtinere ſe bello,
& velle alterius laboribus tutum eſſe.
Pravum, & pernicioſum conſilium quie-
ſcere, & dùm hoſtis ad te perveniat,
expectare, quem poſſis, antequàm ap-
propinquet, & majores vires habeat,
ſociorum Regum ope, auxiliiſque faciliùs
arcere, ac repellere. Rerum bellica-
rum periti Duces, multò utiliùs, & tu-
tiùs eſſe duxerunt, longè à domo, quàm
intra fines ſuos bellum gerere.*

*Quocircà Majeſtatem tuam, quan-
to maximo poſſumus animi ſtudio horta-
mur, monemus, & rogamus, & coram
Deo obteſtamur, chariſſime Fili, ut his
diligentiſſimè conſideratis, tàm pium,
tàm ſanctum, tàm ſalutare, ac neceſſa-
rium fœdus ineas. Turcarum tyran-
num, ut immanem quemdam ſerpentem,
nè pernicioſiſſimum virus ſuum in te
exhalare poſſit, omnibus viribus tuis ar-
cendum tibi, & repellendum eſſe ſta-
tuas. Subveni Religioni, ſubveni Rei-
publicæ Chriſtianæ; hoc à te obſequium,
hoc*

hoc auxilium Jeſus Chriſtus, per Nos Vicarium ſuum, licèt indignum, pro tot, tantiſque in te beneficiis ſuis, exigit, ac requirit. Ille tibi corpus, ille tibi animam dedit, ille te pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit, ille te ex maximis periculis cripuit; ab illo Regnum, ab illo bona omnia, quæ habes, accepiſti. Memento majorum tuorum, inclytorum Franciæ Regum, qui pro Dei honore, pro Fide, pro Religione Chriſtiana, tantas res in Europa, Aſiaque geſſerunt. Illos fac, ad imitandos, tibi proponas: propria hæc Franciæ Regum laus eſt, bellare cum infidelibus, nullum pro Dei honore certamen, nullum periculum effugere, & recuſare. Talium illi bellorum exitu ſempèr felices, proſperi, & glorioſi fuerunt: hujuſmodi bellis immortalis gloria comparatur. His meritis, ex temporali Regno, ad Cælorum Regnum pervenitur. Nec verò deerunt vobis aliorum quoque Principum auxilia. Nos quidèm parati erimus, non modò quàm maxima poterimus, auxilia vobis mittere, ſed, ſi opus fuerit, ſanguinem, & vitam ipſam in tàm pio bello, vobiſcum unà, libentiſſimè profundemus. Quis enim in eo bello mortem oppetere dubitet, in quo certè ſciat, ſe pro vita mortali, & caduca, æternæ, & beatæ vitæ ſtatim eſſe præmium accepturum? Illi impii, pro lege nefanda Pſeudoprophetæ ſui, mori pulchrum ſibi, & glorioſum putant: quo tandem ſtudio Chriſtiani, qua alacritate debent, pro Lege Dei veri, pro honore, pro Fide, & Religione Redemptoris, & Salvatoris Jeſu Chriſti decertare, & ſanguinem fundere? O fælices, quibus datum fuerit, ut pro Dei honore moriantur!

Poſtremò illud cogita, etiamſi diutiſſimè vixeris, tamen moriendum eſſe, omnibus autem ad æterni Regis, & Judicis Tribunal veniendum eſſe, qui unicuique reddet ſecundùm opera ſua; cui te excuſare non poſſes, ſi ejus honori, & populi ſui ſalute, tàm neceſſario tempore deeſſes. Tu verò id enitere, chariſſime Fili, ſicut Chriſtianiſſimo Rege dignum eſt, ut pro defenſione Fidei, ac totius, in Chriſtianam Rempublicam meritis, in hoc ſæculo feliciter regnare, & in altero æterna perfrui beatitudine merearis. Benedicat te Deus Omnipotens, Fili chariſſime, tuaſque actiones ad ſuam gloriam, ac commune bonum Regni tui dirigat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die iv. Novembris MDLXVI. Pontificat. noſt. ann. primo]

Præ aliis cum Galliarum Rege, de fœdere inter Chriſtianos Principes ineundo, prolixiùs agendum, Pium exiſtimaſſe cenſemus, quòd à Turcarum metu remotiorem ipſum ſciens; ad arma contra eos capeſſenda ſe non facilè impulſurum ſputaret. Tàm affabrè verò hanc epiſtolam ſcriptam obſervare eſt, ut nil prorsùs in ea deſiderandum appareat, quo, vel in primis, à colenda Chriſtiani nominis hoſtium amicitia, Carolum abducere poſſet, deindè ad eos ultrò aggrediendos incitaret. Spiritualia verò, vel monita, vel exempla, ità in medium profert, ut temporales tamèn, eo ipſo tempore, rationes, quibus in ſuam eum ſententiam pertrahere faciliùs queat, minimè prætermittat. Cum aliis autem, quos intererat, ut ratio aliqua iniretur, qua Turcarum potentia, auſuſque comprimerentur, brevioribus literis, quas hic inſerimus, rem curandam exiſtimavit. XCVII.

[Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Maxima cura, & ſollicitudine angimur, videntes, tamquàm ea, quæ oculis cernuntur, periculum imminens Sanctæ Fidei, & univerſo Chriſtiano nomini, niſi ea ineantur conſilia, quibus impiorum hoſtium impetus ab his miſeris Chriſtianæ Reipublicæ reliquiis propulſetur. Conſideramus enim, quàm facilè, hinc Italiam aggredi poſſint, indè Germaniam: quarum Provinciarum alterius fines jam attingunt, ab altera anguſto admodùm mari, ac freto potiùs diſjuncti ſunt. Aucti illis animi ſunt, rebus hac ætate in Hungaria proſperè geſtis. Irritati verò, majorem in modum, & accenſi fuerunt, ut veriſimile eſt, ignominia, quam ſuperiore anno in Inſula Melita acceperunt. Habent paratas terreſtres copias equitum, & peditum ingentes. Habent claſſes maximas, atque inſtructiſſimas, præter naves omnium ex Africa piratarum, quæ ſempèr ad eorum nutum præſtò ſunt. Principes porrò Ex Archiv. Vatic. Ibidem ſup.

Chriſtianos, nulla inter ſe belli ſocietate junctos eſſe ſciunt, nec quemquam veſtrum poſſe ſolum, ſine aliorum auxiliis ſibi reſiſtere. Proindè neceſſarium eſſe videmus, occurrere tantis periculis; ea verò propulſare non poſſe videmus, niſi tu, chariſsime Fili, & Sereniſsimus Cæſar Frater tuus patruelis, & Rex Francorum Chriſtianiſsimus, Reginæ uxoris tuæ Frater, qui eſtis tres Chriſtianorum Principum maximi, intèr vos conſpiretis, ac ſalutare, & ſanctum fœdus, primo quoque tempore, ineatis, ad Religionem Chriſtianam, & res veſtras ab hujus novi Turcarum Tyranni impetu defendendas. Eſt quidèm Rex Francorum ab hoc periculo aliquantò, ut videtur, quàm Majeſtas tua, & ipſe Cæſar, adhùc tutior; ſed ſeriùs conſulturus eſſet, ſi vos priùs opprimi pateretur. Hortati igitur ipſum diligentiſsimè fuimus, ad hanc ſocietatem vobiſcum ineundam, ſicut Majeſtas tua intelligere poterit, ex literarum, quas ad eum miſimus, exemplo: Hortamur verò Majeſtatem tuam, ut de hac re ipſa quoque cum eodem Rege, & cum Cæſare agas &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die quarta Novembris MDLXVI. Pontificatus noſtri anno primo)

Ad Hiſpaniarum Reginam.

(Chariſſimę in Chriſto Filiæ, Iſabellæ, Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

PRo Paſtorali Officio, & paterno amore noſtro, admonendum eſſe duximus Sereniſsimum Regem Catholicum, conjugem tuum, periculi, quod Sanctæ Fidei, & rebus ejus, atquè omnium Chriſtianorum impendit, ab immaniſsimis Chriſtiani nominis hoſtibus. Hortati eum ſumus ad ineundam ſocietatem belli, adversùs tàm potentes, & tàm infeſtos hoſtes, unà cum chariſsimis in Chriſto Filiis noſtris, Maximiliano Cæſare, & Carolo Francorum Rege Chriſtianiſsimo. Neque enim ullo alio auxilio, Religioni, & Chriſtianæ Reipublicæ ſubveniri poſſe videmus. Decet autèm tàm ſanctam, & tàm neceſſariam, ac ſalutarem actio-

A *nem, chariſsima Filia, pro tuo quoque ſtudio adjuvari. Proindè hortamur in Domino Majeſtatem tuam, ut ipſum Sereniſsimum Regem, verè Catholicum, quem optimè animatum eſſe non dubitamus, ipſa incendas, &, ut Sereniſsimo Cæſari, quò ſuſtinere in ſequenti anno hoſtium impetus poſsit, firmiſsima auxilia mittat, horteris; tantis enim impiorum hoſtium viribus non eſt dubium, quin nullius Principis Chriſtiani vires, ſine aliorum auxiliis, pares futuræ ſint.* B *At, ſi tres tanti Principes ſocietatem, hanc inter ſe fecerint, Deo juvante, ſperandum eſt, rem, & Fidem Chriſtianam defenſum iri &c.* Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 4. Novembris 1566. Pontific. noſtr. anno primo]

Ad Catharinam

Galliarum Reginam.

C (Chariſſimæ in Chriſto Filiæ, Catarinæ, Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ Viduæ.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

PAſtoralis officii cura Nos cogit, periclitanti Fidei Chriſtianæ, & Dominico Gregi, maximè neceſſario tempo- D *re, opportunis remediis ſubvenire. In eum enim locum rem adductam videmus, ut niſi ii, qui poſſunt, ac debent, ad propulſandum periculum, arma contra impios Chriſtiani nominis hoſtes, ſocietate interſe inita, ſumpſerint; religioni ſimul, & his Chriſtiani Populi reliquiis exitium immineat. Amiſit Reſpublica Chriſtiana, Chriſtianis Principibus tepentibus, Hungariæ Regnum, quod fuerat firmiſsimum ejus propugnaculum. Hoſtes, unius noctis navigatione, trajice-* E *re in Italiam poſſunt. Non deſinunt bella ex bellis ſerere, quoàd totum terrarum Orbem imperio ſuo, & nefandæ Mahometis legi ſubjiciant. Quid igitur reſtat jam, niſi, ut Germaniam, aut Italiam, vel ſi eis libuerit, utramque, eodem tempore aggrediantur? Tantas enim claſſes, tantas equitum, & peditum copias habent, ut facilè utrinque bellum nobis inferre poſsint. Ad hoc tempus,*

pus, omnia in Aſia, & Europa Regna A *ſubverterunt. Dùm ſingulos Reges aggrediuntur, finitimis Regibus, quaſi periculum nihil ad ſe pertineret, quieſcentibus, atque ſpectantibus, & pleriſque fortaſsè, aliorum excidium, etiam cupientibus; ipſi ignaviæ, & pravæ mentis ſuæ, eas, quas meriti fuerunt, deinceps pœnas dederunt, petiti ab hoſtibus ipſi quoque, ac juſto Dei judicio oppreſſi. Hoc igitur nè eveniat, neceſſe eſſe videmus, Chriſtianiſſimum in Chriſto Filium noſtrum, Natum tuum, cum Sereniſſimis,* B *Romanorum Imperatore electo, & Hiſpaniarum Rege Catholico, fœdus, & ſocietatem, adversùs communem hoſtem inire. Si ji tres, maximi Chriſtianæ Reipublicæ Principes, inter ſe juncti fuerint; ſpes eſt, vires eorum pares Turcarum viribus eſſe futuras, & has Chriſtianæ Reipublicæ reliquias defenſum iri. Non poteſt, tàm neceſſario tempore, Chriſtianiſſimus Rex, Dei honore, & Chriſtianæ Reipublicæ ſaluti deeſſe. Ad ſuſcipienda arma excitare eum debent* C *majorum ſuorum exempla, quorum propria, & perpetua hæc laus fuit, Chriſtianæ Religionis, & Eccleſiæ propagandæ cauſa, bellare, qua ex re immortalem ſunt gloriam conſecuti. Movere etiam eum debent, & excitare, rerum ſuarum evidens periculum; ipſius enim intereſt non expectare, dùm tantum incendium ad eum perveniat, ſed ab Italia, Germania, Provinciis Regno ſuo finitimis, hoſtium impetus arcere. Serò enim,* D *eis Provinciis (quod Deus avertat) amiſſis, Regno ſuo eſſet conſulturus. Neque eſt, quòd minùs ipſe Turcarum arma pertimeſcat, quàm reliqui duo Principes: Turcæ enim omnia Regna hoſtilia putant, nemini, oblatâ facultate, parcunt, nulla in illis canibus eſt fides, nulla religio: augendi imperii, & impietatis ſuæ propagandæ cauſa, omnia illis æqua, honeſta, & religioſa videntur. Etſi autem de ipſo Rege omnia Nobis præclara, & genere iſto nato digna pollicemur;* E *tamen Majeſtatem tuam in Domino hortamur, rogamus, & obteſtamur, ut ſuis ipſa quoque maternis hortationibus, illius animum, ad ineundum, tàm pium, tàm neceſſarium, tàm ſalutare fœdus, incendat. Erunt talia officia, pietate, & ſapientia tua digna. Conſules Dei Omnipotentis honori, conſules ſaluti iſtius Regni, & totius Chriſtianæ Reipublicæ, pro quibus meritis, & ab hominibus laudem, & à Deo Omnipotente, bonorum omnium remuneratore, Majeſtas tua æternum præmium conſequetur.* Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Novembris MDLXVI. Pontificat. noſtr. ann. primo]

Debuiſſet ſanè Maximilianus Cæſar enixè rogare, deprecarique Pontificem, ut ad obſiſtendum Turcis, à quibus adeò premebatur, hujuſmodi ſibi cœterorum Chriſtianorum Principum auxilia pararet. At tantùm abfuit, quòd id à Pio Maximilianus peteret, quin potiùs iſta non curarentem, ac æquè Chriſtianæ Reipublicæ, & propria ſua quoque negligentem, ad id hortari commonereque Pontifex idem neceſsè habuerit, ſcriptis ad eum literis, & apud illum, Imperatricis conjugis interpoſita etiam authoritate. En Epiſtolæ ad utrumque datæ. XCVIII.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Maximiliano in Romanorum Imperatorem electo.

PIUS PAPA V.

Chariſsime &c.

CUm videamus, tamquàm ea, quæ oculis cernuntur, diſcrimen, quod à novo Turcarum Tyranno Chriſtianæ Reipublicæ, ac tuis primùm rebus impendet; Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup. *Paſtoralis officii ſollicitudo, & paterna rerum tuarum cura Nos cogit, ut fœdus, & ſocietas, inter Majeſtatem tuam, & chariſſimos Filios noſtros, Francorum, & Hiſpaniæ Reges ineatur, ad tàm potentem hoſtem communibus viribus repellendum. Itaque hac de re cum eis Regibus accuratè agere cœpimus. Quamquàm tàm evidens eſt, & antè oculos poſitum periculum, ſicut diximus, ut ipſa neceſſitas eos, & omnes alios Principes Chriſtianos movere, & excitare debeat, ad tale fœdus faciendum, & Majeſtati tuæ, adversùs novum Turcarum Tyrannum firmiſſima auxilia mittenda, ad quod nos hortari eos non deſiſtemus. Si Apoſtolicæ Sedis eæ vires eſſent, quæ ante hoc pernicioſum ſchiſma eſſe ſolebant, majora tibi auxilia polliceri, adversùs hoſtes poſſemus; mittemus tamèn quanta poterimus, atque etiam vires noſtras ſuperare conabimur. Hortamur*

autem Majeſtatem tuam, ut ipſa quoque per Oratores ſuos, eâdem de re agere, & inſtare nè deſinat, ut in ſequenti anno eas habeat copias, quibus, Deo juvante, adverſùs tàm infeſtum, & potentem hoſtem res ſuas tueri poſſit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die iv. Novemb. MDLXVI. Pontific. noſtr. anno primo]

Ad Mariam Imperatricem.

[Chariſſimę in Chriſto Filiæ noſtræ, Mariæ Romanorum Imperatrici Electæ. B

PIUS PAPA V.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup. *Quia proſpicimus, & tanquàm ea, quæ oculis cernuntur, videmus periculum, quod populo Chriſtiano impendet in ſequenti anno ab impiis hoſtibus; neceſſarium eſſe ſtatuimus, pro Paſtoralis officii ſollicitudine, & paterna cura rerum chariſſimi Filii noſtri, Cæſaris conjugis tui præcipuè periclitantium, monere, & excitare chariſſimos in Chriſto Filios noſtros, Sereniſſimum Cæſarem conjugem tuum, & Francorum, & Hiſpaniarum Reges, ad ineundam belli ſocietatem inter ſe, adverſùs tàm potentes hoſtes: quæ una, & ſola ratio eſt, qua ſubveniri poſſit tantoperè periclitanti Germaniæ, ac Reipublicæ Chriſtianæ. Itaque illos hac de re vehementer hortari cœpimus. Nunc partes Majeſtatis tuæ ſunt, chariſſima Filia, cujus præcipuè intereſt, hanc ſocietatem iniri, ipſum Cæſarem, & Regem Catholicum Fratrem tuum, de ea re extimulare, & tàm ſalutarem actionem, quanto maximo potes, ſtudio juvare. Quod etſi te tua ſponte facere paratam fore certum habemus: tamen id ipſum Nos quoque Majeſtati tuæ, in remiſſionem peccatorum ſuorum injungimus.* Datum Romæ &c. Die quarta Novembris MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo.)

XCIX. Haud multò poſt, ad Andegavenſem Ducem, ſequentem etiam Epiſtolam Pium ſcripſiſſe, in Regiſtro Vaticano reperimus, ex qua apparet, quàm ſedulò huic inter Chriſtianos Principes A jungendo fœderi, animum Pontifex applicuerit, & quòd ab eo, quod cœperat, opere, manum nunquàm amoverit:

(Dilecto Filio, Nobili Viro, Henrico, Duci Andegaviæ, Francorum Regis Chriſtianiſſimi Fratri.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Conſiderantes, quanto in periculo verſetur Chriſtiana Reſpublica, impiis hoſtibus, adeò Italiæ, Germaniæque propinquis, Fidei, & Religionis interitum anhelantibus, & totius Chriſtiani nominis exitio imminentibus; neceſſarium putavimus hortari chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Regem, Fratrem tuum, ad ineundam ſocietatem cum Sereniſſimis, Romanorum Imperatore C *electo, & Rege Hiſpaniarum Catholico, ad commune periculum, junctis eorum viribus, & mutuis auxiliis propulſandum. Confidimus quidem, tanta pietate, & tàm alto, atque excelſo animo præditum Regem, paternis excitationibus noſtris excitatum iri, & paratum fore, defenſionem Divini honoris, & Reipublicæ Chriſtianæ, tàm neceſſario tempore ſuſcipere; tamèn non parùm quoque illum movebunt preces, & hortationes tuæ fraternæ. Quocircà Nobilitatem tuam* D *hortamur in Domino, ut ad tàm pium, & ſalutare fœdus ineundum, tu quoque eum excites, atque extimules. Omninò quidem Chriſtianorum Regum officium eſt, ut pro Lege Dei, & populi Chriſtiani ſalute, adverſùs infideles arma capiant, etſi opus fuerit, ſanguinem, & vitam ipſam profundant; ſed inclyti Majores veſtri, ex his rebus, præcipuam ſemper laudem, & gloriam conſequi ſtuduerunt: quorum vos, ut ſanguine orti eſtis, ità hac virtute, & animi magnitudine* E *ſimili, eſſe debetis. Quod quidem, ità fore in Domino confidimus.* Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xiij. Novemb. MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo]

Ex Regiſt. Vatic. Ibid. ut ſup.

In mandatis, per Epiſtolas, occultis notis conſcriptas, Commendono Legato datum à Pio, ut cum Cæſare, Germaniſque Principibus, in Auguſtanis Comitiis, de hoc ſociali fœdere, in commu- C.

Vit. Pii lib. 1. cap. 3. pag. 52.

munem hoſtem Turcam, ageret, Gabutius ſcribit. Verùm hæc, neque ſuperiùs relatis, neque his, quas modò attulimus, ejuſdem Pontificis literis cohærere agnoſcuntur. Ea ſiquidem lege fœdus id curaturum, Pius ad Cæſarem, alioſque Germaniæ Principes ſcribens, primùm pollicitus fuerat, ſi in Comitiis nil contra Fidem, Sedemque Apoſtolicam commiſſum fuiſſet; cujus quidem rei, niſi poſt ipſa Comitia, certior fieri potuit, ut ex ſupra dictis colligitur. In poſterioribus verò Literis, nec verbum legere eſt, ex quo educi queat, antehàc rei hujus, vel mentionem injectam; quæ idcircò ad finem hujus anni eſſe rejiciendam fateri neceſſe eſt, cùm, videlicet, capto, ut diximus, Zigheto, Selimoque ejus nominis II. indemortui Parentis Solymani, ſolio collocato, infauſtiora Chriſtianæ Reipublicæ pertimeſcenda videbantur; ad quæ avertenda ſociale bellum Pium cogitaſſe arbitramur. Verùm egregium opus infectum remanſiſſe cenſemus, Maximiliani præſertim culpa, qui, cùm à bello abhorreret, paciſque cum hoſte conſilia coqueret; ſtudia idcircò Pontificis, vel abrupit, vel neglexit.

CI. Ipſe verò Maximilianus, non tàm barbarorum contemptum, ac ſævitiam, quàm etiam elementorum vim ferre compulſus fuit; nàm tert. Kal. Octobr. cùm in cujuſdam militis contubernio, Javarini, ex coqui incuria, ignis accenſus eſſet, continuò, ex vento, qui vehementiùs tunc flabat, incenſa flamma, cuncta ferè loci ædificia, ex lignis potiſſimùm elaborata, conſumpſit, palatio dumtaxàt, ac primario templo exceptis, in quibus bellicus omnis apparatus repoſitus erat; quævè muro, duro extructa lapide, inviolata permanſere. Hæc verò, ſi ignem concepiſſent, totum à fundamentis Oppidum, procul dubio evertebatur. Vix dici poteſt, inquit Thuanus, quanti ea clades, non Oppidanis tantùm, ſed univerſæ quoque Provinciæ conſtiterit, cùm eò, tamquàm in tutiſſimum profugium, negotiatores plurimi, & qui finitima incolebant loca, merces, ſupellectilem, & omnia pretioſa ſua aſportaſſent, quæ omnia paritèr, eum ædificiis igne abſumpta ſunt. Verùm milites, ut civium bona raperent, pleriſque domibus ignem injeciſſe, incendiumque auxiſſe, ſcribit Belcarius. Eccio igitur, Salmenſi Comiti, ut quæ

A ab incendio, illata fuerant, damna ſarcirentur, ad hoc attributa pecunia, Maximilianus imperavit; partim miſericordia motus (ut dicit Comes) partim, quòd firmiſſimum propugnaculum adversùs hoſtes, locum illum putaverit.

Ex aëris etiam pernicie graviora incommoda inducta; nova ſiquidem exorta eſt lues, quæ ex ipſomet corrupto aëre, & cadaverum, per vias paſsim jacentium, fœtore, multos contagione CII.
B ſua ſerpens invaſit, & Hungaricum, ab eo tempore, dictum fuiſſe morbum (eo quod primùm in Hungaria prodierit, & non multò poſt, alibi pullulaverit) tradit Thuanus his verbis: (*Viginti octo poſt annos, in Comitiis Ratisbonenſibus violentior rceruduit, & vulgò tritus, antea formidoloſus, proceres etiam multos, aut abſumpſit, aut periculosè afflixit. Ex popularium is generc febrium, ſtatim correptus, lenticulari incendio vexabatur, puſtulis, & maculis maligna*
C *cbullitione, toto corporc pullulantibus, qui morſus, quaſi pulicum, & exilientium, ac manui occurrentium ſcintillarum ſenſum refercbant: Dileterium etiam habitum eſt, quòd peſtilenti ſua venenoſitate, pleroſque, quantumvis natura robuſtiſsimos, intcrimeret. Cor iis, qui inconſtanti, juxta, & ancipiti lue laborabant, languebat, viribus mox concidentibus, languoremque illum proximè dolor capitis ſævus, coma paraphrænitis, & ſpaſmus ſequebatur, cum inæqualita-*
D *te febris, quæ nunc tertiana ſimplex, nunc notha apparebat, cùm, & vera continua eſſet; quod de morbo, ejuſque cauſis, ſignis, & curatione poſteà Martinus Rulandus, Cæſareus Medicus ſcripſit.*) Hactenùs ille.

Tot malis attritum, & calamitatibus undique confectum, tandem intellexiſſe Maximilianum, Divinam iram contra ſe provocaſſe, eo quia ſegniùs, CIII.
E quàm debuerat, Fidei Catholicæ negotium egiſſet, hæreticorumque coluiſſet amicitiam, quorum ope, comminatas ſibi hoſtium ærumnas, felicitèr evaſurum, malè ſperaverat: ex his facilè intelliges, quæ in Comitiis Auſtriæ Ordinum, quorum initium factum eſt, Viennæ, quarto Kal. Decembr. hujus anni, acta ſunt. In illis ſiquidem Maximilianum, conſtanti Orthodoxæ Religionis zelo, hæreticorum auſibus reſtitiſſe, narrat Natalis Comes, hoc modo:

[*Cæſar*

[Cæſar, convocatis ad Comitia omnibus A
Auſtriæ ſtatibus, ubi Principes illarum
Nationum conveniſſent, hæc poſtulavit;
ut ſubſidia præteriti anni conferrentur,
cùm defuiſſent trecenta ferè florenorum
millia. Ut quoniam, ſi exiret ad bellum,
nobilitatem Auſtriæ ſecum exire nole-
bat, pro ea darentur mille equites, &
quinque peditum cohortes: ut omnes In-
colæ, ſex dies quotannis, in ſex annos pro-
ximos Juliobonam accederent, ad eam
muniendam. Illis petitionibus Principes
ejus Provinciæ diù reluctantur, procra- B
ſtinantur, comperendinant, devitant his
petitionibus ullum dare reſponſum, at-
que id in multos dies differtur. Demùm
palàm, ac libera oratione profitentur,
ſe nihil horum eſſe facturos, niſi Augu-
ſtana confeſſio concederetur. Cæſar id
ægrè ferens, ſe nihil, inquit, ad Reli-
gionem, aut credulitatem ſpectans pro-
poſuiſſe; quare petit, ut iis reſpondeatur,
niſi mallent ſui Principis indignationem
experiri. Res ità denique concluditur:
ut centum, & triginta, atque octo flore- C
norum millia, in ſingulos annos traderen-
tur, & triginta millia, ad Bregeſii (vi-
delicet Javarini) inſtaurationem. Ut
qui proventum haberet centum floreno-
rum, in tres menſes, quotannis, equum
aleret Cæſari, qui plura, plures: ut, ſi
ipſe ad Auſtriæ fines accederet, decimus
quintus quiſque iret in caſtra: ſi exiret
ex iis finibus, trigeſimus quiſque, quod
eſſet pro Nobilitate. Quod ad Auguſta-
num reſponſum, rursùs id renovatur, ſed
ſilentio involuitur, ubi auditum eſt, vel D
Cæſaris ritu vivendum, vel abeundum:
ſic ſoluta ſunt Comitia:] Hæc Co-
mes.

CIV. Præclariſſimum hoc verò, ineunte
anno, tùm erga Catholicam Religio-
nem, ac Apoſtolicam Sedem, tùm erga
Pii Pontificis virtutes, ac merita, devo-
tionis, atque obedientiæ argumentum,
ejuſdem Maximiliani Cæſaris Sorores,
Magdalena, Margarita, Elena præſtite-
rant, in Epiſtola ad ipſum Pium ſcripta,
qua Apoſtolicum collatum ei munus E
gratulatæ ſunt. Eximiis adeò pietatis
ſenſibus ea referta nobis viſa eſt, ut
abſque injuria haud illam poſſe ſilentio
obtegere arbitrati ſimus. Ex proprio
idcircò Originali acceptam, hic da-
mus.

[Sanctiſſimo Patri

PIO QUINTO

Pontifici Summo.

BEATISSIME PATER.

Poſt oſcula Beatiſſimorum Pedum,
offerimus tuæ Sanctitati, &
S. Sedi Apoſtolicę debitam
obſervantiam, atque
obedientiam per-
petuam.

NOn poſſumus non optimo jure San- Ex Archiv. Card. Alexand. M. SS. Codic. num. 61.
ctitati Veſtræ gratulari (licèt in-
digniſſimæ Sorores Auguſti Cæſaris Ma-
ximiliani, ſubditiſſimæ, tamèn in Chri-
ſto Filiæ Sacræ Romanæ Eccleſiæ) quòd
ſingulari Dei munere, ac Spiritus San-
cti ductu, ad ſummum Eccleſiaſticæ Di-
gnitatis faſtigium ſit ſublimata. Juſtiſ-
ſimum eſſe exiſtimamus, omnes Chriſti
Servatoris noſtri nomine initiatos, inſi-
gnitoſque, tuæ Sanctitati debere meritò
congratulari, partim propter præſentis
ſæculi neceſſitatem, partim & ob Ca-
tholicorum omnium diù deſideratam
conſolationem. Nos ſimul etiam toti Ec-
cleſiæ Chriſti ex animo gratulamur, ta-
lem eſſe, ſupremo munere, datum Paſto-
rem, cujus virtus omnium calculo proba-
tur, cujus doctrina ab omnibus ſuſpici-
tur, cujus prudentia apud omnes in con-
feſſo eſt, cujus denique vitæ ſanctimonia
ſingularem Chriſtianis attulit lætitiam,
& verè ovile Chriſti moderandi expe-
ctationem. Precamur Deum Opt. Max.
ut ſua Divina Clementia continuo præ-
ſidio, atque gratiarum omnium aquis
tuam Sanctitatem ità irriget, ut Vineæ
Domini fructus increſcant tales, quales,
non ſolùm præſens hæc rerum noſtrarum
calamitas deſiderat, ſed etiam jure ſuo
expoſcit. Nobis ſummè cordi eſt Reipu-
blicæ Chriſtianæ ſalus, quam, pleriſque
in locis, maximi doloris ſenſu, periclitari
videmus, tùm propter diverſas hæreſum
ſectas, tùm etiam vitæ noſtræ, ubique
pravitatem. Neutiquàm dubitamus,
Pater Sanctiſſime, tuam Sanctitatem,
omnem commoturam lapidem, totiſque
nervis enixuram, (quod omnes verè Chri-
ſtiani certa ſpe conceperunt) ut priſtè-
nus Eccleſiæ ſplendor nobis affulgeat,
Chriſtiana cohors juſtis habenis diriga-
tur, ſalus proximorum provehatur, ma-
lorum

lorum lerna, & infinita propemodùm ſcandala (quæ nimiùm ingraveſcunt) è medio tollantur, innumeræ hæreſes, quæ (proh dolor!) hiſce in locis nimium radices egerunt, extirpentur. Hoc ſummis votis expetunt homines cordaci, qui penitùs in Veſtræ Sanctitatis zelo requieſcunt. Hæc nos eò dicimus, Pater Beatiſſime, quia omnium relatione certum habemus, tuam Sanctitatem inſigni pietatis, & Divini fervoris ardore inflammatam, ac Chriſtianæ charitatis igne accenſum, (quod nos ſingulari perfundit gaudio) & quancumvis omnium infimæ, tuæ Sanctitati noſtrum erga eam peculiarem in Chriſto amorem declarare voluimus. Nihil potiùs in optatis habemus, quàm Chriſto noſtro ſervire, Sedi Romanæ perpetuò adhærere, Fidem Catholicam, & Romanam conſervare, tuæ Sanctitati juſtam obedientiam conſecrare: proindè, ut vota noſtra cum pientiſſimo tuæ Sanctitatis zelo conjungamus, ſummo, quo poſſumus, ſtudio oramus, ut tua Sanctitas, ſicut feliciſſimè cœpit, (quod planè futurum ſperamus) ità conſtantibus auſis conceptus ſuos, conatuſque, felicioribus auſibus producat, promoveatque. Singularis nobis accreſcit fiducia, fore, ut tua Sanctitas omnium ſit completura expectationem. Nobis ſimul perſuaſiſſimum habemus, tuam Sanctitatem, paterno, quo ſubmiſsè ſcribimus, amore, & agnituram, &, quæ ſua eſt congenita bonitas, benignè ſuſcepturam. Novit tua Sanctitas, Pater Beatiſſime, quantum, & quàm irremeabile calamitatum pelagus totum orbem obduxerit, ut ferè nulla ſit medendi malo ſpes relicta, niſi ſingulares Chriſtus ſit manus porrecturus auxiliatrices; unde is, qui pro aris, & focis (quod ajunt) Sedem Apoſtolicam, doctrinamque Catholicam intrepidè tuentur, maxima adverſariorum, & multarum aliarum perſecutionum tela, tàm concionando, quàm proximos quoſvis viam ſalutis docendo, juvandoque perpeti coguntur. Facit itaque Sanctitas tua paternè, quòd eos fovendos ſuſcipit, ſuſceptos omni amore proſequitur, protegitque. Tales autem ſunt Patres, & alumni de Societate Jeſu, tuæ Sanctitati, multas ob cauſas, jam dilecti, atque devincti. Hi ferè unici ſunt, qui labenti Eccleſiæ, ſuis laboribus, vigiliis, & indefeſſo ſtudio ſuccurrunt, qui juventutem educant, ut Chriſto lucrifaciant, qui dubitantes ad certum

A *tramitem perducunt, averſos reducunt, omneſque, quos poſſunt, die, noctuque juvant, erigunt, ſolantur, confirmant. Eapropter hanc Jeſu Societatem, Romanæ Sedi penitùs addictam, tuæ Sanctitati, maximo, quo poſſumus, ſtudio commendatam cupimus, non aliter, ac ſi nos ipſas commendaremus. Summam bonitatem ſedulò precabimur, (ſed minutiſſima ſunt æra noſtra, nulliùſque ponderis) ut tuam Sanctitatem, nobis in Chriſto Jeſu verè dilectam, in multos*
B *conſervet annos, quo deſolatæ Eccleſiæ mederi, Chriſtianis animis ſubvenire, eſurientem populum paſcere, totique Chriſti vineæ utiliſſimè præeſſe, ſemperque prodeſſe queat. Cui Sanctitati tuæ, atque Sedi Romanæ Apoſtolicæ, nos, & meritò, perpetuò dedicamus, tradimus, conſecramus.* Datæ Œniponti 10. Februarii Anno Domini MDLXVI.

Tuæ Sanctitatis, & Sedis Apoſtolicæ

C Deditiſſimæ in Chriſto Filiæ

Magdalena, Margarita, Helena.]

Quòad Societatis Jeſu alumnos, eam ſibi promeruiſſe laudem, quæ, hac in Epiſtola, eis tribuitur, innumeri propè, pro Catholica Religione, exantlati ab illis labores, ac ubique terrarum, pro illâ patrata facinora oſtendunt; de quibus, & nos ſermonem injicere, prout occaſio feret, vel ipſa hiſtorica veritate compellente, cogemur. CV.

D Atrociſſimam autem Danis, hoc paritèr anno, cladem intulit inoportuna (inquit mellificii hiſtorici Scriptor) Jo: Laurentiani officioſitas. Inter Suecos, & Danos, ad fauces, per quas Holmiam itur, juxtà Gothlandiam, æquo diù marte pugnatum, ſed poſtea victoria Suecis, ſine pugna, delata; nàm, cùm Danicus præfectus maris, quem memoravimus, Jo: Laurentianus nobilem quemdam, in ambiguo illo certamine interfectum, Visbonæ, Gothlandiæ Oppido, ſepelire ſolemni pompa decreviſſet, & fruſtrà præmonente Inſulæ Præfecto, nè naves in vadoſo portu figerentur, Danica, ac Lubecenſes claſſes conjunctæ ad Oppidum appuliſſent; orta repentè tempeſtas utramque claſſem, horribili procellarum vi quaſſatam, ac diſiectam, in qua circitèr novem hominum millia erant, cum ipſo Thalaſſiario Jo: Laurentiano, & Bartholomeo Tunapel- CVI.

E

napello, Lubecenſi Conſule, miſerabili, A ac luctuoſo naufragio abſumpſit.

I. At in Poloniæ Regno, hoc anno, Catholica Religio, ab hæreticorum fraudibus, excitatis procellis, penè, & ipſa obruta viſa eſt. Anno ſuperiore, Parcoviæ ejuſdem Regni Comitia habita fuerant, in quibus Lutherani, ac Calviniſtæ, quamvis in multis, ad credulitatem pertinentibus, inter ſe diſſidentes, quò faciliùs tamèn, majoreque vi, numero, ac impetu veræ Fidei Catholicæ obeſſe poſſent, eamque everte- B re valerent, conſilium injerant, ut hæreticorum partem alteram, quæ Trideiſtas, ac Anabaptiſtas complectebatur, ſi omninò non poſſent, ſaltem ex Poloniæ Regni finibus exterminandam curarent; quamobrem, & à Rege, & ab univerſi Regni Senatu peſtilentiſſimas duas eas ſectas proſcribi, publico Senatus conſulto, importuniſſimis precibus, & animi contentione poſtulaverant. Verùm verſutum ipſorum conſilium agnoverant, conatuſque irritos reddi- C derant Catholici, impiam præcipuè calliditatem aperiente Cardinali Stanislao Hoſio, Viro, vitæ ſanctitate, doctrina, ac prudentia toto Orbe celeberrimo, qui nefariam Calviniſtarum, ac Lutheranorum everterat perfidiam, ſapienter dicens: [*Comedant potiùs ad invicem, ut conſumantur ab invicem; bellum enim hæreticorum, pax eſt Eccleſiæ. Aut ſimul omnes, qui ab Eccleſia diſceſſerunt, proſcribantur, aut, ſi hoc poteſtas tenebrarum non permittit, ſimul* D *omnes tolerentur; veritas enim, dicebat, falſitatem, non falſitas pellere debet veritatem; ſolos enim Trideiſtas, & Anabaptiſtas ejicere, eſt Lutheriſtas, & Calviniſtas canonizare, & eorum potentiam augere, ac audaciam nutrire, &c.*] Imò expedire potiùs exiſtimaverat, ut Trideiſtarum perfidia reciperetur, ſi, quod abſit, Fide Catholica reprobata, ejus loco nova aliqua ſecta ſufficienda fuiſſet; quòd ejuſdem turpitudine, à reliqua omni doctrina amplectenda, quæ E cum Eccleſia Catholica non conveniret, deterritos ituros homines prudentiſſimè judicaverat. Quapropter, licèt in Epiſcoporum quoque Ordine, qui ad Comitia convenerant, non defuiſſent, quibus expedire viſum fuerat, ut, ſi non omnes ſimul, aliquæ tamen hæreticorum ſectæ è Regni finibus pellerentur, quòd ſectariorum numero diminuto, de Lutheranis, ac Calviniſtis ſtatuendi, decernendique facilior ratio ineunda eſſet; nihilominùs & ipſi tandèm in Hoſii Cardinalis ſententiam deſcenderunt. Ea in re, cùm Joannes Franciſcus Cardinalis Commendonus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, qui iiſdem interfuit Comitiis, multùm laboraſſet, & tamèn, ut publico Senatus conſulto, omnibus pœnis, & infortuniis, Regni Statutis, comprehenſis, omnes in univerſum adiudicarentur, qui cum Eccleſia Catholica Romana in Fidei doctrina non concordarent, obtinere non potuiſſet; hoc ſummo tamèn Catholicorum conatu, perfectum fuerat, ut externi miniſtri, cujuſcumque ſectæ eſſent, veluti belli faces, ſeditionum flabella, & audaciſſimorum hominum nutriculæ, qui ſeſe, vel duces, vel ſeditionis miniſtros, ubique præberent, omnium ſententiis, intrà certum tempus, è totius Regni ditione, finibuſve excedere juberentur.

Id Comitiorum decretum, indigniſſimè tulerant Calviniſtæ, ac Lutherani, vel quòd eorum machinationes evertiſſet, vel quòd eodem planè à Catholicis, quo Trideiſtæ, & Anabaptiſtæ, loco haberi, & iiſdem digni pœnis, imò etiam gravioribus, quàm illi, infortuniis obnoxii exiſtimati fuiſſent; ob id, videlicèt, quòd ipſi Eccleſiam Catholicam univerſam, auctoritate, antiquitate, conſenſione roboratam, primi omnium commoviſſe, ac deſeruiſſe inſimularentur: illi verò, non niſi Lutheranos nupèr natos, qui ſuum, ut vocabant, Evangelium non ità pridem de ſub ſcamno eruerant, reliquiſſent. Deponendas igitur eſſe mutuas iſtas contentiones, ac de ineunda inter utramque partem concordia, rationes potiùs adinveniendas cogitarunt, quòd, alternis hujuſmodi odiis, cauſam Catholicorum meliorem, ſuam verò deteriorem reddere nollent. Novis idcircò conſiliis, & artibus armati, ad futura Regni Comitia, Petricoviam, hoc anno venire cùm molirentur, interim, ad componendas mutuas inter ſe concertationes, conventiculum coëgerunt, cujus acta ſic à Stanislao Reſcio monumentis tradita fuere. II.

[*Delecti erant quatuor viri nobiles, totius diſputationis teſtes, duo ex majore, & ex minore Polonia duo; quintus erat ſcriba: omnes Calvinicolæ. Totidem* III.

De Atheiſ., & Phaber. Evangelic. Reſc. pagin. 146.

tidem fuerunt Trideiſtarum, & teſtes, & Miniſtri. Lutbomirius, Paclefius, Hoſmannus, Gregorius, & Joannes Caſonovius, Scriba. His ab utraque parte delectis, quæſtio erat de Præſide, an unus eſſet, & quiſnam eum locum ſuſtinere deberet. Viſum erat alteri parti, ut alternis diebus, ex utraque parte unus aliquis præeſſet: ſed cùm id quoque diſpliceret, duo perpetui Præſides electi ſunt, alter Calviniſta, alter Trideiſta. Eo verò conſtituto, qui tùm erat Regni Poloniæ Marſalcus Calviniſta, (is erat unus ex teſtibus) pro more patriæ, pauca præfatus ad ſtudium pacis, atque ad reſipiſcentiam adverſarios adhortatus eſt. Hæc ad extremum verba ſubjungens: (Conſtitutâ colloquii, diſputationiſque ratione, in Dei, Sanctæque Trinitatis nomine, exordimini:) quæ verba Trideiſta quidam, truci vultu excipiens, exclamavit: (Nos verò hic non dicimus Amen: neque enim iſtum Deum, Trinitatem novimus, nec ab eo quidquam præſidii, vel ſperamus, vel expectamus:) hic alii reſponderunt: (Nulla jam alia diſputationis propoſitione opus eſt, cum ipſa ſeſe in ipſo curſu ſermonis obtulerit. De hoc agatur.) Trideiſtæ igitur, quatuor primis ſeſſionibus, Scripturæ Sacræ loca proferebant in medium, ex quibus probare contendebant, Chriſtum, qui vocatur Filius Dei, non fuiſſe ab æterno Deum, nec Patri, qui dicitur Jehove, conſubſtantialem: ſed in tempore natum, & Divinitate donatum. Viciſſim Calviniſtæ ſcriptum quoddam protulerunt, in quo oſtendebant, illud Geneſis primo: Faciemus hominem &c. non de ſola Dei Patris, ſed etiam de Filii perſona intelligi. Addebant illud Joannis: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & alia hujus generis, Catholicis omnibus notiſſima. Huic ſcripto in ſecunda ſeſſione reſponderunt Trideiſtæ, non quidem directè, difficile enim erat, manifeſtam veritatem de vera Filii divinitate oppugnare; ſed effugiis quibuſdam utentes, & quaſdam figuratas, & æquipollentes enunciationes afferentes, qualis eſt iſta: In principio erat Verbum, non ſignificare initium creationis rerum, ſed innovationis, quæ facta eſt per Chriſtum: ità enim ajunt: In principio renovationis Eccleſiæ, Verbum, hoc eſt, Chriſtus homo, erat quidem in mundo, quia jam natus erat ex Maria, ſed erat apud Deum, quia erat occultus

A *hominibus, & ſoli Deo notus, donèc à Joanne manifeſtatus eſt. In ſecundo conflictu, conſenſionem primitivæ Eccleſiæ, de doctrina Trinitatis, ad hæc uſque noſtra tempora perductam, opponebant Calviniſtæ: & eam Sanctorum Patrum, & Doctorum teſtimoniis confirmabant. Trideiſtæ quoque, ex iiſdem Patribus, erroris ſui præſidia afferebant. At cùm ex aliis, atque aliis eorumdem Patrum locis, in quibus ſeſe clariùs explicabant, convincerentur; rejicerunt ad extremum*
B *Trideiſtæ Patrum teſtimonia, tamquàm ſibi ipſis contraria, & in ſolo verbo Dei acquieſcere velle proteſtabantur. In tertio conflictu, ex hiſtoriis petita ſunt argumenta. Protulerunt ſcriptum Trideiſtæ, in quo conabantur oſtendere, Fidem Sanctiſſimæ Trinitatis in Concilio primùm Nicæno fabricatam eſſe, deindè à Cæſare Conſtantino, vi, & armis propagatam; Concilium verò Arianorum Syrmii celebratum, & Conſtantium Arii fautorem approbabant. Huic ſcripto,*
C *ſcriptum aliud oppoſuerunt Calviniſtæ, dolentes, quòd ſeſe, projecto pudore, Arii fautores, & diſcipulos profiterentur, hominis, univerſi Orbis Judicio, & Doctorum teſtimonio reprobati, & damnati. Attamèn, eccè vobis ſcriptum, ajunt, quo oſtendimus, non ex mutilatis, ſed ex certis, & probatæ fidei hiſtoriis verbum ὁμοούσιον, atque à Deo doctrinam de Deo uno, & Trino, ante Concilium Nicænum fuiſſe, illoſque 318. Epiſcopos nil aliud, quàm antiquam, & à Majoribus*
D *acceptam, Fidem, decretis ſuis clariorem reddiſſe. Vos verò, ajunt, cum omnia perperàm interpretemini, gravem aliquandò Dei vindictam experiemini: nobis agere vobiſcum non libet; videmus enim, nullam vos prorsùs ſortem habere in univerſa Domini hæreditate. His auditis Trideiſtæ, & verbis, & ſcriptis valè dixerunt Calviniſtis. Unus verò aſſurgens, & Deum illis propitium, & mentem precatus eſt meliorem, veramque unius veri Dei agnitionem. Calvi-*
E *niſtæ verò pervulgatum illum Eccleſiæ hymnum clara voce cecinerunt:*

Deo Patri ſit gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclyto
In ſæculorum ſæcula.

Quæ verba rabidi Trideiſtæ non ferentes, ſimul omnes è conſeſſu abierunt, ne-

gantes ſe ferre, ſine ſtomacho poſſe ſummi Dei injuriam, nec volentes dicere: Amen. Ità colloquium illud, malo conſilio inſtitutum, pejorem exitum accepit.) Hucuſque nefarii Conventiculi acta; ex quibus ſatis apparet, Calviniſtas, ut Trideiſtarum argumenta diluerent, ad Eccleſiæ Catholicæ arma, SS. videlicèt PP. authoritatem, Conciliorum ſcita, nec non Eccleſiaſticæ hiſtoriȩ monumenta confugere; iiſque ſe tuer; telis coactos fuiſſe, quibus Catholicam fidem perſæpe haud propugnatam contendunt: dum eadem ab ipſis allata rejiciuntur, cum ab Orthodoxis contra illos adhibentur; itaut aliqualiter de Calviniſtis ſic in Trideiſtas agentibus, uſurpare liceat id,

Auguſt. to. 8 in Pſal. 56.
quod de Hebræis ajebat Auguſtinus: [*Quando oſtendere volumus prophetatum Chriſtum, proferimus Paganis iſtas (nempè ſacras Literas) & nè fortè dicant, duri ad fidem, quia nos illas Chriſtiani compoſuimus, & cum Evangelio, quod prædicamus, finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus; hinc eos convincimus, quia omnes iſtæ Literæ, quibus Chriſtus prophetatus eſt, apud Judæos ſunt, omnes iſtas literas habent Judæi. Proferimus Codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos: in quali ergo opprobrio ſunt Judei? Codicem portat Judæus, unde credat Chriſtianus: librarii noſtri facti ſunt; quomodò ſolent ſervi poſt dominos, Codices ferre, ut illi portando deficiant, iſti legendo proficiant. In tale opprobrium dati ſunt Judæi, & impletum eſt, quod paulò antè prædictum eſt: dedit in opprobrium conculcantes me &c.*)

IV. (*Mendaces igitur à ſe, veraces contra ſe*) [ut alibi ſcripſit idem Auguſtinus.] Calviniſtæ Trideiſtas impugnarunt, & [*de inimicis noſtris, alii confuſi ſunt inimici*] in nefandiſſimo eo colloquio; ex quo magis averſis, inquit Reſcius, & à concordia, & ab invicem, animis, & ſtudiis, cùm utraque pars hæreſeos alteram condemnaret, diſceſſerunt. Longè tamen aliud, libris, de hoc ipſo colloquio ſuo, editis, commentos fuiſſe, ut ſuorum animos confirmarent, & Catholicorum animos retardarent, idem tradit.

Auguſt. to. 10 ſerm. 32. in Epiph. Dom. Idem in Pſalm. 57.

V. Hujuſmodi verò perditorum hæreticorum inſidiæ, uti latere haud potuere Pontificem, qui tàm magna vigilantia univerſo gregi Dominico præerat; ſic, ut eas deturbaret, nil, quod ſui eſſet muneris, prætermiſit. Admonendos officii ſui in primis igitur duxit Epiſcopos, qui iis, quæ memoravimus, Comitiis Petricovienſibus interfuturi erant, ut hæreticorum auſibus obſiſterent; quod quidem, ſcriptis ad eos ſequentibus literis, egit.

(Venerabili Fratri Jacobo, Epiſcopo Gneſnenſi, Regni Poloniæ Primati.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

Cum magnoperè ſuſpicemur, quamplures ex Laicis, qui Comitiis iſtius Regni interfuturi ſunt, hæreticæ pravitatis labe pollutos, & Eccleſiaſtici Ordinis adverſarios, hac oblata occaſione aliquid, ut ſolent, molituros adverſùs Religionem Catholicam; coëgit nos commiſſi nobis officii ſollicitudo, & Divini honoris zelus, Fraternitatem tuam, & cæteros hujus Regni Epiſcopos hortari, & monere, ut tàm neceſſario tempore veſtrum officium præſtetis. Agetur enim Dei Omnipotentis honor, & Fidei Orthodoxæ cauſa, pro quibus SS. Patres noſtri ſanguinem ſuum profuderunt. Agetur ovium Dominicarum ſalus, pro quâ à bonis, fidelibuſque Paſtoribus, ſi opus ſit, anima ipſa ponenda eſt. Proindè, ſi quid hæretici, hæreticorumque fautores tentare conabuntur, quod ad confirmandas hæreſes pertineat; te, & reliquos Fratres pernicioſis eorum conatibus, una mente, conſtantèr, & fortitèr obviam ire, & obſiſtere oportebit, nè videamini canes muti, non valentes latrare. Id quod, nè in vos dici poſſit, tuæ maximè partes erunt, qui, ut dignitate aliis iſtius Regni Prælatis excellis, ità hortator, & dux eris, & reliquis Catholicis, ad reſiſtendum hæreticis eſſe debes. Speramus autem, ſi inter vos, ut debetis, conſentientes, illis ſacerdotali vigore vos opponetis, (Deo ſuvente) vos eorum conſilia eſſe fracturos. Turpe admodùm, & indignum fuerit, paratiores illos eſſe ad Fidem Catholicam oppugnandam, quàm vos ad defendendam. Memineris, Frater, officii tui, Deo reddendam abs te rationem fore, quam, quia ipſi quoque de noſtro reddituros

Nos

Nos eſse meminimus, idcircò præterire noluimus, nec debuimus, quin te fraterna charitate moueremus, quid tali tempore facere debeas; ut, quæ te, pro tua ſponte facturum eſſe ſperamus, noſtro admonitu facias diligentiùs, acriùs, ſtudioſiùs. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 27. Martii MDLXVI. Pontificat. noſtr. anno primo.)

Ad Epiſcopum Cracovienſem.

(Venerab. Fratri Philippo, Epiſcopo Cracovienſi,

PIUS PAPA V.

Ven. Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

CUm ſciamus, iſtius Regni Conventui interfuturos eſſe complures ex Laicis, hæreticorum fautores, & Ordini Eccleſiaſtico infenſos; pro certo habemus, id eos, more ſuo, acturos, ut aliquod decretum extorqueant, quo hæreſum peſtis in ipſo Regno confirmetur, atque augeatur. Quæ ſollicitudo, cùm animum noſtrum non mediocritèr angat, Fraternitatem tuam, ſicut cæteros quoque Fratres, iiſdem Comitiis interfuturos, hortandam duximus, & admonendam, ut tàm pernicioſis eorum conatibus, tali tempore, pro tua parte, fortiter, & conſtanter obſiſtas, nec pro Dei honore, & ovium tuarum ſalute, ullam contentionem ſubterfugias. Si enim hæretici, ad oppugnandam Religionem Catholicam, & perdendas Dominicas oves, tàm attenti ſunt; quantò attentiores, & paratiores eſſe Dei Sacerdotes debent, ad Dei honorem, & Orthodoxæ Fidei veritatem, unà cum ſalute commiſſarum ſibi ovium defendendam? Cogitare unumquemque veſtrum, & reputare ſecum oportet, quanto Sanctorum Patrum noſtrorum ſanguine fuerit Catholica Religio conſtituta; quod ſic veri, ac boni Paſtoris officium implebitis. Capiendus eſt vobis in eo Conventu dignus Dei Sacerdotibus animus, & pro ſalute ovium veſtrarum, mors, ſi ità opus ſit, oppetenda eſt. Sed non erit, ut ſperamus, difficile hæreticorum impedire conatus, ſi modò illis vos, una mente, & ea, qua debetis concordia, reſiſtetis. Abſit à vobis, ut ullo, aut metu, aut ignavia ſacerdotale officium deſeratis. Meminiſſe te quidem, Frater, officii tui credimus, nec commiſſurum putamus, ut illud in te dici poſſit: canis mutus non valens latrare: ſed noſtrum ipſi prætermittere noluimus, ut tibi de tuo, ità nobis de noſtro rationem Deo reddendam fore. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. Die 27. Martii 1566. Pontificat. noſtr. ann. primo)

Ad Petrum Miſcovium,

Epiſcopi Plocenſis

Coadiutorem.

(Dilecto Filio Petro Miſcovio.

Venerab. Fratris Epiſcopi Plocenſis Coadiutori, Regni Poloniæ Vice-Cancellario.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Ibid. ut ſup.

SIcut hæretici, ad peſtiferas hæreſes ſuas confirmandas, ſemper intenti ſunt; ità Catholicos oportet ad Sanctam Catholicam Fidem defendendam eſſe promptos, atque paratos, eorumque impiis, & pernicioſis conatibus, & Divini honoris, & ſalutis animarum cauſa fortitèr, & conſtanter obſiſtere, & pro his rebus non dubitare, ſi ità neceſſe ſit, ſanguinem ipſum profundere. Quia igitur non poſſumus non magnoperè vereri, nè hæreticorum fautores, in Comitiis Regni, aliquod decretum extorquere conentur, adversùs Fidem Orthodoxam: dilectionem tuam hortamur in Domino, & admonemus, ut officii ſui memor, tali tempore, Religionis cauſam, unà cum Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis viris conſtantiſſimè, pro ſua parte, tueatur, atque defendat, iiſque officiis fungatur omnibus, quæ ipſius prudentia, & devotione ſunt digna. Qua in re, & ſaluti ſuæ Nationis inſerviet, & pro tali ſtudio ſibi Omnipotentis Dei gratiam acquiret. Omninò putabamus, te tua ſponte officio tuo diligenter eſſe functurum, cùm tuum erga Catholicam Religionem ſtudium nobis non ſit incognitum; ſed tamen pro noſtri muneris officio, piam voluntatem tuam paterna hor-

hortatione noſtra duximus incitandam. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xxviij. Martii 1566. Pontificat. noſtri anno primo.)

VI. At nullus erat, vel inter Laicos, vel inter Eccleſiaſticos viros, cui aptiùs provincia hæc committenda foret, quàm Hoſio Cardinali, qui innumeris certaminibus, pro Catholica Fide ſuſceptis, glorioſus, hoſtium impetus, vel ſolo nomine, unus repellere poſſe videbatur. Ad ipſum igitur iſta Pius ſcripſit:

Stanislao Cardinali Hoſio &c.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Quia hæreticorum mores novimus, & odium quo Eccleſiam Catholicam, & Eccleſiaſticum Ordinem inſectantur; dubitamus, eorum fautores, in Comitiis iſtius Regni, molituros quidquid poterunt, adverſùs Religionem Catholicam. Itaque, pro officii noſtri munere, cohortandos, & admonendos duximus Venerabiles Fratres, Archiepiſcopum Gneſnen., & ſingulos Regni Epiſcopos, ut tali tempore, officii ſui memores, una mente adverſariis ſeſe opponant, eorumque pernicioſis conatibus, conſtantèr obſiſtant. Hac te hortatione non egere ſcimus. Novimus enim perpetuum, & ſingularem tuum zelum Divini honoris. In memoria habemus maxima tua, erga Religionem Catholicam, merita. Itaque confidimus non modò, non expectaturum te hortationem noſtram, ſed tui ipſius cohortationibus excitaturum eoſdem Epiſcopos, ad præſtandum fidelitèr Deo, & Patriæ, & gregibus ſibi commiſſis officium ſuum; & Laicis Catholicis, iiſdem Comitiis de more interfuturis, cauſam Religionis diligentiſſimè commendaturum; omnibus denique officiis cum Sereniſſimo Rege, & aliis functurum, quæ pietate erga Deum tua, & fide, ac devotione erga Sedem Apoſtolicam, cujus inſigne, atque honorabile membrum es, digna ſint. Intereà verò Nos, non ſine maxima animi ſollicitudine exitum Comitiorum iſtorum expectabimus: quæ Nos ſollicitudo cogit, licèt hortatione te non egere, Nos ſcire diximus; tamen, non modò hortari te, ſed etiam obteſtari, ut omni ſtudio, cura, ac diligentia hæreticorum conſiliis occurras, & ad Religionem Catholicam tuendam, ità incumbas, ut exemplo tuo Catholicis omnibus animos augeas. Datum Romæ, ſub annulo Piſcatoris, apud Sanctum Petrum, die xxvij. Martii 1566. Pontific. noſtr. ann. primo.)

Hoc accepto Apoſtolico mandato, ad Petricovienſia Comitia ſe contulit Hoſius, cujus præſentiam Catholici omnes ſumma gratulatione, hæretici autem inviſo prorsùs, & repugnanti animo exceperunt, quibus eò gravior erat ad videndum, quò magis viis eorum, viæ illius contrariæ erant, atque ipſius ſanctitatis, & doctrinæ lumina, cæcutientes eorumdem oculi, ſuſtinere non valebant. Conſilium igitur omnes ſimul injere, ut eum perderent, Religionem univerſam oppreſſam, & everſam exiſtimantes, ſi unum Hoſium opprimerent, & è medio tollerent. E Regni finibus idcircò deturbandum curarunt; idque in Nunciorum conſeſſu, qui, ex ſingulis Poloniæ Provinciis, quas Palatinatus vocant, à Nobilitate deputati, ad Regni generalia Comitia veniunt, in deliberationem vocari ſtuduerunt; clamitantes, (ut tradit Reſcius idem) neceſſarios non eſſe in Polonia Cardinales, ubi exploratorum officia tantùm obibant, utpotè qui ad externos Principes, atque in Urbem omnia Regni ſtudia, & conſilia diligentiſſimè perſcriberent; & Regem in eos, qui Romano Pontifici nuncium remiſiſſent, aſſiduis ſtimulis, & ſuſurrationibus incendebant. Tùm etiam, periculum eſſe, dicebant, nè tempore interregni, Regnum Hoſius occuparet, aut arbitratu ſuo aliquem ſuperinduceret, ob id, videlicèt, quod in Cardinalium creatione, eorum Creator: *Eris ſimilis Regibus*, pronunciare ſoleret. Regni quoque Statutum quoddam proferebant, quo, nè quis Cardinalatus dignitatem peteret, aut quovis modo impetraret, cautum erat: demùm in hoc erant, ut vel Regno exterminarent, vel ut, Cardinalitia Dignitate abjecta, in Varmienſem Epiſcopatum Hoſium relegarent.

Vit. Card. Hoſii lib. 2. cap. 31.

VIII. Hæc autem omnia à perſequendæ, ac profligandæ hæreſis ſtudio minimè Hoſium abducere potuerunt; tantum enim abeſt, ut, alicujus periculi, tempeſtatiſque metu, à propoſito revocare-

caretur, quin apertè profiteretur, ſi quo caſu contingeret, ut ex patria ejiceretur, ſe non in aliam partem id accepturum eſſe, quàm, quòd ſibi ſingulari quadam miſericordia proſpectum Deus voluiſſet, ut eò potiùs demigraret, ubi peſtilentiſſimorum hominum, nec nomen audiret, nec facta videret, nec oculis ſuis patriæ ſuæ cineres, ac excidium proſpiceret. Quod ad ſtationem attinet, in qua Deus invitum, ac repugnantem collocare voluerat, uti olim Ambroſius, eam ſe nunquàm eſſe ſpontè ſua deſerturum aſſerebat: quòd ſi ad id compulſus fuiſſet; hoc quoque non infortunio, ſed felicitati tributurum. De Cardinalitia verò in ſe collata dignitate, cujuſvis Regni Statuti ſeveritati ultrò ſeſe ſubditurum offerebat, ubi ipſam queſiiſſe compertum eſſet: cœterùm neminem penè latere poſſe, non tantùm eam non quæſiiſſe, ſed inſupèr à Paulo Quarto exhibitam, conſtantiſſimè recuſaſſe, & demùm à Pio, item Quarto oblatam, in virtute Sanctæ obedientiæ coactum, urgenteque Imperatore Ferdinando, tantummodò ſuſcepiſſe. Viciſſim non defuiſſe tamen Catholicos Senatores, qui pro ſalute, & dignitate eximii Cardinalis, extrema quoque pericula ſe ſubire paratos oſtenderunt, tradit Reſcius; qui inter alios commemorat Stanislaum Barzium, Cracovienſem Palatinum, additque, hæc omnia hæreticorum conſilia in ſpongiam incubuiſſe, cum in ſua ipſorum viſcera infeſta arma convertiſſent; nàm orta inter Trinitarios, & Sacramentarios gravi, & acerba diſputatione, de opinionum veritate, quorum utraque pars ſuam doctrinam, Chriſti doctrinam, ſuas opiniones, Chriſti voces, & purum Dei verbum jactitabat, nec poſſent inter ſe convenire; contentionum pertæſi, ad Hoſii tandem judicium, utriuſque ſententiam referendam, ejuſque eſſe ſtandum decretis profeſſi ſunt; licèt id minimè poſteà præſtiterint, quòd Hoſius nullum finem fecerit omnibus oſtendendi, Lutheriſtas, Calviniſtas, Trideiſtas, Anabaptiſtas, &, ſi quæ fuiſſent hujus generis hominum peſtes, ſimul omnes Chriſtum negaſſe, omnes ab Eccleſiæ utero, omnes à vero aberraſſe, licet ipſorum pars una de Sanctiſſima Trinitate, rectè cum Eccleſia ſentire videretur.

A [*Cupiebat nihilominùs Rex* (*præfati Reſcii ſunt verba*) *his tantis blaſphæmiis, & immortalibus odiis finem tandem aliquem in Regno ſuo ponere, ac, ſi quæ iniri conſtituendæ unitatis rationes, Epiſcoporum ſententias perquirebat: nec deerant, qui in ampliſſimo Regni conſeſſu, Senatorum ſententias de unitatis, & concordiæ ratione inter Catholicos, & hæreticos ineunda, perquirendas eſſe cenſuerunt, niſi Hoſius interceſſiſſet; qui rogatus ſententiam, reſpondit*: [*Quòd cùm animo ſuo diligentiſſimè reputaverit vias, & rationes omnes, quibus poſſet inter diſſidentes de Religione pax, & concordia ſtabiliri; nullum reperire potuiſſe magis ſalutare conſilium, quàm quod in ſimili cauſa, cùm idem, qui nunc, olim eſſet rerum ſtatus, à ſanctiſſimis, & doctiſſimis Epiſcopis Athanaſio, & Auguſtino, ante* 1200. *ferè annos datum eſſe legerat. Volunt, ait Auguſtinus, unam habere linguam, veniant ad Eccleſiam, ubi etiam in diverſitate linguarum carnis, una eſt lingua cordis. Excipientur ab illa, non minùs alacritèr, & benignè, quàm prodigus ille filius à Patre ſuo fuerat exceptus. Tùm etiam, ut dicant, & faciant, quod ſuadet Athanaſius: ſurgite, abeamus ad Patres noſtros, & dicamus illis, anathemate deteſtamur Lutherum, Calvinum, & omnem aliam hæreſim; agnoſcimus autem S. OEcumenicam Tridentinam Synodum, eique dicto volumus eſſe audientes. Præter hanc ſe nullam aliam concordiæ rationem, inter Chriſtianos, & hæreticos, vel legiſſe, vel excogitare potuiſſe &c. Quòd autem hujus diviſionis, & diſſentionis culpa omnis in Epiſcoporum negligentiam à quibuſdam conferatur, quòd errantes non doceant; culpam eorum potiùs eſſe oſtendebat, qui nec doceri, nec moneri volunt, ſibique Scripturarum intelligentiam arrogant, ſibi veritatem revelatam comminiſcuntur, cæteros omnes truncos, ſtupidos, bardos reputant. Quid igitur facerent Orthodoxi Epiſcopi, in tanta hominum, tàmque obſtinata cæcitate? Nullius ſalus poteſt eſſe magis deplorata, quàm, qui ſe ægrotum, & infirmum ignorat. Tenere ſe præterea dicebat memoria, quem fructum olim in Germania peperiſſet illa concordia, quæ in libello*, Interim, *vocato, conſtituta videbatur; qui motus, qui bellorum ſtrepitus, quæ clades ſint ſubitò conſtitutæ, quàm*

IX.

In Vit. Card. Hoſii cap. 22.

quàm longè majores progreſſus univerſa ſectarum colluvies fecerit. Sed & in Gallia, quis ſit rerum ſtatus, poſt tot ſymbleas, ſive collationes, ſive conciliabula, in quibus de pace, deque concordia tractabatur, conſecutus, quis eſt, qui non videat? &c. Non pacem hæretici cupiunt, non concordiam appetunt, ſed ſub pacis, & concordiæ pallio, ſceleribus ſuis, & audaciæ impunitatem quærunt &c. Quamobrem iterùm, atque iterùm clara voce ſe pronunciare, quòd concordia alitèr coire inter Chriſtum, & hæreticos non poteſt, niſi, ut eò revertantur hæretici, undè per ſummam audaciam diſceſſerunt: ad unam Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam. Abſit autem, ut eorum quoque voces audiantur, qui putant, concordiam non difficulter eſſe inter diſſidentes coituram, ſi decreta omnia Sacri Concilii Tridentini legerentur in Comitiis, coram omnibus ordinibus Regni, & expenderentur, an rectè ſe habeant. Quidquid communi omnium conſenſu receptum, & approbatum eſſet, id ſequerentur omnes, nec fas eſſet cuiquam ab eo diſcedere. Sicut enim fas non eſt in Comitiis particularibus alicujus Palatinatus, Decreta generalium Regni Comitiorum reſcindere, ac nè diſputare quidem, nùm rectè ſe habeant: itá, ac multò minùs fas eſt, de Concilii OEcumenici decretis, nùm rectè ſe habeant, in unius Regni Comitiis diſputare. Multò ſanctior eſſe debet Conciliorum, quàm Comitiorum authoritas, cum hoc ſit, ac minùs etiam, Regnum Poloniæ cum Orbe toto Chriſtiano collatum, quod eſt Palatinatus Cracovienſis, vel Poſnanienſis cum toto Regno comparatus. Executione, [addebat] non diſputatione opus eſſe, de qua, quòd non nulli ſupplicandum eſſe Reg. Maj. cenſerent; ſe in ea opinione eſſe, quòd non omnis executio ad Regiam poteſtatem pertineret. Nàm Regis munus non aliud erat, quàm, ut eam doctrinam, quæ tradita eſt à Patribus in Concilio congregatis, ab omnibus firmitèr, & inviolabilitèr obſervari præciperet; ſicut olim ab Imperatore Conſtantino, Theodoſio, Valentiniano, & aliis factum eſſe legimus, cum ſubditis ſibi populis præciperent, pœnis etiam interpoſitis, ut ceſſaret omnis profana contentio. Injuriam enim fieri religioſiſſimæ Synodo putabant, ſi quis ſemel judicata, & rectè diſpoſita revolvere, & publicè di-

A ſputare contenderet; imò verò impius, & ſacrilegus eſt, ajunt, qui poſt Sacerdotum ſententias, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippè dementiæ eſt, in medio, & perſpicuo die, commentitium lumen inquirere. Quiſquis enim, poſt veritatem repertam, quid ulteriùs diſcutit, mendacium quærit. Cœterùm, quod ad reformationis executionem in Concilio conſtitutæ attineret, eam ad Regiam poteſtatem nequaquàm pertinere; ſed ad Synodum, B ut in ea ratio inveniretur, quemadmodùm adduci Clerus omnis poſſet, ut vitam moreſque ſuos ad præſcriptum Concilii componeret. Neque enim expediebat de moribus Eccleſiaſticorum reformandis, in Principum ſæcularium præſentia deliberare, cùm nec Imperator Conſtantinus legere voluerit, quæ illi de corruptis quorumdam Epiſcoporum moribus oblata fueruntt, in Concilio Nicæno; & Scriptura velare patris verenda præcipiat, non manifeſtare. C Quod autem ad diſciplinam attinebat, de qua etiam in Comitiis agendum eſſe quidam exiſtimabant; eſſe dicebat diſciplinam militarem, eſſe diſciplinam politicam, quæ in Regni Conſtitutionibus continetur; de his duobus in Comitiis generalibus agi rectè poſſe. Eſſe poſteà diſciplinam Eccleſiaſticam, de qua abſit, ut in Comitiis tractaretur, cùm in Synodo, ea de re agendi locus eſſet, multò commodior, & magis etiam proprius.

D His, & aliis multis rationibus coràm Rege, & Senatu, cùm publicè, tùm privatim oppoſitis, juxta illud Apoſtoli verbum, Hoſius prædicavit, inſtititque opportunè, importunè, arguit, increpavit, obſecravitque in omni patientia, & doctrina; audivitque eum Rex, tamquàm de Cœlis delapſum Angelum, vel ſi Sanctum illum Stanislaum, Cracovienſem Epiſcopum coràm aſpiceret, in lachrymas erupit, atque ad loquentis genua provolutus, cum fletum re- E preſſiſſet: (*Scio*, inquit, *quòd nemini unquàm adulari conſueviſti, & pro ſalute mea tantùm loqueris. Ago tibi gratias, quòd me, qui præcipuè indigeo, tanta libertate, ad ea, quæ ſunt mei muneris, adhortari non deſinis. Talem te ſemper cognovi, & ſalutis, & honoris mei cupidiſſimum, talem nunc experior. Perge, ut hactenùs feciſti, Dei mihi annunciare voluntatem, & pro Regni no-* X.

ſtri

ſtri quiete Domino ſupplicare nunquàm intermitte] *novum Ambroſium* (inquit Reſcius,) *& alterum Theodoſium diceres*.

XI. Nihilominùs, quò magis Rex fuit contra hæreticos inflammatus, eò audaciùs, & impudentiùs perfidiam ſuam hæretici ipſi propagare auſi ſunt; dùm in iiſdem Comitiis, contra Calviniſtas Trideiſtæ in diſceptationem vocare præſumpſerunt nefarium illud, de quo privatim, in ſuo conventiculo Satanæ jam pridem egerant, nùm Chriſtus ſit Deus? quam furentem inſaniam, ac horridam blaſphæmiam, cùm Hoſij piæ aures ferre haud poſſent, nec eſſe proſpiceret, qui meritas tanti ſceleris, quas merebantur, pœnas expeteret; poſtquàm officii ſui Regem, Epiſcopos, cœteroſque Regni Senatores iterùm, atque iterùm monuiſſet, ac per viſcera Miſericordiæ Dei obteſtatus eſſet, ut tantam hanc audaciam reprimerent, injuriamque Jeſu Chriſti Filii Dei viventis vindicarent; ſeparare ſe à tabernaculis impiorum conſtituit, nè peccatis eorum involueretur; ac ſtatim ex Comitiis recedens, in Pruſſiam ſe recepit: quo in itinere, multis cum lachrymis, Polycarpi illud memoraſſe ferunt (*Bone Deus? in quæ tempora me ſervaſti?*) *& Hieremiæ aliud*: [*Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes ejus*.]

XII. Abſens verò, nec ſui muneris eſt oblitus, nec cum Catholicæ Fidei hoſtibus manus conſerere prætermiſit; nàm Regem per literas hortatum fuiſſe, ut jurisjurandi ſui memor, quod inauguratus in Regnum, &, cùm coronaretur præſtiterat, Chriſti injuriam vindicare pergeret, teſtatur Reſcius; & adhùc inter ejus Epiſtolas ea legitur, quam hoc ipſo tempore ad Archiepiſcopum Gneſnenſem, Jacobum VchansKii ſcripſit: ex qua etiam habetur, in hujus anni Comitiis, (quod incaſſum in aliis præteriti anni petierant,) Lutheranos, ac Calviniſtas, fraudibus, ac inſidiis (quibus etiam, qui contra, ipſos ſtare profitebantur, Catholici deciperentur) obtinere ſtuduiſſe, ut nempè Trideiſtarum abjecta hæreſi, ipſorum tantummodò ſecta confirmaretur, ac inter Regni fines ſtare permitteretur: revocareturque hac ratione, quod contra omnes utriuſque ſectæ exteros miniſtros,

A anno præterito ſancitum fuiſſe vidimus. Ejuſmodi eſt Epiſtola.

[*Quod Confeſſioniſtæ tanto ſtudio ſuam hæreſim confirmatam cupiunt, nil miror; ſed ſi qui ſunt, qui ſtudium hoc eorum adiuvant, & hi Catholici videri volunt, mirari ſatis non poſſum. Itanè Trideiſtæ potiùs, & Anabaptiſtæ judicabuntur hæretici, reliquos verò nihilominùs Lutheriſtas, & Calviniſtas, (hos enim nomine Confeſſioniſtarum cenſeri puto) tamquàm aſſertores, & Judices* B *Evangelii, purique Dei verbi propagatores habebimus? Ego verò non dubitanter dixero, magis eſſe laborandum do profligandis duabus iſtis ſectis, quæ primæ fuerunt, quàm de poſterioribus reliquis, quas nobis illæ procrearunt. Nàm undè nobis iſti Trideiſtæ, & Anabaptiſtæ? an non ex Luteriſtis, & Calviniſtis? Ita nè ſobolem, tantùm extinctam, parentes autem ſuperſtites eſſe volumus? quaſi verò non poſſent hi parentes æquè malam, & deteriorem etiam ſobolem* C *procreare? Eſt Græcorum proverbium, ſtultum eſſe, qui, patre cæſo, liberis pepercit: fortaſſis autèm minùs ſtultum dici poſſit, quàm qui liberis cæſis, patri pepercit. Primùm docuerunt hi, Deum negare, poſteaquàm & Sacerdotium, & Sacrificium ſuſtulerunt, quod ubi non eſt, certum eſt ibi nullum Deum eſſe, nàm proprìè Divinitati debita ſervitus, (quemadmodum ab Auguſtino legimus adnotatum) ſacrificium eſt: & in Lege naturæ, & in Lege ſcripta, ſemper pios ho-* D *mines Deum ſacrificio agnoviſſe, eluiſſeque legimus; & hic erat unus cultus, qui diſcrimen, intèr Deum, & homines faciebat: nàm alii cultus hominibus exhiberi ſine reprehenſione poterant; ſacrificium autem nemo præſtitit, niſi vel vero Deo, vel quem falsò Deum eſſe judicarat. Quod, cùm ſublatum ſit ab iſtis Confeſſioniſtis*, (hoc namque nomine ſignificare vult Lutheriſtas, & Calviniſtas) *quid aliud, quàm Deus nobis eſt ab illis ablatus? Et hos nos omni impietatis ma-* E *giſtros ferendos, ſolos autèm eorum diſcipulos exterminandos eſſe putabimus? Sed jam eos majores radices egiſſe dicunt, quàm, ut extirpari poſſint. Si res ità ſe habet, aut auferantur omnes, aut tolerentur omnes. Meliùs eſt, quòd iſti mordaces, & comedentes invicem, conſumantur ab invicem, quàm ut, alteris profligatis adverſariis, contra Chriſtum, ejuſque corpus, Eccleſiam, tantò majo-*

Epiſt. 78. inter ejus oper.

majoribus viribus inſurgant. Audio A
quod propter has hæreticorum contentiones, & in majori, & in minori Polonia, multi jam ad Chriſtum, & ad ejus corpus, Eccleſiam, jam ſunt reverſi, & hoc eſt, quod malè habet Sathanas: ſic enim faciliùs oppreſſum Chriſtum exiſtimat, ſi nulla fuerit inter hæreticos, qui membra ſunt ſua, diſſenſio. Sed fallitur; nunquàm enim hoc inter illos bellum conquieſcet. Legi nuper colloquium, quod habitum eſt Maulbruni,
præſidentibus doctiſſimis, ſcilicèt Sacræ B
Theologiæ Magiſtris, Palatino Rheni Principe Electore, & Chriſtophoro Duce Virtembergenſi. Tot invicem hæreſes, tàm fædas objecerunt, ut horror me quidem legentem corripuerit. Ad extremum, de Cælo diſputatione inita, etiam ipſum perdiderunt; neque præter Infernum, quidquam reliquum fecerunt. Inter alia, ſic ibi Calviniſtam quemdam dicentem legi. Licuit, inquit, vobis ab univerſa Papæ doctrina diſcedere, &
eam erroris condemnare: cur & nobis à C
Luthero diverſum ſentire non liceat? Eodem autem argumenti genere Trideiſtæ quoque contra Calviniſtas utuntur, & rectè meo quidem judicio. Cur enim non liceat & illis, quod licuit Luthero, quod licuit Calvino, & Zuinglio, cum plus aliquid ſibi Deum revelaſſe glorientur? Deum, inquam, hujus ſæculi, per quem, ſicut Lutheri, & Calvini, ſic eorum quoque mentes excæcatas videmus. Quare, nulla ratione probare poſſum, ut
hæreticorum unum tantùm, vel duo genera profligentur. Aut omnes profligentur, aut omnes tolerentur. Volunt habere linguam unam, veniant ad Eccleſiam, ſicut monet Auguſtinus, ubi in diverſitate linguarum carnis, una eſt lingua in fide cordis. Hæc inculcet quæſo Regiæ Majeſtati, & ei reducat in memoriam quæ tractavi cum illa, de ratione concordiæ, juxtà conſilium Athanaſii, & Auguſtini, quod illi deſcriptum obtuli. Formam utramque vidi. Sed quale D
eſt hoc, quod hæretici hi, & privati homines, apud quos nulla de re judicium, pertinet, proponunt formulas Catholicis, idque præſente Rege Catholico, & Orthodoxo? Malè de illo exiſtimare videntur, quem nos noſtrum, hoc eſt Chriſtianum, & Catholicum eſſe, certò perſuaſum habemus. Video, quòd habet locum apud vos illud, quod eſt in proverbio, ſurſùm, deorſùm. Et hæc eſt fides Lutherana, ſi quis eam E
duobus verbis deſcribere velit. Sed nec illa Catholicorum formula mihi ſatisfacit. Si non poteſt aliud obtineri, magis mihi ſatisfaceret tale quid, quale ſcriptum eſt in Conventu Parcovienſi. Proptereà putant, ſolos Trideiſtas, & Anabaptiſtas extinguendos, quòd quidam ex Trideiſtis, & Anabaptiſtis dixiſſe fertur, Regem unum duntaxàt habemus, & hunc crucifixum. Lutheri doctrina hæc eſt, qui docuit, nullum eſſe Pontificem, neque Sacerdotem, niſi Chriſtum, qui ſemetipſum obtulit pro nobis hoſtiam in ara Crucis. Sicut autem Sacerdos, ſic & Rex eſt Chriſtus; quare ſi nullus eſt Pontifex, aut Sacerdos, niſi Chriſtus, certè neque Rex eſt ullus niſi Chriſtus, pro nobis crucifixus. Cur igitur non damnantur qui Lutheri doctrinam profitentur, cùm illius author pro Deo colatur, & ejus verbum, Dei verbum vocetur? Illum priùs condemnari oportebat, deindè in diſcipulos ejus Trideiſtas animadverti. Periculoſum eſſe video, cùm Reges Terræ tanti faciunt Majeſtatem ſuam, ut Majeſtatem Divinam negligant; & eam impunè blaſphæmari, non magis per Trideiſtas, quàm per Lutheriſtas permittant; & abſque illa, Majeſtatem ſuam conſervari poſſe perſuaſum habent. Priùs Dei, deindè ſuam quoque Majeſtatem intactam conſervare conentur. Nàm illâ ſublata, nulla terreni Regis erit Majeſtas: quemadmodum ferè videmus, ubi ferunt Principes, impunè Chriſtum negari; quod ibi ſurſum, deorsùm feruntur omnia. Non Trideiſtæ, nec Anabaptiſtæ fuerunt, qui primùm nobilitatem in Germania, deindè pientiſſimum Cæſarem Carolum, extinctum cupiebant; & qui contra Regem ſuum in Gallia parricidialia arma ſumpſerunt; Lutheriſtæ fuerunt, & Calviniſtæ. Si poſſet hoc impetrari, ut exterminarentur omnes miniſtri, per quos hæreſes cujuſcumque generis inductæ ſunt, etiamſi nulla fieret in illos, qui corrupti ſunt ab eis, animadverſio, multùm nos profeciſſe putarem: ſed non dubito, quin jam ibi ſit Nuntius Apoſtolicus. Is præſens multò meliùs conſilium dare poterit, quàm à me abſente ſcribi queat. Heilſpergæ 21. Junii 1566.

Ex hac profectò Hoſii Epiſtola, in- XIII.
numeras, ut ita loquamur, & diximus, Calviniſtarum, & Lutheranorum fraudes, iniquiſſimas adinventiones, ac ſtudia deprehendere licet, quibus nempè, ad propriam ſtatuendam hæreſim, Tridei-

deiſtarum, Anabaptiſtarumque alteras convellere niſi ſunt; & ad fallendos Catholicos, audaci temeritate, Fidei proponere formulas non erubuere; & ad ipſum demùm Regem decipiendum, ut ſcilicèt in eorum partes tranſiret, adverſarios verſutè Regiam Majeſtatem offendiſſe inſimularunt; quod, non tàm Dei (cujus certè honoris, ac gloriæ nil curæ ad eos) quàm propriam, hoſtes extirpando, cauſam agerent.

XIV. Verumtamèn, & inſita Regio pectori religio quædam, & procerum Catholicorum zelus, ac demùm Hoſii fervens ſollicitudo, omnes in Comitiis ejuſmodi hæreticorum conatus, irritos reddidit: non modò illis, quas diximus literis ad Regem, alioſque ſcriptis, ſed etiam edito libro, de cujus ſcriptione, quod monumentis mandavit Reſcius, hic ponere haud piguit.

Vit. Card. Hoſii lib. 2. cap. 25.

[*In Epiſcopatum* (inquit) *veniens, ad ſcribendum, ſe contulit, eum libellum, quem Judicium, & cenſuram de Judicio, & cenſura Hoildebergenſium, Tigurinorumque Miniſtrorum vocavit, in quo omnibus oſtendere conatus eſt, non minùs Lutheriſtas, & Calviniſtas, quàm Trideiſtas, & Anabaptiſtas Deum negaſſe; nec magis illos à Chriſtianis Principibus, quàm iſtos tolerandos eſſe; cùm illi nullam ab Eccleſia, iſti magnam ab illis diſcedendi, ſeparandique ſe cauſam, & occaſionem habuerint; nec unquàm dofuturos eſſe filios, quandiù parentes fuerint ſuperſtites. De concordiæ quoquo ratione multa ibidem diſſerit, quò nos lectorem remittimus. In hoc autem libro conſcribendo, orationum maximè præſidio uſum eſſe vidimus, & accuratiſſimam rerum omnium conſiderationem adhibuiſſe. Poſt orationem autem matutinam, ad meditationem ſe conferebat, in qua tàm fixo animo cernebatur, ut quandoque raptus eſſe videretur; & cùm aliquandò induſium, quo erat inducus, ab ardenti lucerna, quæ legenti lumen miniſtrabat, ignem concepiſſet; non priùs ſenſit periculum, quàm ad corpus ipſum incendium pervaſiſſet; ac minimè profectò inſignem, aliquam in corpore ſuo plagam evaſiſſet, niſi qui ſcripſit hæc, caſu quodam in conclave ingreſſus, è media flamma, detractis veſtibus, virum Dei liberaſſet.*

Vidimus aliquandò corporis pellem in humeris ejus multis frictionibus, quibus ad tuendam valetudinem, ex præſcripto medicorum utebatur, uſque ad ſanguinem laceratam, cùm interim toto animo, & cogitatione, lectioni, ſtudioque deditus, nullam ipſe moleſtiam, aut dolorem, niſi cùm in ſe reverſus eſſet, ſentire videbatur. Sæpè etiam accidit, cùm aliquid amanuenſi dictaret, quod facere ambulando conſueverat, ut in parietem, aut in poſtes, aut in repagula feneſtrarum frontem, aut humeros meditabundus, tàm graviter impingeret, ut in multos dies læſionis indicia apparerent. Solebat autem eos quoque, qui dictantis ſermonem excipiebant, interrogare, num quæ ſcribebantur, omnia intelligerent; & ſi quid duriùs dictum videbatur, ita moderari, ut ſenſum ſcriptoris, ſine multo labore conſequi quiſque poſſit; ſeque animis, non auribus hominum ſcribere memorabat; & hoc unum ante omnia laborare, ut quæ ſcribuntur, legentes intelligerent, & proficerent: ornatus, & delectationis poſtremam ducere rationem. Qui enim novit, neque id quod ſentit, explicat, perindè eſt, atque ſi neſciret. Satiùs eſt mutum eſſe, quàm quod nemo intelligat dicere.

Fuit autem hic liber exceptus maxima Catholicorum gratulatione, multorumque judicia, de ſolis Trideiſtis, & Anabaptiſtis ejiciendis, tùm etiam de rationibus concordiæ conſtituendæ, ad potiorem ſententiam revocavit. Viciſſim autem hæreticorum animos, & maximè Genevenſis illius Mercurii, Theodori Bezæ, Galliæ turbatoris, quem, ſi viveret Athanaſius, ipſiſſimum Chriſticidam, & legirupam diceret, non leviter conturbavit. Is enim, & libris editis, & miſſis in Poloniam Synagoniſtis, ut vocat, hanc à ſuo grege notam amovere conatus eſt, ut nè eodem loco, & ordine Trideiſtæ cum Calviniſtis cenſerentur, nevè ſectæ ſuæ, & impietatis adminiſcri, ex illius Regni finibus ullo pacto pellerentur. Hoſii quoque cenſuram, & conſilium boni, ut ait, Cardinalis; (hanc enim vocem ex illis impuriſſimis faucibus vis veritatis extorſit, & neſcio cujus ominis cauſa, Hoſium vocatum in ſua, in obſcœniſſimum illum, auctoreque ſuo digniſſimum Martialis Epigrammatum libellum, Præfatione, ad Dudecium Sbardellatum Apoſtatam, ſcripta aſſerit) mirabilitèr exagitat, quòd curſum Evangelii ſui impediverit: quòd æquè Calviniſtas, ſicut Trideiſtas Chriſtum negaſſe dixerit; quòd Synagoniſtas, faces bellorum, & rerum

publicarum turbatores vocaverit.) Et hæc de Hoſii libro.

XV. Cœterùm, præter recenſita ſtudia, ad exagitandos hæreticos, ab eo adinventa, & præcipuè Lutheranos, & Calviniſtas, quos, (ut ex aliis ejuſdem epiſtolis, præcipuè ad Carolum Cardinalem Borromæum, multò antè datis, apparet) præcipuos ſemper totius mali, & profligatæ fidei authores perſpicuè cognoverat, alia etiam media excogitaſſe, quibus tandem in Comitiis contra eos decerneretur; Reſcius idem his verbis aſſerit.

Ibid. ut ſup. (*Hoſius autem memor illius, quod ſcriptum eſt: ejice deriſorem, & ceſſabunt jurgia, omni viciſſim adhibita diligentia laborabat, ut in ipſos præcipuè Bezanos Synagoniſtas Porcovienſis decreti executio fieret, & ex omni Regis ditione excedere, primo quoque tempore, juberentur. Ac, ut nè quid intentatum relinqueret, Magnatum, & Heroum filiis, & neceſſariis, quos in Fide Catholica, pietatiſque ſtudiis domi ſuæ educandos curabat, literas dictare non verecundabatur, quibus parentes ſuos, fratres, affines, amicos, & quoſcumque in aula, & in tota Republica Polonorum, gratia, & authoritate valere ſciebat, hortabantur, & obteſtabantur, ut iſtos Helveticos Synagoniſtas, tot jam funeribus Reipublicæ Chriſtianæ exultantes, qui ſempèr verſantur in ſpè rerum novandarum, ocio, & tranquillitate Reipublicæ conſeneſcunt, faces bellorum civilium notiſſimas, Regiique dominatus, & univerſæ Nobilitati capitales inimicos, homines planè μισέυγενᾶσ, ex Regni Poloniæ finibus exterminandos curarent; & in hoc præcipuè ſtudium incumberent, ut quam à majoribus ſuis, tàm Religionis, quàm Reipublicæ formam accepiſſent, eam filiis poſteriſque ſuis inviolatam relinquerent &c. Ac tantum certè iſta ſua vigilantia per ora infantium Hoſius profecerat, ut, aut ſtatim ex Regno excederent iſti Bezani Synagoniſtæ, aut certè cùm ſibi frænos furoris injectos ſentirent, in aliquibus tenebris, & obſcuritate laticarent. Nil enim poſtea certi, aut comperti de conatibus eorum acceperamus.*)

XVI. Sic tandem frustrà innumeros ſe labores ſuſcepiſſe, ac ſuſtinuiſſe Calviniſtas, ac Lutheranos, ut è Poloniæ finibus Trideiſtas, ac Anabaptiſtas exturbarent, licèt ſerò, agnoverunt; imò in foveam, quam eis paraverant, ceciderunt, dum fruſtrà etiam, de externis ipſorum Miniſtris toto è Regno eliminandis, decretum, in primis ſancitum Comitiis, in his infirmare ſe contendiſſe intellexerunt; nàm omnes ſimul, cujuſcumque ſectæ extitiſſent, Senatûs Regiſque præcepto, Regno excedere juſſi ſunt. Obtinuiſſe ſtudio ſuo, ac labore Commendonum, ut in ſuperioribus Petracovienſibus Comitiis, ex Senatûs conſulto exteri hæretici omnes à Regno abire cogerentur, & ita Bernardinum Ochinum, inter alios, Polonia excedere compulſum eſſe, ſcribit Gratianus. Verùm non omnes tunc decreto eidem paruiſſe, vel ei parere diſtuliſſe, Calviniſtas præcipuè, ac Lutheranos, quòd in Petracovienſibus his Comitiis illud, ut diximus, ſe antiquaturos ſperarent; ea quæ retulimus ſatis oſtendunt. At cùm irriti eorum evaſiſſent conatus, tandem, vel latibulis ſe abſcondere, vel aliò ſunt demigrare adacti. Inter hos hæreticos, ac hæreſum ſatores, qui Polonia egredi compulſi fuere, extitit idem, quem alibi memoravimus, Hæreſiarca Gentilis, qui tamen, priuſquàm indè diſcederet, plectenda temeritate, Regi librum dicare, in Sanctiſſimam Trinitatem, ac Dei Filium, horrendis confertum blaſphemijs, ac maledictis, auſus fuit. In libri præfatione profanas, ac monſtruoſas voces, in Eccleſiam invectas eſſe conqueritur, ut ſunt ὁμοȣ́σιοι, PERSONA, ESSENTIA, UNITAS, TRINITAS, quibus omnia Divina Myſteria perverterentur, atq; ſempiternus ille Deus cum ſuo Filio, & Spiritu Sancto prorsùs ignoraretur. Reliqua doctrinæ capita, eodem libello comprehenſa, à Reſcio ſic adnotata reperiuntur.

Gratian. Vit. Commend. lib. 2. cap. 9. pagin. 134. Reſc. de Atheiſm. & Phalariſ. Centur. Gentiliſſa pag. 345.

Primò. Trinitas eſt merum humanum commentum, Catholicis Symbolis incognitum, cum Evangelica veritate ex diametro pugnans.

Secundò: Solus Pater unus ille Deus eſt, qui in Scripturis unus, & ſolus Deus dicitur.

Tertiò. Filius à ſeipſo non eſt, ſed à Patre, cui ut Eſſentiatori ſubordinatus eſt.

Quartò. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, non ſolùm, quod ad perſonas attinet, ſed etiam quoad ȣ̓σίαν diviſi ſunt.

Quin-

Quintò. Filius à Patre genitus eſt, A
ſecundùm ὀυσίαν, ut ſubordinatus ſpi-
ritus, differens à Patre.
Sextò. Tres ſunt æterni ſpiritus,
quorum quilibet per ſe Deus eſt.
Septimò. Hos tres ſpiritus diſtin-
ctos eſſe ordine, gradu, & proprietate
ὀυσίας. In primis verò, in eam inducit
diſtinctionem eſſentiæ, ut tres æternos
numeret, & gradu diſtinctos conſtituat
ſpiritus. Et cùm nos dicimus, Pater Do-
mini Jeſu Chriſti eſt perſona in una in-
dividua Trinitate; Gentilis falſam B
hanc eſſe contendit, & dicendum eſſe:
Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, unus
eſt ille Deus. Item cùm dicitur, Pater,
Filius, & Spiritus Sanctus, unus ſunt
Deus æternus; ipſe de hæreſi Catholi-
cos accuſat, & inquit: ſolus Pater eſt
αὐτόθεος, ἀγέννητος, & Eſſentiator. Fi-
lius autem eſſentiatus, & quidem Deus,
ſed non αὐτόθεος. Sic etiam Spiritus
Sanctus; ideoque non unus, ſed tres
æterni. Item quod dicimus, unum
Deum in Trinitate, & Trinitatem in C
Unitate venerandum eſſe; hanc piam,
& ſimplicem ſententiam dicit eſſe ſo-
phiſticam: & tres ſpiritus realitèr ſub-
ſiſtentes affirmat. Sic loquitur Anti-
dot. 3.; & fol. 70. ſeſe aperit. Tres, in-
quit, æterni ſpiritus, congruo ordine,
& gradu diſtincti. Et quamquàm con-
cedat, Patrem, Filium, & Spiritum San-
ctum tres eſſe perſonas ejuſdem natu-
ræ; tamen addit diſtinctas eſſe ordine,
gradu, & proprietate: quæ dùm illi ex-
plicanda ſunt, dicit, proprium Patris eſſe, D
ut appelletur unus, & ſolus Deus: qua
explicatione manifeſtè excluditur Fi-
lius, & Spiritus Sanctus ab unitate Dei-
tatis. Fingit autem quamdam αὐτουσίαν,
quæ in ſolo Patre conſiſtat, ac Filii non
ſit. Hinc Patrem αὐτόθεον nominat:
ut per excellentiam verè, & propriè
Deus ſit; Filius autem non αὐτόθεος,
ſed δευτερόθεος, aut ἑτερόθεος. Hinc
illud, Filius à ſeipſo non eſt, ſed à Patre
Deo, qui eſt αὐτόθεος. Item quòd Pater
in Scripturis dicitur unus, & ſolus Deus, E
inviſibilis, altiſſimus, & Deus Chriſti,
ſivè Verbi Incarnati. Item Filius ſub-
ordinatus eſſentiatori; ſic Patrem eſſen-
tiatorem conſtituit, Filium autem eſ-
ſentiatum ab illo, ut Pater propriè
Deus ſit, Filius autem ſubordinatus
Deus.
XVII. Aſſerere etiam blaſphæmus mini-
mè dubitavit, neminem adhùc, quod
quidem ipſe ſciret, pro gloria, & emi-
nentia Patris mortuum eſſe: Prophetas,
Apoſtolos, pioſque Martyres pro Filii
gloriæ perſecutiones, mortem, & extre-
ma quæque paſſos eſſe: eminentiam
autem Dei Patris nullos adhùc Marty-
res habuiſſe.
Sanctam demùm, ac individuam XVIII.
Trinitatem horrendis conviciis inceſſe-
re ſacrilego ore præſumit, dùm eam
novum Idolum vocat, Deum Triperſo-
natum, Deum Sophiſticum, Diabolicam
perſonam, & fictitiam, perſonam fanta-
ſticam, perſonam ſophiſticam, in novo
Deo execrabilem mixturam, horren-
dam confuſionem, quartum Idolum, in
orcum detrudendum, primam perſo-
nam magicam in uno Deo, quæ verè
larva, & inane ſpectaculum ſit, mon-
ſtruoſum nomen, Deum Trinoninium,
tergeminum Chriſtum, Chriſtum tranſ-
formatum in eum, qui filius Dei non ſit;
Deum hunc, nimis verſipellem nuncu-
pat, cùm ſe interdum in uno occultet,
interdum verò in tribus perſonis dila-
tet. Nihil eum differre dicit à Deo Baal,
Moloch, Byto. Turcico, & Judaico. Non
eſſe unum Deum Patrem Chriſti in eſ-
ſentia, & perſonis quærendum. Sub ti-
tulo Eſſentiæ Dei, Satanam coli: eſſe
larvam triformem, & fictitium Deum,
& alias hujuſmodi execrabiles, atque
horrendas blaſphæmias, quas hic omnes
recenſere longum eſſet.
Hunc autem fœdiſſimum librum, XIX.
unà cum auctore, æternis tenebris, ac
incendio meritò damnandum, cùm Regi
obtuliſſe Gentilem, priuſquàm Poloniam
excederet, ſupra dictum ſit, ſciendum
eſt, maledictorum, in eo comprehenſo-
rum horrore perculſum Cardinalem *Vit. Card. Hoſii lib. 2.*
Hoſium, adactum fuiſſe, ut Regem pa- *cap. 27.*
làm argueret, quòd eum, ac huic ſimiles
alios hæreticorum libros ſibi dicari per-
miſiſſet. Quod quidem educi poſſe vi-
detur ab his, quæ Reſcius in ejuſdem
Hoſii vita refert; narrat ſiquidem, Re-
gem ipſum rogaſſe Hoſium, ut Hiſpani-
cum iter ſuſcipere nè gravaretur, ut
cum Catholico Rege Philippo, de ma-
terna ſua hæreditate, Barenſi, & Roſa-
nenſi Ducatibus, deq; cæteris ad cauſam
eamdem pertinentibus ageret. Verùm
Cardinalis oblatum munus conſtantiſ-
ſimè accipere detrectavit, donèc, inter
alia, aliquam priùs Rex ipſe palàm ſigni-
ficationem daret, ſe quoque ab omnibus
hæreticis, & animo, & voluntate eſſe
alie-

alienum, & ſaltem hæreticorum Mini-
ſtros, Bezanoſque Synagoniſtas, qui no-
men, & exiſtimationem Majeſtatis ejus,
in Orbe toto Chriſtiano, inſigni macula
polluebant: (dum illi fædiſſimos, &
hæreticiſſimos libellos dicare non ve-
rebantur, & Regnum ejus, aſylum hæ-
reticorum vocare non dubitabant) ex
Regno ſuo omninò excedere juberet.
Idcircò, licèt Legationis illius onus,
ex eo Hoſius non objerit, quòd à
ſuſcepto conſilio, ſua Rex ſpontè di-
ſceſſerit; tamèn ex ipſius ſalutari-
bus monitis, Regem eundem, undi-
que è Regni finibus peſtilentiſſimis
hominibus excedere juſſis, haud parùm
profeciſſe cenſendum cognoſcitur; cùm
fortè in exequendis, quæ contra eos in
Comitiis ſancita fuerant, ſegnior quàm
oportuiſſet, ſe gereret. Tantum igitur
abfuit, ut à dicato iniquiſſimo libro uti-
litatis aliquid, ac remiſſionis, impius
Gentilis (ut forte ſperaverat) obtine-
ret; quin potiùs eamdem, cum aliis ex-
ternis errorum Miniſtris, perpetui exi-
lii ſententiam ſubire compulſus fuit;
nec ità multò poſt, meritas blaſphæmia-
rum pœnas luit; nàm, ubi Polonia
egreſſus, Helvetios petiit; cùm ibi ar-
Vit. Card. Hoſii lib. 2. cap. 18. ticulos quoſdam diſputandos in publi-
cis locis affigi feciſſet; primùm in car-
cerem conjectus, deinde, hoc ipſo anno,
Bernæ, ſupplicio capitis plexus fuit; ut
XX. ſupra retulimus.

Catholicæ tamen Religioni in Po-
lonia hoc tempore haud minor, quàm
ab hoſtibus manifeſtis, ab inſidiatore
occulto periculum impendit; qui ſiqui-
dem, ovina pelle tectus, Dominicum,
in eo Regno, gregem occidere, macta-
re, ac perdere moliebatur. Fuit is Ar-
chiepiſcopus Gneſnenſis, Jacobus Ukan-
gius, Regni Primas, ad quem paulò ante
datas à Pontifice, & ab Hoſio literas
retulimus. De illo iſta ſcribit in vita
Vit. Card. Commend. lib. 2. cap. 8. pag. 116. Cardinalis Commendoni, Gratianus
(*UKangio inhæſerant novæ opiniones,
quibus inquietabatur animus, ſua ſpon-
tè varius, & inconſtans, & novis uſque
ſtudens rebus, ut, ſi perturbata Republi-
ca, invecta nuper diſciplina, religioque
prævaluiſſet, excluſa Romani Pontificis
authoritate, ſummum ſe Antiſtitem, &
Principem ſacrorum, in Polonia fore, ad
ſummaſque opes perventurum, ut ſuæ
quiſque cupiditati blanditur, ſibi per-
ſuaſerat: neque ex hæreticis deerant, qui
aſſentando, ſpei illius alimenta ſubjice-*

A *rent. Apud Commendonum is priſcæ
Religionis ſtudium ſimulans, deplorabat
perditas Catholicorum res, diſſidia Epi-
ſcoporum, cæterorum languentes animos
incuſabat, Regemque deditum adverſa-
riis, omnia illis indulgere querebatur.
Hunc inde coërcendum minis, ac denun-
ciationibus terrendum eſſe diſſerebat.
Catholicos infenſos ei eſſe omnes, ob cre-
bras in Magiſtratibus, publiciſque mu-
neribus repulſas, & favorem in adver-
ſarios, nec eorum defutura ſtudia, ſi ſe*
B *ipſe Romani Pontificis nomen, authori-
tatemque præferens, Ducem præbuiſſet,
ac Regem ipſum, ingenio timidum, atque
audenti opportunum metu ſubactum, ſibi
obnoxium feciſſet, ſcilicet, his conſiliis,
averti Auguſtum à Pontifice, tradique
hæreticis, atque ita ſuas procedere ra-
tiones, cogitataque cupiebat*) Et infe-
riùs.

(*Unum erat, quod ſummè optare, ſummaque moliri ope videbantur* (*Hæ-* *Ibid. ut ſup. lib. 2. cap. 10. pag. 135.*
retici) *ut Gentis Concilium, quod vocant*
C *Nationale, cogeretur, in quo ſine ulla
authoritate Pontificis Maximi, de uni-
verſa Religione inter ſe, prout ex ipſo-
rum uſu, atque Republica viſum eſſet,
conſtituerent: & nacti Archiepiſcopum,
cogitatis eorum opportunum, cujus di-
gnitas paritèr in ſacerdotum ordine,
atque in Senatu emineret, ipſius intimas
ſpes pollicitationibus fovebant, incita-
bantque rati, maximè per eum effici poſ-
ſe, ut tale Concilium haberetur. Eodem
intenta cupido UKangii Archiepiſcopi*
D *rapiebatur, ob eas, quas ſuprà attigi-
mus cauſas. Id ergo unum, dies, atque
noctes, ſecum volvebat, id clam cum Fri-
ſio quodam intimo amicorum coquebat,
homine obſcuro quidem genere, ſed Ca-
tholicæ Eccleſiæ, ac priſcæ pietatis inſe-
ctatione, nomen adeptus, adversùs quam
ſcripta à ſe multa volumina forâs dede-
rat. Neque hæc quidem conſilia UKan-
gii, & machinamenta hæreticorum Com-
mendonum fugiebant: ſed quemadmo-
dùm intentiſſimo ſtudio id agebat, ut nè*
E *iis quidquam procederet, ità diſſimulan-
da, quæ ad ſe de UKangio deferebantur,
ſtatuerat; quod in tali tempore, in tantis
hæreticorum opibus, tantam vim homi-
nis, divitiis, amplitudine honoris, ami-
citiis adverſariorum pollentis, minimè
exagitandam, irritandamque, nè in
apertam turbam erumperet, rebatur;
eò minùs, quòd nè Rex quidem à talibus
cogitationibus abhorrebat, cui multæ
incom-*

incommodæ opiniones, ab hæreticis, atque ipſo UKangio inculcatæ, in animo inſederant, in quibus evellendis magnum inde negotium Commendono fuit &c.]: & paulò poſt.

Ibid. ut ſup. pag. 137.

[*Cùm, Tridentinorum decreto Patrum, juſſi Archiepiſcopi omnes eſſent, ſuæ quiſque Provinciæ Conventus agere, ad res Eccleſiaſticas, ex ſcitis eorum ordinandas: Ukangius, aptam cogitatis ſuis occaſionem arripuit, & ſtudium parendi Patrum authoritati præſeferens, conſilium convocandi Synodum cum Commendono habuit, & reliqui Epiſcopi, & ferè optimus quiſque Synodum expetebant. Idem Commendonus maximè omnium probaſſet, niſi ſuſpectum U Kangii ingenium habuiſſet; verùm nè ſalutari rei, & in eam conſentienti bonorum ſtudio unus adverſari, qui pro officii ſui munere favere maximè debebat, videretur, Petricoviam, ſic enim convenerat, indici patitur Synodum. Interea obſervat Ukangium, ejuſque conſilia, quàm poteſt diligentiſſimè explorat, à quo, ut occultè invitatos hæreticos, capitaque eorum ſe comparare, ut Concilio intereſſent, comperit; per Nicolaum Volſcium, Epiſcopum Chiovienſem, unum eorum, quos maximè deditos ſibi habebat, Regem, quæ clàm agitarentur certiorem fecit, caverique initia civilium diſcordiarum monuit. Itaque ex authoritate Regis, per literas ab UKangio pariter, & à Commendono petentis, ut ea Synodi coactio in pacatius tempus differretur; rejecta res, & Ukangii machinationibus ſine motu ullo occurſum, & magni negotii diſcrimen, Commendoni ſolertia vitatum:*) Iſta Gratianus.

Ex literis etiam, præterito anno, ſub ſexto Kalend. Januarii, à Carolo Cardinali Borromæo, ad Cardinalem Hoſium ſcriptis, quas ex præclara Ambroſiana Bibliotheca accepimus, intelligimus, Romæ ſtudioſè agitatum, an Concilii præfati coactio permittenda, ſeù promovenda, vel, è contra potiùs prohibenda eſſet; ac poſt multas ea de re conſultationes, tandem rem ad Hoſium ipſum, & Apoſtolicum Internuncium, qui tunc præfatus Commendonus erat, fuiſſe rejectam; quorum conſilio, ac prudentiæ, quidquid agendum eſſet committebatur. Viſum eſt nonnulla ex illis, ad Gratiani narrationem confirmandam, & illuſtrandam, hic inſerere: dicit igitur.

Ex Biblioth. Ambr. ſign. F. nu. 384.

(*Variè ſum affectus ex tuis literis; multa enim ad me ſcripſeras, quæ iſtic geſta erant; multa item, quæ certorum hominum conſilia informarunt, quorum exitum non tàm optare videbaris, quàm metuere. Sed tamen poſtrema tua Epiſtola laetiora omnia nunciabat. Ego, quantum opinione duce augurari poſſum, fore confido, ut, cùm minora iſtius Regni Comitia optimum eventum habuerint, quæ vel in majoribus Comitiis, vel in ipſa Synodo ſtatuentur, ex noſtra ſententia procedant. Utrum verò habere Synodum expediat, Sanctiſſimo Domino Noſtro non erat planè exploratum; nam hujus rei deliberatio, & moderatio ferè poſita eſt in opportunitate, & quadam ratione temporum, quæ, & tuo, & Nuncii judicio optimè gubernabitur. Etenim plura in conſpectu veſtro expoſita ſunt, quæ minùs perſpicere poſſunt qui longè abſunt. Quamobrem Archiepiſcopo Epiſtolas tres dedi, quarum una habendæ Synodi poteſtatem ei facit; altera adimit; tertia id comprobat, quidquid ſuo nomine Nuncius cum illo acturus eſt, quas Nuncio miſimus, ut quamcumque res exiget, ſtatim reddat. Si tibi, atque illi aliquid perturbationis, & incommodi Synodus videbitur allatura, Archiepiſcopo eas literas reddere opus erit, quæ, decreto interpoſito, Synodum peti vetant. Qui, ſi in ſua ſententia perſeveraverit, & Synodum cogere maluerit; tùnc in hanc cognitionem, & curam, quæſo incumbite, ut omnes Epiſcopos ab iſta profectione, atque obſequio avocetis, & deterreatis; quò nè vobis quidem adeundum erit. At, ſi ad Synodum Epiſcopi nihilominùs proficiſcerentur; veſtræ erunt partes, ut ipſi, & preſtò ſitis, nè quid fortè de Religionis ſplendore, ac cultu detrahatur; tuque in primis, qui tua, vel gravitate prohibere, vel virtute corrigere, vel authoritate conſulere multa potes. Sin commodè Synodum congregari poſſe exiſtimabitis, tu unà cum Nuncio adeſſe potius poteris, quàm abeſſe, cum præſertim id Summus Pontifex pervelit, teque Archiepiſcopus liberaliſſimè invitarit. Nec mihi dubium eſt, quia tu, ſi animum tuum, ad Tridentini Concilii memoriam revocabis; quid in cœtu ſapientiſſimorum virorum ſuſceperis, curaveris, contenderis, perfeceris, cogitans, iſtius Provinciæ munus libenter obeas.*] Sic ad Hoſium Borromæus.

At

XXI. At navis, quæ ſub tantis Gubernatoribus, in ſcopulos, anno præterito, non offendit, hoc tempore illis alliſa, ferè obruta eſt. Monuerat, ut vidimus, Pius, tùm alios Poloniæ Epiſcopos, tùm præcipuum inter illos Jacobum Ukangium, Gneſnenſem Archiepiſcopum, ut in Comitiis Regni, hoc anno cogendis, hæreticorum auſibus, ac dolis, pro ſua virili, ſeſe ſtrenuè opponerent. Ille verò, ex more ſimulatè recinens, cùm ad Pium reſcripſit, quæ Commendono coràm differere conſueverat, nempè deperditas Catholicæ Religionis res; enixè Pontificem ipſum deprecatus fuerat, ut tanto malo occurrens, periclitantis Fidei, authoritate ſua, quam poſſet, opem conferret. Quæ quidem UKangii Epiſtola eam Pii animo curam, ac ſollicitudinem ingeſſerat, ut quavis ratione labantibus Polonicis rebus conſulendum exiſtimaverit, nihilque eorum prætermittendum, quibus illis ſubveuiri poſſet. Quapropter, ubi primùm UKangii ipſius literas legit, illis in hunc modum reſpondit.

[Ven. Fratri, Jacobo Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni Poloniæ.

Primati.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

Literas tuas, non ſine dolore legimus, quibus, expoſito Eccleſiarum, & Religionis Catholicæ periculo, te quid facere debeas planè ignorare fateris, & à Nobis auxilium expetis, & requiris. Non ſunt iſta Nobis, Frater, incognita, nec deeſt Nobis, tibi, & reliquis iſtius Regni Epiſcopis, & Fratribus noſtris opitulandi voluntas; ſed de tantorum malorum remedio cogitantibus, nullum Nobis in mentem venit, quod ſalubrius ſit, & magis neceſſarium, quàm, ut omnes, qui Eccleſiaſtici ſunt Ordinis, officio quiſque ſuo fungi tandem incipiant diligentiùs. Tantis enim hæreſibus, & in iſto Regno, & in aliis Provinciis, nulla res haud dubiò majorem cauſam dedit, quàm corrupti Eccleſiaſticorum mores, & nimia in paſcendis Gregibus Dominicis negligentia; Sacerdotes enim (bonos ſemper exceptos volumus) dùm

A *ipſi indignam Ordine ſuo vitam degunt, populos ipſos quoque corruperunt, & apud eos in ſummam contemptionem venere. Populi, ità corrupti, ac de Sacerdotibus mala ſentientes, facilè per hæreticos à Fide Catholica deducti fuerunt. Quo circà, ſi quo remedio ſpes eſt, tantam, & tàm corroboratam peſtem hæreſum reprimi, & ſedari poſſe; danda opera eſt, ut Eccleſiaſticorum mores corrigantur, & qui Eccleſiis præſunt, proficere ſtudeant, curentque, ut in ſuo quiſque* B *Clero, eorum corrigat, & emendet quæcumque laicos, ad hoc tempus tantoperè offenderunt. Si popolus Sacerdotes ſuos caſtiùs, & honeſtiùs vivere viderit, ad eorum normam, vitam ſuam in dies magis, ut ſperandum eſt, conformabit, atque ità hæreticis diffundendi veneni ſui materia ſubtrahetur. Cleri porrò viſitandi, & corrigendi à te potiſſimum, Frater, initium fieri oportet. Tuæ iſtæ præcipuæ partes ſunt, tuum munus: Tu hujus, tàm ſalutaris operis Princeps, Au-* C *ctor, & Orator eſſe debes. Plurimùm quoque profuerit alere bonorum ſobolem Sacerdotum, inſtituendo Seminaria, ſicut Sacrum Tridentinum Concilium præcepit, cujus ſaluberrimum decretum debes ipſe primus exequi, & cæteros Fratres, ad id exequendum tuis monitis, & hortationibus excitare: quod ut facias, non ſolùm authoritate tua, ſed etiam noſtro nomine, Fraternitati tuæ magnoperè injungimus, ac mandamus. Illud etiam Nobis valdè placeret, inſtitui in iſto Re-* D *gno aliquot Societatis Jeſu Collegia, quod te quoque cupere intelleximus, ſed ad Domos, & redditus Monaſteriorum quorumdam eis attribuendos, accedere neceſſe eſſet Sereniſſimi Regis conſenſum, qui, ſicut noſti, in eis Jus obtinet patronatûs; qua de re voluntatem ejus, per Nuncium noſtrum, explorare curabimus. Cathechiſmus abſolutus fuit, & Deo juvante, propediem edetur. Cura erit Nobis, ut in ſermonem etiam Polonicum transferatur, ſi homines, ad eum tranſ-* E *ferendum idoneos, hic reperiemus. Libros quoque Miſſales, & Breviaria nova abſolvi, & ſimul, ac abſoluta fuerint, ſicut te deſiderare cognovimus, imprimi, atque iſtùc mitti curabimus. Te vehementèr hortamur, nè, propter tantas hæreſum ſectas, animo concidas, neque defatigeris, quin, quibuſcumque potes, rationibus, pro loco, quem obtines, Catholicam Religionem defendas, pro qua*

etiam

etiam ſanguinem, ſi opus ſit, profundere debes. Potentior eſt is, qui pro nobis eſt, quàm qui adversùs nos. Si ipſi, quidquid poſſumus, fecerimus, ſi rectè honeſtèque viventes, Clerum in officio continere ſtudebimus, ſi, quæ tàm piè, & providè in Tridentino fuerunt ſtatuta Concilio, ſervabimus; non erit deſperandum fore, ut qui ab hæreticis decepti fuere, ad Eccleſiam redeant; præſertim, cùm inter ipſos hæreticos tot alias, ex aliis exortas, ſectas, tot diffidia, & diſſentiones extitiſſe videantur. Quia verò tu, qui iſtius Regni ſtatum cernis, faciliùs diſpicere potes, quanam in re tibi, & cæteris Fratribus ſubvenire poſſimus; de eo, ſi Nos per literas, vel per Nuncium noſtrum admonueris, gratiſſimum Nobis feceris; Nos enim, quacumque re poterimus, pro loco, & officio noſtro, & pro fraterna, quam vobis debemus, charitate, vobis ſubvenire parati ſumus. Reliqua, ex Nuncio noſtro, poſtquàm cognoveris, ut deſiderio noſtro, pro Sedis Apoſtolicæ reverentia, ſatisfacias, abs te petimus, & vehementer hortamur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo &c. die 1. Julii 1566. Pontific. noſtr. ann. primo.]

XXII. Non eò proſpexerant UKangii ad Pontificem, vel delatæ ob Fidei Catholicæ, & Religionis pericula, querelæ, vel oſtentata pietatis ſtudia, ut ſanctiſſimis Pii hujuſmodi monitis erudiri vellet. Unum erat medicamentum, quòd, ipſo Pontifice authore, vulneri (cujus ille acerbitatem, ad hoc, tanto ſtudio amplificaverat) adhiberi cupiebat; Provinciale, videlicet, Concilium, quo unico, ac ſalutari remedio, & hæreſum cancrum, nè ulterius ſerperet coërceri poſſe, & in ordinem corruptos Eccleſiaſticorum mores redigi, ut Pius intelligeret contendebat; & ſicut ex Tridentini Concilii decreto, ut vidimus occaſionem arripiens, ſtudiumque parendi Patrum authoritati præferens, convocandi Synodum conſilium injecerat, ut in eo tandem, quæ impiè commoliebatur, ad optatum finem perduceret; ſic, ea ſpe, menteque tunc fruſtratus, nihil deindè aptius accidere poſſe exiſtimavit, quàm ſi ab ipſo Pontifice ſibi illud agere præciperetur, quod, tàm acri conatu, nè fieret, Commendoni ſolertia prudentiſſimè averterat.

XXIII. Et reverà, verſuto, ac callido homini, nullo propè negotio facilè fuit à

A Pio elicere, quod ſua ſponte Pius ipſe, ut vidimus, ab univerſis ferè totius Orbis Epiſcopis expetere ſolemne habuit; quod quidem etiam UKangium non ignoraſſe, & ad muſcipulas ſuas ſtruendas audentiorem reddidiſſe, veriſimile apparet. Fraudem aliquam nihilominùs Pium ſuſpicatum, ex eo fateri neceſſe videtur, quod Synodum UKangio cogere, non abſolutè (ut aliis Metropolitis) ſed ea tantum lege mandaverit, quod Synodo eidem, non Apoſto-
B licus modò Nuncius, ſed Stanislaus quoque Cardinalis Hoſius intereſſent. Opportuniſſima verò Synodi ipſius congregandæ occaſio ea Comitiorum Regni Poloniæ, quæ Petricoviæ cogebantur, viſa eſt Pio; nàm cùm eò, ex totiùs Regni partibus, præter laicos, Epiſcopi quoque confluerent; iis expletis, quæ ad Regnum ſpectabant, ſeorſim deindè, ab ipſis Epiſcopis, de illis, quæ ad Fidem, & mores pertinebant, faciliùs agi poſſe exiſtimavit, qui, ea elapſa oc-
C caſione, difficiliùs inter ſe poſtea coire, cogique potuiſſent. Quod etiam callidè Pontifici ſignificatum credimus ab UKangio, & ea quidem mente, ut faciliùs ad Synodum hæreticos, qui Comitiorum ſpecie Petricoviam ſe contulerant, accerſeret. Epiſtolæ, quas de his ad ipſum Archiepiſcopum Gneſnenſem, ad Apoſtolicum Nuncium, & ad Cardinalem Hoſium Pontifex ſcripſit, hujuſmodi fuerunt.

D Ad Archiepiſcopum Gneſnenſem.

[Vener. Fratri, Jacobo, Archiepiſcopo Gneſnenſi Regni Poloniæ Primati.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater &c.

E *Quum vehementer optemus, Sacri Tridentini Concilii Decretum, de Provincialibus Synodis habendis, ubique ad effectum perduci, magnam ex eis utilitatem ad Eccleſias perventuram eſſe ſperantes; idcircò hortamur Fraternitatem tuam, ut Synodi ſuæ, juxtà idem Concilium celebrandæ, occaſionem nè prætermittat, quam iſtius Regni Comitia offerunt. Volumus autem, ut ei Synodo, utrique Dilecti Filii, Cardina-* Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

A *dinalis Varmienſis, & Nuncius noſter interſint, ſine quibus, ſi qui, quod abſit, celebrare voluerint, eos Fraternitas tua, à tali conſilio, pro Sedis Apoſtolicæ reverentia, divertere, nec ſinere illis eam congregare, debebit; ut ea in Synodo de iis dumtaxàt rebus agatur, quarum cauſa hujuſmodi Synodos Sacrum Concilium Tridentinum celebrandas eſſe conſtituit; quæ ſcilicet ad Omnipotentis Dei honorem, & ad ſalutem animarum pertineant, ſicut te, pro tua prudentia, atque virtute, curaturum eſſe confidi-* B *mus*. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, ſub annulo &c. die ultima Auguſti MDLXVI. Pontific. noſtri anno primo.)

Ad Julium Rogerium

Apoſtolicum Nuncium.

(Venerab. Fratri, Julio Rogerio, in Regno Poloniæ noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater &c.

Ex eodem Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

QUia tempus opportunum Nobis oblatum eſſe videtur, quo Comitia Regni futura ſunt, celebrandæ Synodi Provincialis quoque, juxtà Decretum Concilii Tridentini; hortati ad eam celebrandam ſumus Venerabilem Fratrem, Archiepiſcopum Gneſnenſem, cui etiam ſcripſimus Nos, ei Synodo velle intereſſe te, & dilectum Filium noſtrum Cardinalem Varmienſem, præcipientes, nè ſine vobis congreges. Proindè cura, ut illi interſis, & ut iis tantùm de rebus in ea agatur, de quibus divini obſequii, & Eccleſiarum utilitatis cauſa Concilium Tridentinum tales Synodos habendas eſſe decrevit. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die ultima Auguſti MDLXVI. Pontific. noſtri anno primo.)

Ad Cardinalem Hoſium.

[Dilecto Filio noſtro, Stanislao, Tit. Sancti Theodori Presbytero Cardinali, Varmienſi appellato.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili noſter, ſalutem &c.

Ibid. ut ſup.

B *HOrtati ſuimus Ven. Fratrem, Archiepiſcopum Gneſnenſem ad celebrandam Synodum ſuam Provincialem, juxtà Tridentini Concilii decreta; neque enim videtur Nobis ejus celebratio diutiùs eſſe differenda, præſertim cùm tempus idoneum ad eam congregandam offeratur, hoc tempore, quo Prælati ad illius Regni Comitia conventuri ſunt. Scripſimus autem ei, Nos utique velle, ut ipſi Synodo tu, unà cum noſtro Nuncio interſis; neque enim alitèr eam cele-* C *brari volumus. Quocircà hortamur te, & mandamus, ut te ad eam conferas, iiſque ibi officiis fungare, quæ res poſtulabit, quæque inſigni tuo in Catholicam Religionem ſtudio, & erga Sedem Apoſtolicam fide, & pietate digna erunt, ſicuti te facturum eſſe confidimus*. Datum Romæ, apud S. Marcum &c. die ultima Auguſti MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo.)

Ea erat Pii in unius Hoſii zelo, ac virtute fides, ut eo præſente, obſiſten- D teque, incaſſum perfidorum quorumcumque hominum conatus ituros exiſtimaret, ac Religionis res à tota ſimul hæreticorum verſutia incolumes, ſalvaſque cenſeret. Arrepto tamèn (licet, non ea ratione, quam voluiſſet) ab UKanglo, cogendæ Synodi, Pii mandato, adeò anxiè, ſollicitèque [nè fortè, uti præterito anno acciderat, conſilia ejus quis anteverteret] illud executioni mandandum curavit, ut nec quidem E Hoſii, qui è Comitiis, ut diximus, in propria ſe receperat, adventum præſtolari videretur. Quæ res cum Pontificis animo majorem meritò ſuſpicionem ingeſſiſſet; hinc Hoſio augendam authoritatem duxit, qua UKangii, ac ſectatorum ejus, ſi fuiſſent, auſus comprimere, coercereque poſſet; ſimulque ipſum Hoſium, ut quamprimùm Petricoviam, ad ea mala avertenda, ſeſe conferret, ſequenti Epiſtola, hortatus eſt.

[Dile-

A [Dilecto Filio noſtro, Stanislao, Tit. Sancti Theodori Presbytero Cardin. Varmienſi appellato.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili noſter, ſalutem &c.

IN Provinciali Synodo, quam Venerabilis Frater, Archiepiſcopus Gneſnenſis, B *ex decreto Sacri Concilii Tridentini, propediem celebraturus eſt, præſentiam tuam maximè opportunam, & utilem fore cenſemus, pro tua ſpectatiſſima fide, doctrina, prudentia, Divini honoris, & Catholicæ Religionis zelo. Proinde te ad eam Synodum, quoad peracta fuerit, noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum, tenore præſentium conſtituimus, facimus, & deputamus. Volentes, Dilectum Filium Magiſtrum Julium Rogerium, Notarium, ac Nuncium no-* C *ſtrum tibi ad omnia aſſiſtere. Quocircà mandamus tibi, ut te ad ipſam Synodum, ſine mora ulla conferas, operam daturus, & diligenter proviſurus, ut rectè, & ordine celebretur, neque quid in ea agatur, decernaturvè contra ritus, & inſtituta Eccleſiæ Catholicæ, vel hujus Sanctæ Sedis, cujus honorabile membrum es, authoritatem, & dignitatem. Venerabiles verò Fratres, Archiepiſcopum Gneſnenſem, & reliquos quoſcumque Prælatos, in ipſa Synodo congregan-* D *dos, hortamur in Domino, atque etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut adventum tuum expectent, nec ſine te eam celebrent, aut, ſi antequàm harum literarum notitiam habuerint, eam celebrare cæperunt, eam, niſi dùm tu affueris, proſequantur; non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus.* Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XI: Decembris MDLXVI. Pontific. noſtri anno primo)

XXIV. E De hoc Legati munere in Hoſium collato, iſta habet in illius vita Reſcius: [*Cùm Pius de Hoſii præſtantia omnia ſumma cognoviſſet, nil tale cogitantem, ſuum, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ad Synodum Provincialem, & in univerſa Diœceſi Varmienſi Legatum pronunciavit, ampliſſimo, & pietatis, & eruditionis, & animi zelantiſſimi teſtimonio, in univerſo Fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſeſſu, attributo: quem etiam, & publice, & privatim Columnam Religionis vocare non dubitavit.*] Sic ille. Cœtera, quæ ad præfatam Synodum ſpectant, in ſequentes annos ſunt rejicienda.

Reſc. Vit. Hoſii lib. 2. cap. 28. pagin. 200.

Hoc autem anno, cùm jam abſolutus typiſque editus, eodem Pio mandante, Romanus Cathechiſmus fuiſſet; illum ſtatim Pontifex idem, ad præfatum Cardinalem Hoſium mitti voluit, ut ipſo curante, (quod aliàs diſtrictè prohibuerat) & in Polonicam linguam transferretur, & totius Regni Parochis, aliiſque traderetur. En Pii Epiſtolæ ad Hoſium ſcriptæ.

(Dilecto Filio noſtro, Stanislao, Tit. Sancti Theodori Præsbytero Cardinali, Varmienſi appellato.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

CAthechiſmum, juſſu noſtro, nupèr impreſſum, ad te mittimus, qui, ut ab iſtius Nationis hominibus, Parochis, & aliis, qui linguæ latinæ minùs periti ſunt, intelligi poſſit, ejus in ſermonem Polonicum vertendi negotium, à te dari volumus uni, pluribuſque Polonis, quos ipſe delegeris. Quod enim prohibuimus, nè cui, præter Manutium, liceret, eum, intra certum tempus, converſum in vulgarem ſermonem, imprimere, id eo conſilio fecimus, quòd veriti fuimus, nè quis eum, aut parùm fideliter converſurus, aut indiligentèr impreſſurus eſſet. Tuam verò circumſpectionem confidimus, pro ſuo Catholicæ Religionis ſtudio, curaturam, ut in manum hominum Nationis ſuæ, diligentiſſimè, fideliſſimèque converſus, impreſſuſque perveniat. Illud admonemus, ut librum cures, in totidem partes, quot ſunt res, quæ ejus initio explicandæ ponuntur, dividendum, & unamquamque earum partium, ſuis capitibus aptè diſtinguendam; quod in prima ejus editione, quorumdam incuriâ, parùm diligenter factum fuiſſe, moleſtè tulimus. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, die 28. Septembris ann. 1566. Pontific. noſtri anno primo)

Captans verò undequaque occaſionem Pius, undè labantibus Religionis rebus, in Poloniæ eodem Regno, pro- XXV.

deſſe poſſet, cùm, hoc fermè tempore, A Dialinii Palatini Columienſis filius adoleſcens, Romam ſe contuliſſet, ſequenti ad ipſum data Epiſtola, & in Fide roborare, & ad quælibet, pro Religione tuenda, excitandum, animandumque cenſuit.

(Dilecto Filio, Nobili Viro, Dialinio, Palatino Columien.

Dilecte Fili &c.

Ex eodem Archiv.

Cum in Regno iſto, quod Catholicæ Religionis cultu antea maximè floruit, his autem miſerrimis temporibus plurimum illius antiquæ laudis amiſit, pleriſque à vera, & Catholica Religione, hæreticorum fraude, deductis, audierimus tamen ſupereſſe non paucos, etiam de Regni proceribus, viros bonos, graves, & prudentes, qui Sanctam Matrem Eccleſiam non deſeruerint; egimus Deo Omnipotenti gratias, qui reliquerit ſibi aliquot, qui genua ſua non flexerunt C *ante Baal, quorum è numero te eſſe libenter admodùm cognovimus. Habes, Dilecte Fili, quod Deo gratias agas: nullum enim à Deo majus beneficium, quàm in hac Fide Catholica perſeverare. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Perdit verò animam ſuam, & damnationi ſe æternæ addicit, quiſquis à Fide Catholica exeidit, & ab Eccleſiæ unitate recedit. Gaude igitur tanto Dei munere, &* D *quanto maximo potes, ſtudio, tueri in Regni Conventibus, atque ubicumque potes, Catholicam Religionem conare; & fac paratus ſis, ſi opus ſit, pro ea ſanguinem etiam profundere: quod maximum Dei donum foret; ità enim Dei gratiam tenebis, atque augebis, cujus auxilio, præter æternæ remunerationis præmium, omnia quæ ages, tibi proſpere cedent, & hæc Sancta Sedes, cui Nos, licèt indignè, præſumus, te, tamquàm eximium Filium ſuum amplectetur. Nos quidem* E *tàm præclaro de te teſtimonio commoti, ſingularem erga te benevolentiam ſuſcepimus, cujus, cùm aliud in præſentia ſignum tibi impertiri non poſſimus, has literas noſtræ paternæ indices erga te voluntatis, tibi ſcribendas duximus. Filium verò tuum, optima, ut Nobis viſus eſt, indole præditum adoleſcentem, cùm ad nos veniſſet, libenter vidimus, & reditum ad te, cum noſtra benedictione dimiſimus.* Datum Romæ, apud S. Marcum, die xv. Septemb. 1566. Pontific. noſt. ann. primo]

XXVI. Sigiſmundo autem Rege, vel præcipiente, vel conſentiente, in maximum Polonicæ Eccleſiæ incommodum ea fuerunt, quæ de Sambienſi, ac Pomeſanienſi, in Boruſſia Ducali, Epiſcopatibus, qui jamdudùm ab hæreticis direpti fuerant, atque Eccleſiaſtico Juri abrogati, hoc anno decreta ſunt. Illa- B rum Eccleſiarum jacturam ægerrimè tulerant univerſi Polonicæ Eccleſiæ ordines, qui diſcerptorum membrorum dolore amariſſimè angebantur, ut patet ex Synodalibus Conſtitutionibus Provinciæ Gneſnenſis, in quibus hæc leguntur (*Petendum eſt à Sacra Regia Majeſtate, per Reverendiſſimos DD. ſuo, & totius Cleri nomine, ut Epiſcopatus Pomeſanienſis, & Sambienſis in Boruſſia, contra Jura Eccleſiaſtica occupatos, eorumque Eccleſias profanatas, & ſpoliatas, in priſtinum ſtatum vindicet, & reſtituat; præſertim verò Pomeſanien. cujus magna pars eſt in ditione Sacræ Regiæ Majeſtatis, ſine ullo Epiſcopo, & Paſtore legitimo; ſupplicandumque eſt Sanctiſſimo D. N., ut de conſenſu Sereniſſimi Regis, eam portionem Epiſcopatus Pomeſanien. ditionis Regiæ, ſi integer Epiſcopatus reſtitui non poterit, Epiſcopo Culmen. uti viciniori adiungat.*) Verumtamen non modò, nullis precibus Epiſcopatus reſtituti, & Pomeſanienſi, nec quidem ea in parte conſultum fuit, quæ ad Regem pertinebat; quin ab Eccleſiæ Catholicæ corpore, hoc tempore, penitùs avulſa hæc membra, abſciſſaque ſunt.

Conſt. Synodal. Provinc. Gneſnen. lib. v. cap. 14 pag. 551.

XXVII. Boruſſiæ, quæ Ducalis dicitur, dominabatur Albertus Brandeburgicus, qui, cùm Theuthonici Ordinis Princeps eſſet, poſt longum, & damnoſum cum Sigiſmundo Poloniæ Rege bellum, illud tandem tranſegerat, his legibus, ut abolito Theuthonico Ordine, qui ſe, Imperii Germanici majeſtate, adversùs Poloniæ Reges tuebatur, ducta Uxore, Boruſſiam, Principatus nomine, tamquàm Polonici Regni beneficiarius, acciperet. Homo, (ut dicit Thuanus) novarum rerum cupidus, qui turpitèr, & ab Ordine ſuo, & à Fide defecerat, Eccleſiaſticarum ſimul, & Germanicarum rerum nefandiſſimus prædo; nullius penè Religionis, cùm in

Neugeb. Hiſt. rer. Polon. lib. 1. pag. 616.

in aliqua nunquàm ſubſiſtere viſus fuerit. (Hic, (ut narrat Salomon Neugebavarus in ſua rerum Polonicarum hiſtoria) ingraveſcente jam ætate, judicioque decreſcente, cùm multa, quæ Boruſſiæ Ordinibus exitioſa videbantur, permitteret, (utpote, qui, aliquot jam annis, regeretur conſiliis verſuti hominis, Pauli Scalichii, quem à Veronenſibus Scaligeris originem repetiiſſe, quibus, neſcio, fundamentis innixus Thuanus aſſerit, quem, & præmiis ob id ante donarat) miræ extitere turbæ. Nàm veterator ille, quid eventurum eſſet maturè præſagiens, veteres Conſiliarios indigenas, Chriſtophorum Kreiczium aulæ Præfectum, Eliam Canicium, Antonium BorcKium, & alios, qui molitionibus ejus obviam intrepidè ibant, ad Principem, jam, ut proverbio dicitur, iterum puerum, perfidiæ inſimulatos, loco movit; complices ſuos, homines novos, Joannem Snellium, Joannem Funcium, qui ex concionatore aulico, ambitione præpoſtera, ad politica munia obeunda ſe contulit, & Matthiam Hurſtium, ſcurrilitate ſua, in aliquot Principum aulis, gratum, ſubrogavit. Iſtos Principi à conſiliis conſtituit. At ipſe, imminentem tempeſtatem præſagiens, quaſi in Galliam profecturus, ut ibi novo Principi Regiam ſponſam obtineret, Boruſſia diſceſſit. Paulò enim ante, Joannes Albertus, Megalipolitanus Dux, ſub inviſendi ſpecie ſocerum ſuum, Albertum Ducem in Boruſſiam ſe contulerat, in qua, contradicentibus Ordinibus, novorum Conſiliariorum impulſu, nova etiam tributa à fatuo ſene impoſita fuerant, qui Paulo Voliſſero, ducentorum Joachimicorum millium ſtipendio promiſſo, mille equites in Boruſſiam adducere imperaverat, ea lege, quòd, ſi ſtato tempore recens impoſita vectigalia, quis perſolvere reſpuiſſet, vi, cenſus extorqueretur. Dux verò Megalipolitanus, præfatis Snellio, & Horſtio authoribus, apud eumdem Albertum effecit, ut factum antea teſtamentum, & Regis Poloniæ authoritate confirmatum, ipſemet reſcinderet, novumque conderet, quo ſibi Filii tutela, Provinciæ adminiſtratio, aliaque, toto Cœlo à priori teſtamento aberrantia, committerentur; & tàm infectum vetus, quàm conditum novum à Socru ſuo, propriæ concredi fidei curavit.

Ibid. ut ſup.

A B C D E

XXVIII. At de his omnibus, Poloniæ Rex, Sigiſmundus Auguſtus admonitus, ex Lublinenſibus Comitiis, ampliſſima cum poteſtate, Commiſſarios miſerat, qui omnia diligentèr explorarent, atque imminentibus malis, pro opportunitate occurrerent; &, ut paucis plura perſtringamus, hi, nupèr confecto, opera Megapolitani Ducis, teſtamento deleto, totius Provinciæ nomine criminalem accuſationem, contra Horſtium, Snellium, Steinbacchium, ac Funcium, tamquàm novarum rerum molitores, paciſque, tùm Eccleſiaſticæ, tùm Politicæ turbatores, inſtituerunt; quorum tres quidem ad mortem damnati, licèt deindè Steinbachio vitæ gratia facta fuerit; Paulus item Schalichius è Boruſſia, totàque Polonia eliminatus eſt, factis ei donationibus, irritis, nulliſque declaratis.

XXIX. Dùm hæc verò acta ſunt, tranſactio paritèr, ſeù unio, inter Albertum Ducem, ac Boruſſiæ Ordines inita fuit, quæ tandem per Regios Delegatos V. Non. Octobris confirmata eſt. Inter illius autem præcipua capita illud extitit, quòd Epiſcopatus Sambienſis, ac Pomeſanienſis, ante Paſcha inſtaurarentur, duoque eis, idonei, hæretici dogmatis, Præſules præficerentur, qui unà cum octo, ex equeſtri Ordine delectis Principis Conſiliariis, ac totidem ex Civitatibus, juriſdictionem Eccleſiaſticam integram obtinerent; & quotannis, viſitandi copiam, ac Synodos particulares inſtituendi (conſenſum in Religione alendi, fovendique gratia) haberent. Epiſcoporum verò delicta civilia Princeps cognoſceret; Eccleſiaſtica, in doctrina, vel ritibus, ad generalem Synodum revocarentur.

Scholæ, atque Eccleſiæ, reſque matrimoniales juris Epiſcoporum eſſent.

Intra annum, cum eruditis conſilio inito, Eccleſiaſticam ordinationem conſcriberent.

Exulantes miniſtros, Oſiandrici dogmatis cauſa, revocarent.

Hæc privilegii novi, ſivè interpolati, recentiſque Eccleſiaſticæ pſeudohierarchiæ Canonum præcipua capita fuere, quæ cùm à communi Eccleſiaſticarum Legum jure penitùs aberraſſe cognoſcantur; plus tamen Catholicæ Religioni obfuere, quòd, Negebavaro teſte, haud multò poſt, quos diximus, *Ibid. ut ſup.*

Sambienſis, ac Pomeſanienſis Epiſcopatus, non modò malè ſic reſtituti, ſed etiam proventibus aucti fuerint, quibus impiiſſimi hæreſum Miniſtri impinguati, ac incraſſati, turpiùs contra veram ſidem recalcitrarent. Pomeſanienſi autem, ut decretum fuerat, Georgius, Venetus nobilis, indigena Colbergæ in Pomerania, ubi exulabat; Sambienſi vero Joachimus Merlinus, Branſuico revocatus, præfecti fuerunt, perfidiſſimi hæreſis Miniſtri; quorum alter, nempè Merlinus, quàm Catholicæ Religioni infenſus evaſerit, ſuis locis dicetur.

XXX. Tàm impium facinus, undè adulteris Chriſti Eccleſia proſtituta viſa eſt, cùm ipſius potiùs reparationi, ac reſtitutioni conſulendum putabatur, ubi Hoſio innotuit, ex animo abominatus eſt; ex eo præcipuè, quòd id coràm Regiis Commiſſariis actum fuiſſet; ut ipſemet deinde, ad Epiſcopum Cujavienſem ſcribens, his verbis ſignificavit. (*Sed nec illud latere volo Dominationem Veſtram, quòd, cùm anno superiore, fuiſſent miſſi Regiomontem Commiſſarii Regiæ Majeſtatis, ubi Conventus quidam habebatur; neſcio qua poteſtate, præſentibus illis, duo creati ſunt, qui præeſſent Sambienſi, ac Pomeſanienſi Eccleſiæ, qui jam non ſuperintendentes, verùm Epiſcopi vocarentur: quod, cùm ad aures meas perveniſſet, magnam animo meo moleſtiam attulit. Quamvis autem dicti Commiſſarii, nihil mecum ea de re communicarent; ſcripſi tamèn ad D. SoliKovu sKii, ut provideret, nè conſentientibus Regiæ Majeſtatis Commiſſariis, tale quid fieret. Scripſi etiam in aulam ſemel, atque iterùm; ſed electi ſunt nihilominùs duo, nomenque ſibi vindicant Epiſcoporum. Negant, id ſuo conſenſu factum eſſe, Commiſſarii; ſed factum eſt nihilominùs. Nunc alter ex illis, Joachimus Merle, qui, propter ſeditionem Regiomonti, pulſus erat, ante annos plus minùs 14. Brunſuiga vocatus venit, ac Evangelicas quaſdam veritates attulit, quæ mihi non parùm invidiæ conflarunt, de quibus, coràm, plura Dominus Valentinus KuczKorKii referet; nec eo contentus, virulentum quemdam libellum edidit Regiomonti, quo ſuis interdicit, nè quam cum Chriſtianis, quos Papiſtas vocat, conſuetudinem habeant, D. Joannis exemplo, qui cum Cerinto, nihil commune habere voluit &c. Videtur ad ſeditionem hic homo natus, & eſt Illyricianæ factionis unus ex rigidis Lutheranis, quos jam nec ipſi ferre poſſunt, in ſuis ditionibus, molliores Lutherani. Quantum hic homo incendium ſit concitaturus in his terris, quandoquidem, in primo ſtatim ingreſſu, virus hoc ſuum effudit, facilè D. Veſtra pro ſua prudentia conjicere poteſt*) Iſta Hoſius de Pſeudo-Epiſcopo Merle, de quo plura inferiùs. Quod verò Epiſtola hæc, ſcripta recenſeatur die 24. Februarii 1568. ac anno ſuperiori, nempè 1567. factus, in eo, quem memorat, Conventus, dicatur; ſic accipiendum putamus, vel quòd circitèr anno antè, coactum innuere voluerit; vel quòd, licèt anno hoc, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto cœptus; initio tamen ſequentis, nempè ſexageſimi ſeptimi ſupra milleſimum, dumtaxàt fuerit abſolutus. Illud paritèr, quòd exulantes, Oſiandrici dogmatis cauſa, Miniſtros, in Boruſſiam revocandos eſſe, tunc ſtatutum fuerit; ſcias id factum, in gratiam Alberti Ducis, cui Andreas Oſiander Lutheraniſta, cariſſimus extitit, docuitque, hominem non fide, ſed eſſentiali juſtitia Chriſti, in nobis habitante, juſtificari; itaùt non ſit gratiæ in credentibus, ſed naturæ. Quem autem ſupra memoravimus, Funcium, ipſius Alberti Conſiliarium, eundem Funcium fuiſſe, qui, ut Alberto ipſi aſſentaretur, Oſiandricum præfatum dogma ſectatus eſt, Thuanus ſcribit.

Reſc. in Evangelic. Centur. pagin. 375.

1\. Eliſabetham verò, quæ, inſana æmulatione, uſurpatum Angliæ Regnum retinens, neque, qui ſecum ejuſdem habenas regeret, vel unum hominem ſuſtinere volebat; & inſuper ex ſe gignere (ut dicetur) abhorrebat, qui vice ſui ejuſdem aliquando potiretur; mirum non eſt, hoc eodem tempore, innumeras artes excogitaſſe, quibus Scotorum Reginam, Mariam, legitimam Angliæ hæredem perderet. Cùm enim hæc, Catholicæ Religionis legibus inſtructa, nihil antiquius haberet, quàm ut ei omnia ſæculi, ac mundi negotia poſtponeret: illa, è contra, quavis religione abdicata, terreno tuendo Regno tantùm ſtuderet; perditiſſimorum hæreticorum ope, qui divina humanaque omnia commiſcere conſueverunt, ſacrilegas impiaſque commolitiones in ipſam perficiendas curavit; ſecundâ fortunâ, ei malè opinato conſilio, obtingente,

A gente, id Divina fortè permittente Providentia, cujus incomprehenſibilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ; ut in optima Principe Maria, novum patientiæ exemplar præberet, quod ipſam in hac vita, quam dilexerat, corripuerit, caſtigaveritque; atque in Eliſabetha inexplebiles ambitionis conatus, atque exceſſus, ab eo tandem, qui, ſuperbiam deſpicit, & ſe temerè extollentes humiliat, inanes redditos, atque infelici fine abſolutos monſtraret. Ut autem innumeris hæreticorum fraudibus, B ac inſidiis, ipſa Eliſabetha agente, Maria obnoxia facta eſt; ſic peſtilentiſſimis ſcriptis, ejuſdemmet famæ, ac honori, omni pœna plectenda audacia, detrahere conati ſunt; quos, cùm repellere Catholici Scriptores voluere, immodicis laudibus, ejuſdem Mariæ defectus contegere voluiſſe, ſicque aliquandò à veritate, & ipſi viſi ſunt declinaſſe. Et ideò operæ pretium erit, rem longiori ſermone protrahere; nè, ex eo aliquorum narrationem reſpuiſſe, C quòd hæretici extiterint, vel recepiſſe, quòd CatholicamFidem profeſſi fuerint videamur: ſed ob id tantùm, quòd quemlibet veritati conſentanea, ſivè is ex adverſariis fuerit, ſivè ex noſtris, ediſſe deprehenderimus: quod una hac ratione, honori, ac famæ Principis, de Chriſtiana Reipublica optimè meritæ, juſto prorsùs modo conſultum putemus; non verò ex eorum, qui ſcripſerunt moti genio, moribus, patria, & qualitate, quorum haud parva ab eis D conſcripta mendacia, à nobis, Deo ſuffragante, erunt detegenda. Thuanus igitur, de his, quæ hoc anno in Scotia acciderunt, hæc ſcribit:

II. *(In Scotia, amoto Rege, ex obſcuritatis ſuæ latebris Rizius ſtatim producitur, eumq; Regina, ut etiam domeſtico honore, magis ornaret, menſæ convictorem quotidianum adbibuit, antè aliquot menſes popularitatis ſpecie, more introducto, ut plures ſecum ad menſam aſſiderent, auctoque eorum numero, ut in multitu-* E *dine convictorum, locus Rizio minùs invidioſus eſſet. Sed mox numerus contractus eſt, & jam aſſuetis inſolentiæ ſpectaculi cunctis, ille, cum uno, & altero, quotidianus convictor adhibebatur. Anguſtia etiam loci, cùm conſultum invidiæ exiſtimaret, quippè in cellula, aut etiam apud ipſum Rizium plerumque epulabatur, ſuſpicionem auxit, & jam non belli ſermones intèr proceres ſpargebantur, cultu, ſuppellectile, comitatu hominem externum, & nullo loco, ſupra fortunam, & Regem ipſum appcrere, paſſim frementes; cùm ipſa, muliebri impatientia, in animum induxit, etiam ei jus ſuffragii in Concilio attribuere; quod, ſi faceret, illud deinceps ſe ad nutum circumactorum confidebat. Ad id opibus, ac titulis opus erat, nè inops, & mercenarius Senator, è ſordibus ad tantum honorem provectus videretur. Sed cùm nec precibus, multòque minùs minis adhibitis, ab antiquis poſſeſſoribus impetrare potuiſſet, ad egenum advenam ditandum, & ornandum, prædiis, & dignitatibus cederent; eò magis ipſa inflammari, populus contra indignari cœpit, pleriſque è Senioribus memoria tempus illud repetentibus, quo Cocheranus, Regis fratre per ſummum ſcèlus occiſo, è latomo Marriæ Comes factus, belli civilis ea excitavit incendia, quæ non niſi morte Regis, ac penè Regni interitu ſunt reſtituta.)* Addit deinde.

Thuan. hiſt. Eccl. 10. pagin. 415.

III. *[Rex, qui ad Uxorem redierat, quamquàm iis rumoribus offenderetur, tamen certus, niſi re explorata nemini credere, accepto, Rizium cubiculum Reginæ ingreſſum, ipſe ad oſtiolum, cujus clavem penes ſe ſemper habebat, acceſſit, ac præter morem, intus oppeſſulatum cùm offendiſſet, & pulſanti nemo reſponderet; ex eo magnam irarum molem animo coquens, totam eam noctem penè inſomnem egit, ac poſtridiè cum fidis, de Rizio tollendo clàm conſilium injit; nec tamen inſcia omninò Regina, quæ eum aliquotiès, cum arcanorum conſciis deprehenſum, acerbè increpuit, domeſticis ejus gravitèr interminata, fruſtrà eos conſultare, ſe omnes illorum machinationes ſcire, & remedium in tempore adhibituram: quibus verbis, non tàm Regem terruit, quàm ad conſilium accelerandum impulit.*

Igitur, re cum Matthæo parente, Leviniæ Comite communicata, unus eis malorum exitus viſus eſt, ſi ea pars nobilitatis, quæ aderat, reconciliari, quæ aberat, revocari poſſet, quam utramque, temerè Rex uxori obſecutus, à ſe alienaverat. Sed cùm feſtinatione opus eſſet, jam inſtante Comitiorum die, quibus Regina proceres abſentes proſcribere decreverat, & Rizius ſingulos circumibat, animoſque pertentabat, quid de iis quiſque decreturus eſſet, ſi Princeps ſen-

ſententiam rogaretur, promiſſis minas
admiſcens, ut quemque metu, vel ſpe
duci intelligebat. Quò magis ſibi matu-
randum ratus Rex, ex parentis conſilio,
Jacobum Duglaſſium, Mortonii Comi-
tem, & Patricium Lindeſium, utrumque
ex utroque latere ſibi propinquum ac-
cerſit, qui rem cum Patricio Ruveno, ho-
mine manu prompto, ſed ex diuturno
morbo, adhùc infirmo conferunt. Ab his
Rex admonitus, quantum temporibus
proximis erraſſet, qui præcipuam Nobi-
litatem, in nequiſſimi nebulonis gra-
tiam, expuliſſet, illumque terræ filium
in tantum extuliſſet, ut ipſe jam ab eo
contemneretur; & culpam ſuam agno-
vit, & niſi de conſenſu nobilitatis im-
poſterùm ſe geſturum affirmavit.
Verùm illi, adoleſcentis uxorii in-
genium veriti, nè blanditiis deceptus, cum
certa ipſorum pernicie pacta inficiare-
tur; capita, in quæ conſenſerat, ſcripta
ei exhibent. Ea erant de Religione con-
ſtituenda, ſicuti cautum erat in reditu
Reginæ in Scotiam. De reducendis exu-
libus nuper pulſis. De cæde Davidis Ri-
zii, quo ſalvo, neque Rex dignitatem,
neque Nobilitas incolumitatem tueri
poſſet. Quibus omnibus libenter, ac cu-
pidè Rex ſubſcripſit, cædis ſe authorem
profeſſus, & poſt eum cæteri Chirogra-
phum quiſque ſuum appoſuerunt, ſtatim-
que, ut procerum abſentium condemna-
tioni præverterent, ac nè mora con-
ſilium evulgaretur, facinus aggredi pla-
cuit.) Deindè (*Dum Regina in cellula*
anguſta cœnabat, adhibito pro more
Davide, & Argateliæ Comitis uxore,
Rex è ſuo cubiculo, quod infra ipſam Re-
ginam erat, per ſcalas anguſtas, quæ ſoli
ei patebant, aſcendit, ſequente cum Pa-
tritio Ruveno, cum quinque ad ſummum
Comitibus, dùm interea Mortonius cum
magno familiarium numero, in extimo
cubiculo ambularet, diſpoſitis in ſub-
diali area fidiſſimis, qui, ſi motus inter-
venirent, preſtò eſſent.
Ad ingreſſum Regis, & Ruveni,
ſqualidi, atque diuturno ex morbo ma-
cilenti, & tamen armati, quem adſtan-
tes ex febre delirare credebant, conſpe-
ctum, commota Regina, cùm quid rei
novi eſſet percunctaretur. Ruvenus ad
Rizium ſermone converſo, eum ſurge-
re, ac prodire juſſit, indignumque eſſe,
qui eo loco ſederet. Quo audito, Regina,
quod erat, animo conjectans, ſtatim ex-
ſurgit, & corporis objectu, adversùs ve-

A *nientes eum protegit. Sed Rex eam com-*
plexus, bono animo eſſe jubet, nàm nihil
eſſe, quod metuere deberet; tantùm cæ-
dem unius nebulonis decretam eſſe. Tùm
David à conjuratis primùm in proxi-
mum, deinde in extimum cubiculum per-
tractus, ab iis, qui cum Moronio erant,
multis vulneribus confoditur; præter
Ducum voluntatem, qui eum publicè
ſtrangulari, & gratiſſimum populo ſpe-
ctaculum exhiberi malebant. Primum
vulnus à Georgio Duglaſſio, Anguſiæ
B *Comitis notho filio, inflictum fuit; veram*
Mathematici prædictionem approbavit,
qui Davidem monuerat, periculum illi
à Notho imminere; quod de Moravio ille
interpretatus, nothum illum, ſe vivo,
eam potentiam, ut ſibi metuendus eſſet,
minimè habiturum reſpondit. Secundùm
Georgium, ut quiſque proximè ſteterat,
Princeps feriebat, vel dolori ſuo indul-
gens, vel in publicæ injuriæ ultionem,
quaſi ſocium adſcribi cupiens. Hunſi-
læus, Atholius, & Burtelius Comites,
C *qui in diverſa parte Palatii cœnabant,*
audito tumultu, cùm erumpere vellent,
ſine noxa ſunt cohibiti.
Patrato facinore, & Regina è cel-
lula in cubiculum progreſſa, Ruvenus
horridæ libertatis homo, & facto re-
centi audacior, in cubiculum & ipſe
ingreſſus, ſtatim reſedit, & bibere pe-
tiit. Quod Regina in eum, ut perfidum,
ac proditorem, recenti dolore invecta, ad
injuriam ſuam pertinere exiſtimans,
intèr alia exprobravit, quòd ſe ſtantem
D *ſedens alloqueretur. Verùm ille, nulla id*
ſuperbia, ſed virium infirmitate factum
cùm excuſaſſet, poſtremò eam hortata
eſt, ut in Regno adminiſtrando, Nobilita-
tem potiùs, cujus intererat ſalva omnia
eſſe, conſuleret, quàm nebulones vagos,
qui nullum ſuæ fidei pignus dare poſſent,
quippè qui, nec in re, nec in fama quid-
quam haberent, quod perderent. Legi-
timum Scotorum eſſe imperium, non
unius libidine, ſed ad legum præſcri-
ptum, & conſenſu Nobilitatis olìm regi
E *ſolitum. Qui contra attentaſſent, meri-*
tas temeritatis pœnas ſemper luiſſe: ne-
que nunc ità Scotos à Majorum inſtitu-
tis degeneraſſe, ut exteri hominis, quem
vix honeſtè ſervum eſſent habituri, non
modò imperium, ſed ſervitutem æquo
animo perferre poſſent. Quibus dictis,
cùm irritaretur ultra modum Regina,
nè major aliquis motus oriretur, diſpo-
ſitis, locis idoneis, cuſtodibus, ſocii diſceſ-
ſere.

ſere. Cùm verò ad tumultum populus undique accurriſſit, Rex per feneſtram populum allocutus, ſe, ac Reginam incolumes eſse affirmavit, nullamque tumultuandi cauſam ſubeſſe: quidquid actum fuiſset, ſuo juſſu factum, id quale ſit, ſuo tempore reſcituros; proindè quiſque domum abeat.

Poſtridiè proceres ex Anglia reverſi, ſicuti à Rege moniti fuerant, ad dicendam cauſam in Prætorio Urbis ſe ſiſterunt, ubi, cùm nemo exaduerſo appareret, publicè teſtati, quòd non per ipſos ſtetiſſet, quominùs ſe publico Judicio committerent, in hoſpitia ſua diſceſſerunt.

Regina verò, ut Cuſtodes appoſitos falleret, Moravio Fratre accerſito, qui poſt patratam Rizii cædem, quaſi ab exilio revocatus, in Scotiam redierat, & cum eo aliquantùm collocuta, ſpem facit, ſe poſt id in procerum poteſtate futuram. Indè laxiore cuſtodia habita, per poſticum noctù egreſſa, cum Gergio Setonio, qui ducentos equites ſecum adduxerat, in ejus Arcem, atque indè Dumbarum profecta eſt, adducto ſecum Rege, mortis injecto metu, ni paruiſſet. Ibi ſe reconciliatam cum exulibus ſimulans, in percuſſores Rizii impetum vertit, in quos, ut liberiùs legibus animadverteretur, per præconem ante, non ſine multorum riſu edixerat, nè quis diceret Regem conſcium, aut participem cædis Rizianæ fuiſſe. Magna ſeveritate quæſtio excitata fuit; nàm multi varia pœna affecti, etiam plerique inſontes, atque ideò ſecuri, capite luerunt. Auxit publicam indignationem, quòd Regina, non contenta, hominem nullis natalibus, aut honeſtis ſtudiis, & opera, in publicum inſignem, ad tàm invidioſos honores evexiſſe, ad extremum, ſuperante poſt periculum impotentia, vel, ut jam rebus pacatis, demortui cadaver, quod ante fores Templi propinqui ſepultum fuerat, de nocte transferendum, ac in ſepulcro Regis Parentis, ejuſque liberorum, juxta Magdalenæ Franciſci filiæ, paulò ante Reginæ corpus, collocandum curavit.

Rebus utcumque compoſitis, & Argateliæ, & Moraviæ Comitibus in gratiam receptis, poſt Id. Aprilis, Regina in Arcem Edimburgenſem redit, appropinquante puerperii tempore, ubi dec. tert. Kal. Julii, paulò poſt horam nonam equinoctialem, filium peperit. Id per Jacobum Melvinum Maria ſta-

A *tim Eliſabethæ ſignificandum curat. Et hæc in Scotiam viciſſim Enricum Kil egræum miſit, qui ſorori, partu feliciter levatæ, & nato puero gratularetur, eademque opera moneret, nè Shano-Oncal in Hibernia, tunc rebellanti, clandeſtinis auxiliis animos ulterò faceret, aut Chriſtophorum RoKesbijum transfugam, contra fœderis leges, & foveret, & in prædones, per limites diſcurſantes, ſeverè animadverteret.*

Intereà in Scotia amoto Rege, unus
B *omnia poterat Jacobus Heburnus, Bothueliæ Comes, unus negotia adminiſtrabat, adeòque ipſa, ſui erga eum animi propenſionem, ab omnibus intelligi volebat; ut, ſi quid ab ea petendum foret, nemò quidquam, niſi per illum impetraret. Rex verò, tamquàm moleſtus otii interpellator, procul ablegabatur; &, ſi quando contigerat, eum viſendi cauſa adeſſe; ipſa, & Comites, ſic vultum ſermonemque componebant, ut nihil magis timere viderentur, quàm, nè Rex non in-*
C *telligeret, ſe Reginæ faſtidio, adventum, conſpectumque ſuum omnibus ingratum eſſe. Igitur, cùm miram circa ſe ſolitudinem videret, contumeliarum, quæ illi à Botuelio, quotidiè, fiebant, pertæſus, Sterlinum conceſſit.*

Inter hæc, paulò ante brumam, venere ex Anglia, & Angliæ Legati, qui in filii ſacro luſtrico, pro eo fidejuberent. Cærimoniæ Sterlini peractæ 18. Decemb. Sponſores fuere Carolus Rex, Emanuel Philibertus, Sabaudiæ Dux,
D *Anglorum Regina Eliſabetha, & Infans, Carolus, Jacobus, dictus, ſed priorum nomen poſteà omiſit. Officio pro Eliſabetha defunctus eſt Betfordiæ Comes, allato Baptiſterio ex ſolido auro, quod honorarii muneris inſtar infanti obtulit. Huic in mandatis datum, apud Mariam inſtaret, ut fœdus Edimburgenſe ratum haberet. Quod illa in præſens abnuit, cauſata, in fœdere illo ineſſe quædam, quæ ſuo ipſius, & liberorum in Anglicani Regni ſucceſſionem juri derogarent;*
E *miſſuram tamen ſe propediem ad ſororem Legatos, qui de illo confirmando, quibuſdam immutatis, agerent. In has verò jam cùm conditiones conventum eſt; ut Maria, liberique ejus, quamdiù Eliſabetha in vivis eſſet, titulis, & inſignibus Anglicanis abſtinerent; viciſſim Angla promiſit, nihil ſe facturam, quod Mariæ juri in ſucceſſione præjudicaret. Cùm prætereà Betfordius, heræ juſſu,*

de

de componendo domeſtico, inter ipſam, ac virum diſſidio verba injeciſſet, idque ſummoperè cupere Eliſabetham oſtenderet: illa pro grata benevoli animi ſignificatione gratias egit, & diſſidii culpam in turbulentos quoſdam proceres rejecit, qui ingenua Mariti, plùs juſto facilis, credulitate abutentes, ipſum inſigni, nec ferenda injuria affeciſſent, & cùm afflicta valetudine tùnc eſſet, filiolum, recens natum, Eliſabethæ fidei, ac tutelæ per literas commendavit &c.)

IV. Iſta Thuanus, qui ſpurciſſimi corvi inſtar, cùm ſuas narrationes, ex aliorum narrationibus contexuerit, bonis, ac probatis rejectis, calumniatorum putida commenta ſelegiſſe, licèt paſſim in cunctis ferè viſus ſit; in his, quæ mox diximus tamèn, non niſi Georgii Buchanani exſcripſiſſe mendacia deprehenditur. Quiſnam verò fuerit Buchananus, quantique habenda ſint, quæ ſcripſit, habes ex Ruberto Turnero Barneſtopolio, in Epiſtola Apologetica, in qua ipſius, tùm vita, tùm mores deſcribuntur; à Genebrardo in Chronico, ſub hoc anno, & ab aliis Catholicis Scriptoribus; quibus, ſi hac in re fides minimè adhibenda videatur, accedat Gulielmus hæreticus Camdenus, Annalium Eliſabethæ ſcriptor, qui de Scoticis, de quibus nunc agimus, rebus, tractaturus, hæc duxit præponenda.

(*Quid Georgius Buchananus* (inquit) *hac de re, cùm in hiſtoria, tùm in libello, cui* Detectio *titulum fecit, prodidit, ex libris impreſſis nemo non novit. Cùm autèm ille, partium ſtudio, & Moravii munificentia abreptus, ita ſcripſerit, ut libri iſti falſitatis damnati fuerint ab Ordinibus Regni Scotiæ, quorum fidei plus tribuendum; & ipſe ingemiſcens cordæ, cui fuit Pedagogus, ſubindè ſe reprehenderit,* (*ut accepi*) *quòd tàm virulentum calamum in Reginam bene meritam ſtrinxiſſet; morienſque optaverit, ut tantiſpèr ſupereſſet, donec maculas, quas maledicentia falsò aſperſerat, revocata veritate, vel ſanguine elueret; niſi* (*quod ipſe dixit*) *hoc vanum eſſet, cùm præ ætate delirare videretur: liceat mihi* (*ut altera etiam Pars audiatur*) *rem omnem, cùm ex aliorum ſcriptis, quæ eo tempore prodierunt, ſed in Moravii gratiam, & Reginæ odium in Anglia ſuppreſſa, tùm ex Legatorum, atque fide digniſſimorum literis, quantum intelligere poſſum, ſine omni amoris, aut odii fuco, paucis explicare &c.*) Hæc ille, qui cùm dicat, Buchanani libros falſitatis damnatos fuiſſe ab Ordinibus Regni Scotiæ; ſciendum eſt, ob innumera illata damna, eoſdem, tota Britannia, iterùm, atque iterùm, ſed præcipuè anno 1683. publieo decreto Academiæ Oxonienſis prohibitos, ac publicè concrematos, ut in ſuo Theatro hiſtorico hæreticus alter teſtatur Matthias.

V. Præter igitur recenſitas, ac fabulosè à Thuano, Buchanano, & aliis, his ſimilibus, mendaciſſimis Scriptoribus commentas rationes, ob quas, hoc anno, decreta primùm, & mox inaudito ſcelere, mors Davidis Rizii executioni mandata fuit; quæ ad tantum patrandum facinus impulere, multò veriores illæ cenſendæ ſunt, quas Scriptores alii tradiderunt; inter quos Georgius Conæus, egregiam à Regina Maria Catholicæ Religionis profeſſionem publicè factam, uti Catholicorum Principum benevolentiam; ità Sectariorum, (ſcribit) Anglæque potiſſimùm invidiam in eam accendiſſe; in eam (inquam) quam ſceleribus olim ſuis offenſam, ultricem etiam aliquandò impietatis futuram verebantur; hinc barbaras (dicit) in eam Prædicantium invectivas, & clandeſtina exorta eſſe Sectariorum odia: quibus cùm nihil præſentius, ad majeſtatem, vitamque Principis lædendam, quàm Rizii, à ſecretis, cædes occurreret, eam, nuſquàm, niſi apud hæreticos, audito facinore, aggreſſi ſunt.

Conæi in Vit. Mariæ Stuart. pagin. 68.

VI. Camdenus rem altiùs repetens, ſcribit, quòd, poſtquàm Jacobus frater nothus Mariæ, vulgò dictus, Prior Sancti Andreæ, (Religioſis enim in Metropolitana Eccleſia Andreopolitana Præpoſitus fuerat) poſteà Marriæ, & poſtremò Moraviæ Comes, defuncto Franciſco ſecundo, Galliarum Rege, ejuſdem Mariæ Conjuge; hinc Imperatorem pro fratre, inde Hiſpanum pro filio, ipſam ambire comperiſſet, utpotè qui jam omni prorſùs conatu ejuſdem è Gallia in Scotiam tranſitum impedire connixus fuerat, quòd Regnum ipſe occupare contenderet; & poſt Reginæ reditum, antè omnia anxiè ſollicitus, nè de nuptiis cogitaret, ab oblatis, tùm ab Imperatore, tùm ab Hiſpaniarum Rege penitùs diſſuadere ſtuduit, libertatem Scoti-

Camden. Annal. Eliſabeth. anno 1567.

Scoticam, edicens callidus Nothus, A Principem externum, nec poſſe, nec velle ferre; & quandocumque Sceptrum ad femellas devolutum fuerat; illas, non alios, quàm ex Scotica gente maritos aſſumpſiſſe. Verùm, [ſubjungit] poſtquàm omnibus, omnium Scotorum votis expeti videret, ut illa nuberet, & perſentiſceret, Comitiſſæ Lenoxiæ providentia effectum eſſe, ut in nuptias Darlæi propenderet; Nothus idem, eum etiam in Maritum commendavit, ſperans, Juvenem facillimo inge- B nio, ad ejus nutum futurum. Ut tamèn ſenſit, Reginam Darlæum unicè amare, & ſuam gratiam apud illam elangueſcere; conſilii pœnituit, monuitque Eliſabetham, ut quacumque poſſet ratione, nuptias impediret.

VII. Sed his jam confectis, & Darlæo Rege declarato, cùm Regina donationes, præfato Notho, & aliis, contra legem, in minori ætate factas revocaſſet, arma cum aliis in Reges induit: cauſatus, uovum Regem, Proteſtantium C religioni adverſari, & nuptias ſine aſſenſu Reginæ Angliæ fuiſſe contractas. Sed, nè tentata quidem Martis alea, in Angliam fugit, omnique auxilii ſpe ibi fruſtratus, per literas tamen cum Mortonio, profundæ verſutiæ homine, egit, ut, cùm nuptiæ diſſolvi non poſſent, ſaltem amor inter Conjuges occultis artibus diſſolveretur: quod accendendis offenſionibus aptiſſimus Mortonius artifex præſtitit, qui idcircò in Regis juvenis animum blanditiis influit, per- D ſuaſitque, ut Regni Scotiæ coronam, vel invita Regina, ſibi imponeret, nec fœminæ dominatui ſe manciparet, quòd fœminarum parere, virorum ſit imperare. Quo nempè conſilio, ille, non ſolùm Reginam, ſed etiam proceres, & plebem à Rege omninò ſe abalienaturum ſperavit. Ut Regem abalienaret, primùm variis calumniis ipſum in Davidis Rizii Pedemontani cædem inflammat, nè ille ſagax, ipſorum conſilia anteverteret; indè, ut Reginam infe- E ſtiùs offenderet, perſuadet Regi, ut ipſe ejuſdem Rizii cædi præſens cum Ruveno, & percuſſoribus intereſſet. Sic Camdenus, cui paſſim omnes concordant, confecti in Scotiæ Reginam adulterini criminis veram cauſam detegentes. At in his omnibus, conſilium, & operam vaferrimæ Eliſabethæ, cum qua una impiiſſimi homines ſceleratiſ-

ſimas molitiones ſuas ſtruere ſemper conſueverunt, haud defuiſſe, Scriptores fide digni paſſim teſtantur; licèt id ſubdolè ſilentio prætereat præfatus Camdenus, utpotè qui, in Annalibus ſuis, Eliſabethæ potiùs geſta, virtutis ſpeciem præſeferentia, quàm vera, ac deteſtanda crimina monumentis mandare maluerit. Quapropter Andreas Philopatrus, in reſponſione ad Edictum ejuſdem Eliſabethæ, cùm eam ægerrimè tuliſſe Reginæ Scotiæ cum Darlæo nuptias, narravit; (quia nempe nolebat, ex Maria prolem extare) ſubjungit: *Comitiſſam Lenoxiam, Darlæi matrem,* [quod certè Camdenum haud latere potuit] *licèt ſanguine ſibi conjunctiſſimam, carceri tradidit in Arcem Londinenſem, vigeſimo ſecundo die Aprilis anni ſexageſimi quinti; ex qua non niſi poſt filii cædem dimitti potuit.*] Additque, curaſſe etiam in Scotia, ut hæretici, ſine mora, arma caperent, Reginam apud plebem traducerent, &, ut nullum ſcelus intentatum relinquerent, Darlæum ipſum aggrederentur, ut à Regina uxore, mendaciis quibuſdam confictis, abalienarent, affirmantes, Davidem ſecretarium, nimia apud illam in gratia eſſe; quibus calumniis leviſſimum iuvenis animum eò permoverunt, ut ipſo conſentiente, Regina verò inſpectante, David à ſicariis immaniſſimè trucidaretur.

Andr. Philopat. in reſponſ. ad edict. Eliſabeth. ſect. 2. par. 161.

Quiſnam verò fuerit David iſte, VIII. quem turpi adeò amore proſecutam fuiſſe Mariam, Thuanus, & alii, ut audiſti, ſcripſerunt; breviter inquirendum videtur, ut hinc magis ridicula ejuſmodi Scriptorum commenta agnoſcantur. Fuiſſe enim patria Taurinenſem, profeſſione muſicum, religione Catholicum, navum, induſtrium, altiùs, quàm hæretici, & factioſi voluiſſent; utpotè qui, eorum contra Reginam penetrando conſilia, præverteret; paſſim omnes uno ore teſtantur. Paulatim hunc inter aulica miniſteria, ad non mediocres opes, & Secretariatus munus perveniſſe, ſcribit Spondanus. At Camdenus, qui anno dumtaxàt ſuperiori in Scotiam, cum Muretto Legato, Rizium veniſſe refert, & tunc tantùm à Regina in familiam, & gratiam, Secretario abſente, ob ſolertiam, ad Gallicas Epiſtolas ſcribendas adhibitum, & ad intima conſilia receptum, fuiſſe narrat; patenter oſtendit, non modò, brevi eo

temporis intervallo, immenſas eas opes colligere, ac dignitatum culmina, ut conſequeretur, optare non potuiſſe; quæ, niſi imprudentiſſimus, & hebes quiſquam ſtatim obtinere deſideraſſet, ſed neque propriè ipſum Secretariatus munus fuiſſe adeptum, ut ſomniando, præfati Scriptores ſcripſere. Septuageſimum inſuper ætatis annum aſſerunt exceſſiſſe, fuiſſeque, ſcribunt, vultu deformem; ex quo etiam impudentiſſimorum diluantur calumniæ, qui nefandum crimen in caſtiſſimam Reginam, quæ utpotè nata anno 1542. vix tunc vigeſimum quartum ætatis annum attingere poterat, impingere, temeritate omni pœna plectenda, præſumpſerunt.

Remund.

IX. Ea idcircò, quæ ad mendacium aſtruendum Thuanus, aliique addunt, de oſtiolo, nempè, cubiculi Reginæ, à Darlæo intùs oppeſſulato reperto, & alia ejuſmodi, ex quibus in ſcelere quodammodò deprehenſam, oſtendere Reginam conati ſunt; non modò falſa, ſed etiam ineptiſſima cognoſcuntur. Ad cujuſvis ſiquidem ingreſſus, innumeris ex cauſis, oſtium oppeſſulatum habere ipſa poterat, abſque eo quòd adulterinæ culpæ obnoxia eſſet, vel tantum de illa facinus meritò ſuſpicari valeret. Perſpectam inſuper habens Maria Mariti levitatem, quæcumque in ſecreto cubiculo cum ſibi fidiſſimis agebat, ex improviſo, ſuperveniente eo, maximo Reipublicæ damno vulgari ritè pertimuit; quod, ut averteret, munire cubiculi oſtium forſan neceſſarium duxit. Quòd verò Reginæ Rizius quotidianus conviva aſſideret; falſitatis arguitur ab his, quæ refert Camdenus, ubi de Rizii morte. (*Conjurati, unà cum illo, nempe Darlæo,* (inquit) *in Reginæ conclave, inter cœnandum irrumpentes, dùm illa cum Comitiſſa Argateliæ menſæ aſſideret; hominem, ad repoſitorium, è ſublatis è Regia menſa cibis delibantem, (ut Miniſtri interioris admiſſionis ſolent,) ſtrictis gladiis aggreſſi, coràm ipſa &c.*) Sic Camdenus, ex quo cognoſcitur, qua ratione Rizius regiis dapibus veſceretur; Reginæ ſcilicet, non tamquàm conviva aſſidens, ut hæc ipſa referens, mentitus eſt Thuanus; ſed ex Regiæ menſæ reliquiis dumtaxàt edens. Quàm injuſtè demùm, Mariam coarguerint, quæ vili genere natum hominem, ad ſecretiora conſilia admiſerit, agnoſce ex his, quæ Michael ab Iſſelt ſcripſit, his verbis: (*Hoc uſitatum eſt Principibus, non ſemper nobilitatem, ſed interdùm ingenium reſpicere, & conſilia plebejorum, ſæpè conſiliis Procerum anteponere. Id ſtatim, initio Regni ſui fecerat Eliſabetha Angla, quæ Bacconum, & Cæcilium intimis ſuis conſiliis adhibuit; itaut omnia, eorum arbitratu in Anglia gererentur, eorum conſiliis maximè res Anglica inniteretur, & nullo penè numero Nobilitas antiqua haberetur; qui tamen, quales (de generis tantùm loquor obſcuritate) fuerint, legat, qui velit, initium libri Andreæ Philopatri, adversùs Edictum Anglicanum, anno MDXCI. editum. Quod in his tulerunt Angli, Scoti in Davide minimè ferre voluerunt; quarè in ejus mortem conſpirarunt.*] Sic ille: non deſuere Scriptores tamèn, qui Rizium nobilem etiam dixerunt.

Quamvis verò omninò falſa hæc, & alia de Rizio, ab adverſariis ſcripta cenſeamus; nihilominùs à veritate etiam alienum non putamus, quod aliquis ſcripſit: nempè in Rizium, omnium hæreticorum fuiſſe odium, ut Catholicum; Catholicorum, ut potentem; conjuratorum, ut fidum; faventium, ut ſuperbum Reipublicæ Rectorem, & ſua voluntate ſolum; & quòd hæreticis non ſatis fuerit, odiſſe Catholicum, niſi etiam inſidias tenderent capiti, quod habebat, ut oculos videndis, ſic mentem, illorum machinationibus excludendis: & ideò omni contentione ſtuduiſſe, ut hos oculos, mentem hanc, Reipublicæ eruerent; hujuſque rei litem aſtutè, inter Davidem, & Darlæum ſeminaſſe, exiſtimantes, & à Darlæo Davidem, & Darlæum à Regina, & à Calviniſtis demùm ſeditioſis, Reginam hac face deleri poſſe; & tandem (quod præ omnibus Eliſabethæ cordi erat) ut ſic etiam hæres, Regnorumque Scotiæ, & Angliæ legitimus ſucceſſor, quem adhuc in utero Regina Scotiæ geſtabat, deleretur. X.

Robert. Torner. in Vindic. Mariæ Stuart.

Hujus tamen conſilii, quod impia Eliſabetha commolita erat, quodque perfidiſſimi Sicarii, qui Davidem trucidarunt, executioni mandare conatu omni ſtuduerunt, adeò hæretícos ipſos Scriptores puduit, ut ſtudio omni, illud contegere contenderint; & quia facinus omninò negare haud auſi ſunt, illud tamen, pro viribus, occultare, atque immi- XI.

imminuere ſunt connixi. Ubi enim Rex A cum conjuratis in ſecretum Reginæ cubiculum eſt ingreſſus, & Ruvenus quidem Davidem ſurgere, ac prodire juſſit: Reginam ſtatim aſſurrexiſſe, & corporis objectu, adversùs venientes protexiſſe, Thuanus, ac Buchananus ſcribunt; ſed à Rege complexam, bono eſſe animo fuiſſe juſſam, addunt, quòd nihil eſſet, quod ipſa timeret. At Scriptores reliqui, qui nefarium conjuratorum ſcelus dicere non horruerunt, ac de perfida Eliſabethæ mente, palàm B differere potuerunt; intentato Reginæ pectori ſclopo, ſeù, ut aliquis ſcripſit, pugione, à defendendi Davidis propoſito deterruiſſe aſſerunt; eumque in ipſius oculis immaniſſimè trucidaſſe, ut prægnans, intempeſtivo partu, ex metu, & horrore fœtum perderet. Quod etiam his verbis evidentiſſimè teſtatus eſt hæreticus ipſe Camdenus. (*Strictis gladiis aggreſſi, (Davidem nempè) coràm ipſa gravida, trepidante, ſclopeto in pectus intentato, ut parùm abſuerit,* C *quin abortum fecerit; in antitalamum rapuerunt, crudeliſſimè trucidarunt: ipſamque Reginam in conclave concluſerunt, Morthonio omnes aditus interim obſidente.*]

XII. Sed notandum eſt valdè, quod illicò ſubdit, ut agnoſcas mendaciis tantùm conficta, quæ Thuanus, ac Buchananus ſcripſere: (*Hæc cædes* (dicit) *perpetrata eſt, pridiè ejus diei, qui Moravio dictus, ut in Ordinum Conventu, judicio, de rebellione ſe ſiſteret, qui po-* D *ſtridiè ſe ſtetit, cum nemo expectaret, & in tanta rerum perturbatione nemo ex adverſo appareret; ut cædes Davidis, compoſito maturata, in Moravii ſalutem, & ſecuritatem videretur &c.*) Et quidem immaniſſimum ſcelus, conſultò patratum fuiſſe, ut Moravio conſuleretur, quem cum perduellibus ceteris, ad res Scoticas turbandas, iterùm illùc reverti Eliſabetha optaverat; quæ ſubſecuta ſunt abundè ſatis manifeſtant. Nàm, ex ſententia accidit, ut eo ſtatim E tempore, in Ordinum Conventu, de rebellione judicandos Rebelles ſe ſiſterent, quo, ob Rizii cædem, nec eſſent, qui judicarent, & ipſi ſimulatæ obedientiæ ſpecie, vel tamquàm innocentes, vel tamquàm à reatibus abſoluti, incautæ plebis oculis apparerent; cùm injudicati tamen à Prætorio diſcederent. Cùm autem ſcribat Thuanus,

Huntilæum, Asholium, & Butuelium Comites, à conjuratis, qui Davidem occiderunt, in diverſa parte Palatii, ſine noxa cohibitos fuiſſe; ſcias, & ipſos utpotè Reginæ fidos, & amicos in pari Rizii periculo fuiſſe conſtitutos; quapropter, ut conſceleratorum manus effugerent, ſeſe funibus è feneſtra dimittentes, (ut Natalis Comes ſcribit) periculum evaſerunt.

Mendaces inſupèr Scriptores pu- XIII. duit, poſt totiès dictam Rizii cædem, quàm impiè habita fuerit Regina, recenſere; conjuratorum temeritatem, ac perfidiam, paucis his tantùm verbis [*Diſpoſitis, locis idoneis, cuſtodibus*] complexus Thuanus. At alii rem abundè patefecerunt; inter quos præfatus Comes hæc habet.

[*At Reginam in cubiculum intrudunt, octoginta armatos, ad ejus cuſtodiam, tradunt, biduum clauſam tenent. Nihil eſculentum admitti jubent, priuſquàm perſcrutarentur, an in iis occultaretur, quid inſidiarum adversùs illos &c.*]. Verùm in Ordinum, deindè, haud multò poſt, habitis Comitiis, in quibus Judices aſſiderunt, qui judicandi, ac milliès damnandi fuerant, quæ impia, & in ipſam Reginam, & in Catholicam Religionem decreta fuerunt, narrat Conæus his verbis: [*Vocato ex Anglia ad Comitia Notho, inter perduelles de Principe, omnibus Papiſtis*, (ſic genus illud hominum, Catholicos, per contemptum vocat.) *interficiendis conſulitur.*] Quod plerique Scriptores alii confirmant, deque Regina, ac Catholicis omnibus tollendis è medio, in ea Satanæ ſinagoga [ad quam, non tunc accerſitus, ſed ex induſtria antea in Scotiam veniens, interfuit nothus) tractatum fuiſſe, aſſerunt. Comes nihilominùs, de Regina dumtaxàt, in exilium pellenda, actum fuiſſe dicit; quod tamèn fieri commodè non poſſe, Conjuratos demonſtraſſe narrat, niſi Darlæi nomine, nova indicerentur Comitia, in quibus Reginæ authoritas adimeretur, atque ei certus, pro exilio, locus aſſignaretur. Quod factum reverà aſſerit, Regio Darlæi nomine, excluſa Regina; voce Præconis, & Tibicinis, novis Comitiis indictis. In his (inquit) reſcinduntur vetera Inſtituta, ad Religionem ſpectantia; antiquantur, & evertuntur Catholicæ Religionis ſtudioſi, & omnes Regii familiares, propoſito capitis ſup-

 pli-

plicio, toto Regno excedere jubentur. Ob quæ, tàm nova, tàm atrocia, tàm immania facinora, & inſtituta, ſtudentes Regiis partibus Senatores paulatim abierunt, Curiam vacuam reliquerunt: affirmantes; quòd Regina fœmina videretur digna, non quæ abdicaretur à Regia adminiſtratione, ſed quæ, ſi non ádeſſet, ad rerum publicarum gubernacula aſciſceretur; quæque, pro ſingulari virtute, immortalitati conſecraretur. Ex quibus tantas (ſcribit) coortas eſſe, pluribus in locis, diſceptationes, rixas, atque in ea Inſula contentiones; ut omnia controverſiarum plena eſſent, atque inſignium calamitatum ſemina, quæ, non minùs in Principes, quàm in privatos homines etiam redundatura certò cenſerentur. Iſta Comes: verumtamèn, cum novorum Comitiorum, à Darlæo indictorum, mentio, apud cœteros Auctores, minimè reperiatur; hinc propoſita in Religionem, & Reginam capita, in primis potiùs, quæ diximus, Comitiis, vel inter conjuratos tantùm, videntur fuiſſe ſancita.

XIV. Verùm, inter cœteros, qui Reginæ parricidio adverſati ſunt, præcipuus extitit: quis credet? quem memoravimus Nothus, Jacobus, Comes Moraviæ; non quòd Mariam diligeret, cui proditor inſidiabatur, ſed ſub pietatis ſpecie, quia, nondùm, nimirùm, rebus ſuis conducere videbat, ut integra [inquit Conæus] Hamiltoniorum, ad quos ſucceſſio proximè ſpectabat, familia, nec fractis aliorum procerum, qui a Maria ſtabant, viribus, ipſa è medio tolleretur. Quapropter Reginam eamdem clàm adiit, & ſuperioris cædis, ac proditionis ſe ignarum ſimulans, ad amicitiam, cum Darlæo marito redintegrandam, hortatur, à qua, cùm non abhorreret Regina, eum vocari juſſit, non minori facilitate reliquis, ſi deprecarentur, veniam datura. Ipſum igitur ingreſſum, manuque in ſecretiorem locum deductum, primò, gravi admodùm ſermone increpavit, deindè ſic allocutam fuiſſe, idem ſcribit Cunæus. (*Omnes, qui te ad Regnum hoc invadendum, & muliebre jugum excutiendum incitant, mihi, nè ulla ratione id dimittam, graviſſimis, & efficaciſſimis ſuadent argumentis: nullá in alterutrum charitate, aut obſervantia, ſed utrumque, mutuis vulneribus, perdendi ſtudio inducti; me enim in tui gratiam, te in mei ſublato, Scotia rebellibus, aut hoſtibus in prædam cedet, habebuntque ſcelerati, parricidio duplici, duplex pietatis velum. Sed finge, te Regem eſſe, omnemque, quam ego in te transferre poſſam, exercere authoritatem; nullus, familiares ſi dempſeris, edictis tuis, aut mandatis obtemperabit, nec illi, qui te Regem cupere ſe dicunt, pro Rege agnoſcent. Jam verò, quamdiù apud me, legitimam hæredem, Regni poteſtas manet, tu omnibus ejus commodis frueris, nec ego quidquam de jure meo amitto, ad quod defendendum, optimus quiſque civium, & exteri Principes parati erunt. Verùm, ſi hæc minùs movent, animo revolve maxima à me in Patrem tuum, quem, ab exilio revocatum, priſtinis honoribus decoravi, majora in te, ad Regni, thalamique ſocietatem aſſumptum, collata beneficia. Nullus erat in Scotia, ante reditum meum, cui ſalus veſtra curę eſſet; jam cuncti de Regno vobis parando ſolliciti, quò faciliùs in exilium, ut injuſtos invaſores, remittant. Deſine, quæſo, in poſterùm talia moliri, quæ tibi certum exitium, mihi dubium in ſubditos imperium allatura ſunt, & potiùs egregios iſtos amicos hortare, ad commune nobis auxilium, contra Dei, & Eccleſiæ hoſtes ferendum; quòd ſi in Numinis obſequio videris conſtantes, tu quoque aliquid ab ipſis in pari neceſſitate ſpera: ſin minùs, quomodò, precor, in hominem pauca ſibi conferre valentem, pauciora volentem, grati erunt, qui in omnium largitorem, Deum, tàm manifeſta ingrati animi indicia produnt? cujus, niſi me honor, apud Scotos, inſtaurandus detineret obſtrictam, omnibus hiſce anguſtiis exutam, in tranquillo memet, ſecuroque brevi locarem*:] Hæc Maria Darlæo, qui laudata (ſubjungit idem Cunęus) conjugis pietate, ſapientiaque, ſerò licèt, ob patratum homicidium, Regnumque affectatum, pœnitentiæ indices effudit lachrymas; & Reginæ ſimul totum conjurationis ordinem, Authoreſque retexens, ſuam jurejurando operam, ad omnia, quæ ipſa vellet, ſpontè obtulit. Animo deindè, vultuque compoſito, ad Proceres divertens, ab iiſdem impetraſſe, ut Maria ſuæ committeretur cuſtodiæ idem Scriptor, aliique referunt; ſed id obtinuiſſe dicendum eſt, vel ſimulata ſpecie obſequendi Uxori, quæ tunc quadam infirmitate detinebatur, vel quòd conjurati Darlæum urgentes,

ut

ut ipſius ſubſcriptione conditiones con- A firmarentur, quibus, inter alia, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ubique interdiceretur, ut aliquis ſcripſit; ipſe reſponderit, ſe id curaturum, dummodò ſibi, ac Reginæ, forma quædam libertatis concederetur, nè infirmari poſſet, quod, annuens ipſorum votis, ipſe feciſſet, utpotè per metum illorum, quorum eſſet in poteſtate, vi extortum. Quod quidem Conjurati, quò Re- B gem faciliùs in ſuam ſententiam adducerent, minimè ei denegandum cenſuere.

XV. Darlæo igitur Uxoris cuſtodia tradita, cum ea ſimul facilè fugam parare potuit, atque per cœcas noctis tenebras, citatis equis, prima luce ad Arcem munitiſſimam, Dimbarcum pervenit. Perridiculum autem, ac ineptum eſſe cognoſcitur, quod Thuanus ſcripſit; nempè, ad capeſſendam ſecum fugam, Mariam, Regem coëgiſſe, mortis inje- C cto metu, ni paruiſſet. Nàm, qua ratione, quo tempore, quibus viribus, quo in loco, vim hanc inferre ei potuerit, minimè excogitari poteſt; cùm inermis non modò fœmina, ſed arctæ propemodùm cuſtodiæ mancipata, in loco, ab hoſtibus circumobſeſſo, noctis tempore, quo facilè, vel minimus nutus, ſilentii communis damno audiri poterat, præcipuè à vigiliarum Cuſtodibus, vim viro adhibuiſſe, quis omninò fabuloſum non credet? Nec eſt, quo idem ritè car- D pere inſuper poſſit, quod in Rizii percuſſores, & conjuratorum plurimos deindè Regina ſeverè animadverterit: id ſiquidem illa debuit legibus, debuit Deo, debuit hominibus, ſibique ipſimet tandem debuit, quæ tùm innocentiæ, tùm Regiæ Majeſtatis dignitati hac ratione conſulere, Divino, humanoque jure compulſa fuit. Cœtera, quæ idem Scriptor addit, utpotè fabuloſa, nec à probatis, fideque dignis Authoribus comprobata, indigna prorsùs ſunt, qui- E bus reſpondeatur. Quid verò, poſt felicem fugæ exitum acciderit, habes ex Conæo his verbis.

[*Regina, miſſis ad diverſas Regni partes literis, quos faventiores noſcebat, de fuga ſua monitos, ut in armis preſtò eſſent, antequàm adverſariis, militem conſcribendi, aut ſubſidium ex Anglia vocandi, tempus concederetur, deprecans, intra paucos dies aliquot hominum millia ſub ſignis habuit. Inopinata hæc Reginæ cum Marito concordia, diligentiaque, territi rebelles, in Angliam, ſecurum valdè, regnante ſpuriâ, impietati perfugium, mira celeritate evadunt. Atque hic omnium miſeriarum finis extitiſſet in Scotia, niſi Maria inaudita priùs in Apoſtatam, rebellemque clementiâ, Nothum ab exilio, quo ipſe ſe dignum judicaverat, revocatum* (cum cœteris perduellibus, ex his cognoſcitur, Nothum ipſum, audita Reginæ fuga, in Angliam ſe recepiſſe.) *in priſtinam gratiam ſuſcepiſſet, ſicque iterùm facies rerum mutata. Nàm Regina, dùm ſe, beneficio ſingulari, ad perpetuam fidem Nothum pertraxiſſe autumat; incautiùs ab eo, qui hoſtis aliquandò fuiſſet, quàm par erat, conſilia admittens, exemplo docuit, cui illata eſt injuria, eum citò oblviviſci, qui infert, nunquàm. Indignatus Darlæus, Nothum, ſocioſque tanta apud Reginam authoritate pollere, ut cuncta eorum adminiſtrarentur arbitrio, quos Patriæ, Principiſque ſaluti ſciebat eſſe infenſiſſimos, rationes primùm, de eo interficiendo, excogitat, mox eas Reginæ aperit; oſtendens, quale monſtrum, univerſæ Reipublicæ exitio natum, ipſa alat. Hæc crudelitatem averſata, Maritum ab incæpto deterret, magno utriuſque diſpendio; Nothus enim, eorum, quæ à Darlæo agitabantur, certior per exploratorem factus, juvenem, ſceleribus ſuis contrarium, eoque ſibi nomine iniquum, perdere ſtatuit, nè perderetur. Verùm, cùm hactenùs, virum probum ſimulando, multis virtutum fama præconibus miniſtris impoſuiſſet, veritus hac vulgi opinione, ſi tàm inſignis homicidii ſolus author haberetur, excidere, Bothuellium Comitem, hominem ad peſſima natum, crudelem, vanum, gloriæque, quovis etiam facinore appetentem, in ejuſdem ſecum criminis ſocietatem adduxit: facta ipſi ſpe, Reginæ nuptiis, Marito ſublato, potiundi; &, quod fidem ſuperat, eas publicis tabulis, inſcia Maria, obſignavit; quam, ut in patratæ cædis ſuſpicionem aliequandò inducere poſſet, Bothuellio propitiam, & Darlæo iniquam efficere totis viribus eſt conatus, illum, ab egregiis virtutibus, modeſtia, temperantia, ac fortitudine commendans: hunc verò affectati Regni, adulterii, aliorumque flagitiorum inſimulans. Sed Regina, cùm probè noſſet, quo animo in Darleum Nothus eſſet, nunquàm induci potuit, ut*

quid-

quidquam de eo gravius ſuſpicaretur.) Hucuſque Conæus. Nihilominùs, quamvis vaferrimas Nothi artes, nihil apud Mariam profeciſſe, ut ſe à Marito abalienaret, cenſendum ſit; ex eo tamèn, quòd ſingularem, agente Notho præfato, apud ipſam benevolentiam obtinuerit Bothuelius, incommoda plurima ei contigiſſe; quæ ſequenti anno dicenda erunt, manifeſtè monſtrabunt; eò enim propoſita tendunt mendacia Thuani, ſub hoc anno ſcripta, cùm, amoto Rege, unum omnia in Scotia potuiſſe Bothuellium vafrè affirmat, ut caſtiſſimam nempè Reginam, & cædis Mariti, & nefandiſſimorum ſcelerum authorem faciat; ſubdolè, videlicet, peſſimis Nothi dolis prætermiſſis, quibus, & ipſam ſimul, ac Darlæum perdere ſtuduit; quos tamèn hæreticus Camdenus his verbis detegit: [*Cùm ex juvenili ardore, (Darlæus) nec cogitationes celare poſſet, nec, quæ fuit in Reginam conjugem obſervantia, excqui auderet; illam edocet, in Reipublicæ uſum, Regiæque familiæ ſecuritatem futurum, ſi Moravius è medio tolleretur. Illa rem deteſtata, ab ejuſmodi conſiliis etiam minando deterruit: ſpe injecta, gratiam inter ipſos componendi. Ille tamèn, cùm potentiam Nothi, apud Reginam, ægris oculis intueretur, præ impatientia idem conſilium cum aliis agitat. Quod, ubi Moravio innotuit, ut præverteret, ſimulatione officii, occultiores inſidias juveni opponit, Mortonio conſultore, licèt abſente, uſus. His viſum, ante omnia, Reginæ animum à Rege, amore nondùm redintegrato, prorsùs avertere, & Bothuellium, nupèr Moravio reconciliatum, atque apud Reginam gratia pollentem, in ſocietatem pellicere: propoſita ſpe divortii ab uxore, & nuptiarum cum Regina, ſimul ac eſſet vidua; & ad hæc præſtanda, eumque contra omnes defendendum, obſignatis tabulis, ſe obligarunt; perſuaſi, ſi res ſuccederet, ſe poſſe una opera Regem tollere, Reginæ exiſtimationem apud Proceres, & plebem labefactare, Bothuellium peſſundare, & ad ſe ſummam rerum attrahere.)* Sic Camdenus, de impiis Nothi molitionibus.

XVI. Verùm, ſicut has, optimi Hiſtorici partes agens, aperuit, ità eas Eliſabethæ, ex cujus nutu, & conſilio cuncta hæc agebantur, ſilentio præterire non debuiſſet. Decima quinta die Junii hujus anni, peperit Maria Darlæjo filium, Dumbaro Edimburgum reverſa; quem etiam deinde Catholico ritu ſacris undis, ab Archiepiſcopo Glaſquenſi ablui voluit; facta ei hujus rei poteſtate in Comitiis, quæ pariter Edimburgi coëgit. Natalis hujus Principis, legitimi, tùm Angliæ, tùm Scotiæ hæredis, nuncio, Eliſabetha multò graviùs, quàm ante, Mariæ matrimonio perculſa, ſtatuit omninò ſecurim ad arboris radicem ponere. Et quia Rizii cæde, infantem, adhuc in utero poſitum, ac unà matrem, manifeſta barbarie, perdere non potuerat; occulta fraude amicitias ſimulat, ut ſic conceptum ſcelus tandem perficiat, ultròque ſe offert, ut Andræas Philopatrus narrat, ad hoc in Scotiam miſſo Bedfordiæ Comite, ut Infantem de fonte ſuſcipiat: [*Ceremonia verò peracta, (inquit Camdenus) Bedfordiæ Comes, quæ in mandatis habuit, cum Scotorum Regina agit, ſcilicèt, ut domeſticæ inter eam, & Maritum lites componerentur, (jucundiſſimam enim inter ipſos vitæ, & amoris ſocietatem, malevoli quidam, jurati utrique hoſtes ſubdolè dirèmerant) & tractatus Edimburgenſis.)* Sic ille; & quidem ſpecie, de his, Eliſabethæ nomine, cum Maria actum à Bedfordio, ut ipſam falleret, pro certo habemus; verùm clàm perfidiſſimam, quam tunc in Reginam, ac Regem Nothus conmoliebatur conjurationem, non modò foviſſe, ſed etiam ad exitum perduxiſſe, quæ ſubſecuta ſunt, facilè declararunt; tunc enim tantùm Legationis ſuæ munus complevit Bedfordius, cùm, cunctis ad facinus patrandum diſpoſitis, conjurationis tandem incendium erupit; quo nimirùm tempore, vix Angliam ingreſſus, è Scotia, ut facinus ſimularet, diſceſſerat, ut præfatus Philopatrus narrat. Cui, ſi addas, quæ ex Camdeno habes, nempè Hurtonium Ruvenum, & alios, ob Davidis cædem in Angliam profugos, tamquàm ad tutiſſimum perfugium, à Moravio ad Bedfordium, cum commendatitiis literis directos fuiſſe; ex his certò educes, & in Scotia à perduellibus Bedfordium ſtetiſſe, & ad hoc in Scotiam ab Eliſabetha miſſum, ut ſacrilegos eorumdem, ac Moravii præcipuè auſus foveret. Neque enim, ut falsò idem Camdenus aſſeruit, [Eliſabetham eamdem rogavit Maria, ut è Sacro Fonte filium ſuſciperet; ſed potiùs, ut nuper ex Philopa-

Digitized by Google

lopatro diximus, & ex Mariæ literis, inferiùs apponendis, conſtabit, ultrò Eliſabetha ad id munus ſe obtulit, ut hac, videlicèt, pietatis ſpecie, callidiſſima fœmina præfatum Bedfordium in Scotiam mitteret, & per eum conjuratorum (inquam) deteſtandum crimen perficeret.

XVII. Tot calamitatibus, ſæviſque flagitioſorum hominum inſidiis impetita Maria, non modò Fidei Catholicæ, quam conſtantiſsimè profitebatur, obliviſci non potuit: quin nil magis cordi habuit, quàm, ut Apoſtolicæ Sedis, ac Rom. Eccleſ. palàm ſe devinctiſſimam demonſtraret. Quapropter, ubi de Pii ad Summum Pontificatum evectione certior eſt facta, nè quid à ſe deſiderari pateretur officii, quod cœteri Catholici Principes Pio prçſtitiſſent, ſtatim ad eum, Legatum direxit, Gulielmum, Epiſcopum Dumblacenſem, qui illi Pontificiam dignitatem gratularetur, & filialem, ſuo nomine, obedientiam exhiberet, fidei literis etiam traditis, quibus, de rerum etiam ſuarum ſtatu, eumdem Pium monitum voluit. Illas, ex proprio originali acceptas, hic inſerendas curavimus.

[Sanctiſsimo Domino
Noſtro

PIO PAPÆ V.

Ex Archiv. Card. Alexand. MSS. Codd. num. 66.

FElicis, æternæque memoriæ Pius IV. Pontif. Max., qui proximè Sanctitatem tuam, in gubernatione Sedis Apoſtolicæ præceſſit, pro ferventi zelo, quo bonus, ac vigilans Paſtor, tùm erga Univerſum Gregem ſibi commiſſum fuerat, accenſus, tùm præcipuè erga eas oves, quæ in Regno noſtro Scotiæ diſperſas, ac lupis prædam factas, dolebat, ut illas tandem ad unum Ovile, Paſtoremque reduceret, literas, Nunciosque ſuos, non ſemel, ad Nos mittere dignatus eſt. Et quamvis eum, uti confidimus, in nobis ſemper animum, propenſionemque cognoverit, quem, & ſperaret ipſe, cujuſque Nos pœnitere non deberet, nihilo tamèn ſeciùs res hujus noſtri Regni, omnemque hactenùs, quod nemo neſcit, perturbationem paſſa, tùm hoſtes Religionis noſtræ, qui (proh dolor!) plurimi ſunt, ac ſuæ potentiæ confiſi, atque ea de cauſa Nobis formidabiles, conatus noſtros hactenùs remorati ſunt, cur minùs pientiſſimis illius, ſanctiſſimiſque poſtulatis factum fuerit ſatis. Illo autem ad cœleſtem Patriam translato, poſtquàm Divina Providentia Sanctitatem tuam, & gubernaculi Sedis Apoſtolicæ, & zeli animarum ſucceſſorem elegerit, in tantis acerbitatibus, certam Nobis ſpem relictam eſſe cernimus, brevi futurum, ut, quod ille feliciter cæperit, feliciùs etiam tua Sanctitas ad optatum finem perducat. Cujus rei gratia, Dilectum Nobis fidelem, ac de Religione Chriſtiana optimè meritum, Reverendum in Chriſto Patrem, Gulielmum, Epiſcopum Dumblacenſem, Legatum, Oratorem, ac Procuratorem noſtrum, cum mandatis, ad Sanctitatem tuam mittendum curavimus, tùm, ut illius electioni, atque ad Summum Pontificatus culmen promotioni, noſtro nomine congratularetur; tùm etiam, ut, poſt humillima oſcula ſanctorum pedum, debitum noſtrum obſequium, ac cum prompta voluntate obedientiam ei præſentaret; obnixèque rogaret, ut in tuis ſanctis ſacrificiis, orationibus, conſiliis, auxiliis ſpirituulibus ſimul, & temporalibus, miſerum quidem adhùc, & infelicem Regni noſtri ſtatum juvet. Nondùm enim eò adhùc res devenerunt, quin ab hiſce tuæ Sanctitatis fortibus conſiliis, & auxiliis optima quæque ſperare, & poſſimus, & debeamus. Eam enim ſpem piæ mem. Pius IV. Sanctitatis tuæ Prædeceſſor Nobis præbuit, quam à tua Sanctitate augendam, & implendam fore, certò Nobis perſuadeamus, cùm jam hoſtes noſtri, partim exulent, partim in noſtris manibus poſiti ſint. Sed furor, & extrema neceſſitas eos extrema tentare cogit: ac, ſi Deus, & T. S. nobis aderit, [quorum cauſam agimus] murum hunc fortè tranſgrediemur. Cætera docebit meritò nobis dilectus, & fidelis Orator noſter, quem ſi T. S. clementer admiſerit, illiuſque verbis fidem adhibuerit, non ſecùs, ac ſi Nos loquentes coràm audiret, ac ejus, imò veriùs, noſtris votis benignè annuerit, erit, cur devinctiores poſthàc Nos Sedi Apoſtolicæ profiteamur, cui tamen ſemper hactenùs fuimus devinctiſſima. Deus Optim. Max. Sanctitatem tuam Nobis, atque adeò univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, quàm diutiſsimè ſervet incolum[…]m]. Datum Edimburgi, ex Palatio noſtro Sanctæ Crucis, ultimo die Januarii. Anno ab Incar-

Incarnato Chriſto Salvatore, & ſpe noſtra 1566. A

Ejuſdem Veſtræ Sanctitatis.

Devotiſsima Filia

Maria R.]

XVIII. De hoc, à Regina Scotiæ, ad Pium miſſo Oratore, deque illius in Urbem adventu, iſta leguntur apud Caracciam in Epiſtola, menſe Majo anni hujus B ſcripta. (*Hiſce diebus ad Urbem venit è Scotia quidam Epiſcopus, gratulandi cauſa de Pontificatu, & præſtandæ obedientiæ, Reginæ, ac Regis nomine. Dùm is in itinere eſſet, hæretici circumventam dolis Reginam, ſex jam menſes prægnantem, in eum locum adduxerant, ut, maximo Dei beneficio, vitæ periculum vix evaſerit, quæ, ſi de medio ſublata eſſet, actum erat in eo Regno, de Religione Catholica. Cum legeret Pontifex literas, quibus res geſta continebatur, & C alia, corám, à Reginæ Procuratoribus audiret, de ipſius inopia, & diſcrimine, & quanto ſtudio egerit, contra hæreticos rebelles, opibus Reginæ Angliæ fretos; ajunt, ſuſpiraſſe Pontificem, nec lachrimas cohibuiſſe, & conſolari cupienti, neſcio cui, dixiſſe: (Qui poſſum non dolere, cùm Regnum illud, in eo ſtatu poſitum, nulla ratione videam poſſe à mè ſublevari?] Verum velle ſe dixit habere Conventum Cardinalium, ut aliqua ratio iniri poſſit conficiendæ pecuniæ, & opis fe- D rendæ Regi, & Reginæ.*) Sic ibi.

Apud Caracc. Ep. 4. menſe Majo 1566.

Ex M. S. Card. Spada tom. 116. In Epiſtola autem aliàs memorati Jo: Andreæ Calligarii, ſub die XV. Maji, ad Cardinalem Commendonum, Româ ſcripta, inter cœtera iſta habentur. *Cum hodiè Pontifex Max. in Conſiſtorio de auxiliis Reginæ Scotiæ ſuppeditandis ageret; illam, ut virilis animi fœminam commendavit: addiditque, illius fide, ac animi celſitudine, plurium Germaniæ Principum ſegnitiem exprobratam iri; E quod ipſi audacter, & palàm, Catholicam Religionem confiteri non audeant.*)

XIX. Sed preter ea, de quibus cum Cardinalibus egit, ut conflandæ pecuniæ, ad ſubveniendum Reginæ Scotiæ rationem iniret, ut in præfata Epiſtola apud Ca-

Ibid. ut ſup. racciam legitur: (*Domeſticæ Familiæ numerum valdè imminuit, quò minùs privatim in ſuos uſus impendens, eò plus habeat, quod in rem Eccleſiæ poſſet inſumere.*) Et in altera, menſe Junio ſcripta, dicitur.

(*Scripſi jam aliis literis, ad præſtandam Pontifici obedientiam, Regis, ac Reginæ Scotiæ nomine, Romam veniſſe Dumblacenſem Epiſcopum, & quàm vehementèr doleret Pontifex, facultatem ei ſubveniendi minimè ſibi ſuppetere. Sed interim, dùm Epiſcopus hic Romæ moratur, Deo placitum eſt, conſcriptos ad Melitenſe præſidium Milites, deſignatamque pecuniam, ſublato Turcicæ Claſſis metu, non eſſe neceſſariam; quo faciliùs iniri potuit ratio, ejus Regni miſerias ſublevandi; itaque decrevit, ei Nuncium mittere, Montis Regii in Subalpinis Epiſcopum, qui, & ſpiritualibus, & ſæcularibus ſubſidiis, Chriſtianæ Reginæ opituletur, quando ad Catholicam Religionem tuendam, nihil ea, niſi pares voluntati vires deſiderat. Scotum prætered nobilem, atque ipſum paulò poſt, Epiſcopum Dumblanenſem, antè diſceſſum Nuncii, ad Reginam præmiſit. Ad quem Epiſcopum, cum adeſſet Pontificis refectioni, (quemadmodum ſanè frugalis ſolet eſſe,) amota menſa, Pontifex acceſſit: [En vides (inquit) quantum in meam menſam inſumitur. Verùm ſcito, quò plus ad opem Reginæ ferendam ſuperſit, me poſthàc etiam frugaliorem futurum. Deindè vocatum ſtatim Oeconomum coram Epiſcopo, miſſam facere juſſit magnam partem familiæ: & hoc ipſum, addit: (Quò faciliùs veſtræ Reginæ poſſim ſuccurrere, ut ſciat, me, rem, ſalutemque ſuam propriis meis, ac familiæ meæ neceſſitatibus anteferre. Itaque pro certo habeat, ipſius cauſa, me plus etiam, quàm poſſim, eſſe facturum.*) Hactenùs Epiſtola.

Epiſt. 5. apud Carac. Menſe Iunio 1566.

Nec modò pro viribus Pontifex ſuppetias Mariæ ferre connixus eſt, ſed etiam, Cardinali à Lotharingia ejuſdem Avunculo monente, ab aliis Catholicis Principibus, præcipuèque à Catholico Hiſpaniarum Rege, opem ei, auxiliaque comparare ſtuduit; ſcriptis ad eum, & Galliarum Regem, ſequentibus Epiſtolis. XX.

[Cha-

[Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro

Philippo, Hiſpaniarum Regi Catholico.

PIUS PAPA V.

Chariſsime &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

INcredibili fuimus dolore perculſi, & cohorruimus, poſtquàm ad Nos allatum fuit, de nefariis inſidiis, quæ ab hæreticis, exulibus Regni Scotiæ comparatæ fuerunt nuper chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Mariæ, Scotiæ Reginæ Illuſtri. Concuſſit penitùs viſcera noſtra tantum periculum, in quo illius optimæ, piiſſimæque Reginæ ſalus, & concepta ſimul in ejus utero proles verſata fuit: ex quo eam periculo Dei Omnipotentis manus manifeſtè eripuit, ac liberavit. Quantum id, & quàm nefarium ſcelus fuerit, cùm Nobiſcum reputamus, adeò Nobis atrox videtur, ut judicemus id commovere debere omnium Chriſtianorum Principum animos, & communi eorum ultione vindicandum eſſe, perindè ac ſi cujuſque eorum vita illis, rebellium ſuorum, & hæreticorum inſidiis, & ferro appetita fuiſſet: ſed quemadmodùm Tragædia illa acta, ac penè peracta fuerit, Majeſtatem tuam non dubitamus ex aliorum literis cognoviſſe. Quia verò tàm deteſtandi facinoris author, & hortatrix fuiſſe creditur illa, quæ ſe pro Angliæ Regina gerit, quæ Scotis illis hæreticis, ac Reginæ hoſtibus, velut aſylum apud ſe patefecit, & quibuſcumque fieri poſſit modis, illam optimam Reginam de medio ſublatam cupit; Majeſtatem tuam, chariſſime Fili, cujus authoritatem plurimùm valituram ſcimus apud ipſam, vocatam Angliæ Reginam, hortandam in Domino duximus, & rogandam, ut per Oratorem tuum, & per literas, ſuper hac re accuratiſſimè ſcriptas, acritèr eam moneas, atque deterreas, nè quid directè, indirectève, adversùs Scotiæ Reginam moliatur, teſtificeriſque, ea, quæ contra illam tentata fuerunt, tibi diſplicuiſſe, nec te Reginæ Scotiæ deeſſe poſſe, ſi quis ejus rebellibus ulla, palàm, occultève ſubminiſtraverit auxilia, ullumque conſilium, aut favorem impenderit. Facies verò rem, & Chriſtianæ charitati convenientem, & tanti Regis pietate, atque humanitate digniſſimam, Deoque, & Nobis gratiſſimam, ſi Reginam ipſam Scotiæ, per literas quoque tuas confirmaveris, eique auxilium tuum non defuturum eſſe ſpoponderis. Si eæ opes eſſent noſtræ, ut id ipſi præſtare poſſemus, exemplum aliis Principibus primi præberemus, quanto ſtudio ſit ſubveniendum Reginæ, tanta pietate præditæ, adversùs rebelles ſuos hæreticos: ſed, præterquamquòd longiſſimè ab illis partibus abſumus, ut non commodè illi opitulari poſſimus; cogimur auxilia mittere, hinc Melitenſium Militum Ordini, indè Sereniſſimo Cæſari, tuo Patrueli, in tanto bello, quod à Chriſtiani nominis hoſte potentiſſimo jam imminet, atque inſtat; & maximos præterea ſumptus facere ad oppida maritima ditionis noſtræ, & S. R. E. ab hoſtili Claſſe tuenda; totque, & tàm varias impenſas facere cogimur, cùm tamen magno ære alieno oppreſſam Sedem Apoſtolicam invenerimus. Itaque ad te confugimus, chariſſime Fili, Reginam Scotiæ, & res ejus tanto tibi ſtudio commendantes, ut ſtudioſiùs eas commendare minimè poſſimus. Quæcumque tali ejus tempore in eam officia contuleris, iis, non minùs Nos, quàm ipſam tibi obſtrinxeris. Incredibili nos lætitia affeceris, ſi has literas ei tanto, quanto ſperamus, uſui fuiſſe intellexerimus. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die 2. Maji MDLXVI. Pontific. noſtri anno primo)

Ad Galliarum Regem.

(Chariſsimo in Chriſto Filio noſtro, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſsimo.

PIUS PAPA V.

Chariſsime &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

NOn facilè verbis conſequi poſſumus, quanto animum noſtrum dolore perculerit, quantaque miſericordia commoverit miſerabilis caſus chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Scotiæ Reginæ Illuſtris, & periculum, in quo tàm pia, Catholicaque Regina, unà cum concepta, ſicut accepimus, prole verſata eſt. Ex quo eam periculo, etſi Omnipotens Deus eripuit, tamen non poſſumus non ſumma ſollicitudine affici; ſatis ſcientes, non ceſſaturam illam, quæ ſe pro Angliæ Regina gerit, quam plurimi ſuſpicantur

tàm nefarii ſceleris hortatricem, & au-
ctorem fuiſse: & quoniam hæc non ſuc-
ceſserit, quibuſcumque potuerit artibus
quietem, & pacem illius Regni eſse tur-
baturam. Si eas ipſi haberemus faculta-
tes, ut ipſi Reginæ Scotiæ auxilia ſubmi-
niſtrare poſsemus, exemplum aliis Prin-
cipibus præberemus; ſed in maximis Fi-
ſci noſtri anguſtiis, præter magnum æs
alienum, quo gravati ſumus, & quod in
dies multiplicatur, præterque ſumptus
neceſsariò faciendos, ad tuenda præſi-
B diis, adversùs Turcarum tyrannum, &
Claſsem, Oppida noſtra maritima; coacti
fuimus, mittere auxilia uno tempore, &
Sereniſsimo Cæſari, & Ordini Militum
Sancti Joannis Hieroſolymitani, tàm,
& tanta horribili belli tempeſtate, ter-
ra, marique ab hoſte potentiſsimo Chri-
ſtiani nominis, indè Auſtriæ, hinc Meli-
tæ Inſulæ, & Italiæ imminente. Te igi-
tur, chariſsime Fili, qui commodè potes,
oportet cogitantem, quò furor, & auda-
cia hæreticorum progreſsa ſit, illius opti-
C mæ Reginæ, quæ Fratri tuo clar. mem.
Regi nupta fuit, tàm atroces injurias,
perindè, ac tuas ipſas vindicare, & Re-
gnum Scotiæ, quod Regno Franciæ per-
petuo quodam, & firmiſſimo fœdere jun-
ctum eſt, opibus, & auxiliis tuis à com-
munibus hoſtibus tueri, atque defende-
re. Illud eſt, non ſolùm Chriſtianiſſimi
Regis officium, ſed cujuſcumque alterius
Regis, caſus aliorum Regum à ſe non
alienos putare, & periclitantibus, pro-
ptèr ſubditorum audaciam, aliis Prin-
D cipibus, auxilia ferre, ſicuti ſimili ſuo
ſibi ſubveniri ab aliis ipſe cuperet. Ni-
hil eſt, quod te, & majoribus tuis di-
gnius, nihil, quod Deo gratius facere poſ-
ſis. Id quidem te, tua ſponte facturum
eſſe confidebamus, ſed tamen paternam
exhortationem noſtram accedere volui-
mus, ut, & acriùs ad propulſandum il-
lius chariſſimæ Filiæ noſtræ, & Regni,
Religioniſque Catholicæ periculum in-
cumbas. Quod, ut facias, te ità, & hor-
tamur, & rogamus, ut majore à te ſtu-
E dio quicquam petere non poſſimus. Da-
tum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub
annulo Piſcatoris, die 4. Maji MDLXVI
Pontific. noſtr. ann. primo)

XXI. Scripſit præterea Pius ad Cathari-
nam, Caroli Galliarum Regis Matrem,
cujus propè nutu cuncta, tunc in Gal-
lia geri ſciebat, ut ex Vaticano Re-
geſto dilucidè apparet. Poſt diſceſ-
ſum verò Româ Dumblacenſis Epi-

A ſcopi, certiorem eum cùm reddidiſ-
ſet Scotiæ Regina de iis, quæ ſibi nu-
pèr acciderant; hujuſmodi tulit ab eo-
dem Pio reſponſum.

(Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ,
Mariæ, Reginæ Scotiæ
Illuſtri.

PIUS PAPA V.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra,
B ſalutem &c.

COgnitis iis, quæ tibi acciderunt, poſt Ex Archiv. Vatic.
diſceſſum Venerab. Fratris Epiſcopi Ibid. ut ſup.
Dumblacenſis, Oratoris tui ad Nos
miſſi, doluimus ſimul, & lætati ſumus.
Horruimus, & ſummo dolore affecti ſu-
mus, ut audivimus de ſummo periculo, in
quo verſata fuiſti, propter nefarias hæ-
reticorum, tuorum, Deique rebellium,
inſidias; lætitiam verò multò majorem
attulit, tua in tanto diſcrimine perſpe-
C cta virtus, & animi magnitudo, admira-
biliſque in pio tuo tuendæ Religionis Ca-
tholicæ propoſito, nullius periculi metu
concuſſa conſtantia. Cujus nimirùm cau-
ſa, te, Dei omnipotentis gratia, ex mani-
bus impiorum eripuit. Gratulamur igi-
tur pietati tuæ, quæ tali conſtantia non
modò ingentem, & perpetuam laudem
tibi ab hominibus peperiſti, ſed alteram
multò ſplendidiorem coronam, quam
eam, quam in temporali Regno geſtas, à
Domino conſecuta es; eam ſcilicet, quam
D Confeſſoribus ſuis Chriſtus in Cœlo pro-
poſuit, & paravit. Quia verò non ceſſa-
turam putavimus, tali tempore, illam,
cujus opera, tàm nefarias inſidias, vitæ,
& Regno tuo comparatas fuiſſe plurimi
ſuſpicantur; ſtatim ſcripſimus, ſicùt di-
lect. Filius noſter Carolus Cardinalis à
Lotharingia, avunculus tuus, à Nobis pe-
tierat, ad chariſſimum in Chriſto Filium
noſtrum, Regem Catholicum, enixè ro-
gantes, ut illam in tàm nefandis cœptis,
authoritate ſua, deterreat. Hortati
E etiam ſumus Regem, & Reginam Chri-
ſtianiſſimos, ut opem tibi ferrent, ut
quod facturos eſſe ſua ſpontè confideba-
mus, noſtra etiam hortatione, & preci-
bus facerent ſtudioſiùs. Etſi autem ma-
ximo ære alieno preſſi, mittere coacti
fuimus auxilia Seren. Rom. Imperatori
electo, & Ordini Militum S. Jo. Hie-
roſolymitanis, propter bella, hac æſta-
te, terra quidem Auſtriæ, mari autem
Inſu-

Inſulæ Melitæ imminentia à potentiſ-
ſimo Chriſtiani nominis hoſte; magnoſ-
que prætereà ſumptus facere cogimur,
tuendis ab hoſtili claſſe noſtris, & San-
ctæ Sedis Apoſtolicæ Oppidis Maritimis:
tamen ſtatuimus, Nobis ipſis potiùs, &
Familiæ noſtræ, quàm tibi tali tempore
deeſſe. Itaque propediem tibi pecuniam
mittemus, non quidem, quantam cupe-
remus, ſed quantam poterimus. Mitte-
mus etiam Nuncium Apoſtolicum, ut Se-
renitati tuæ in tuis laboribus vice noſtra
adſit, & quæcumque poterit, tibi, tuiſ-
que officia præſtet. Te, chariſſima Filia,
hortamur, ut conforteris in Domino, &
robuſta ſis, & confidas, non modò Divi-
num præſidium tibi, ſed nè humana qui-
dem auxilia defutura. Reliqua cognoſces
ex literis ipſius Epiſcopi Dumblacenſis,
viri non minùs Nobis, quàm tibi probati.
Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub an-
nulo &c. die xij. Maji MDLXVI. Pon-
tific. noſtri anno primo]

XXII. Nec multò poſt, quem prædixi-
mus, Vincentium Laureum, quem ſibi,
poſt initum Summum Pontificatum,
Eccleſiæ Montiſregalis in Subalpinis
Epiſcopum ſuffecerat, ut ſuperioribus
literis Reginæ pollicitus fuerat, Apo-
ſtolica authoritate, ſuum in Scotiam
Nuncium decrevit; quem viginti mil-
libus aureorum, (ut narrat Gabutius), *Vit. Pii lib.3.cap.8. pag.100.*
plura ſine dubio, ſi tuliſſet occaſio,
deinceps erogaturus, ac ſalutaribus
conſiliis inſtruxit; quibus ille rebus, ad
protegendam Religionis cauſam, Ma-
riamque, & Regnum periculis eximen-
dum uteretur. Quin etiam ad illam,
manu ſua conſcriptas, ſtudii ſui, & ar-
dentis pietatis indices, à Laureo defe-
rendas, ejuſmodi literas dedit.

(Chariſsimæ in Chriſto Filiæ noſtræ,
Mariæ, Scotorum Reginæ
Illuſtri.

PIUS PAPA V.

Chariſſima in Chriſto Filia
noſtra, ſalutem &c.

Apud Bzou. & Gabut. &c.
EX quo tumultus à perduellibus tuis,
iiſdemque ſinceræ, & Catholicæ
Religionis hoſtibus excitatos intellexi-
mus, non prætermiſimus, quo minùs ex
animo, omnique paterno affectu, ſicut
par erat, ad Dominum Deum confuge-
remus, timenteſque, nè ob peccata noſtra

A *exaudiri non mereremur, plurimorum*
Religioſorum, & ſummi Dei Miniſtro-
rum interceſſione, & orationibus uſi ſu-
mus. Optaſſemus quoque vita noſtra, ac
ſanguine tibi ſuccurrere, ſicuti non omi-
ſimus cum chariſſimis Filiis noſtris Ca-
tholicis Principibus agere, ut auxilium
tibi ferrent. Placuit demùm Miſericor-
diæ, & Clementiæ Divinæ lenire ali-
quantulum gravem noſtrum dolorem,
accepto nuncio, te tàm ingenti periculo
ereptam eſſe; quamob rem egimus Deo,
B *non quas debuimus, ſed quas pro tenui-*
bus noſtris viribus, & remiſſa pietate,
potuimus, gratias. Nunc, quoniam, ob in-
graveſcentem jam noſtram ætatem, ac
tot immenſas occupationes, quibus pro
univerſa Republica Chriſtiana diſtine-
mur, in Scotiam ire non poſſumus, mit-
tendum duximus Ven. Fratrem noſtrum
Montiſregalis Epiſcopum, latorem præ-
ſentium, virum rara virtute, probitate,
doctrina, ac prudentia præditum, Nun-
cium noſtrum, qui tibi ſingulis quibuſ-
C *que occaſionibus inſerviat, quemadmo-*
dum ab ipſo, cui plena fides habenda eſt,
exponetur. Tibi interim perſuadeas, Nos,
nec poſſe, nec velle, ulla in re, commodis
tuis deeſſe. Ad extremum, eum precamur,
qui Nos, providentia ſua, non autem no-
ſtris meritis, Vicarium ſuum fecit, ut
perſeverantiam, animumque invictum
regali veſtræ perſonæ impertiatur. Da-
tum Romæ &c. die vj. Junii 1566. Pon-
tific. noſtri anno primo)

Scriptas à Pio ad Mariam has li- XXIII.
D teras, unaque miſſum Laureum, poſt-
quàm morte Darlæi hæc iterùm vidua,
in aſſiduo vitæ diſcrimine, innumeriſ-
que, quæ ſuo loco recenſendæ erunt,
ærumnis verſaretur, Gabutius cenſuit;
verùm, cùm, & Darlæi mors, & alia cæ- *Vit. Pii lib.3.cap.8. pag.99., & ſeq.*
tera, non ad præſentem, ſed ad ſequen-
tes annos pertineant, & ſub die 6. Junii
hujus anni præfatæ literæ obſignatæ le-
gantur; quæ in eis idcircò commemo-
rat Pius, accipienda eſſe de conjuratio-
ne, nuper in eam facta, ex qua mors Ri-
E zii ſubſequuta eſt, & reliquis, quæ ſu-
pra recitavimus, evidentiſſimè cogno-
ſcitur. Graviori, & duplici lapſu, ſub
hoc anno ſcribit Bzovius, & Nuncium
Laureum Scotiam ingreſſum eſſe, &
Mariam fuiſſe allocutum, ipſius cum
eo, fabuloſum planè, colloquium reci- *Bzou. Annal. Eccleſ. ſub an. Chriſti 1566 Pii V. primo ſ. 29 pag.139.*
tans. (*Coram eo* (inquiens) *Apoſtolicæ*
Sedis Nuncio, cùm Maria in primis pa-
làm faceret, quantum, ad Scotiæ Re-

gnum, in officio erga Deum, & Romanum Eccleſiam continendum, laboraverit, laboretque, deindè excuſaret lenitatem in pacis publicæ violatores, hæreſiſque miniſtros, quam, partim neceſſitate, partim ſtudio pacis, ad mitiora conſilia deſcendens, oſtendiſſet, & ad extremum iſta conſtantiæ verba proferret: (*Ad me verò quòd attinet, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ filiam eſſe, in maximis laudibus pono, à cujus unitate, nec ſceptra, nec coronæ, nec vitæ dulcedo, nec mortis terror umquàm me, vel latum unguem, Divino propitio auxilio ſeparabit. Regno ejici, ſolio deturbari, quacumque demùm miſeria vexari potero, à Catholica, Apoſtolica, & Romana veritate, ut diſcedam, præmiis induci, aut ſupplicils cogi non potero.*) Sic ille: cui non modò cuncti Scriptores adverſantur, ſed ipſemet ſibi contrarius agnoſcitur, dùm ſequenti anno, diſertis verbis narrat, Vincentium Laureum, Scotiæ ingreſſu prohibitum. Haud enim multò poſt ſcriptas, quas retulimus Pii epiſtolas, in viam, Scotiam versùs, ſe Laureus dedit, ut teſtatur Ciacconius, qui de ipſo agens ſic ſcribit: (*Sub ipſo ferventis caniculæ æſtu longum illud iter ingreſſus eſt Vincentius: Lutetiæ ab Archiepiſcopo Glaſquenſi, Reginæ Scotiæ ad Gallum Regem Oratore, literas accepit, quibus mirum in modum optare præferebat Regina, ut quumprimùm Nuncius Apoſtolicus in Scotiam trajiceret; neque enim dubitabat, quin prudentiſſimis ejus conſiliis, authoritateque nota, tùm Religionem Catholicam protegere, tùm Regni incolumitati, ſecuritatique proſpicere, & conſulere, aliquandò poſſet: efflagitabat tamen, ut tantiſper profectionem ſuam in Scotiam differret, dùm alteras ab ea literas acciperet; nàm ſe interim curaturam, ut quoad fieri poſſet, recentis ſeditionis reliquiis è medio ſublatis, tutior ipſi poſtmodùm, ac debita cum dignitate, illic pateret aditus. Ab incœpto itinere deſtitit Vincentius; Edmundum tamen Hajum, è Societate Jeſu, natione Scotum, ſolertem, perſpicacemque virum in Scotiam cum literis illicò direxit, quibus Reginam hortari, excitare, atque etiam inflammare, ut pro Religione Catholica in illo Regno reſtituenda, tuendaque, priſtinam animi magnitudinem conſervaret; undique pro comperto haberet, ſibi, & æternum Dei Numen perpetuò affuturum, & integerrimo Dei ipſius Vicario in primis curæ futurum, ut, ſingulis quibuſque temporibus, ſanctum, vereque regium ſtudium ſuum amplexaretur, ſummoque favore proſequeretur. Elapſo tertio menſe, ex quo Lutetiam Nuncius Apoſtolicus pervenerat, cùm nullus adhuc de trajectione in Scotiam, à Regina Nuncius adveniſſet, Dumblacenſem Epiſcopum, integerrimum, prudentiſſimumq; virum cohortatus, in Scotiam expedire decrevit, ut Reginæ quædam udmodùm ſalutaria, ejus nomine enunciarct. Inter hæc Scotiæ res mutatæ, Regina transfuga intra Angliæ fines &c. Deſperatis igitur rebus, ad Religionem Catholicam in Scotiam pertinentibus, cùm jam Legationis ſuæ munus ſe non poſſe exequi videret Vincentius, nihilque magis curæ ſuæ eſſe voluit, quàm, annuente Summo Pontifice, ad regendam Eccleſiam ſuam Montis Regalis udvolare:*) Hæc Ciacconius, quæ Gabutius confirmat, & alii paſſim.

Idem ſub anno 1567. ſ. 10. pagin. 181.

Ciaccon. tom. 4. pagin. 91. ſub ann. Ghiſlii 1572.

XXIV. Cauſa, ob quam adeò dilata eſt in Scotiam Laurei emigratio, ac demùm penitùs prohibita, ea fuit, quod piiſſimæ Reginæ, tùm ſpes, tùm conatus irriti evaſerint, quibus à Regni Ordinibus obtinere curaverat, ut eo, quo par erat, honore Sedis Apoſtolicæ Nuncius in Scotiam admitteretur; imò quòd hæretici, contra id, quod ipſi Mariæ polliciti fuerant in Comitiis, ingreſſui illius deindè in Scotiam palàm obſtiterint. Edimburgi ſiquidem, Reginæ, quæ Urbs primaria totius Regni eſt, (ut narrat Gabutius) omnium Ordinum Conventum habuit, (ut innuimus) ubi duo vix tantùm obtinere potuit; alterum, ut, quem diximus, filii ſui, paulò antè nati, baptiſmus publicè, Catholicorum ritu, uti factum eſt, celebraretur; alterum verò, ut Apoſtolicus Nuncius in Scotiam admitteretur: quod quidem, licèt promiſſum, hæretici tamen præſtare noluerunt.

Vit. Pii lib. 3. cap. 1. pag. 101.

XXV. Nondùm in apertum eruperat iſta hæreticorum eorumdem perfidia, cùm Maria, acceptis (ut arbitramur) ab eo, quem paulò antè memoravimus, Edmundo Hajo, (cum quo forte, ſi tamen fictum excogitatumque non ſit; Maria ipſa colloquium habuit, quod coram Laureo perperàm eam feciſſe Bzovius ſcribit) in Scotiam à Montis Regalis Epiſcopo, miſſo, tùm Pii literis, tùm pecuniæ ſubſidiis, ab ipſo Pontifice ſubminiſtratis, ut illi, pro tot; tantiſque bene-

neficiis dignas, quas poſſet, rependeret A grates, nunciaretque filii natalem, demumque de ſe, ſuarumque rerum ſtatu admoneret; Stephanum Vvilſonum, familiarem ſuum, Romam legavit, qui Pontifici, ipſius Reginæ ſequentem Epiſtolam exhibuit.

(Beatiſſime Pater.

Poſt humillima pedum oſcula.

Et in Append. Cumsi ad Vit. Mariæ Stuard.

INgens cura, vigilque ſollicitudo, quam de Religionis Catholicæ conſervatione B. V. ſuſcepit, cùm omnibus ubique locorum, ſatis nota, atque perſpecta eſt, tùm verò clariſſimè mihi, ut uni ex filiabus veſtris, & Sanctæ Matris Eccleſiæ. Nàm, non ſolùm à B. V. hiſce meis adverſiſſimis, atque turbulentiſſimis temporibus, literas conſolationis, atque ſpei pleniſſimas accepi; verùm etiam hauſi de dulciſſimo fonte liberalitatis, munificentiæque veſtræ, miſſo intimo B. V. C Nuncio, qui me conſolaretur, confirmaret, atque paternæ erga me benevolentiæ veſtræ, graviſſimum daret teſtimonium. Id quod equidem judico profecisſei à ſummo, atque incredibili ſtudio veſtro, inſtaurandæ, ubi collapſa eſt, Religionis, confirmandi omnes, conſolationis indigentes, revocandique, & reſtituendi omnia in priſtinum ſtatum, denique efficiendi, ut Deus ubique laudetur, & celebretur, Fide Catholica per univerſum Mundum florente. Enim verò Chriſtiani omnes juſtiſſimam cauſam Deo gratias agendi habent, quòd talem, tàm vigilantem, ac dextrum Paſtorem, ac velut navi, in maximis tempeſtatibus periclitanti, ſic Eccleſiæ ſuæ Gubernatorem præfecerit. Fit ergo, ut ego, inter reliquos Catholicæ Fidei filios, ac filias libentiſſimè, atque humillimè accipiam, atque ampleſtar Divinas haſce veſtras, atque ſpei optimæ pleniſſimas admonitiones, atque conſolationes, nec eis ullo modo defutura ſum, ſed omnibus viribus E connixura, ad reſtituendam, propagandamque Catholicam Religionem. Ac, quò plura, certioraque de Beat. Veſtræ voluntate cognoſcere poſſem, curavi admonendum Beat. Veſtræ Nuncium, nunc in Gallia ſubſiſtentem, ut hùc in Regnum noſtrum, quantò commodè poterit celeritate ſe conferat. Recipietur profectò, tractabiturque omni, quo decet, honore, habiturus me, in propagando Dei honore, & Regni tranquillitate conſtituenda, conſiliorum non impigram, ſivè comitem, ſivè Ducem. Dupliciter certè me felicem exiſtimo, quoniam duplici me ſolatio cumulare Dei Miſericordia dignata eſt; altero, Benedictionis, & Nuncii mihi gratiſſimi, ac conſolationis pleniſſimi, à B. V. miſſi, receptione; altero, dono filii, à Dei benignitate mihi conceſſi, de quo B. V. certiorem faciendam putavi, non ſolùm, quòd mihi natus eſſet, ſed etiam, quòd B propoſuerim, ac cum conſenſu meorum Procerum, non ſine magna difficultate elicito, decreverim, eum baptiſmate initiandum curare, more Eccleſiæ Catholicæ noto, atque uſitato, publicitùs, Principum Orthodoxorum Legatis præſentibus: ſperans, ac Deo confidens, quòd, quemadmodùm, poſt maximam, graviſſimamque Religionis demutationem, Sacramentorum Eccleſiaſticorum uſus jamdiù interceptus, atque exoletus, propemodùm incipiet in baptizatione filii mei inſtaurari, ac renovari; ſic Deus Opt. Max. gratiam illi ſuam largietur, perſeverandi ab incunabulis in eodem Sacramentorum uſu Catholico, & Orthodoxo, atque meos omnes ad eumdem pertrahendi. Equidem pro materno officio, atque pietate, dabo operam, ut ejus educatio in Catholica Fide, initio benè poſito, feliciter reſpondeat: cujus rei totius, advenienti Nuncio Beatitudinis Veſtræ certum documentum dabo. Porrò miſimus familiarem D noſtrum Stephanum Vvilſonum, qui haſce præferet, certo conſilio delectò, ad Beatitudinem Veſtram, ex quo plura de voluntate noſtra, in hiſce, atque aliis rebus cognoſcet: cui volumus, & exponendi deſideria noſtra poteſtatem det, ac fidem etiam habeat. Deus Opt. Max. diutiſſimè te ſervet Eccleſiæ ſuæ incolumem, ac per Sanctitatem tuam, Religionem Catholicam citò inſtauret, atque propaget.

Edimburgi vij. Idus Octobris 1566.

Sanctitatis Veſtræ,

Humil. ac Devotiſs. Filia
Maria R.)

XXVI. Quod hiſce literis reſponſum dederit Pius, dicetur anno ſequenti. Illud malè, ſub hoc anno recitat Bzovius; nàm, cùm ſub die XXIJ. Januarii, data ab ipſo Pontifice Epiſtola recenſeatur, Bzou. Annal. illam idcircò, non ad Januarium, jam præteritum, anni hujus, ſed ad alium futuri pertinere nemo non videt.

Ex

XXVII. Ex allata verò Mariæ ad Pium A Epiſtola evidentiſſimè educitur, quo animo ipſa fuerit, cùm de Filli baptiſmate cogitavit: cui nempè Orthodoxorum Principum Legatos intereſſe, ſignantèr voluiſſe dicit, ut in eo oſtenderet, ſe ibi nil hæreticorum profanitatis commiſceri exoptaſſe; quantumque abfuerit, ut Elizabetham deprecata fuerit, ut per Bedfordium ab ea filius ſacro è fonte levaretur, ut Camdenum, nos ſuprà monuimus, perperàm ſcripſiſſe. Ultrò tamen oblatum, in ſpeciem B pietatis officium, non reſpuiſſe cenſemus, nè Elizabethæ ejuſdem benevolentiam aſpernari videretur; dandumque id temporum acerbitati, ut à rectitudinis ſemita, quam ſibi tenendam immobilitèr propoſuerat, politicis ſenſibus, malo omine, nimis indulgens, declinandum putaverit; undè, juſto Dei judicio, effectum ſit, ut hujuſmodi conſilio, Deo ipſo improbante, maximo ſuo damno, ſub ovis pelle, Bedfordium, venientem lupum exceperit. Irrita C inſupèr, piiſſimæ Reginæ vota, in filii educatione, impias hæreticorum fraudes reddidiſſe, ex hoc inferas, [inquit Genebrardus in Chronic.] quòd ipſi Georgius Buchananus, [de quo nos ſuprà] Minorita excucullatus, Bacchicus Hiſtrio, & Atheus poëta, pro præceptore tributus ſit.

I. Dum, hæreticorum ope, Elizabetha Scotiæ Reginam, funeſtiſſima exagitat tempeſtate; in Anglia hæreſim ipſam firmare magis, conſtabilireque contendit. D Indixerat illa Londini, ad Kalendas Novembris, Comitia Regni: de quibus in ejus Vitâ, Gulielmo quidem Camdeno attributâ, non tamen ante ann. 1614. ſub Rege Jacobo I. Presbyterianos opprimere fatagente, publici juris factâ, ita legitur - (*In hoc Orditum Conventu* (*præter alia in uſum Reipublicæ*) *declaratum eſt, unanimi omnium conſenſu: Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Angliæ electionem, conſecrationem, confirmationem, & inveſtituram* (*quæ* E *nonnulli calumniando in quæſtionem vocarant*) *legicima eſſe; eoſdemque ritè, & ex actis, Statutiſque Regni electos, & conſecratos fuiſſe. Eos, & jam indè itidem conſecrandos, rectè, & ritè eſſe, & fore conſecratos, quacumque lege, & Canone non obſtante. Pontificii enim, illis* (*ea nempè ratione ordinatis Epiſcopis*) *obtrectarunt, forsàn, eo quòd unctio, annulus, pedum paſtorale, cum benedictionibus, non adhibita, & quaſi à tribus Epiſcopis non eſſent ritè ordinati, qui ſuam, aſcendendo, ordinationem, ad Apoſtolicam authoritatem, à Chriſto acceptam referre poſſent. Quod tamen, ut ex regeſtis patet, veriſsime poterant, piis precationibus, devota Spiritus Sancti invocatione, manuum trium ejuſmodi Epiſcoporum appoſitione, concione habita, & Euchariſtia celebrata, conſecrari*)

Sic, inquam, ibi legitur, ſatiſque ſe prodit, vel ex inepta ſyntaxi, affectata interpolatio, prẹter narrationis ipſius abſurditatem. Neque enim Catholici, propterea clamabant, veros Epiſcopos nequaquam eſſe, quotquot Epiſcopales tunc Sedes, inſignia, & nomen, extrinſecumque Epiſcopale munus uſurpare conſpiciebant, quòd unctio, quòd annulus, quòd Paſtorale pedum, conſimileſque ſolemnitates, in eorum ordinatione defuiſſent. Noverant, ut in Baptiſmo, ſic & in Ordinis Sacramento, cæremonias multas adhiberi, quæ, non ad ſacramenti validitatem, ſed ad ſolemnitatem, ab Eccleſia præſcriptam, ſolùm pertineant. Neque ignorabant, ſalvâ rei ſummâ, non eaſdem iſtiuſmodi cæremonias, apud Græcos, quæ apud Latinos, locum habere, cùm in Baptiſmo tùm in Epiſcopali Ordine conferendo. Jure nihilominus poterant, adversùs novos iſtos Epiſcopos Anglos, Tridentinum illum Canonem Catholici admovere: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios, per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem, mutari poſſe, Anathema ſit*: & hinc ſacrilegos, excommunicatos, illicitèque ordinatos habere: validè tamen eos ordinatos, habuiſſent, niſi etiam eſſentialia defuiſſent. Certum quippè in Eccleſia ſemper fuit, (etiam apud Orientales, identidem in ſchiſmate diuturno verſatos, verſanteſque adhuc, magnâ ex parte, ætate noſtrâ) quòd Epiſcopalis Ordinatio, ut & Presbyteralis, non illicita ſolùm, ſed etiam nulla, & invalida omnino ſit, ſi peragatur à Miniſtro, qui Epiſcopalem ordinationem ſuam, referre, aſcendendo, non poteſt ad Apoſtolicam, à Chriſto acceptam, authoritatem; II.

Ibid. ut ſup. Trid. ſeſſ. 7. de Sacram. Can. 11.

tem; ſeù qui manus, verè Epiſcopales, perſonæ ordinandæ non imponeret; vel qui ſic imponeret, ut Epiſcopalem, ac reſpectivè Presbyteralem, ſacramenta, & ſacrificia conficendi poteſtatem, ſenſibili verborum forma, non ſufficienter exprimeret; maximè, ſi poſitivè, contra quàm ſemper intendit Eccleſia, poteſtates illas nequaquàm conferre intenderet. Jam verò in Anglia, ante annos undeviginti, anno ſcilicet 1547. rejecto Pontificali Romano, ab hæreticis Zuinglianis, penès quos erat, eo tempore, ſub Eduardo VI. ejuſque Rectoribus, Sommerſeto Duce, & Apoſtatico Cranmero, gubernium Regni, rerumque omnium ſumma, primum Rituale Anglicanum, procuſum fuit. Huic autem operi tenebrarum deputati fuiſſe dicuntur, præter Thomam Cranmerum, Cantuarienſem Archiepiſcopum;

Georgius Day Epiſc. Ciceſtren.
Thom. Gooarios Epiſc. Elyen.
Joan. Gkip. Herefordien.
Henric. Holbeach Epiſc. Lincolnien.
Nicolaus Ridley Rocheſterien.
Thom. Thirleby Vveſtminſterien.
Maycus, Decanus S. Pauli Londin.
Taylordus Decan. Lincolnien.
Haines Decan. d'Exceter.
Robertſon Decan. Durhamen.
Joan. Redman, Præſes Collegii SS. Trinit. Cambridgen.
Ricardus Cox Regius eleemoſynar.

III. Hi quidem omnes (quos inter præfatus *Dajus Ciceſtrenſis Epiſcopus*, interiori affectu Catholicus) Anglicano illi Rituali dicuntur ſubſcripſiſſe. Idque nonnihil conſonat narrationi Nicolai Sanderi, anno 1581. regnante Eliſabethâ, vitâ functi, atque adeò ſincerè admodùm ſcribentis, de Comitiis iſtis, Londini habitis, labente anno 1547. lib.2. De Schiſmate Anglicano, Romanæ edit. 1586. pag.281. in fine - *Atque ingemuerunt quidem, & his novitatibus utcunque ſe oppoſuerunt, Stephanus Vintonenſis, Edmundus Londinenſis, Cuthbertus Dunelmenſis, Nicolaus Vigornienſis, & Dajus* (hic eſt Georgius Day Ciceſtren.) *Ciceſtrenſis, Epiſcopi: omnes doctrinâ, & gravitate præſtantes Viri, qui etiam, in Ordinum Conventu, ſuffragia habebant, Religioniſque ſententiâ, ac interiori affectu Catholici erant. Sed facti Epiſcopi, in Schiſmate Henriciano, extra Eccleſiam, vel potiùs contra Eccleſiam, regio, non Pontificio mandato, aut aſſenſu, & pro regia libidine, Eccleſiaſticoque ejus primatu ſtabiliendo, non habebant illum veritatis, & fortitudinis ſpiritum, qui in unitate Eccleſiæ Catholicæ, ritè ordinatis, & inunctis tribui ſolet. Timidè ergo reſtiterunt pueri Regis primatui ſpirituali, imò ſimpliciter ſubſcripſerunt; & in omnes cæteras innovationes, quæ non videbantur ipſis continere apertam hæreſim, nè Epiſcopatus, ac honores perderent, vel ultrò, vel contra conſcientiam coacti, conſenſerunt. Cujus criminis graviſſimas, paulò poſt, pœnas, primùm, ſub hoc ipſo Edovardo, quia in reliquas omnes hæreſes, ſeù (ut tunc loquebantur) Regiæ Majeſtatis, in reformanda Religione, progreſſiones non ſunt aſſenſi, nec blaſphæma quædam, illis propoſita, dogmata, pro concione, ut jubebantur, explicare, & comprobare voluerunt; deinde multò magis, ſub Eliſabetha, omnes luerunt; depoſitionem, &, ut poſteà dicemus, diuturnos carceres, uſque ad mortem patientiſſimè tolerantes, miſericordiamque ſimul, & juſtiſſima Dei in ſe judicia collaudantes. His ergò, metu, ſuperiora edicta ſchiſmatica approbantibus, ac reliquis, recens, Regio nomine, creatis Pſeudo — epiſcopis, ad ea ſtabilienda, ſectamque per totum regnum propagandam, diligentiſſimè invigilantibus, ſecundùm tempus, lege Comitiorum deſignatum, tremendum Sacrificium, cæteraque omnia officia, & ſacramenta, Catholico ritu, publicè fieri, omninò deſierunt.* Hactenùs ille.

IV. Quidquid autem ſit de ſubſcriptionibus, quippe quæ non immeritò apud Burnetum, alioſque Proteſtantes Anglos, Epiſcoporum ſuorum, quaſi validè ordinatorum, propugnatores, admodùm alteratæ cenſeantur; audiendus iterum Sanderus, de ſumma rei, in iiſdem Comitiis, primoque illo Rituali conſtabilitæ. Sic autem ille habet ibidem à pag.276., & deinceps - *Quibus ſic conſtitutis, ad commoda temporalia, quorum prima ipſis cogitatio, ac cura fuit; tranſierunt deindè ad Religionis capita: ac primo loco ſanxerunt, ut, cùm Epiſcopi, ac Presbyteri Anglicani, ritu ferè*

ferè Catholico, (excepta Romani Pontificis obedientia, quam omnes abnegabant) ad illud uſque tempus, ordinati fuiſſent; in poſterum alia omninò forma, ab ipſis præſcripta, ordinationes fierent, auctoritate, à puero Rege, ad id accepta. Hinc novum etiam modum ſacramenta adminiſtrandi adiunxerunt, & de ea re librum publicum, Comitiorum authoritate confirmatum, ediderunt. Deindè, cùm non paucæ adhùc Sanctorum imagines, ac ſtatuæ, alicujus etiam pretii, ac momenti, per Angliam viſerentur; eas, primo quoque tempore, tollendas judicarunt. Nec his malis contenti Zuingliani, tremendum etiam Corporis, & Sanguinis Domini Sacrificium, quod à Catechumenorum prima, & fidelium ſequente dimiſſione, Miſſarum nomen jam olim acceperat, in publicis Comitiis abrogarunt.. Quarto autem loco ſancitum eſt, ut Euchariſtiæ utraque ſpecies cuilibet, de myſteriis participanti neceſſariò traderetur. Quinto loco decreverunt, ut ſacra Officia recitarentur in vulgari lingua ... Adminiſtrandæ autem Euchariſtiæ ritus, in illis primis Regni Comitiis præſcripti, parùm à Catholicorum Miſſa diſtabant: ut videlicèt populus non putaret, quicquam ſibi ablatum, ſed ea, quæ latinè priùs legebantur, tantùm in vulgarem linguam crederet eſſe tranſlata.

V. Nonnulla itaque, in ſæpedicto Rituali, adhuc erant, Romanam Fidem redolentia: quare Zuinglianorum, & Calviniſtarum eorundem operâ, adversùs Romani Ritualis reliquias, motâ tempeſtate, eò res devenit, decernente Rege, ſeù veriùs Regente Sommerſeto Duce Calviniano, de Liturgia iteratò reformanda, conſilio inito, ut quod ante confirmaverant, *tanquàm Opus Spiritus Sancti*, decreto Parlamentario; Rituale, ejuſdem Parlamenti decreto, poſt annum circiter, tanquam opus ſuperſtitionibus, ac fabulis plenum, ſupprimeretur. Idque Sanderus ipſe confirmat, ibidem ſubdens pag. 279. - *Itaque Canon Miſſarum, penè totus ab initio, ad verbum, tranſcriptus fuit. Signa etiam benedictæ Crucis retenta ſunt, illa inquam, quæ manu tantùm Sacerdotis expreſſa erant. Cæterùm, non omnes Proteſtantes eodem ſpiritu agebantur: qui enim nihil, niſi opes Eccleſiaſticas quærebant, parùm curabant, ſi Crucis imagines in aere ſolo deſignarentur. Qui verò non poterant ferre, ut vel ità ſaltem mortis Chriſti figura, & imago in honore, aut uſu aliquo haberetur, brevi poſteà obtinuerunt, ut, ſublatis ejuſmodi cæremoniis, totoque Canone remoto, nova Liturgiæ forma proponeretur. Quæ Proteſtantium inconſtantia, multùm retardavit rudem populum, nè eorum doctrinæ aſſentiretur; dicebat enim, videamus priùs, quò evadent, ubi conſiſtent, & quieſcent.*

VI. Hùc etiam pertinent, quæ narrat Burnetus de Congreſſu, pro Reformatione habito 1547. Tom. 1. Hiſtoriæ ſuæ, Anglicanâ lingua conſcriptæ, à pag. 201. Narrat enim, duodecimo loco quæſitum fuiſſe: (*Utrum in novo Teſtamento neceſſaria ſit conſecratio, ut quis Epiſcopus verè ſit, an ſufficiat electio tantùm, ac deſtinatio?* quodque Cranmerus, & Epiſcopus Menevenſis reſponderint: *ſolam ſufficere deſtinationem*. Rursùs ad Quæſtiones XIII., & XIV., quæ erant: *Utrum Princeps ſæcularis, ſi fortè Preſbyteris, & Epiſcopis careat, in antiqua, vel noviter parta, ditione ſua, poſſit, quos vellet, Epiſcopos, ac Presbyteros inſtituere?* eoſdem illos alioſque multos reſpondiſſe: *Utique id poſſe*) Porrò idem Cranmerus, necnon Petrus Martyr, & Martinus Bucerus, aliique Zuingliani, & Calviniſtæ pejus iſtud ſecundum Rituale concinnavere. Quin, & Calvinus ipſe fertur, literis ſuis, & agenda ſuggeſſiſſe, & acta probaſſe, præter Parlamentariam approbationem, de anno 1550. & 1551. . . .

VII. Quæ cùm ita ſint, licèt olim Angli, jam in transverſum acti, tria Sacramenta, reliqua fecerint, *Baptiſmum, Euchariſtiam, ac Pœnitentiam*, teſte Joanne Stoffio Proteſtante; (apud Harduinum in refutatione Diſſertationis Le Courayer, Pariſiis editâ diebus noſtris 1724.) nunc tamen, per ſecundum iſtud Rituale, in pejus ruentes, Articulo 26. declaraverunt, *Duo tantùm eſſe Sacramenta, divinitùs inſtituta, Baptiſmum, & Cœnam*. Quodque propiùs ad rem noſtram pertinet, Articulo 30. negaverunt, ullum eſſe in lege Gratiæ Sacrificium, *præter cruentum, in Cruce peractum*. Item Sacerdotium, *ad unum Chriſtum* cohærenter dixerunt pertinere, & *Altaria omnia* ſubverſum iverunt. Hac de cauſa, Catholici Angli (ait

(ait Sanderus ibid. pag. 281.) *& præſertim doctiores, qui ſchiſma Henrici Octavi, ſaltem poſt mortem ejus reprimendum ſperabant, ubi adeò id non evenire perſpicerent, ut potiùs in multò peſtilentiorem hæreſim erumperet; partim ſeipſos accuſarunt, quòd primis initiis fortiùs non obſtitiſſent, partim mœrore, ac ſqualore confecti, miſerrimam vitam traducebant. Qui enim legerant apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum, contra paganos divinitatem Chriſti propugnantem, veterem, & antiquam patriæ ſuæ Fidem, ob hoc ipſum commendatam, quòd Altaria, jàm olim in Britanniis, erecta Chriſto fuiſſent,* (ſunt etiam, *inquit Chryſoſtomus*, in Britannicis Inſulis extra hoc mare ſitis, fundatæ Eccleſiæ, & erecta Altaria) *cùm illi iidem jam poſt mille, & penè ducentos annos à Chryſoſtomi morte, eadem Altaria, non à paganis, verùm ab iis, qui ſeipſos vocant Chriſtianos, dirui, & everti conſpexiſſent: quo animo par eſt eos hoc ſpectaſſe? quas fudiſſe lacrymas? quos gemitus edidiſſe? Nàm, ſi Altaria Chriſti, olim fuerunt in Anglia, affirmante Chryſoſtomo, Chriſtianæ Fidei ſigna; utique eodem modo Altarium dejectio, jam ſignum eſt perfidiæ Antichriſtianæ*. Hæc Sanderus.

Homil. quod Chriſtus ſit Deus.

VIII. Everſa itaque fuere cum Sanctis Altaribus, novæque legis jugi Sacrificio, & Sacramenta ferè omnia, & maximè Ordinis Sacramentum, Diaconorum, ſeù Miniſtrantium, Presbyterorum, & Epiſcoporum, Hierarchiam Inſtitutione Divina, & Apoſtolica traditione complectens. In quem proindè ſcopum impii Ritualis recoctores Preſbyteratum pariter, & Epiſcopatum, nominetenùs, fallendæ plebis gratiâ, retinentes, ad ſimplex officium annunciandi verbi Dei, quà pluribus, quà paucioribus, & ſivè in parvis Oppidis Parochiiſque, ſivè in Urbibus, ac Provinciis amandaverunt. Nihil eis, cohærenter ad hæreſim ipſorum ſuam, curæ fuit qualitas Miniſtri, Presbyteros, & Epiſcopos deinceps ordinaturi; cùm Epiſcopalem, animæque impreſſum characterem, nè in illis quidem agnoſcerent, qui olim ſub Henrico VIII. validè ordinati, & conſecrati fuiſſent: nihilque adeò proindè curæ fuit intentio faciendi, quod in ordinando Presbytero, vel Epiſcopo Eccleſia facit, ut contrarium publicè notorièque inculcatum vellent; nullam ſcilicet conferri ſpiritualem, atque indelebilem poteſtatem, ſeù Miſſæ ſacrificium celebrandi, ſeù veros Sacerdotes in Altari ſacrificaturos conſtituendi, Sed & adeò verborum formam deformaverunt in iiſdem Regni Comitiis anni prædicti 1549. quibus nomen Synodi tribuere non ſunt veriti, ut prævalente deinde paulatim, contra Preſbyterianos, ſeù Puritanos, Epiſcopantium iſtorum factione, deprehenderint ipſimet, aliquandò tandem, formæ illius inſufficientiam; eamque tardè admodùm, atque inutiliter, poſt annos videlicet ampliùs centum, qualitercunque inſtaurare conati ſint. His enim verbis Perſonatus Epiſcopus Anglicanus, juxtà Rituale Eduardi VI. Londini impreſſum 1552. pſeudopresbyterum ordinare jubebatur. - *Accipe Spiritum Sanctum: quorum peccata remittis, remittuntur; & quorum peccata retines, retinentur. Eſto fidelis diſpenſator verbi Dei, & ejus Sanctorum Sacramentorum.*) Pſeudoepiſcopum verò hiſce aliis: *Cape Spiritum Sanctum, & memineris, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum. Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.*] Significabatur ergo, Preſbytero quidem poteſtatem dari peccata remittendi, vel retinendi, necnon prædicandi, & Sacramenta omnia indefinitè diſpenſandi: quæ tamen ad duo tantùm redacta fuerant, ut innuimus; nec ſenſus unquàm eſſet Sacramentum ullum *conficiendi*, ſed merè, quaſi confectum, *diſpenſandi*, hoc eſt, annunciandi hæc, vel illa Scripturæ verba, ad Baptiſmum, Euchariſtiam, vel etiam ad Pœnitentiam, ſeù peccatorum remiſſionem, in prædicta forma Presbyteralis Ordinationis expreſsè commemoratam, ſpectantia; ut omnis demùm poteſtas, quemadmodum etiam ſuprà dicebamus, *ad verbi Dei prædicationem* reduceretur. At verò nulla poteſtas Epiſcopo conferri ſignificabatur, ſed excitabatur tantùm mens ejus ad rememorandum ejuſdem illius poteſtatis, quam ſupponebatur accepiſſe, cùm per manuum impoſitionem declaratus fuerat pſeudopresbyter. Hac de cauſa, Preſbyterianis urgentibus, impudenter admodùm contendere Epiſcopantes, majorem nullam ſe habere in Anglicana Secta poteſtatem; hoc denique ipſi cæpere con-

conſilii, viribuſque tandem adauctis A perfecere, ut, ferè nudius tertius, anno ſcilicet 1662. ſub Rege Angliæ Carolo II. poſt verba, *Spiritum Sanctum*, adderetur pro Presbytero, *ad opus Preſbyterii*; pro Epiſcopo autem, *ad opus Epiſcopi*. Quaſi verò ſpiritualem ullam, ad mentem Eccleſiæ, poteſtatem additionibus iſtis ſignificatam vellent, quam anteà ſignificatam noluiſſent! Neque enim intendunt, id ſignificare per ea verba nuper adjecta, quod Eccleſia Græca, cùm dicit - *Divina Gratia, quæ* B *ſemper infirma curat, & ea, quæ deſunt adimplet, promovet N. devotiſſimum Diaconum in Presbyterum*: vel reſpectivè: *devotiſſimum Presbyterum in Epiſcopum*.) Sed & quando totum illud jam vellent ſignificari, quod nomine *Presbyteri, & Epiſcopi*, cùm Orientalis Eccleſia intendere conſtanter pergit, tùm verò maximè Occidentalis, ad quam Angli citrà controverſiam pertinebant; numquid anteactas, per integrum ſæculum, ordinationes ſuas illas C propterea validas redderent, vel reddidiſſent? Aut quem denique valorem habebit, qualiſcumque, etiam optima, verborum forma, in ore Miniſtri, ſecundùm Eduardi Rituale, nè in verum quidem Presbyterum ordinati? Itaque nec ab an. 1662. veros ullos Epiſcopos, atq; adeò Presbyteros (niſi ad mentem Puritanorum) habent, ad hanc uſq; diem, neq; ullos per integrum, & ultra ſæculum præhabuere. Nàm, quod apoſtatæ Angli ſub Eduardo, moxque iterum ſub D Eliſabetha contendebant, novas illas ordinationum formas ſufficientes eſſe, ideòque Matthæum ParKerum Cantuarienſem, & quos ille deinceps Epiſcopos, ſeù Presbyteros eſſe juſſit, quod formam ſpectat, validè ordinatos extitiſſe; id quidem ſub Carolo II., vel Angli ipſi falſum eſſe prodiderunt, qui formas illas tantâ publicitate reſtaurari oportere cenſuerunt. Notorium quoque erat, Eliſabetha regnante, tàm Joannem Scory, quàm Gulielmum Barlovu, quos E Parkeri Ordinatores fuiſſe dicunt (ſive in Diverſorio Londonienſi, ſive in Palatio Lambethenſi, aut, ſi malunt, in utroque) & Apoſtatas, & Puritanos, & merè Presbyteros in Catholica præinſtitutos extitiſſe, quemadmodùm Lutherus, & Calvinus, quos illi jam ſectabantur: invalida ergo fuit, Miniſtri etiam defectu, Ordinatio Matthæi ParKeri in Epiſcopum, ſive Archiepiſcopum Cantuarienſem, Angliæque Primatem, & ſi quod eſt aliud magnificum nomen, quo illum Anglis libitum fuerit appellare. Quod enim tempore procedente, maximèque poſt Eliſabethæ obitum, incredibili aſtu, ac præfidentiâ moliti fuerint Maſſonius, Burnetus, Larreus, Bramhallius, aliique Proteſtantes Angli, rem videlicet ſole clariorem, congeſtis velut nubibus obtenebrare; id profectò nihil eſt aliud, quàm oleum, & operam perdidiſſe. Neque enim evincere unquàm potuere, vel erit quiſpiam impoſterum evicturus, veros Epiſcopos, Apoſtolorum ſucceſſores, antecedenter extitiſſe, ſive binos illos Apoſtatas, quos dicebamus, ſivè quos fingere velint, alios, qui ſacrilegas manus impoſuere ParKero, ex quo, velut ex fonte, quotquot in Anglia dicuntur Epiſcopi, derivant ordinationes ipſorum ſuas. Fac tamen, illos fuiſſe veros Epiſcopos; numquid evincetur, validam eos formam cum intentione debita protuliſſe, qui non antiquum, ſed novum adhibuere Rituale; qui Ordinem negabant Sacramentum eſſe; qui Preſbyteratum pariter, & Epiſcopatum in ſimplex officium annunciandi Evangelii jampridem transformaverant?

IX. Hæc ſummatim hoc loco enarrari magis, quàm pro rei dignitate tractari, cenſuimus oportere: cùm ex eo, quòd horum pleraque ad annos antegreſſos pertineant; ad Pontificatum, inquam, Pauli III. Julii III. Marcelli II. Pauli quoque, ac Pii IV. tùm verò, quòd mox ad annum 1570. oſtenſuri ſumus, abiiſſe negocium iſtud in rem judicatam: receptis videlicet oculatis juratiſque teſtibus fide digniſſimis, & ſanctiſſimi noſtri hujus Pontificis Pii V. Apoſtolicâ deliberatione, judicioque tali ſuper Anglicanarum Ordinationum iſtarum nullitate, ut indè conſtans, & perpetuus emanaverit S. Romanæ Eccleſiæ ſtylus, quo ſemper conſuevit, reſipiſcentes iſtiuſmodi homines, ſi quandò Presbyteratu, vel Epiſcopatu, aliàs digni cenſeantur, *tunc primùm ordinare magis*, (idque abſolutè, nullâque adjectâ conditione) *quàm propriè reordinare*. Quod equidem icci rco præmaturè monitum volo, quia, noſtris hiſce diebus, nonnulli Pſeudo - Critici (quibuſdam aliis ejuſdem furfuris, quà fomentum in anteceſſum ſumminiſtrantibus,

tibus, quà poſt enorme facinus plau- A
dentibus, & faventibus) auſi fuerunt,
evulgatis in ipſo Eccleſiæ ſinu libereu-
lis, aſſeverare, Romanę Eccleſię ſtylum,
quem dicebamus, ex fabula quadam
originem habuiſſe, quæ à Puritanis hæ-
reticis, neſcio quandò, confictа ſit, &
cum fabulis pleriſque aliis Romæ cre-
dita. Nec adjicere veriti ſunt, jure ſuo
potuiſſe, Anglicana illa Comitia ſub
Eduardo, novum Rituale, novaſque
Preces, tanquàm ordinationum *formas*,
procudere; eaſque ſufficientiam, & vali- B
ditatem ſuam nanciſci ex prætenſa
ejuſdem nationalis Conventus in ſacris
iis rebus omnibus authoritate, quæ
fundamentalia pauca Dogmata *de Deo*,
& Chriſto non convellunt, ſed perti-
nent, ut ajunt, *ad diſciplinam*: ad quam
unam diſciplinam videlicet, pertinere
nobis narrant, tùm pleraque omnia,
Catholicos inter, & Anglos, alioſque
novatores controverſa, rectamque ar-
ticulorum fundamentalium intelligen-
tiam, in Tridentino, aliiſque dogmati- C
cis definitionibus firmatam concernen-
tia; tùm verò hanc ipſam, de qua lo-
quimur, validitatem formæ Sacramenti
Ordinis; ipſamque adeò qualitatem
Characteris, poteſtatiſque Presbyte-
ralis, & Epiſcopalis; proprietatem quo-
que, vel improprietatem Sacerdotii, &
Sacrificii Novæ Legis, & quicquid eſt
aliud, ad explicationem pertinens iſtiuſ-
modi, ſeù verè proprièque dicti, ſeù
dicis, & pacis cauſa *Sacramenti Ordinis*.
Nam dummodo paulatim Angli (& cu- D
juſvis generis hæretici) per eruditos
iſtos viros adduci poſſent, ad *nomina*
tantùm hæc, in ſenſu, quem ipſi hæretici
verum putaverint amplectenda: *Sacer-
dos, Sacrificium, Sacramentum Ordinis,
ſeptem Sacramenta, Diaconus, Presbyter,
Epiſcopus, liberum arbitrium quoque,
Gratia ſufficiens; poſſibilis nobis man-
datorum obſervantia*, & id genus reli-
qua; jam benè ſe haberent omnia ſcili-
cet, & Eccleſiarum (ut vocant) optata
diù firmaretur unio, quam ab ineruditis E
Theologis, tam multis additamentis in
dogma erectis, abruptam fuiſſe blate-
rant, & nè ab eruditiſſimis, ſi Deo pla-
cet, hiſce viris inſtauretur, impediri
conqueruntur. O præclarum eruditionis
iſtius fructum, quæ ſe magis, & nullius
publicæ authoritatis manuſcripta, quàm
Eccleſiæ definitiones, ipſamque vivam
ejus vocem audire volens, Immacula-
tam Chriſti Sponſam in hæreticum o..nium ſentinam, & colluviem, ſpecioſo pacis, & unionis prætextu, transformare, ac deformare contendunt!

x. Porrò, ad præſentem, in quo verſamur, annum omninò pertinet impium illud ſimulq; ridiculum decretum Parlamenti Anglicani, quod ſummatim Camdeni verbis ante retulimus, ſuper validitate ordinationum earum, quæ ab anno primo Regni Eliſabethæ peractæ in Angliafuerant, neque à legitimis veriſque miniſtris, Epiſcopali charactere inſignitis, quique, aſcendendo, poſſent ordinationem ſuam ad Apoſtolicam, à Chriſto acceptam, authoritatem referre; neque per eam ſenſibilem verborum formam, in eſſentialibus ſaltem invariatam, quæ neceſſaria quoque eſt ad validitatem, ut ſuperiùs dictum eſt. Eſt autem decretum illud hujus continentiæ, tenoris, ac ſeriei, ut apud Courayer, To. 2. pag. xx.

Decretum Parlamenti Anglicani, editum anno 1566. circa validitatem ordinationum poſt annum 1559.

CUm licentioſâ temeritate diſcurſuum ignorantis populi diverſa ſurrexerint dubia, circa Conſecrationem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Regni: ſcilicet, an fuerint ſecundùm leges ordinati, an non? quales diſcurſus valdè injurioſi ſunt Clero; uni nimirum ex principalibus Statibus Regni: ad præcavendos diſcurſus, adeò calumnioſos, & in id finis, ut quicumque ſe velit de veritate inſtruere, clarè videat, nullum legitimum eorum eſſe fundamentum: judicatum eſt neceſſarium, pro ſtabilienda prædictorum Epiſcoporum auctoritate, & ut notum fiat, eorundem conſecrationem factam eſſe juxta leges Regni, *atque, ut ſecuritati hujuſmodi ordinationum abundè provideatur: declarare, & præſcribere, quæ ſequuntur.*

Ut ceſſetur à pravis diſcurſibus, uſque nunc diſperſis, adversùs Clerum, & ut ſubditi Anglicæ Majeſtati meliùs inſtruantur, circa id omne, quod actum eſt, & quod eſt relatum: præcipitur, præſentis Parliamenti auctoritate, *ut prædictum actum, & ſtatutum factum, primo prædictæ Majeſtatis anno, quo memoratus liber* Communium precum, *& de adminiſtratione* Sacramentorum cum cœremoniis, *quæ in eo continentur,*

auctoritate donatus, & præſcriptus eſt; A *maneat undique in ſuo robore, & vigore. Item, ut* ordo, & forma conſecrandi *Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac ordinandi Presbyteros, & Diaconos, qui promulgatus fuit, Regnante Eduardo VI., & adjunctus libro Communium precum* auctoritate Parliamenti *habiti quinto, & ſexto anno prædicti Regis Eduardi, maneat in eodem robore, & vigore; eodemque deinceps utantur in omnibus Regni locis, in omnibuſque territoriis prædictæ Majeſtatis dominio* B *ſubjectis.*

Similiter decernitur, quòd omnia acta, & facta per qualibet perſonas, virtute patentium literarum, aut expeditarum commiſſionum, poſt initium Regni prædictæ Majeſtatis, pro conſecratione, confirmatione, & inveſtitura perſonarum, electarum ad Archiepiſcopalem, vel Epiſcopalem dignitatem, aut in Regno hoc, aut in alio quocumque territorio ex ditionibus prædictæ Majeſtatis, eſt, & erit declaratum unde- C *cumque bonum, &* validum *auctoritate hujus præſentis* Parliamenti; *non obſtantibus* quibuſcumque *in contrarium.*

Pariter etiam, quòd omnes illi, qui fuerunt, *& erunt ordinati, & conſecrati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, Miniſtri verbi Dei, & Sacramentorum, aut Diaconi, juxta dictum præſcriptum ordinem, & formam, pro ordinatione, & conſecratione Archiepiſco-* D *porum, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Miniſtrorum, ſunt veraciter, & erunt declarati, auctoritate hujus præſentis Parliamenti, legitimè ordinati, & conſecrati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, Miniſtri, & Diaconi, non obſtante quocumque ſtatuto,* lege, *&* canone *in contrarium.*

XII. Impium ſanè decretum, cùm in materia Sacramentorum, divinitùs inſtitutorum, non ſolùm auſi fuerint ſæculares homines manum ſacrilegam extendere, & quidem in iis, E quæ ad illorum ſubſtantiam, atque eſſentiam pertinent; verùm etiam clauſulas illas audacter adjicere: *non obſtantibus quibuſcunque in contrarium*: *non obſtante quocunque Statuto, Lege, & Canone in contrarium.* Ridiculum verò, non una de cauſa. Nam ſupponunt, Catholicorum (quos temeritatis temerarii ipſi redarguunt) contra Pſeudo-Epiſcopos, alioſque nulliter ordinatos argumentum, in eo ſitum eſſe, quòd aſſererent, ordinatos non fuiſſe *juxta leges* novas, vel etiam antiquas Anglicani *Regni*; cùm tamen, agendo de mera validitate, nè in eo quidem ſitum eſſet argumenti robur, quòd ordinati illi non fuerint juxtà leges *Eccleſiæ*, ſed quòd ordinati fuerint contra Divinam Inſtitutionem Chriſti Domini, perpetuâ traditione Eccleſiæ, etiam Orientalis, compertiſſimam. Non quòd illi in Eccleſiaſticas quoque leges, ordinationis ſolemnitatem præcipuè præſcribentes, minimè peccaverint; aut quòd ſervaverint ſaltem novas leges Anglicanas, vel ſub Henrico jam ſchiſmatico, vel ad minùs ſub Eduardo, conſtabilitâ jam hæreſi, ſuper ordinationibus editas (hoc enim quoque falſum erat, eâque de cauſa non illud Catholici objectare prætermittebant, ut mox audituri ſumus ex relatione Sanderi:) ſed quòd iſtiuſmodi prævaricationes, per ſe inſpectæ, illegitimas quidem, non tamen invalidas oſtendiſſent ſcænas illas ordinatorias. Deinde, nonne ridiculum eſt, ex mera declaratoria *Parliamenti* (ut loquuntur) validas reddi retroactas qualitercunque ordinationes, dummodo *omnia acta, & facta per quaſlibet perſonas*, (atque adeo per perſonas, quæ non poſſint, aſcendendo, ordinationem ſuam referre ad Apoſtolicam à Chriſto acceptam authoritatem) acta, & facta ſint, *virtute patentium literarum* feminæ regnantis, *aut expeditarum ab ea commiſſionum, non obſtantibus in contrarium quibuſcunque*? Quid verò novus ille *ordo*, & *forma* conſecrandi Epiſcopos, novæque illæ cæremoniæ, nunquàm *conficiendorum* Sacramentorum, ſed merè *adminiſtrandorum*, aut liber *Communium Precum*? Nunquid Parlamento, ſibi authoritatem ineſſe dicente, mutandi quicquid velit in Sacramentis, & formas imperativas, vel indicativas (quales ſunt, *Te baptizo*, *Accipe poteſtatem &c.* effectum ex opere operato ſignificantes) in formulas merè *deprecatorias* transformandi; tardioris adeò ſunt ingenii, ut exiſtiment Catholicorum argumentis jam factum ſatis; quòdque propterea validè ordinatos fateri debeant, quotquot *juxta* dictum præſcriptum ordinem, & formam, fuerunt, & erunt Archiepiſcopi, vel Epiſcopi nuncupati? Sed Sanderum audiamus.

Ait

XIII. Ait ergo Sanderus, rem hanc exorſus ab ejus initio -- (*Henricus Octavus, radix peccati, cùm ab Eccleſia, & Sede Apoſtolica Regnum ſuum diviſiſſet, decrevit, nè quiſquam, electus in Epiſcopum, Bullas Pontificias, ſeù mandatum Apoſtolicum de conſecratione requireret; ſed Regium tantùm Diploma afferret, ſecundùm quod, à* tribus Epiſcopis cum conſenſu Metropolitæ *ordinatus, jubebatur, lege Comitiorum facta, ad imitationem antiquiorum Canonum, eſſe verus Epiſcopus; nec alio modo ordinatum, pro Epiſcopo agnoſci oportere. Cæremoniam autem, & ſolemnem unctionem, more Eccleſiaſtico, adhùc in conſecratione illa adhiberi voluit; quam poſteà, proficiens in pejus Eduardus VI. ſuſtulit*, & pro ea Calvinicas aliquot deprecationes ſubſtituit; *ſervata tamèn ſempèr* priori, *de numero præſentium Epiſcoporum, qui manus ordinando imponerent*, lege. *Has leges novas ſuſtulit Maria. Eliſabetha in integrum reſtituit, ac renovavit; ut proindè oportuerit (juxta illas ipſas leges) hos Reginales Prælatos, ita quoque ordinari, ut, conſentiente* Metropolitano, duo, vel tres Epiſcopi *aſſiſtant, ipſiſque manus imponant*.

Sander. De Schiſm. Anglic. lib. 3, pag. 399.

Sed hoc perridiculum accidit, ut, cùm iſti Superintendentes creandi eſſent, nec à Catholicis Epiſcopis impetrare potuerint, ut ipſis manus admoverent; nec inter ſe, aut tres, duoſve Epiſcopos, aut ullum omninò ſuæ perfidiæ Metropolitanum, ab aliis Epiſcopis priùs ordinatum, haberent, *cujus vel manu, vel conſenſu conſecrari poſſent; nec etiam ad vicinos Lutheranorum, aut Calviniſtarum Eccleſias conferre ſeſe commodè poſſent, ut indè mutuas Epiſcoporam (qui fortè nec ibi erant) operas peterent; inſtabant vehementèr apud quemdam Archiepiſcopum Hibernum, (quem tùm Londini in vinculis habebant) ut in hac illis neceſſitate ſuccurreret, & libertate, & præmiis propoſitis, ſi vellet iſtorum ordinationi præeſſe. Sed vir bonus nullo modo adduci potuit, ut hæreticis ſacras manus imponeret, vel alieno peccato communicaret. Atque ità, cùm omni legitima ordinatione deſtituti, vulgò dicerentur*, & ipſis legibus Anglicanis *verè probarentur non eſſe Epiſcopi; brachium ſæculare invocare coacti ſunt, ut laici Magiſtratùs confirmationem, in futuris Comitiis acciperent, cujus authoritate, ſi quid minùs rectè, nec ad præſcriptum Legum, in priori inauguratione geſtum eſſet, aut omiſſum, ipſis condonaretur; idque poſtquàm Epiſcopali Officio, & Cathedra, abſque ulla conſecratione Epiſcopali, aliquot annis, ità functi fuiſſent. Hinc nomen illis impoſitum, ut* Parlamentarii Epiſcopi *dicerentur.*)

Talitèr ergo ſacrilegè ordinatos Epiſcopos, & illegitimè, & invalidè, & nullo modo Epiſcopos, ex his quæ Sanderus refert, deprehenſos fuiſſe; non modò ex Catholicorum regulis, ſed & ex ipſis Anglicanis Legibus evidentiſſimè cognoſcitur, utpotè qui non tantùm, (ut monuimus) aſcendendo, ordinationem ſuam ad Apoſtolicam, à Chriſto acceptam, authoritatem referre non potuerunt; ſed impiiſſimè, ac nefaria prorsùs ratione, deſcendendo, à Parlamento eam accepere; ideòque digni, qui ab omnibus Pſeudoepiſcopi ritè cenſerentur. At de hoc fuſiùs ſuo loco, cùm videlicet de his, quæ Pius jure in Eliſabetham egit, ſermo erit. Hoc autem anno, eamdem Eliſabetham, tamquàm valdè de Religione ſollicitam, inter Catholicos, ac hæreticos diſputationem quoque Londini inſtituiſſe, Spondanus, Bzovius, aliique tradunt: verùm à Genebrardo in Chronico æquiùs ad annum 1572. rejectam legimus. XIV.

In his verò, quæ propoſuimus, Londinenſibus Comitiis, coitione primùm ſecreta, mox palàm ab Ordinibus de Regni ſucceſſore actum eſt, ſciſſis ob Religionem ſtudiis, dùm quiſque, non modò rebus ſuis, ac ſecuritati, ſed etiam Fidei, ac quam profitebatur, Religioni, conſulere optaret. Norfolcius, & Penbrochiæ, ac Linceſtriæ Comites, aut Reginæ maritum imponendum, aut Regni ſucceſſorem, vel ipsâ invitâ, Parlamentaria authoritate deſignandum eſſe exiſtimarunt: in quorum ſententiam alii plurimi deſcendentes, effræni dominandi Eliſabethæ libidini non parùm moleſtiæ intulere; neque enim æquo animo ferre poterat, de ſucceſſore agi, quæ ſucceſſorem nunquàm voluiſſet. Totum jam octennium tranſegerat, nec ſine marito virgo, nec nupta, licèt multos maritos coluiſſet: ſterilitatem ſiquidem in conjugio dilexerat, quæ non conjugii finem, ſed delicias tantùm concupierat, &, cùm gemino arderet incendio, luxuriæ XV.

xuriæ nempè, & ambitionis, utrique A pabulum præbere ſtuduerat, viris pluribus facta ſui copia, nullique maritali poteſtate donata, ut haud eſſet, vel cui ſubjiceretur homo, vel ex qua homo gigneretur, cui Angliæ Regnum foret olim ſubjiciendum. Iiſdem igitur artibus, quibus nefaria mulier, tranſacto eo tempore, ſpe Matrimonii pluribus facta, plures Maritos habuerat, quibus præerat, nullumque voluerat, ſub cujus poteſtate eſſet; importunas ſuorum petitiones eluſit, etiam hac vice; pro- B lixè eis pollicita, non ſolùm Principis ſollicitudinem, ſed & Matris affectum: quod ut operibus comprobaret, oblatam à Regni Ordinibus, magnam pecuniæ vim ultrò reſpuit dicens, malle ſe animos ſuorum, quàm res poſſidere.

I. Tùm ab horrendis his turbis Angliæ Scotiæque Regna jactantur, à furente hæreticorum procella non parùm Galliarum quoque Regnum contigit agitari. Hoc anno ſiquidem ineunte, cùm Rex Carolus Nonus, Moliniis Bo- C jorum, totius Regni Ordinum Conventum habuiſſet, atque, inter cœtera in eo acta, inter ſe diſſidentes Coliniorum, ac Guiſianorum familias conciliare ſtuduiſſet; ipſo urgente, ac jubente Rege, ſpecie quidem, ſolida inter ſe pace coaluerunt, inveteratas tamen ob Religionem, aliaſque cauſas, ſimultates, ac odia nullatenùs depoſuiſſe, paulò poſt manifeſtiſſimè declararunt. Navarræ quoque Regina Joanna, multa animo volvens, Regalem Galliarum D aulam deſerit, atque in Bearniam ſe recepit, cauſata, quòd, cùm domi ſuæ Lutetiæ Pariſiorum, à quodam Ugonoto Miniſtro concionem haberi feciſſet, pluribus ad eam audiendam concurrentibus, Rex hac de re ab Apoſtolico Nuncio, aliiſque admonitus, cùm pro pietate Pariſienſem populum rem indigniſſimè ferre comperiſſet, Oſtelli quem nuncupant, Præpoſitum miſerat, qui Miniſtrum in vincula conjiceret. Et licèt id non effecerit, cùm, antè Mini- E ſtro re ſignificata, ſibi ipſe fuga conſuluiſſet; hoc nihilominùs ſibi graviſſimè impoſitum, ſummoque fuiſſe ſui dedecori Joanna conqueſta fuerat, ob idque ab aula ſe diſceſſum excogitaſſe evulgaverat.

De Avila lib. 1. hiſtor. ſub hoc anno 1566.

II. Potiſſimam tamen cauſam, quæ ipſam ad aulam deſerendam impulit, eam fuiſſe ſcribit Catherinus de Avila, quòd in Franciſcam Roanam ſententia prolata fuerit. Inter eam enim, & Jacobum Sabaudum Nemourſium lis agitata de Nuptiis, cum eo contractis; quæ nempè lis, (inquit Thuanus) ſuperſtite Navarro, qui Roanæ cognatæ patrocinabatur, intermiſſa, demùm renovata, & prævalente hinc Nemourſii gratia, indè odio Proteſtantium ſectæ, cui Roana addicta erat, prægravante, interventu Pontificis deciſa eſt, ſchedula de Nemourſii matrimonio, præſentibus verbis contracto, irrita pronunciata. Sic Thuanus: & quidèm ejuſmodi mendaciis cauſam ſuam tueri, ac defendere Roanam, ac Navarræam Reginam, quæ, poſt mariti mortem, Roanam ipſam totis viribus protegebat, connixas fuiſſe, haud à veritate alienum cenſendum eſt; cùm eò mulierum inſania pervenerit, ut, cùm Nemourſius non multò poſt, Annam Ateſtinam, Ducis Guiſii viduam, uxorem duceret, nuptiæque in Sancti Mauri Foſſarenſis templo, haud longè à Lutetia celebrarentur, eiſque Rex, & Regina, ut majorem rei auctoritatem conciliarent, intereſſent; pecunia hominem corruptum impulerint, qui temerè, Franciſcæ nomine, contra novum Nemourſii conjugium proteſtaretur; ſed captus ille, atque in vincula conjectus, muliebres omnes conatus irriti penitùs evaſere. Qua de cauſa indignata Navarræa Regina, ſeque ſpretam, ac offenſam dolens, (quem diximus) ſuum ab aula Regia diſceſſum decrevit.

A duobus autèm hæreticæ pravitatis Miniſtris, qui ei inſerviebant, ſolemnis admodùm diſputatio cum Catholicis hoc anno inſtituta eſt Lutetiæ; III.
de qua Thuanus hæc habet: [*Monpenſerius, qui doleret, Franciſcam Borboniam filiam Henrici Roberti Marciani Bullionis Ducis uxorem, Proteſtantium religionem, à qua ille admodùm alienus erat, amplecti; quò utrumque ad majorum ſacra retraheret, diſputationem inſtituit inter Simonem Vigoreum, & Claudium Sanctium, magni nominis Theologos, quorum ille Archiepiſcopus Narbonenſis, hic Ebroicenſis Epiſcopus poſteà fuit; & Joannem Spinam, ac Carolum Barbaſtum Beearnenſem, olim Carmelitam, utroſque proteſtantes: cùmque is intereſſe non potuiſſet, Hugo Torellus Rozerius ejus vicem ſupplevit; ob idque, cùm, ob libellum quemdam,*

de

de poteſtate Magiſtratus, editum, in carcerem conjectus fuiſſet, cuſtodia emiſſus eſt. Collatio Lutetiæ celebrata in ædibus Nivernianis, coràm duobus Notariis, & Acta colloquii poſteà Lutetiæ publicata ſunt, cujus is eventus fuit, ut poſt longam, & animoſam diſceptationem, exiguo nuſquàm convenientium profectu, & eorum præcipuè, quorum cauſa collatio habita fuerat, utrinque diſceſſum:] Sic Thuanus, qui, ſicut Orthodoxorum Theologorum laudes ritè non reticuit, ſic hæreticorum Miniſtrorum qualitates, & præcipuè Rozerii, præterire minimè debuiſſet. Uti enim apoſtata Carmelita Carolus Barbaſtus fuerat, ſic Dominicanus apoſtata fuit Spina: Rozerius verò omnium Reipublicæ inſenſiſſimus extitit, quòd librum ediderit, [cujus non ignoraſſe perniciem, dùm de eo mentionem facere cogitur, apertè Thuanus cognoſcitur] non quidem de poteſtate Magiſtratus, ut ipſe aſſerit, & verè libri titulus præſeferebat; ſed contra Magiſtratuum poteſtatem, cùm in eo Regem, Principemque, ſuæ contrarium Religioni, cuique occidere licitum eſſe contenderit. Ea de cauſa, in carcerem conjectus fuerat, cùm tamèn perfidæ doctrinæ lues, jam in nonnullorum animos diffuſa, ad ſcelus patrandum excitaſſet; ex eo enim quidam Simon Majus, ſeù propria ſponte, ſeù, ut aſſeruit, ab aliis incitatus, audacior factus, Regem, Reginamque occidere decreverat. At captus, examinatuſque, totius gerendi ſceleris ſeriem aperuit, ſuaſoreſque nominavit. Verùm, ſeù ob accuſationis incertitudinem, ſeù ob eorum, qui accuſabantur, dignitatem, [à Majo enim Admiralius Colinius hæreticæ perfidiæ in Galliis facilè princeps delatus fuit] nè nova tumultuandi daretur occaſio, re diſſimulata, Majum latrocinii, & homicidii convictum, rotæ ſupplicio affectum fuiſſe, narrat Spondanus. Thuanus autem, qui ſemper hæreticorum facta, & ſcelera, confictis narrationibus contegere ſtuduit, præfatum Simonem refert mercimonium in via publica haud longè ab Oppido Caſtillione, quod Admiralii Colinii juris erat, exercentem, in ſuſpicionem veniſſe, quaſi vitæ Colinii, ſubornatus, inſidiaretur; ob idque cura, & mandato illius comprehenſum, crimine conficto, verum tegere, & Colinii accuſatione ſe levare ſperaſſe: ideòque interrogatum reſpondiſſe, ſe à Colinio tentatum, etiam pecunia oblata, an Reginæ, Regis parenti inſidias ſtruere vellet; ſed addit Judices, probationibus diligentèr expenſis, non tàm verbis hominis vitæ ſupplicio eximendæ, aut prorogandæ cupido, fidem adhibendam cenſentes, quàm rem, ex flagitioſis ipſius moribus æſtimandam judicantes, reum ad mortem damnaſſe. At primam narrationem prolixiori ſtylo Catherinus de Avila confirmat, qui primò quidem, nullam propè fidem verbis Maji adhibuiſſe Judices ſcribit; verùm eorum ſuſpicionem deinde auctam, ex illorum examine, quos ſceleris conſcios reus ſignificaverat, aſſerit; nàm ex improviſo eos ipſemet coràm interrogans, illos obmuteſcere fecerat. Quidquid fuerit, certum eſt, ex nefarii hæretici libri ſemine, hos fructus enatos. Ex eadem etiam radice prodiiſſe Epiſtolam, in quam Regina Parens, manè quodam, cubiculo egrediens, circa id tempus (ut ipſe Catherinus ſcribit) offendit, quæ in ea continebantur, demonſtrant. Vitæ ſiquidem ei interminabatur periculum, niſi plena conſcientiæ libertas reformatam profitentibus Religionem permitteretur. Sic ex ſpreta ſacrilegè primùm Sacerdotali authoritate, ad Regiam quoque impiè peſſundandam, impudentiſſima hæreſis gradum ſibi facere conſuevit.

IV. Divino igitur, humanoque jure damnatâ doctrinâ inſtructus Theologus, è carcere eductus, colloquio interfuit, cujus puriora acta, quàm ex Thuano, ex Reſcio petita, meritò hic duximus apponenda: dicit ergò in Atheiſmis, ac phaleriſmis: (*Extant acta colloquii, ſeù diſputationis Pariſienſis, in gratiam D. de Monpenſier inſtitutæ, inter Vigoreum, & Sanctium doctiſſimos Theologos, & poſteà vigilantiſſimos Epiſcopos, & inter primæ notæ Miniſtros, Reginæ Navarræ præcones, Barbas, Ovibras, Eſpina, & Reſſiero, anno 1566. in domo Illuſtriſſimi, & Catholiciſſimi Principis Ducis Nivernenſis. Poſt unum, & alterum Congreſſum, in quo nil aliud, quàm de capitibus, deque modo, & tempore inchoandæ diſputationis actum erat, Vigoreus Theologus aeri valdè, & periculoſo morbo correptus eſt. Miniſtri verò, ad omnes calumniarum occaſiones vigilantiſſimi, pro perpetua ſui mentiendi libidine,* ni-

nimis, illo quoque tempore, impotentèr ingenio ſuo indulſerunt; ſtatim enim Eſpina acta colloquii in lucem edidit, quod nondùm cœperat, triumphumque ante victoriam cecinit, quæ prorsùs nulla erat: ſed Vigoreus, recuperata valetudine, tantò validior ad certamen acceſſit, quantò ſagitta volare celeriùs ſolet, quæ retrorsùm reducta, impetum diutiùs diſtulit. Quærebant in primo congreſſu 9. Julii 1566. Orthodoxi Doctores à Cacodoxis Pſeudo prophetis, quos vocarent libros Canonicos. Reſponderunt illi 24. Libros veteris Teſtamenti, qui ſunt in Hæbræo Canone, & omnes libros novi Teſtamenti, ſine ulla exceptione, (cùm tamen eorum Doctores Lutherus, Bucerus, Calvinus &c. multos exceperint:) quærebant poſtridiè Doctores ſenſum ejus Scripturæ, quam Canonicam profitebantur, undè petendum putarent, aut in cujus interpretatione Religionem ſuam fundarent. Reſponderunt illi miſeri, amore ſuo obcæcati: in revelatione interiori privata verbi Dei. Cùm autem oſtenderetur, reprehendi in Scripturis viſiones cordis ſui, ſimiliter, & eos, qui quærunt, quæ ſua ſunt, & id genus alia; planè quod reſponderent, non inveniebant, ſed evaſionibus, & illuſionibus utebantur, favente Madama de Baylon. In reſponſo porrò, quod Miniſtri ſcriptum porrexerunt, maluerunt negare Omnipotentiam Dei, quàm in Euchariſtia præſentiam concedere carnis Chriſti. Oſtendebatur illis, quòd Deus potuerit ſtabilire corpus ſuum in Sacramento. Illi dicebant, non eſſe quæſtionem, utrùm potuerit, ſed utrùm voluerit. Cùm viciſſim docerentur, quòd voluit; vanam eſſe voluntatem reſpondebant in eo tentando, quod, ut fiat impoſſibile eſt. Tandem verò, vi Catholicæ veritatis preſſi omnipotentiam Dei circumſcribere cœperant, dicentes, eam eſſe mutabilem; inchoari, augmentari minui, idque videre eſt in ultima Doctorum objectione contra ultimum ſcriptum Miniſtrorum.)

V. Sic Reſcius, qui licèt hic, non niſi de Euchariſtiæ Sacramento in hoc Pariſienſi colloquio actum fuiſſe referat; alibi tamèn, tùm de aliis Sacramentis in genere, tùm de Baptiſmate in ſpecie, habitam fuiſſe quæſtionem narrat, & 32. errores (Anglorum, quos dicebamus erroribus oppidò conſentaneos), ex paucorum dierum diſputatione collectos affert, ſuntque hujuſmodi.

Reſc. Ath. De Sacram. pag. 47.

1. *Quòd ſola Fides nos unit, & conjungit Deo.*

2. *Quòd Sacramenta nos Deo non uniunt.*

3. *Quòd nobis non conferant, nec per ea conferatur ulla ſpiritualis gratia, ſivè conſiderentur in toto, hoc eſt cum omnibus partibus, quibus ſunt conjuncta ſigna, & verba ſacramentalia ſimul; ſivè conſiderentur in partibus diviſim.*

4. *Quòd verba ſacramentalia ſunt inſtructio, & quòd non habent aliud officium, quàm, ut audiantur.*

5. *Quòd verba, quæ pronunciantur in Baptiſmi Sacramento:* Ego te baptizo &c. *omninò ſunt inutilia, attento quòd ſunt verba inſtructoria, & non ſignificantia aliquam operationem.*

6. *Quòd in Sacramento Baptiſmi, & pœnitentiæ, non alio modo remittit peccata Miniſter Eeeleſiæ, quàm per enunciationem verbi Dei, & quòd in virtute verborum Sacramenti, peccata nunquàm dimittuntur à Miniſtris.*

7. *Quòd eſt neceſſarium, ut Sacramenta miniſtrentur in lingua vulgari, aliàs non erunt Saeramenta.*

8. *Quòd Deus non donat aliquam virtutem ſpiritualem in animas fidelium, elementis, & ſignis.*

9. *Quòd aqua Baptiſmi tangit tantùm corpus, & nil omninò proficit in anima.*

10. *Quòd Sacramenta non habent aliud officium, quàm aliquid repræſentare.*

11. *Quòd imago ſerpentis in Veteri teſtamento plus utilitatis attulerit, quàm Sacramenta novi Teſtamenti.*

12. *Quòd Sacramenta nil ſunt aliud, quàm ſigna, & imagines; & quòd panis, & vinum in Cœna, nil aliud ſunt, quàm ſigna, & imagines.*

13. *Quòd Sacramentum Baptiſmi planè eſt infantibus inutile; nihilque poteſt illis repræſentare, propter eorum incapacitatem, dùm perveniant ad annos diſcretionis.*

14. *Si infantes baptizati decedunt ante annos diſeretionis, Baptiſmus nihil illis prodeſt.*

15. *Quòd opinio Anabaptiſtarum eſt benè fundata, ſi opinio Calviniſtarum eſt vera; quod officium Sacramen-*

mentorum non eſt aliud, quàm repræſentare. A

16. *Quòd non eſt neceſsè baptizare, qui ſunt naturalitèr inſenſati, nec ægroti, qui ob ægritudinem ſenſum amiſerunt; etiamſi antea proteſtati fuerint, quòd vellent baptizari.*

17. *Quòd Sacramenta, non ad alium finem nobis repræſentant benedictionem, & gratiam Dei, quàm, ut nos confirment, & ſecuros faciant magis, ac magis de verbo, & promiſſis Divinis.* B

18. *Quòd ſunt tantùm teſtimonia verbi, & promiſſi Divini: & quòd Abraham eſt in illis confirmatus per Circumciſionem.*

19. *Quòd nos confirmant in ſecuritate, quam habemus, quòd per Fidem ſumus uniti, & conjuncti Deo.*

20. *Quòd ſunt ordinata, ut nobis reddant teſtimonium de veritate.*

21. *Quòd Perſona quæque eſt juſtificata per Fidem, antequàm recipiat Sacramenta.* C

22. *Quòd in virtute Fidei præcedentis remittuntur peccata, & non in virtute Sacramenti.*

23. *Quòd infantes parvuli ſunt purgati à peccato originali, antequàm ſint baptizati.*

24. *Quòd Sacramenta non ſunt neceſſaria ad ſalutem.*

25. *Quòd laici, & fœminæ non poſſunt in neceſſitate baptizare.*

26. *Quòd ſi laicus, & fœmina in caſu neceſſitatis baptizat; baptiſmus eſt nullus, & ſic baptizati debent rebaptizari.* D

27. *Quòd homo non debet ſe præſentare ad recipienda Sacramenta, niſi ſit certus, quòd jam per Fidem conjunctus, & unitus ſit Deo.*

28. *Quòd nemo debet recipere Sacramenta, niſi jam ſit certus, quòd eſt ex numero prædeſtinatorum, & electorum Dei.*

29. *Quòd omnes fideles habent certam cognitionem, quòd ſunt prædeſtinati.* E

30. *Quòd Sacramenta non poſſunt prodeſſe, quàm prædeſtinatis.*

31. *Quòd reprobati, quidquid tandem faciant, non ampliùs erunt in gratia Dei; & quòd in quocumque ſtatu ſunt, non poſſunt recipere fructum Sacramentorum.*

32. *Quòd Baptiſmus non omnibus infantibus prodeſt, propterea quòd aliqui ſunt ex numero reprobatorum.*)

His verò impiiſſimis blaſphæmiis, cùm longè plures, ac deteriores fuerint (ut innuimus) quæ in hoc colloquio contra Euchariſtiæ Sacramentum impii pravitatis Miniſtri pronunciarunt; hinc paſſim ſignantèr de eo actum, cœteris omiſſis Scriptores retulere. Catholici autem Doctores, ex omni ipſorum ſermone, octoginta novem errores collegerunt, quos, vel apertè veritatis inimici profeſſi ſunt, vel conſequi neceſſariò oportuit; extantque in actis Diſputationis, gallicè editis, & apud præfatum Reſcium hoc modo: VI.

[1. *Licèt habeatur conjunctio Sacramentalis inter ſigna, & ſignificata; tamen in hoc Sacramento Corporis, & Sanguinis, per ſigna repræſentato, tanta eſt diſtantia ipſorum, quanta Cœli, & Terræ.* Reſc. de Sacram. Euchar. pag. 58

2. *Recipitur in hoc Sacramento ſubſtantia abſtractiva.*

3. *Aliud Corpus recipitur in Cœna, quàm ſit in Cœlo.*

4. *Subſtantia Corporis Chriſti diverſa eſt, pars habitat in Cœlo, pars defluit inferiùs in Cœnam.*

5. *Corpus Chriſti eſt conſumptibile.*

6. *Hoc Sacramentum non eſt extrà uſum.*

7. *Si Apoſtoli noluiſſent manducare id, quod Chriſtus illis dabat, per hæc verba: hoc eſt corpus meum, non fuiſſent verè dicta verba, & Chriſtus eſſet mentitus, & fraudem feciſſet.*

8. *Expoſitio horum verborum: hoc eſt corpus meum, vera, eſt talis: hoc erit ſignum corporis mei, quando vos illud manducabitis.*

9. *Non aſſeruandum Sacramentum in Templis.*

10. *Non debet adorari.*

11. *Non debet portari ad ægrotos.*

12. *Indigni non recipiunt Corpus Chriſti.*

13. *Veritas verborum Chriſti pendet à voluntate hominis.*

14. *Si Apoſtoli non credidiſſent verbis Chriſti, quod illis dabat non fuiſſet Corpus ejus, nec ſignum Corporis.*

15. *Hæc verba: hoc eſt Corpus meum, tantum valent, ac ſi dixiſſet: hoc erit ſignum Corporis mei, ſi vos credetis.*

16. *Hæc propoſitio fuit vera in Apoſtolis; quatenùs crediderunt; falſa in Juda, quia non credidit.* A

17. *Corpus Chriſti non recipitur per os hominis corporale.*

18. *Nulla eſt manducatio, niſi per Fidem.*

19. *Fideles quotidie manducant Corpus Chriſti, antequàm accedant ad Cœnam.*

20. *Non plus recipiunt in Cœna, quàm receperunt ante Cœnam.*

21. *Nil prorsùs habet de manducatione Sacramentali.* B

22. *Eſt tantùm confirmatio Fidei per Cœnam, nec alia quæcumque res accipitur in Cœna.*

23. *Cum dixit Chriſtus: hoc eſt Corpus meum: aliud non dixit, quàm, recordamini, quòd comeditis Corpus meum per Fidem.*

24. *Magis verum Corpus Chriſti recipitur in lectione, vel concione, quàm in Sacramento.*

25. *Debet homo magis ſe ipſum probare, quandò vadit ad concionem, quàm ad Cœnam.* C

26. *Corpus Chriſti eſt in noſtra anima, ſine omni qualitate, & dimenſione.*

27. *Ea, quæ faciunt Cœnam, realitèr ſunt in Cœlo.*

28. *Non recipitur ſubſtantia Corporis, ſed qualitas dimanans ex ſubſtantia ejus.*

29. *Qui manducat carnem meam, hoc eſt dicere qualitatem defluentem ex ſubſtantia carnis meæ.* D

30. *Nos non ſumus cum Chriſto, nec unimur illi, niſi per Fidem.*

31. *Deus Pater, & filius non ſunt unum in ſubſtantia.*

32. *Nos non ſumus alitèr una caro cum Chriſto, quàm vir, & mulier ſeparati unus ab altero.*

33. *Diſtantia corporis impedit, quòd fideles non verè, & realitèr comedunt carnem Chriſti.*

34. *Patres æquè manducaverunt carnem Chriſti, ante Incarnationem, ac Apóſtoli in Cœna.* E

35. *Chriſtus verè fuit incarnatus, antequàm fuiſſet incarnatus.*

36. *Res futuræ, & abſentes fiunt verè præſentes per Fidem.*

37. *Virgo Maria fuit aute ſuum Patrem, & Matrem.*

38. *Nos ſumus verè reſuſcitati, antequàm moreremur.*

39. *Nihil eſt futurum fidelibus, ſed omnia ſunt illis præſentia.*

40. *Fidelis non habet virtutem ſpei.*

41. *Non eſt alia differentia inter manducationem Patrum, & noſtram, niſi quòd nobis Chriſtus magis particularitèr ſuam voluntatem declaravit, quàm Patribus.*

42. *Vetus, & novum Teſtamentum ſunt ejuſdem authoritatis in ſubſtantia, & veritate.*

43. *Sacramenta Evangelica non ſunt plùs excellentia, quantùm ad res, quibus continentur, & quantùm ad eorum effectum, quàm Sacramenta Legis.*

44. *Baptiſmus eſt Sacramentum Corporis æquè, ut Euchariſtia.*

45. *Sacramentum Euchariſtiæ non eſt neceſſarium.*

46. *Non debet fieri difficultas in danda Euchariſtia infantibus.*

47. *Infantes parvuli manducant corpus, æquè, ut adulti, non tamen recipiunt Sacramentum.*

48. *Manducant corpus per verbum, & Baptiſmum, ſicut per Sacramenta.*

49. *Antiqui erraverunt, in hoc diffidentes, non debere dari hoc Sacramentum aliis, quàm Baptizatis.*

50. *Conſecrare nihil aliud eſt, quàm deputare elementum ad Sacramenti uſum.*

51. *Certa verba non ſunt neceſſaria ad faciendam conſecrationem hujus Sacramenti.*

52. *Ea debent ſimplicitèr proferri.*

53. *Non debent pronunciari ſupèr materiam.*

54. *Hæc verba: hoc eſt corpus meum, non ſunt verba Sacramentalia.*

55. *Verba Sacramentalia non habent ullam virtutem.*

56. *Eſt magna ſuperſtitio pronunciare aliqua verba benedictionis ſuper materiam Sacramenti.*

57. *Eſt ſpecies ſortilegii uti benedictione ſuper panem, & vinum ad illa conſecranda.*

58. *Verba Sacramentalia in hoc Sacramento, non ſunt verba prædicationis.*

59. *Hæc*

Digitized by Google

59. *Hæc verba: Ego te Baptizo, non ſunt verba Sacramentalia Baptiſmi.*

60. *Uſque ad tempora Calvini non fuit Baptiſmus in Eccleſia, nec fuit miniſtratum Sacramentum Euchariſtiæ.*

61. *Non eſt Sacramentum, ſi non adminiſtratur in lingua materna.*

62. *Si auditor habet veram Fidem, jam recepit Sacramentum.*

63. *Qui ſe offert ad Sacramentum hoc recipiendum, ipſe facit, & non Miniſter, ut verba ſint ſigna.*

64. *Nullum eſt prorsùs Sacramentum, niſi in Eccleſia Calviniſtarum.*

65. *Verba recepta per Fidem ab auditore, ſunt verba Sacramentalia.*

66. *Si panis deeſt in Cœna, non aliud opus eſt facere, quàm accipere panem apud Piſtorem, qui ſine aliis verbis pronunciatis ſuper ipſum, tàm benè poteſt repræſentare Corpus Chriſti, quàm alius panis, etiam in Cœna benedictus.*

67. *Accidentia, per omnem Dei Omnipotentiam, non poſſunt ſubſiſtere ſeparata ab illorum naturali ſubjecto.*

68. *Accidentia panis, & vini non poſſunt nutrire corpus, neque hæc virtus poteſt illis dari à tota Dei Omnipotentia.*

69. *Accidentia non poſſunt in ulla ratione repræſentare Corpus, & Sanguinem Chriſti.*

70. *Panis, & Vinum per Conſecrationem prorsùs non commutantur, quantùm ad illorum ſubſtantiam; & accidentia, & remanent poſt conſecrationem talia, qualia fuerunt, & ante conſecrationem.*

71. *Doctrinâ de tranſubſtantiatione, non mutantur, niſi quòd repræſentant Corpus, & Sanguinem ita ut repreſentabant ante.*

73. *Quandocumque eſt ſermo de Sacramentis, nomen rerum ſignificatarum attribuitur ſignis, quæ eas repræſentant, & ſignificant.*

74. *Non poteſt oſtendi per Scripturas, quòd, qui recipiunt ſigna, ſint participes rei per illa repræſentata.*

75. *Hæc verba: Hoc eſt corpus meum, tantum valent, ut, hic panis eſt Corpus meum.*

76. *Per nomina, corpus, & vinum in Scriptura, quando loquitur de Sacramento Euchariſtiæ, facit nos intelligere panem, & vinum eſſe ſigna ejus.*

77. *Vinum in Sacramento eſt ſignum conjunctionis, & parentelæ.*

78. *Conjunctio, quam Deus fecit nobiſcum, eſt ſigillata per vinum.*

79. *Hæc verba: Hic calix eſt novum teſtamentum in meo ſanguine, ſunt expoſitiva illorum, hoc eſt corpus meum, quæ deberent ita interpretari: Hoc eſt novum teſtamentum in meo Corpore.*

80. *Sacramentum Euchariſtiæ, nihilo eſt excellentius illo pane, & vino, quod Melchiſedech dedit Abrahamo, & ſociis.*

81. *Veritas Evangelii de Sacramento Euchariſtiæ, non habet plus in ſe, quàm figura in Lege.*

82. *Sacramenta Legis antiquæ meliùs figurabant, & repræſentabant Corpus, & Sanguinem Chriſti, quàm faciunt ſigna Sacramenti Euchariſtiæ.*

83. *Agnus repræſentabat meliùs Corpus Chriſti, quàm ſigna Sacramenti, & propterea Chriſtus non debebat mutare ſigna, & figuras in rem.*

84. *Nos ſumus adhùc in umbris, & figuris Legis.*

85. *Chriſtus non dixit verum, promittens nobis dare ad manducandum meliorem cibum, quàm manna.*

86. *Patres ſub Moſe erant feliciores, comedendo Manna, quàm Chriſtiani, ſumendo Sacramentum Euchariſtiæ.*

87. *Deus dans manna à Cœlo, fecit majus miraculum, quàm Chriſtus, dando Sacramentum ſuis Apoſtolis.*

88. *Chriſtus non dedit ſuæ Eccleſiæ quod promiſit, nàm promiſerat illi dare carnem ad manducandum, & ſanguinem ad bibendum, & non dedit, niſi panem, & vinum, ſigna ipſorum.*

89. *Apoſtoli nil excellentius in ſecunda Cœna ſumpſerunt, quàm in prima.*

VII. Hactenùs in Pariſienſi colloquio, ab impudentiſſimis Satanæ Miniſtris prolatæ blaſphæmiæ; quibus relatis addit illicò Reſcius hæc verba (*Ego verò per tuam, te quæſo, conſcientiam, ò Lector, nonnè horruiſti cum legeres? nonnè tibi verum illud Nazianzeni, & ad hunc locum dictum videtur:* Reſc.ut ſup.

[Clamante Porco, namque
porcorum illicò
Horreſcit agmen?) Nazianz. in Iambicis.

Statim, ut auditus eſt ille Rex infelix lutulenti Lutheri grunitus, receptum toto Orbe Chriſtiano unius ſpeciei uſum reprobantis; agmen illicò porcorum accurrit, qui omnem de Euchariſtiæ Sacramento doctrinam in mille minutiſſimas partes lacerarunt, atque diſcerpſerunt.) Sic ille: qui pluribus in deteſtanda dogmata invehitur; ex quorum tamèn turpitudine illi, quorum cauſa collatio habita fuit, ut refert Thuanus, ab eis abhorrere, ut debuerant, non didicerunt. Maximo verò (quod ille negare, vel diſſimulare videtur) ceſſit, & Catholicæ Religionis profectui, & Sectariorum damno, cùm in eas iſti, cum ſuo Theodoro Beza, Calviniſtarum tunc Pſeudo-patriarcha, ſint redacti anguſtias, ut, aſſertam olim, òbſtinatiſſimè tuerentur blaſphæmiam: quòd Dei Omnipotentiam negare, aut, nonniſi circumſcriptam agnoſcere, quàm Corporis Chriſti præſentiam in Sacra Euchariſtia, fideli ore fateri, potiùs maluerint.

Spondan. ſub hoc anno 1166.

VIII. Porrò, (ut præfatus Reſcius alibi narrat) tàm diſcordes illorum, & diſſentientes de verbis Cœnæ ſententias, conatus eſt miſer quidam Sambuccus ſimul conjungere: de methodo eas conciliandi, gallico libro edito. Fuit autem anno 1571. impreſſus, in eoque amariſſimè de Catholicis queſtus eſt, tamquàm qui impoſſibilitatis vocem, ac ſi ipſa in rebus ſacris, ſine blaſphæmia uſurpari nequiret, & quaſi, hac ratione, ſua Deus ſpoliaretur Omnipotentia, nullo modo audire ſuſtinerent. Deindè, quòd de rebus naturalibus, earumque proprietatibus, in explicandis Scripturis, & Fidei rebus examinandis, rationes duci nihilo magis paterentur. Hinc impoſſibilitatis tria genera, ex Plinio, Deo attributa poſuit; quorum primum eſt illud, quòd Deus ſibi mortem conſciſcere nequit. Secundum, quo, nec mortales æternitate donare, aut defunctos ad vitam revocare poſſit. Et tertium demùm, ut facta reddantur infecta, ut qui, exempli gratia, vixit, non vixerit, nullumque jus in præterita, præterquàm oblivionis, Deum habere contendit; uti etiam, ut bis dena, viginti non ſint, efficere nequit. Vocibus deindè illis, prius, ac poſterius, quibus Divina Scriptura utitur, vult ea, quæ Deo ſunt impoſſibilia, ſignificari; ex quibus, Prius, in Deo Omnipotentiam circumſcribat circa id, cujus capax ipſe non eſt. Poſterius verò, quòd non quidem Dei impotentiam, ſed impoſſibilitatem in natura exiſtentem indicet. De ſecundo genere, mentiri Plinium conceſſit; ſed intereà ex ea impoſſibilitate, in natura reſidente, contra Scripturas, citrà Omnipotentiæ divinæ jacturam, injuriam, & blaſphæmiam, præſcribere, & agere, licitum eſſe tuetur; eoque in genere ponit Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia, & in Cœlo; nàm ſine dimenſionibus illis, nimirum, eſſe non poſſe, cum quibus ſemel in Cœlo ſedit, blaſphæmando aſſerit. Alterum, ſuprà Plinium, genus, liberum Deo condonat: nè ſi hoc quoque ſpoliaſſet cum Plinio, non pluris Deum, quàm naturam feciſſe viſus eſſet.

Reſc. in Conventicul. Evangel.

IX. At, quid huic miſero acciderit, in tot blaſphæmiarum, contra Dei Omnipotentiam, conciliatione, impoſſibilia contendenti, audi à Claudio Sanctio, qui, ut diximus unus è Theologis fuit, qui contra hæreticos Miniſtros, in colloquio diſputarunt; ex quo Reſcius quoque quæ propoſuimus accepit. (*Ab hac egregia* (dicit) *navata opera Sambuccus ille, quaſi cum Lucifero, & Angelis ejus Cælo deturbatus, quia captum ſuum Omnipotentiæ adæquarit; quaſi non plus iſta valeret operari, quàm ille ſua ſolertia concipere; amentia perculſus, cui ſe Religioni, vel ſectæ poſtea addiceret, vel ubi acquieſceret, non invenit. Sed novus Ecebolius, Religione, tamquàm foro, utitur. At tempore impiæ illius ſcriptionis, quæ pomum diſcordiæ, pro concordia in medium projicit, in miras animi anguſtias ſe redactum fatetur; nec quò fugeret, nec quid crederet, apud ſe diſcernere potuiſſe: deniè, miſerante Deo, & ſuam in ipſo oſtendente potentiam, cùm non quæreretur, ac nè quidem de ipſo cogitaretur, & eſſet liberum fugere, quandò de publicis in Regem conjuratis, Lutetiæ, tumultuaria, circa Bartholomæi Apoſtoli Feſtum, haberetur quæſtio, & ſumeretur pœna; ultrò ſe in manus noſtrorum dedit, ejuravitque, non ſolùm illam Blaſphæmiam contra Omnipotentiam, ſed totum Calviniſmum, & liberam, & nequidem expectatam ab illo, vel requiſitam confeſſionem edidit, in qua carnificinam animi, quam patiebatur, prodit; cùmque ad modum explicandum, quo Corpus Chriſti in Euchariſtia conſiſtit, ejus*

ejus delabitur oratio, pro naturæ impoſſibilitate, omnibus ſubtilitatibus renunciandum eſſe, & captivandum intellectum in obſequium Chriſti dixit, quoniam longè difficiliora, ac magis in natura impoſſibilia Fide amplectamur, de Trinitate, & Incarnatione Filii Dei. Rogatus verò de auctore ſcriptionis illius, de concordia diſſidentium circa Cœnam Domini, faſſus eſt, ex ſe natum, ac deinceps ſe impotem animi evaſiſſe: quod, ut reipſa palàm faceret, iterùm, nullo perſequente, Eccleſiam, in cujus gremium ſe pœnitentem recipi, multis eum lacrymis ſupplex oraverat, deſeruit: & ad quos transfugerit incertum, nec admodùm curandum, cùm, Dei, ac proprio Judicio condemnatus, pro confeſſione Fidei, nil, præter confuſionem, moliri poſſit.) Hæc Sanctius.

X. Quid ſimile verò de Ruzerio accidiſſe, quem è carcere eductum diximus, ut colloquio intereſſet, teſtatur Genebrardus in Cronic. hac ſiquidem diſputatione perculſus, nec deinceps animo quietus, anno tandem 1572. factus Catholicus, pro Catholica Fide libellum, Calviniſtis exitioſum, vulgavit. Sequenti autem, proptèr minas, inſidiaſque, in Germaniam evadens, Lutheraniſmum profeſſus eſt; & paulò poſt, nec Catholicus, nec Calviniſta è vivis ſublatus, cum tamen non parva, ſua ea defectione, Calviniſmo damna intuliſſet; cujus cœteri Miniſtri, cùm jacturam metuerent, & ex his, quæ in prædicto Pariſienſi colloquio ipſis evenerant, edocti; in proxima, quam coëgerunt Pſeudo-Synodo decreverunt, nullas deinceps cum Catholicis collationes eſſe habendas, nè ob frigida, & manca ſuorum reſponſa, plurimum ſui Evangelii incrementi decideret; uti idem Genebrardus ſcribit, poſt Launæum, tunc Miniſtrum, poſteà Catholicum, qui Pſeudo-Synodo eidem interfuit.

Genebrard. Chron. lib. 4. Spondan.

XI. Nec Catholicorum dumtaxat doctrinâ, ac veritate, voluit Omnipotens Deus ſacrilega maledicta in Sacroſanctam Euchariſtiam, ab impiis hæreticis, hoc anno prolata, deturbari; ſed etiam miraculo, cujus hiſtoria per totam Galliam celeberrima fuit, grandi volumine poſteà, circumſtantias omnes diligenter exprimente, conſignata. Prodigii acta coram decem hominum millibus, Notariis publicis excipientibus,

A qui rem ſuppoſititiam quoquomodo videri exoptabant, id procurantibus Calvinianis, quos inter fuit etiam celeberrimus ille Burdigalenſis Senator, Floremundus Raemundus, qui tanti obſtupefactione miraculi, à faucibus hæreſis ſe liberatum profitetur, illudque in libro de ortu hæreſum, his verbis narrat.

[*Quoniam verò Sacramentariorum erroris confutandi ſtudium, etiam ad ea miracula, quæ noſtro tempore acciderunt, nos deduxit;* B *hoc loco non poſſum non illud ponere, quod meis ipſe oculis vidi, & cujus beneficio à profundo hæreſeos luto ſui extractus. Et licèt illud, meo de Antichriſto libro inſeruerim; nihil tamen prohibet, quominùs idem quoque hoc loco, alia veluti inducta forma, proponam. Miraculum hoc, inter pauca celeberrimum, factum eſt Laoduni anno 1566. in Juvencula quadam, Vervini, non procul Laoduno, nata, Nicholaa Obris nomine. Quamvis autem* C *initio illa à pluribus Diabolis obſeſſa fuerit, omnes tamèn, ante meum, & ſociorum, qui comitati me fuerant, adventum, ab ea expulſi fuerant, præter eorum Principem Belzebub. Miſera hæc, & infortunata fœmina, infinita ſpectante hominum multitudine, in Templum deducta, tàm miſeris modis à Diabolo habita, ac torta fuit, ut oſſium fragor, ac dentium ſtridor audiretur, totumque ejus corpus nullam ferè humanam ſpeciem præſeferret. Inflabatur ei venter, ad* D *inſtar dolii, ingluviem ità aperiebat, ut Stomachi fundus à propè adſtantibus poſſet inſpici; linguam, pedis longitudine exerebat, oculiſque craſſis, & rutilantibus ità ſcintillabat, ut ejus aſpectum vix quiſquam ferre poſſet: tùmque ità ſe in aërem efferebat, ut à duodecim, aut quindecim hominibus non poſſet retineri. Laudunenſi Epiſcopo ſuper caput ejus Hoſtiam tenente, & iiſdem, quibus Sanctus Bernardus olim in ſimili caſu uſus legitur, armis, malignum ſpiritum* E *oppugnante, ac dicente: [Ecce infelix ſpiritus, Judicem tuum: ecce Cœlorum virtutem; reſiſte, ſi potes, ei qui dixit: nunc Princeps hujus mundi ejicietur forâs. Hoc corpus eſt, natum ex Maria Virgine, quod in arbore Crucis expanſum fuit; quod in ſepulchro quievit, & reſuſcitatum in Cœlos aſcendit. Adjuro te, ut in virtute Cœleſtis hujus Majeſtatis, ex ejus Ancillæ corpore egrediaris.*]

Florim. Remund. de ort. hæreſ. lib. 2. cap. 12. num. 3. pagin. 159.

His,

His, inquam, & ſimilibus exorciſmis Epiſcopo malignum ſpiritum oppugnante, Demoniaca illa horrendum in modum ſe elevabat, & averſis à ſacra Hoſtia oculis, mille blaſphemias evomebat. Deindè, defixis in Templi fornicem truculentibus, & minacibus oculis, ventum, tamquàm fumum ex ore, & naribus emittebat. Tùm tremens, ac pavens contidebat, ac magna totius corporis deformitate, velut erinaceus in ſe convolvebatur. Cùm rogaretur, cur ad ſacræ Hoſtiæ conſpectum tanto horrore corriperetur; Diabolus reſpondit, ob illud: Hoc eſt, Hoc eſt, *vim Sacramentalium horum verborum,* Hoc eſt corpus meum, *eo innuens.*

Omitto plura ſtuporis plena verba, per Diabolum ex ore hujus Demoniacæ prolata. Tandem victus præſentia Sacratiſſimi Jeſu Chriſti corporis, Belzebub, ex hoſpitio ſuo deceſſit, edito priùs, veluti ingenti fumo, quem horribiles fragores, ſeù tonitrua inſecuta ſunt; adeòut totum Templum unà cum adjunctis Turribus inſonuerit, cum magno omnium adſtantium ſtupore. Et ſanè miraculum hoc maximis, ac celeberrimis, quæ unquàm viſa ſunt, annumerandum, quod nec ipſi Diaboli ſupprimere, aut obſcurare potuerunt.) Ità Floremundus Raemundus. Ejuſdem rei etiam Genebrardus meminit, poſt longè ſuaviorem modum pellendi Dæmones, ex Fojo in ſuo Energumeno, enarratum: quo, ſcilicet, ut ait, anno ſuperiore, Mamejanus Miniſter Chalnienſis Dæmoniacum ſibi oblatum, culeo inſutum, in Iſaræ amnis profunda, ſaxis aggravantibus, demerſit.

XII. Regina verò Navarræ, nec miraculis territa, nec veritate victa, cujus vim ipſius Miniſtri, ut diximus, haud ferre in Pariſienſi colloquio potuerant; in Calviniana perfidia obſtinatior, immaniori rabie, contra Catholicam Religionem, hoc ipſo tempore, deſævire viſa eſt. Hoc ſiquidem anno, menſe Julio, juxta Campigliam, ſeù veroſimiliùs, præcedenti, præconis voce in Bearnienſi ditione Edictum promulgare fecerat, quo audacià fœmineà, juxta leges, ſacræque Scripturæ mandata, omnem, cui dominabatur, regionem ſe moderari velle jactans, Romanæ Eccleſiæ ritus delebantur; & publicas omnes ſupplicationes, & fidelium in Eccleſiis ſepulturam diſtrictè prohi-

Campigl. lib. 2.

A buerat. Pueros etiam, qui literis percipiendis apti noſcerentur, cogi juſſerat, ut hi, nimirùm, Eccleſiaſticorum expenſis in publico conſtituto eis loco, ſcientiis imbuerentur, ac ità in Reſpublicæ uſum (ut ipſa dicebat) aliquandò eſſe poſſent; ſed reverà, ut hoc pacto læthale hæreſis virus ſibi ſubjectis, ab infantia propinandum proponeret. Catholicis omnibus, qui Sanctorum Eccleſię Patrum authoritatem venerabantur, Conciliorumque, ac Summi Romani B Pontificis decreta, ac ſententias obſervabant, Eccleſiaſtica conferre impoſterum Beneficia vetuerat; imò Eccleſiaſticorum cunctorum, tàm ſæcularium, quàm Regularium bona, violenter uſurpaverat, vel hæreſis Miniſtris attribuerat. . .

Ut ſævam igitur immaniſſimæ perſecutionis procellam Catholici, ac præcipuè Eccleſiaſtici evaderent, atque impii Edicti executionem quoquo modò impedirent, Regina, ejuſque Filio, XIII.
C tùnc longè conſtitutis, [ex quo agnoſcas Edictum, non hoc anno, quo ipſa cum Filio Bearniæ commorata eſt, ſed ſuperiori vulgatum.] tumultuosè coacti, arma ſumpſerant, atque ad Catholicos quoſdam Proceres confugerant, ut eis auxilio eſſe vellent; ſed ab his à propoſito deterriti, quòd contra legitimæ Reginæ reverentiam, hac temeritate Catholicos inſurgere non liceret, eorum aliqui conſilio acquieſcentes, arma depoſuerant; verùm pars D potior, conjurationem fovente Eccleſiaſtico Viro, in priori ſententia permanſerat.

His auditis, Regina, quam in ſui contemptum rem cedere credidit, egerrimè tulit, & ſevera admodùm animadverſione rebellantes coërcere decrevit. Quaproptèr, præmiſſo cum Nobilibus plurimis armato Duce, è gallica aula diſcedens, & ipſa tandem Bearniam venit; ubi, & editum olim confirmavit Edictum, & curatoribus undeE quaque miſſis, ſacras abradere imagines araſque deſtruere juſſit. Verùm hæc muliebris pervicacia tantum abfuit, ut excitatos tumultus comprimeret, quin majores potiùs commoviſſe viſa eſt; nàm Catholici, Pentecoſtes die, quo nimirùm Calviniſtæ diabolicam Cœnam ſuam, (cui etiam Regina cum Filio intereſſe debebat) celebrandam inſtituerant; cum ea ſimul & Filium, & cun- XIV.

cunctos hæreticæ pravitatis ſectatores trucidare decreverunt. At facinus nobilis detexit Catholicus; nàm à conjuratis rogatus, ut paratis Reginæ inſidiis aſſentiri vellet, à parricidio, quod Catholica Religio deteſtabatur, abhorruit, de eoque inſuper Reginam admonuit, quæ ſic furentium commolitiones evaſit. A

XV. Ab his nihilominùs edocta maturiùs ſe gerere; quamvis has ſibi ſtructas inſidias comperiſſet, earumque exploratos habuiſſet auctores, eos tamen plectere noluit; vel quòd ad id ſibi ipſi vires non ſuppetere cognoſceret, vel quòd eâ ratione potiùs, quàm reſtingui, vehementiùs tumultuum ignem accendi formidaret; quapropter cùm præcipuus quidam Abbas, qui cùm claſſico caneretur Lugduni, quemdam ejuſdem Urbis Ducem occidere voluerat, & inter primos contra Reginam conjuraverat, ab ejuſdem Reginæ militibus comprehenſus fuiſſet; eum Joanna ipſa ſequacibus ſuis incolumem reddi juſſit: licèt is inſigni hoc beneficio nihilo melior effectus, reaſſumptis deinde armis, contra illam inſurrexerit, occupatoque Lugduni Suburbio, biduo illud detinuerit, atque contra Calviniſtas in eo repertos crudeliſſimè animadverterit. Haud multò poſt tamèn, in maximum Reginæ commodum copias dimiſit, & ab incœptis abſtinuit; nàm è montanis regionibus infinita propemodùm Sicariorum exulum, facinoroſumque hominum multitudo, die ex die expectabatur, quæ illi præſtò eſſet, & unà cum eo certè totam Bearniam vaſtaſſent. Hac ſeditione ſedata, paucis interjectis diebus, in Franciſcanorum Cœnobio Comitatus Bigorienſis alia rurſùs excitata fuit; ſed iiſdem etiam artibus ipſi finis impoſitus; & licèt hæc omnia coarguere viderentur Reginam, ob injuſtum ab ea evulgatum Edictum, quo revocato, priſtinæ tranquillitati cuncta citò reddenda eſſe cenſebantur; proprio tamèn, ac Filii, omniumque ſubditorum, hæreſis propagationi, poſthabito diſcrimine, illud ipſa, nec immutare, nec revocare, unquàm voluit. B C D E

XVI. His Pius permotus, ad Galliarum Reginam literas dedit, quibus graviſſimè hortatus eſt, ut omninò curaret, nè jam ampliùs Joanna Navarræ Regina apud ſuos, adversùs Catholicam Fidem, ac Eccleſiaſticam libertatem, adeò inſoleſceret; alioquin pro Fidei, Eccleſiarumque incolumitate, præpotentes Hiſpanos Epiſcopos, Bearniæ Eccleſiis, ac Diœceſibus præpoſiturum, qui gregem Dominicum potenti manu tuerentur, aliaque ſe moliturum, quæ ipſi Galliarum Reginæ minus grata futura eſſent, interminatus eſt. Cogitare ſe etenim ſcripſit, de ſceptri jure ſpolianda eadem Navarræ Regina, ipſaq; ut hæretica condemnata, idem jus in Hiſpaniarum Regem traducturum; quem quamprimùm deindè ad occupandum, viribus, & armis, quod tradiderat, impuliſſet. Et quia Navarræa, ut diximus, in dies, majori pervicacia Eccleſias, ac ſacra perſequi, ac delere haud deſtitit; idcircò Pontifex, ut quę comminatus verbis fuerat, opere comprobaret, & ſic à malo propoſito obſtinatam fœminam deterreret, unàque Catholicæ Fidei conſuleret; Vipuſcoam, quæ Cantabriæ pars eſt, à Bajonenſis Epiſcopi juriſdictione exemit, quod è Galliis ſectario veneno infectis metus eſſet, nè ſi populi illi in Eccleſiaſticis cauſis à Gallico, cui ſuberant, Epiſcopo, licet Catholico, jus petere cogerentur; ultrò citròque commeando, peſtem, contagione concepta, ſecum in Hiſpaniam, ab eo malo adhùc puram, attraherent. Itaque in diplomate ad Hiſpaniarum Regem dato, his de cauſis ſe perſuaſum dixit, ut Philippi ejuſdem, tamquàm æquum petentis, pro juſto, ac laudabili deſiderio, ſatisfaciendum cenſuerit, & Bajonenſi Epiſcopo, ac Auſcitano Præſuli, cui Bajonenſis ſubjicitur, mandavit, ut in Pampilonenſi, ſeù Calaguritana Diœceſi, intra ſex menſes, inculpatæ vitæ, ac doctrina excellentes viros, ex Hiſpaniarum Regnis oriundos, tamquàm Vicarios, ac Officiales ſuos conſtituerent, qui de Vipuſcentium cauſis cognoſcerent; ni intrà definitum tempus feciſſent, tàm Pampilonenſi Archiepiſcopo, quàm Calaguritano, de iis cauſis per Vicarios, & Officiales ſuos cognoſcendi eodem diplomate poteſtatem fecit; cenſuræ adiecta ſanctione, tàm in Bajonenſem, quàm Auſcitanum, ſi ſuas deinceps in Vipuſcoenſium cauſis partes poſuiſſent. Quod tamen locum ſe habere voluiſſe explicavit, quamdiù dumtaxàt ſectarii errores in Galliarum Regno perſeveraſſent.

Hoc

XVII. Hoc diplomate inſigne præjudicium à Pontifice, & Hiſpanorum aſtu, A ex Gallorum calamitate occaſionem aucupantium, gallico nomini factum, ægerrimè dolet Thuanus; nec minore eorum, qui cùm in gallica aula rerum potirentur, fuiſſe diſſimulatum, flagitio queritur. Sed cùm diploma ipſum pridiè Kal. Majas datum ipſe recenſeat, & menſe Julio iniquum Regina Navarræ, quod prædiximus, Edictum, juxtà Campiliam, contra Catholicam Religionem ediderit; vel potiùs anno præcedenti B vulgatum, in Bearniam, ut diximus, reverſa, confirmans, impiis juſſionibus, impiora, deterioraque facta addiderit: ipſius, aliorumque hæreticorum conſilia prævertere, hæreſiſque dilatationem coërcere conſultiſſimè hoc diplomate Pium ſtuduiſſe cognoſcitur; quidquid fuerit, quòd, ſuadentibus Hiſpanis, periculum, & ipſi Religioni metuentibus, effectum id fuerit. Gallico inſuper nomini, & juri immeritò præjudicium factum dicitur, cùm potiùs C commodi plurimum ægro eidem Regno allatum fuerit; nè hæreſum videlicèt ille, quo correptum fuerat, morbus, in adiacentes alias regiones invectus, novis, acrioribuſque viribus ſumptis, ipſum deindè penè inſanabile redderet. Diſſimulatum idcircò præjudicium id ab illis, qui in gallica aula rerum potiebantur, exiſtimandum videtur, quòd, pro ſummo, à Pontifice accepto beneficio, ipſum habuerint; utpotè qui cum Hiſpanis, ad profligandam hæreſim D manus conſerere, vireſque conjungere decreviſſent; ut inferiùs dicendum erit.

XVIII. Ex eo inſuper, quòd præfatum ad Hiſpaniarum Regem diploma conceſſiſſe Pontifex dicitur, pridie Kal. Majas hujus anni, & hoc ipſo anno à Joanna, quod ſuperiori menſe Julio vulgatum diximus, virulentum Edictum, rursùs confirmatum habeamus; id ab ea factum, ab eodem diplomate exacerbata, cenſeri meritò poteſt. Viciſſim verò, E quæ hoc anno in Reginam Pium feciſſe narravimus, ejuſdem impiiſſimi Edicti, acerbiſſimæque ex eo in Catholicam Religionem excitatæ perſecutionis intuitu, geſta fuiſſe, aſſerere non veremur.

XIX. Contra nihilominùs Reginam ipſam adhùc Apoſtolicæ animadverſionis gladium Pontifex ſuſpendit, ſpe ei facta, quòd mulier ab hæretica pravitate revocaretur, & hac etiam ratione Henricus Princeps filius ad Catholicam veritatem rediret; extractumque eſt, nè, jure Joannæ, Hiſpaniarum Regi tradito, intermiſſa inter Hiſpanos, & Gallos, ob idque majori objecta diſcrimini religione, bella renovarentur. Quod, ut etiam evaderetur periculum, minimè effectum à Pio cenſemus id, de quo pluriès Galliarum Reginam, Pium ipſum admonuiſſe ſcribit Catena, ut nempè eam Navarræ ditionis partem, quam Joanna poſſidebat, ſibi vindicandi occaſionem caperet; vel, ut Apoſtolica authoritate eidem, è Valeſiorum Domo aliquem, ut ipſe præficeret, ſaltem pateretur.

Nec his minis territa, nec ſuo filiique periculo edocta Navarræa Regina tamen, ut diximus, à propagandæ, tuendæque hæreticorum perfidiæ propoſito (quod nunquàm, niſi coactè, ac ſimulatè abjeciſſe deprehenditur, cùm videlicèt in rebellantes Catholicos mitiùs ſe gerere viſa eſt) ſe temperavit; imò tantum abfuit, ut ab eo abſtineret, quin potiùs in Comitatus Fuxenſis præcipua Urbe, Apamea, cui non, uti Bearnæ, abſoluto, ſed pari tantùm cum Epiſcopo jure, domina erat, deteriores tumultus commovere ſtuduerit; ingentes, deplorandoſque ſiquidem motus, qui hoc ipſo tempore in Civitate ipſa exorti leguntur, à fide dignis Scriptoribus ei tribuuntur; id licèt reticuerit Thuanus, quòd hæreticorum fraudes (ut toties monuimus) ſtudio omni, ſemper contegere contenderit. Rationabilem nihilominùs (ſpecie ſaltem) tumultuandi anſam hæreticis præbuiſſe Epiſcopum, ex iis, quæ ipſi Authores narrant, cognoſcitur, quos inter Bulengerius iſta habet: [*In Fuxenſi Comitatu plus negotii fuit; Robertus enim Pellevæus, Nicolai, qui poſteà Cardinalis fuit, frater, Apameæ Epiſcopus, ſubreptitiis à Rege literis, Sectariis uſum in Urbe Conciliabuli eripuerat; eoſque aditu conſulatus, præter morem, excluſerat, ut ſoli Catholici Conſules crearentur. Sectarii offenſi, cùm per Feſtos Pentecoſtes dies, à meridie, ut fit, choreæ per vicos à Catholicis agerentur, & per ſpeciem ſupplicationum perſonati homines, argenteis ſigillis in foro propoſitis, cum laſcivia diſcurrerent, ad arma eunt, obvios quoſque trucidant, incen-* XX.

incendia per ædes Catholicorum ſpargunt, quorum plerique in Arcem fuga evaſere: Conſul Bruſſus obtruncatus, ejus ædes conflagrarunt. Carmelitarum, Franciſcanorum, Dominicanorum, & Auguſtinianorum Cœnobia expilata, Imagines everſæ, Urbis Valetudinarium direptum nonis Junii 1566. Catholici omnes cæſi, aut Urbe pulſi. Fama rei vulgata Fuxii, quod Oppidum eſt Arce munitâ inſigne, Catholici ex Sectariis triginta quinque necarunt, cæteri, portis Urbis effractis, fuga elapſi. Apameenſes Solanum è propinqua nobilitate ſummæ rei præficiunt.) Iſta Bulengerius, quibus certè concordant, quæ refert Thuanus, nempè id turbis occaſionem dediſſe, quod obtentum Catholici Regium decretum urgerent, Proteſtantes verò non auditos ſe, & ex falſis probationibus, Epiſcopi dolo, illud factum contenderint. Quod quidem probalitate minimè carere cenſemus, id licèt apud Scriptores Catholicos alios, uno Bulengerio excepto, memoratum non reperiatur; cùm ad illicita patranda, boni ſpecies aſſimulata, indiſcreto zelo, optimos quoque viros fallere, ac impellere perſæpè conſueverit. Ubi Proteſtantibus Regium innotuit decretum, miſiſſe protinùs Simonem Severium, qui apud Regem intercederet, nihilque impetrare potuiſſe, prævalente Cardinalis Lotharingii potentia, cujus gratia Epiſcopus ſublevabatur, ſcribit Thuanus, qui addit, irritas quoque fuiſſe Reginæ Navarræ preces, pro Proteſtantibus ipſis fuſas; ut ex his facilè etiam educas, illam, & hanc paſſam repulſam, ad vindicandam injuriam, in Catholicos, Apameenſes Proteſtantes excitaſſe, ut ſupra diximus. Cœtera autem, quæ ſubjungit Thuanus, videlicet Catholicorum præcipuos Duces, Mauleonum, Drubanum Collegii Sodalem, & Bruſſium Conſulem, Auguſtinianorum Templum muniviſſe, & comportatis armis firmaſſe; & inter ſupplicationes, Pentecoſtes tempore habitas, perſonatos diſcurriſſe homines, qui argenteis in foro ſigillis ad Proteſtantium offenſionem propoſiti eſſent; aliaque ejuſmodi, omninò probabilitate carere agnoſcuntur: nàm ſi ex induſtria in Proteſtantes, tantoque munitionum apparatu, tumultum Catholici commoliti fuiſſent, & è contra adverſarii ab his, ex improviſo fuiſſent aggreſſi; re-

A rum exitus ſeſe aliter habuiſſet, nec tanta facilitate Catholicos deturbare, eorumque domos, ac Templa incendere, ac evertere Proteſtantes iidem potuiſſent; imò ex ipſo hoc rerum exitu educendum potiùs videtur, cùm Catholici ſupplicationibus intenti nil mali cogitarent, ſibique ex adverſariorum inſidiis nil metuerent, inermes prorsùs, laſciviiſque dediti, ac commeſſationibus eſſent; (quas certè Catholicorum non erat ſacris ſupplicationibus commiſce- B re) tunc in eos Proteſtantes, ex induſtria inſurrexiſſe, ipſiſque, quæ præfati, ſumus, mala intuliſſe. Id autem non Pentecoſtes die, ſed feſto Corporis Chriſti, ejuſque ſupplicatione eveniſſe, refert De Avila; at quartodecimo Kal. Junii exortum primò tumultum, moxque compreſſum, denuò Pentecoſtes tempore repullulaſſe ſcribit Thuanus. Quid verò poſt hæc acciderit, audi ex eodem Bulengerio.

XXI. (*Re comperta*, (inquit) *Jouſa* C *Joanni Nequar Valetæ negotium dat, ut turbas componat, in capita factionis vindicet. Valeta, ut erat moderatione, & animi æquitate conſpicuus, conditiones proponit, ut vincti Fuxii, & Apameæ utrimque ſolverentur, externus miles dimitteretur, diſſidia ſarcirentur, res in integro fierent.*

Lutetiæ omnia ſiniſtrè famâ in majus accepta: agri paſſim à Salabroſio Jouſæ miſſu vaſtati, donèc Jacobus Angevæus Rambulietus à Rege cum am- D *pliſſimis mandatis in Septimaniam miſſus, adnitentibus Rabato, & Caumontio ſectæ ſtudioſis, res compoſuit. De iis, qui ſacrilegio Templa, & ſacras effigies fœdarunt, cognitio penès Senatum Toloſanum fuit. Auctores ſceleris ad furcam damnati, fugam expedivere, bona Fiſco addicta, detractis ad Templorum ſarcta tecta quadraginta librarum millibus. Fugitivis aqua, & igne interdictum eſt. Catholici damnatis injuriam, advocationemque commodabant, & va-* E *pulantibus favebant. Illi in Pirenes latebras refugere, undè egreſſi, cùm latrocinia agitarent, manu vindicatum, nè apud illos ſcelera multa manerent. Tacharius prædo, ex Angronia Valle, qui ad illos ſe aggregarat, Toloſam ductus eſt, ubi Senatus debitum ſupplicii modum ei reddidit, & hominem egit.*] Sic Bulengerius.

XXII. Fuiſſe autem Tacharium Subalpinæ regionis olim Miniſtrum, ſcribit Thuanus, quem ſupplicio etiam affectum, non hoc, ſed ſequenti dumtaxàt anno, narrat. Hujus verò anni menſe Septembri, ſceleris auctores captos, & ſub cuſtodia Toloſam ductos, tamen ferè carcere fuiſſe elapſos, dicit: poſteà, ſivè quòd ſuſpectum Senatum Toloſanum haberent, ſivè quòd innocentiæ ſuæ haud ſatis fiderent, propoſitis apud Regem ſuſpicionis cauſis, ut cognitio ad alios Judices remitteretur, & de cauſa Senatus Pariſienſis cognoſceret, impetraſſe refert: ſed mox Lotharingii Cardinalis interventu, (inquit) Decretum Regium, ſuper ea factum, revocatum fuit, & cognitio rursùs Senatui Toloſano commiſſa, qui in eos, ut dictum eſt, animadvertit. Quæ quidem haud improbabilia cenſenda ſunt. Ineptum verò prorsùs eſſe cognoſcitur, quod ſcribit Campiglia, nempè Navarræ Reginam, Galliarum Regis Miniſtris omnem contuliſſe opem, ut priſtinæ cuncta redderentur tranquillitati; ac ſi turbarum in Comitatu Fuxenſi excitatrix ipſa non fuiſſet. Id tamen in ſpeciem efficere potuiſſe, quòd malè paratæ inſidiæ, optatum ab ea finem non obtinuiſſent, minimè diffitemur. In Fuxenſi Comitatu nihilominùs, & Bearnæ, quæ utraque loca Principatus Joannæ (ut diximus) ac ditionis erant, res ſunt ità compoſitę, ut in iſto quidem Proteſtantes, numero vincerent, Catholici tamen antiquam poſſeſſionem in ſacris majorum colendis retinerent, ſi Thuano ſit fides; in altero verò, Catholicis, qui pauci non erant, ut ſacrum etiam ad tintinnabulorum pulſum celebraretur, facta fuerit poteſtas.

XXIII. In Catholicos inſupèr Sectarii aliud aggreſſi ſunt Lugduni; nàm eam Urbem in ſuam poteſtatem redigere tentarunt. Cùm enim in ea, inque ædibus Arci viciinis ſpecus ſubterraneus, cunicula forma repertus eſſet; id Sectariis imputatum, quod illum effoderint, ut excitato tumultu, cuniculo ejuſdem Arcis mœnia dejicerent, itaque ipſius potirentur. Quaproptèr Arx eadem majori præſidio, & commeatu, ac machinis firmata eſt, præpoſituſque ei Petrobuſerius, vir primaria in Lemovicibus Familia, ut ſcribit Thuanus. Ugonottorum verò conjurationem detexiſſe, ac compreſſiſſe Renatum Præſulem de Birago, qui poſtmodùm Cancellarius, & hinc Cardinalis fuit; ſcribit De Avila, qui etiam eò temeritatis ibi deveniſſe Sectarios refert, quod undique, ex vicinis aliorum Principum regionibus, & è Sabaudia præcipuè, illùc plures confluxiſſent. Quod quidem à Petro Gillo in ſua Eccleſiarum reformatarum Eccleſiaſtica hiſtoria confirmari videtur, dùm eo tempore Valdenſium plurimos, domibus ſuis deceſſiſſe tradit, aliòque demigraſſe.

Hiſtor. Eccl. Eglis Refor. cap. 35.

XXIV. Hoc ferè tempore detectæ ſunt quoque inſidiæ, (ut præfatus De Avila refert) quibus hæretici ipſi Avenionenſem Civitatem, quæ Apoſtolicæ Sedis juris eſt, occupare decreverant. Ab ea ſiquidèm, juſſu Pii eliminati omnes, qui à Catholica Religione defecerant, cùm ſe in viciniora loca Galliæ Narbonenſis, & Provinciæ recepiſſent, ſecretis machinationibus ipſam invadere meditabantur; atque eò res proceſſerat, ut Urbis januæ, per clandeſtinam conſpirationem jam potiri poſſe confiderent. At revelato negotio à Civium vigilantia, qui ei tunc ſolus præerat, Cardinalis Armignaccus, (Carolo Cardinali Borbonio ejus Collega abſente) conjurationis conſciis aliquibus captis, Scipionem Vimercatum, per expeditos equos ad Regem miſit, ut de periculo Civitatis admoneret. Quo Rex audito, Tenderenſi Comiti, Provinciæ Proregi, & Narbonenſi Galliæ Gubernatori, Gulielmo Jojoſæ, aliiſque proximè adiacentibus Provinciis Præfectis, periclitanti Urbi ſtatim auxilia ſuppeditari imperavit.

XXV. At, quamvis providè hoſtium aſtus eluſiſſet, perpetua nihilominùs ſollicitudine premebatur, quem prædiximus, Cardinalis Arminiacus: [Quòd (ut ipſe ad Pium, ſub die 24. Julii hujus anni ſcripſit) *Auriacum cuncti Sanctitatis Veſtræ rebelles, ac exules ſe recipiant: quapropter magno levaremur timore, ſi Sanctitas Veſtra ad Catholicum Regem ſcriberet, ab eoque obtineret, ut diſtrictè Principi Auriaco ſibi ſubjecto præciperet, nè hæreſes, vel Tuæ Sanctitatis rebelles in ditione ſua pateretur. Quod quidem diligentiſſimè licèt à me curatum, obtinere tamen non potui, Miniſtris illius, non modò promiſſis ſtare renuentibus, ſed inſuper ſpiritualium rerum cognitionem, quæ ad Sanctitatem Veſtram, vel ab ea delegatos ſpe-*

Ex original.

ſpectat, uſurpare contendentibus.] Sic Epiſtola.

XXVI. At Pii vigilantia Armeniaci conſilium prævenerat, cùm, miſſo ad Margaritam Auſtriacam, Parmæ Duciſſam, Belgiique, pro Catholico Rege, Gubernatricem, Julio Archiepiſcopo Surrentino, Apoſtolicò Nuncio, per eum ipſum Auriacum Principem de his, ac aliis, quæ ad avitæ Religionis conſervationem ſpectabant, admonendum curaverat. Verùm ille, licèt intrinſecùs lupus rapax eſſet, cui hæreſum, ac rebellionis facinora fovere conducebat impiiſſimis, quæ meditabatur conſiliis: extrinſecùs tamèn ovis veſtimentum gerens, hujuſmodi ad Pium [quod ex proprio originali accepimus] reſponſum dedit.

(Beatiſſime Pater.

Ex Archiv. Card. Alexand. 1566.

Poſt pedum oſcula. Plurimùm gaviſus ſum ex his, quæ Rev. Archiepiſcopus Surrentinus, S.V., & Sedis Apoſtolicæ Nuncius, juxta literas fiduciæ ſibi datas, mihi expoſuit; nil enim neque gratius, neque delectabilius audire potui, quam S.V. benevolo, & propitio erga me, & ſubditos meos eſſe animo; pro cujus favore, & bona gratia emerenda, & retinenda quidvis laboris ſubirem. Et quod ad veteres Eccleſiæ ritus, & avitam Religionem conſervandam, & retinendam attinet; ſatis intelligere potuit S.V. quantoperè ſtuduerim in hoc turbulento ſæculo, ut apud Auriacas (pro temporis, & motuum ratione) antiqua, & Catholica Religio conſervaretur; nec ea in parte, unquàm meo officio deero, nec committam, ut quidquam in me deſiderari poſſit; quemadmodùm latiùs Reverendo Domino Surrentino declaravi, & pleniùs ex ipſius relatu S.V. cognoſcet, quem oravi, ut humillimum meum obſequium, & ſervitutem V.S. in omnibus offerret, quemadmodùm offero per præſentes. Deum Opt. Max. precor, ut S.V. ſuæ Eccleſiæ diù ſervet incolumem, & ipſi omnia proſpera concedat. Et V.S. oro, ut me paterno amore proſequi pergat. Bruxellæ octava Junij 1566.

S.V.

Humil., & Addictiſ. Servitor
Gulielmus de Naſſau
Princeps Auriacenſis.]

XXVII. Quamvis verò, ut diximus, qui Avenionenſem ditionem moderabatur, Cardinalis Arminiacus, nihil, quod ſui eſſet muneris, ad avertenda cuncta hæreticorum molimina deſiderari pateretur: nihilominùs (Hæreticorum eorumdem fraude, vel aliorum malitia, ac invidia) apud Pium delatus eſt, vel quòd, ipſo Pontifice inſcio, Galliæ Regis auxilium, per collegam Borbonium imploraſſet; vel quòd ſegnitèr officio in Sectarios defungeretur. Quam quidem virulentam calumniam, cùm delere optimus Cardinalis tentaſſet, adeò obtrectatorum accuſationes apud Pium invaluiſſe reperit, ut nec audiri obtinuerit. Digna eſt, quæ hic Pauli Sadoleti Carpentatrenſis Epiſcopi inſeratur Epiſtola ad Pium ſcripta, è proprio originali excerpta, & latinitati donata, quòd in ea, & de his, & de aliis ad eamdem Avenionenſem ditionem pertinentibus disertè agatur, eſtque hujuſmodi.

(Beatiſſime Pater.

Ex Arch. Card. Alexan. ut ſupr.

Licèt gradus, in quo Deus Dominus in hac regione me conſtituit, ejuſdem publicas res curare compellat, eaſque ſic moderari exoptem, ut in pace, ac juſtitia, in Dei ſervitio, ejuſque Sancta Religione quietè incedi poſſit; nihilominùs litibus, ac turbis, quæ in hujus Legationis rebus commotæ fuerunt, me nullatenùs immiſcere volui, nec officio ullo ſum functus, quòd parvitatem meam haud decere inter tantorum Magnatorum jurgia me ingerere, arbitratus ſim; cùm præcipuè S.T. pro ſua ſingulari probitate, ac prudentia, ea habita conſideratione, quæ non modò dignè, ſed omninò neceſſariò habenda eſt, præclariſſimarum qualitatum Illuſtriſſimi Cardinalis Borbonii, & ditionis hujus utilitatis, ex ſe ipſa cuncta rectè diſpoſituram, pro certo habuerim. Ditio ſiquidem hæc, ratione loci, in quo eſt conſtituta, nec felix, neque à quotidianis, quibus impetitur, malis penitùs tuta eſſe valet, ſi una, & ab Apoſtolicæ Sedis protectione, (præcipuum noſtrum firmamentum, ac virtus) & à Galliarum Regno non foveatur, auxiliumque recipiat. At hoc potiſſimùm tempore, nos hoc egere compertum eſt, quo, noſtris peccatis facientibus, Deoque permittente, undique ab hæreticis circumvallamur,

qui non modò res noſtras, ſed ſanguinem A
etiam ſitiunt; quibuſvè nil magis optan-
dum eſſet, niſi ut Rex nos dereliquiſſe
monſtraret, ut ſtatim irruerent, regio-
niſque, omni prorsùs præſidio, ſubſidio-
que deſtitutæ, potirentur. Ad foven-
dum, alendumque verò benevolum hunc
Regis, Reginæque erga nos animum,
quantum Illuſtriſſimi Cardinalis Borbo-
nii authoritas valeat, adeò manifeſtum
eſt, ut in hoc explicando non ſit, quod
immorari debeam, cùm præcipuè id non
fuerit, ob quod ad Sanctitatem Tuam B
has literas dederim. Eſt illud verò, quòd
cùm Avenionem, inviſendi gratia Illu-
ſtriſſimum Cardinalem Arminiacum, me
contulerim, tùm quia ditionem noſtram
ipſe moderatur, tùm etiam quòd à tri-
ginta, & amplius annis ei amicitia jun-
ctus ſim, reperi eum dolentem, mærore-
que penè confectum, ob falſa quædam de
ſe, geſtiſque ſuis, ad S.V. delata. Ipſe qui-
dem nihil ſibi conſcius, ea apud S.T. re-
ctum animum haud prævalitura formi-
dat, quòd innocentiæ ſuæ veritatem, ubi C
S. T., quæ in ſui purgationem afferet,
audire dignabitur, locum ſuum obten-
turam confidat. Sed quia, præter mole-
ſtiam, quam hujuſmodi gravitatis, &
auctoritatis viro infert, ut, vel in ſuſpi-
cionem, quavis ratione ſit, apud ſuum
Principem, uti S.V. eſt, tanta bonitate
judicio, & auctoritate præditum, trada-
catur; ex nonnullis, quæ ſibi acciderunt,
intelligere viſus eſt, ad S.V. delata, jam
aliquod ſibi præjudicium intuliſſe, cùm D
æquè rationes abſentis, uti petitiones,
inſtantiæque præſentium receptæ non
fuerint. Qua de re, Beatiſſime Pater,
præſumptionem, quæ ritè videri poteſt,
in eo, videlicèt, quòd calamum, oſque
ponere in re tam gravi auſus ſim, ultrò
fateor. Nihilominùs, cùm de dignitate
præſtantiſſimi viri agatur, honorifica,
ac digna ratione, tùm in naturalium
ſuorum Prinsipum, tùm in Sanctæ hujus
Sedis famulitio adepta ſemper, & au-
cta; quæque ſemper benefieio, ac Sonctæ E
Fidei Catholicæ conſervationi ceſſit; hoc
S. T. eximiorum ſuorum meritorum te-
ſtimonium reddere cogor. Teſtor ſiqui-
dem, & in præteritis, quæ geſſit, mul-
tòque magis in præſentibus, quæ gerit,
quæque ipſemet intelligere, & propiùs
videre valeo, in viro hoc nihil eſſe, quod
ritè redargui queat; imò è contra innu-
mera in eo eſſe, quæ ſummis laudibus
proſequi mercantur: cùm ſiquidem, nec
integritas, aut probitas major, neque in
regimine benignior lenitas, neque San-
ctæ Religionis ferventior zelus, neque
contra ejuſdem perſecutores, & hoſtes
odium ardentior, in altero quovis, ac in
eo, reperiri poſſit. Quare, ut impenſiùs
in dies eum S. T. colat, magni faciat, ac
veneretur, dignus profectò cognoſcitur.
Ad dignitatem ſiquidem, ac Sanctæ Se-
dis amplitudinem aſſerendam, magni,
præclarique hujuſmodi Viri, firmæque
ejuſdem columnæ per Orbem diffuſæ,
haud minùs, ac alii, qui ſemper Romæ
commorantur, valens: imò quanto plus
in prioribus illis pietatis, virtutiſque
emicat; tantò apud exteros, erga San-
ctam Sedem veneratio augetur, à qua
ad ſupremos honoris apices, nonniſi exi-
mios hujuſmodi viros evectos conſpiciunt.
Sed quia præfati Illuſtriſſimi Domini
merita, quidquid de ipſo teſtari valeo,
longè ſuperant; & quidquid de ipſo à
quovis dici poſſet, Sanctitatis Tuæ mens,
ſapientiaque latè comprehendit. Idcircò
plura non afferam, ſed poſt ſacrorum
oſcula pedum, Dominum quotidie de-
precabor, ut ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem
Sanctitatem Tuam diù ſervet incolu-
mem.

Avenionæ die IX. Auguſti 1566.
S. T.
Humil., & Devotiſ Servus
Paul. Sadoletus Epiſc. Carpent.)

Fuit hic Paulus præclari illius Ja- XXVIII.
cobi Cardinalis Sadoleti nepos, qui
præcipua eruditione, ſub Leone X. re-
fulſit, quique eidem Paulo, quam ipſe
obtinebat, vivens, Carpentatrenſem
ceſſit Eccleſiam. A Patruo haud dege-
ner Paulus, ingenii ſui nonnulla monu-
menta reliquit, ut Sammartani, aliique
referunt. Quòd autem Pius non pro-
baſſe fortè viſus ſit, Arminiacum, miſſo,
ut diximus, Vimercato, & per Carolum
Cardinalem Borbonium Collegam,
Gallorum Regis ad tuendam Avenio-
nenſem ditionem, præſidium imploraſ-
ſe, (hanc enim cum Gallis neceſſitudi-
nem in primis juſtificandam cenſuit
Sadoletus) id ex eo proceſſiſſe ſcias-
quòd Pontifex Gallicanæ aulæ, ac præ-
cipuè Reginæ parentis ingenium, &
erga hæreticos animum, ut mox dice-
tur, meritò haberet ſuſpectum: quapro-
pter, nec ritè, & fortè imprudenter ab
ea auxilium, opemque deprecari, con-
tra hæreticos cenſuit, à qua ipſorum
po-

potiùs foveri auſus viderentur . Re A autem meliùs explorata , optimum extitiſſe Ariminiaci,ac Collegæ conſilium, eùm cognoviſſet , non modò illud aſſeruiſſe, ſed conatu omni ſtabilire, coadjuvareque curaſſe , quæ ſuis locis dandæ erunt , ad Tendrenſem Comitem , ac alios ſcriptæ Epiſtolæ , manifeſtè teſtantur .

XXIX. Illud etiam, in quo ſegniùs,quam par eſſet , Arminiacum in hæreticos ſe B geſſiſſe apud Pium delatus eſt; ex ejuſdem Arminiaci ad Pontificem ipſum , jam ſuperiùs prænotata Epiſtola cognoſcitur, eſtque hujuſmodi.

(Beatiſſime Pater.

PRoximis præteritis diebus ad S.V. ſcripſi, ut eam de hujus ſuæ Provinciæ ſtatu,tùm de iis,quæ ad hæreſim, tùm de aliis,quæ ad juſtitiam pertinent, certiorem redderem . Quò ad hæreſim , C *Divino favente Numine , quantum cognoſcere valeo,omni prorsùs peſtis hujus labe expers eſt. Breve deinde S.V. accepi,quo denunciabat, prout ſibi relatum fuerat , hac in Civitate ad triginta hypocritas commorari , qui licèt Ugonotti eſſent,ſe tamen uti Catholicos gerebant. Ut muneri meo, ac debito obediendi , famulandique S.T. ſatisfacerem, omni diligentia Archiepiſcopi Vicarium , Parochos omnes, Cœnobiorum Priores, Societatis Jeſu Rectorem ; necnon Conſules ,* D *& Judices Temporales ſciſcitatus ſum, at per eos de vita,& moribus populi hujus inquiſivi, ut præcipuè intelligerem , an vera eſſent , quæ ad S V. delata fuerant; at, uti tranſactis temporibus,cùm videlicet Ugonotti ipſi magis viribus valerent, Deo opitulante, nè eorum aliquis , ea in loca , quæ Rex Chriſtianiſſimus curæ meæ demandaverat , pedem inferret, ſedulò cavi; Ità, Deo ipſo benè juvante, Civitatem hanc , ac ejuſdem Comitatum , ab omni ejuſmodi malo cuſtoditurum confido.* E *Quare S. T. humilitèr deprecor,ut nulla in re muneri meo defuturum,pro ſua benignitate arbitretur .)* & poſt nonnulla , de Auriaco Principatu paulò antè relata , [*Ad ærumnas noſtras* (ſubjungit) *illa additur,quæ à Vaſonſionenſi Epiſcopo venit . Hic ſiquidem,nec apud Eccleſiam ſuam , quæ una ex tribus eſt,quæ hujus Civitatis Metropoli ſubjacet , reſidet : nec ibi Vicarium aptum , ac idoneum habet . Quare populus ille quotidiè clamat , imminetque alicujus ſcandali periculum . Deprecor Sanctitatem Tuam , ad quam unam malis his occurrere ſpectat, ut pro eximia ſua prudentia huic conſulat .* Avenione XXIV. Julii 1566.

V. S.

Humil., & Obedient. Servus
G. Card. Arminiacus.]

Dubitari non poteſt, nullo negotio , ex Pii mente facilè deleta , quæ contra optimum Cardinalem deprehendit fuiſſe ſibi falsò relata, cùm non modò concreditum munus,Avenionenſem ditionem regendi, ei confirmavit ; ſed inſuper ad arcendos hæreticos , qui proximè ſequutis temporibus acriores inſurrexerunt, & verbo, & opere , ut ſuis locis dicetur , ipſum ſtudioſiſſimè adjuvit. De Vaſionenſi verò Epiſcopo, quid ſtatuerit, incompertum : at ex ingenio Pii facilè elicere eſt , quid cum ipſo potiſſimùm egerit . XXX.

Iiſdem etiam fraudibus , quibus Lugduni, & Avenione, Narbonæ quoque potiri poſſe,hæretici excogitarunt; incaſſum licèt & hic inſidias ſtruxerint. At Rex non minùs his , quàm aliis, ab hæreticis illatis injuriis, quotidiè commotus animo , quòd nec clàm , nec palàm unquàm quieſcerent, juſta eos animadverſione, vi, & armis coërcere jam meditabatur , in hacque ſententia defixit ſolemnis admodùm legatio , ad ipſum,hoc tempore,miſſa à Comite Palatino Rheni,à Duce Vitembergenſi, à Duce Bipontino, ab uno ex Saxoniæ Ducibus,à Pomeraniæ Duce,& Badenſi Marchione; qui omnes , per Legatos ſuos , conqueſti primùm , quòd libera minimè in Galliarum Regno, Proteſtantium religionem profitentibus , quocumque loco , cœtus ſuos cogendi tribueretur facultas; ipſam impoſterùm,eorumdem Principum nomine,illis deprecati ſunt à Carolo; qui rem indigniſſimè ferens, & Legatorum poſtulationem vix ſuſtinens , tandèm reſpondit: ſe eos Principes aſſueta proſequuturum benevolentia , donèc & ipſi ſui Regni ſe immiſcere negotiis abſtinerent : & paulò poſt, manifeſta indignatione ſubjunxit : oportere , ſe quoque ab iiſdem Principibus petere, ut liberum Catholicæ Religionis uſum , ſuis quoque in ditionibus, Catholicis poteſtatem facerent ; quibus eos verbis dimiſit . XXXI.

Ejuſ-

XXXII. Ejuſdem, propagandæ, tuendæque hæreſis aſtu, Rheni Palatinum, ad Sabaudiæ Ducem Legatos, hoc ipſo tempore, miſiſſe, narrat præfatus Gillo. At Pontificis, Catholicorumque Principum exemplo, qui undique Legatis miſſis, Tridentini ubique Concilii decreta recipi curaverant, Proteſtantes commotos, has ipſi quoque Legationes inſtituiſſe, De Avila credidit. Quidquid fuerit, apud Regem nil ex ea utilitatis retulere, vel Legati, vel qui unà cum illis à Rege eadem deprecati ſunt, Princeps Condæus, Admiralius Colinius, aliique Sectariorum proceres; quos deindè, tamquàm ſui, Deique teterrimos hoſtes habere, ipſoſque perſequi Rex magis ſtatuit.

XXXIII. Regina parens verò, quamvis in Filii ſententiam, tanta Sectariorum audacia, vel invitam pertraxiſſent; quòd tamen eum videret, juvenili actum ardore, extrà ſe raptum, nimis animi ſenſus explicare conſueviſſe, quos liberioribus, quàm par fuiſſet, verbis Legatos, vel Sectariorum Proceres exarcebaſſe compererat, ſermonibus, ac officiis delinire ſtuduit; cùm à ſimulatione potiùs, quàm ab aperta, & manifeſta indignatione, ac odio, felicem rerum exitum præſtolandum cenſeret. Sicque illa, ſimulando, eò pervenit, ut Pontifex ipſe (ut infra dicetur) non levem de ipſa ſuſpicionem conciperet, ac ſi illa Ugonottorum potiùs, quàm Catholicorum, partes gerere videretur. Apoſtolicum ad eam, & Regem, ſuum Internuncium, Comitem Michaelem Turrianum, Cenetenſium Epiſcopum legaverat Pius, cui (ut refert Gabutius) multa Religionis, & Chriſtianæ prudentiæ plena dederat mandata. Atque illud in primis is, Pii nomine, Regios in animos revocaret, nè humanis conſiliis juſſa divina poſthaberent; ſed mille Regna, ac vitam ipſam projiciendam potiùs, quàm officium ſuum deſerendum, in negotio præcipuè Catholicæ Religionis, putarent. Eam ſiquidem haud quaquàm ſatis fuerat, ſi Principes ipſi complexi eſſent; cùm illis etiam, ut ſui Provinciales, & ſubditi eamdem profiterentur; hæreticam verò impietatem ſectantes graviter plecterentur, efficiendum eſſet; hoc enim Regii muneris eſſe, hoc præcipuè Galliarum Reges præſtare debuiſſe, ſi Chriſtiani, adeòque Chri-

Gabut. Vit. Pii lib. 2. cap. 4. pagin. 56.

A ſtianiſsimi, & eſſe, & appellari; ſi Majores ſuos, Carolos, Pipinos, alioſque ſtrenuos Romanæ Eccleſiæ, & Catholicæ Fidei defenſores imitari, ſi denique, ut par fuerat, ſervire Domino voluiſſent. Hoc namque cunctis Regibus, Principibus, atque Judicibus præceptum divinitùs datum, quod Rex ille, Prophetaque Sanctiſsimus, his verbis edixit: (*Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis Terram, ſervite Domino in timore*) Id verò Sanctorum *Pſal. 2.*

B Patrum teſtimonio, tùm ab Regibus cumulatè fieri conſtabat, cùm & ipſi quatenùs homines eſſent, rectè viverent; & quatenùs Reges, in Regno ſuo bona juberent, malaque prohiberent, non ſolùm, quæ ad humanam ſocietatem, verùm etiam, quæ ad Divinam pertinent Religionem, exemplo piorum Regum Ezechiæ, atque Joſiæ, qui Domino egregiè ſervierant, lucos, & Idolorum templa, & excelſa illa, quæ contra præcepta Dei fuerant extructa,

C deſtruendo. Iſta ex Gabutio. Ad omnes prætereà Galliarum Epiſcopos eidem Nuncio Turriano, perferendas ſuas epiſtolas, quibus, & Tridentini Concilii decretis obedientiam, & morum correctionem, & Eccleſiaſticorum reformationem, & eorumdem Epiſcoporum reſidentiam urgebat, Pium tradidiſſe, ex mox ponendis ipſius Epiſtolis apparebit. Peculiari modo verò Reginam Parentem, quam nimis ſuis artibus affectatæ ſimulationis, diſſimulationiſ-

D que cum hæreticis, ut diximus, fidentem compererat, monendam duxiſſe, præfatus Gabutius aſſerit; cùmque opportunum accidiſſet, ut ipſi, Regique gratias referendas duceret, ob benignè exceptum Turrianum, & executioni mandata nonnulla, quæ ipſi imperaverat, quo tempore in Apameenſi Urbe, quam retulimus Catholicorum cædem hæretici patraverant; ea arrepta occaſione, hujuſmodi ad eos Literas dedit.

E

(Cha-

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Carolo, Francorum Regi Chriſtianiſsimo.

PIUS PAPA V.

Chariſsime in Chriſto Fili noſter, ſalutem &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

EX literis Venerab. Fratris noſtri Epiſcopi Cenetenſis, Nuncii noſtri cognovimus, quantum, in eo benignè excipiendo, honoris Nobis habueris. Laudamus vehementer in Domino tuam erga Sanctam hanc Sedem obſervantiam, & pietatem: quod enim Nobis, in noſtri Nuncii perſona, tribuiſti, id ità accepimus, ut Sedi Apoſtolicæ à te tributum fuiſſe interpretati ſimus. Pergratum id etiam Nobis fuit, de quo idem Nuncius Nos certiores fecit, cùm is Majeſtati tuæ expoſuiſſet, quas à Nobis Literas ad Ven. Fratres Epiſcopos Regni tui attuliſſet, placuiſſe eas ad illos mitti: qua ex re quoque optimam mentem tuam, & Chriſtianiſſimo Rege dignum animum perſpeximus, & in ſpem ingreſſi ſumus ad ea, ad quæ illos, pro commiſſo nobis officio, hortati fuimus, exequenda, paratum eis auxilium tuum fore. Sed cùm ſuperioribus diebus, de eâ ipſi re ad te multis verbis ſcripſiſſemus, nuper triſtiſſimum, & acerbiſſimum nuncium accepimus, de miſerabili Catholicorum cæde, quæ ad Apamcas, Oppidum Regni tui, in Provincia Narbonenſi, facta fuit. Incredibilem ſanè dolorem cæpimus, audientes, quàm crudeliter, quàm impiè hæretici cives ſuos Catholicos, & in eis Sacerdotes, aliaſque Eccleſiaſticas perſonas, atque etiam aliquot Magiſtratus Regios cæciderint, trucidaverint, laniarint. Habes, chariſſime Fili, recens exemplum ſceleris, furoris, audaciæ hæreticorum. Vides, quantum noceat cum iis molliter agere, quibus impunitas auget audaciam, pacientia furorem, clementia feritatem. Intelligere potes, quàm inutile ſit eorum conſilium, qui ſuadent, ut differas, & procraſtines, ac neſcio quam temporis maturitatem expectes; quod nihil aliud eſt, quàm differre mali remedium in id tempus, cùm ipſum malum creverit, ac turbulentis, novarumque rerum ſtudioſis hominibus præſtare pacem, cùm ipſe bellum patiaris. Nos verò ità ſentimus, chariſſime Fili, nihil eſſe tibi, ac Regno tuo pernicioſius iſta, quam ipſi probant, lenitudine. Itaque paterno animo hortamur, ut Officii Regii, ac Chriſtianiſſimorum Majorum Tuorum memor incumbas, antequàm malum violentiùs ingraveſcat, ad hæreticam pravitatem, & tumultuum, turbarum, ac ſeditionum, ſicut expertus es, cauſam, & fomitem modis omnibus extirpandam: Dei omnipotentis auxilio tibi minimè defuturo, ſi honorem ejus, & Sanctam Religionem, tu quoque apertè, & liberè, & ſine ulla cunctatione defenderis. Quod, ſi ſegniùs egeris, vide etiam, atque etiam, nè Divinum poſtea auxilium nè quicquàm implores; & hujus paternæ admonitionis noſtræ ſerò memineris. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Junii MDLXVI. Pontific. noſt. ann. primo.)

Ad Catharinam Galliarum Reginam.

(Chariſsimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Catharinæ, Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ.

PIUS PAPA V.

Chariſsima in Chriſto Filia noſtra, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

NOtam Nobis Majeſtatis Tuæ devotionem erga Sedem Apoſtolicam, in perſona Ven. Fratris Epiſcopi Cenetenſis, Nuncii noſtri libenter recognovimus. Certiorem enim is fecit, quàm benignè tu, & chariſſimus in Chriſto Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, natus tuus, illum advenientem exceperitis. Id per indè, ac debuit, Nobis gratum fuit. Illud quoque veſtra erga hanc Sanctam Sedem reverentia dignum vos feciſſe gaudemus, quòd, cùm is vobis retuliſſet de Literis, quas à Nobis ad Vener. Fratres Epiſcopos Regni veſtri attulerat: illud officium noſtrum vobis placuiſſe oſtendiſtis. Eo nos ſanè functi fuimus, tùm quia Eccleſiarum omnium cura Nobis injuncta poſtulabat; tùm quia Regnum veſtrum eximia charitate proſequimur, & ad id à tanta hæreſum peſte purgandum nil æquè neceſſarium eſſe ſcimus, atque, ut Epiſcopi commiſſos ſibi greges diligentèr paſcant, & ſalutaria Sacri Tri-

Tri dentini Concilii decreta, vobis fa-
A *ventibus, exequantur. Quod verò nuper fecimus, ut M. T., & Regem hortaremur, ad veſtrum illis favorem, & auxilium liberè impendendum; id rursùs ingenti ſollicitudine extimulati facere cogimur. Cor noſtrum enim intimum acerbiſſimus nuncius perculit, ac gemitus, ac propè lachrymas Nobis excuſſit, de iis, quæ nuper in Toloſatium finibus acta ſunt; eò enim prorupiſſe audivimus hæreticorum rabiem, & furorem, ut quamplurimos Catholicos, & in eis Sa-*
B *cerdotes omnes, atque etiam Magiſtratus aliquot Regios crudeliſſimè interfecerint, & trucidarint. Quæ, ſi vera ſunt, non jam vos à Nobis moneri, & excitari neceſſe eſt, ut omiſſa cunctatione nefandam iſtam peſtem eradicetis: Veſtræ jam vos injuriæ, veſtrarum rerum periculum movere debent, ut apertè tantæ audaciæ obviam eatis. Ex eo enim, quod ibi actum fuit, quid in reliquis partibus Regni, in quibus ea peſtis invaluit, timendum ſit, videtis. In illorum*
C *hæreticorum audacia, & rabie, aliorum hæreticorum furoris, & immanitatis effigiem cernitis. Non eſt, quòd quiſquam iſtos Dei, & veſtros rebelles, atque hoſtes, patiendo, tolerando, diſſimulando, ad ſanitatem redituros eſſe ſperet, & neſcio quam temporis maturitatem expectandam cenſeat, & illo pacificationis, ut appellatur, Edicto, paci Regni conſuli exiſtimet. Creſcit eorum in dies furor, augetur animus: quò leniùs cum illis agitur, eò magis eorum corrobora-*
D *tur audacia. Non ſolùm Matris Eccleſiæ obedientiam abjecerunt, ſed in primis Regiæ poteſtatis jugum excutere, & Legum, ac Judiciorum metu abjecto, ſeſe in libertatem aſſerere, & rapinarum, ſacrilegiorum, ſcelerum, & flagitiorum omnium licentiam aſſequi ſtudent. Quocircà Majeſtatem Tuam, chariſſima Filia, hortamur, monemus, & per Omnipotentem Deum obteſtamur, ut, cùm videat, jam nihil, cunctando, &*
E *patiendo perfici, tantum incendium, antequàm latiùs ſerpat, extinguere conetur; ſi enim hæreticorum ſectas alias ex aliis, in iſto Regno in dies exoriri, & multiplicari permiſerit, tùm volet illud extinguere, cùm minimè poterit. Inſpiret animo tuo Deus, quantâ hæc cum charitate ſcribamus:* Utinam non eveniant hæc, quæ eventura prædicimus. *Sed ex his, quæ jam iſtic, & aliis Provinciis accidere, quivis facilè, quantum malorum impendat, niſi occurſum fuerit, proſpicere poteſt.* Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. Junii MDLXVI. Pontific. noſtri anno primo.)

Quæ paulò poſt in Gallia, ab hæreticorum furore excitatæ ſunt turbæ, vera Pontificem vaticinatum eſſe comprobarunt. XXXIV. Ut autem Regi, ac Reginæ, exemplo ſuo oſtenderet, quòd non ſegnitèr, vel cunctantèr, ſed apertè, ac palàm cum hæreticis agendum eſſet, ſub finem hujus anni, anathemate, aliiſque Eccleſiaſticis pœnis quoſdam Galliæ Epiſcopos, hæreſis inſimulatos, percuſſit; ubi, ex proceſſibus contra illos, Juris ordine in omnibus ſervato, ſequentem relationem (quàm nos ex proprio originali tranſcripſimus) hanc ſibi factam judicialem relationem audiſſet.

(Beatiſſime Pater.

SEptem Epiſcopi ex Gallia citati fuerunt pro hac die, ad audiendam ſententiam, in hoc ſacro loco, ſervatis terminis de jure ſervandis, ſervari conſuetis.

Epiſcopi autem hi ſunt.
Antonius Caracciolus, aliàs aſſertus Epiſcopus Trecenſis.
Epiſcopus Valentinus.
Epiſcopus Uticenſis
Epiſcopus Carnotenſis
Epiſcopus Laſcurenſis.
Epiſcopus Olorenſis.
Archiepiſcopus Aquenſis.

Contra præfatum Antonium Caracciolum examinati ſunt teſtes quindecim, per quos probatur, ipſum fuiſſe, & eſſe notorium hæreticum, & Ugonottum; quòdque depoſuerit habitum Epiſcopi, & à duobus, aut tribus teſtibus viſus fuit in habitu laicali, & etiam aliquandò armatus incedere, & à pluribus atteſtatur, de publica voce, & fama, quòd Fidem abnegaverit Catholicam, & Cæremonias Eccleſiaſticas, coràm Miniſtro Ugonotto, à quo manus illi impoſitæ fuere, more Calviniano. Depoſitum quoque etiam, aliàs eumdem Antonium in celebri Cœnobio Sancti Victoris, Canonicorum Regularium Sancti Augu-

A *Auguſtini propè Lutetiam profeſſum fuiſſe, ac poſtmodùm apoſtataſſe, militiamque exercuiſſe. Verùm recolen. mem. Franciſcus, hujus nominis Primus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus, in Patris gratiam, cupiens iſtum ad Religionem reducere, in præſati Cœnobii Abbatem, magno ſanè cum mœrore Cœnobitarum, nominavit. Qui Abbatiæ poſſeſſionem adeptus, Ugonoticam labem clanculùm, ac pedetentim cordibus Religioſorum, quibus præerat, inſtillare* B *cœpit, jamque ſeduxerat quoſdam, longè etiam progreſſurus, ni Prior ipſius Cœnobii, zelo Fidei accenſus, nefariis illius conatibus, animo intrepido, magnoperè reſtitiſſet. Mittam nunc referre, quæ teſtes, de iſtius impura, ſceleſtaque vita pluribus verbis atteſtantur. Permutata deindè Abbatia in Epiſcopatum Trecenſem, oviculas ſibi commiſſas, quas veritatis cibo alere debebat, omni ſtudio, ac conatu peſſima doctrinæ ſuæ peſte confecit; nàm ſuis concionibus, quotidianiſque colloquiis Calvinam ſectam propa-* C *gare conabatur. Quamobrem fel. recor. Henricus Rex Chriſtianiſſimus, illi inhibuit, (ut ferunt) nè concionaretur. Nimis in longum ſermo protraheretur, ſi vellem omnia, quæ in actis ſivè Proceſſu continentur, enarrare. Sed, ut in ſumma concludam, atque de hoc homine finem dicendi faciam, Dei timore contempto, Fide poſtergata, neglectoque jurejurando, in ſua Epiſcopali conſecratione præſtito, perjurus, nefandus, impius, ſe tandem Calvinianum publicè* D *profeſſus eſt, ac etiam nunc profitetur.*

Contra Epiſcopum Valentinum.

Ibid. ut ſup. pag. 215. in ead. relat.

UNus de viginti teſtes in Informatione deponunt; quibus probatur publica fama, & etiam per conteſtes convincitur, ipſum Imaginum negaſſe venerationem, Nota 1. *& quòd Sanctiſſimum Eucharistiæ Sa-* E *cramentum non ſit Sacrificium propitia-* Nota 2. *tionis, ſed tantùm laudis. Teſtibus verò etiam ſingularibus, ac etiam, ex ſcriptis, quæ ipſius nomine, idiomate gallico circumferuntur. Quòd teneret, veritatem Sacramenti conſiſtere in uſu tantùm;* Nota 3. *Quodque dimiſſa culpa, nil remanet ex-* Nota 4. *piandum. Communicandum ſub utraque ſpecie. Teſtis unus deponit, ſe per Tabellarium tranſmiſiſſe quemdam Proceſ-* A *ſum, habitum à bon. mem. qu. Reverendiſſimo Cardinali à Turnone, ſed quòd Tabellarius apud Taurinum expoliatus fuit à Regiis Miniſtris ſcriptis omnibus, quæ ad S.V. tranſmittebantur.*

De anno quoque 1558. habentur Informationes ex partibus, quòd in ſua Diœceſi ſubdolè admodùm ſatagebat in- Nota 6. *troducere ritum baptizandi pueros, & orandi modum, prout Calvinus, & Ge-* Nota 7. *benenſes ſervant.*

Quòd Catholicis adverſabatur Con- Nota 8. B *cionatoribus. Quòd inſtituerat, ut ſermone gallico Pſalmi decantarentur;* Nota 9. *at ut concludam, non hæreticus modò, verùm & inter hæreticos Dogmatiſta ha-* Nota 10. *betur.*

Contra Epiſcopum Uticenſem, ſivè ut Gallica Lingua, Uſet.

Ibid. ut ſup. pag. ead.

NOvem teſtes de publica voce, & fama deponunt, & inter alia de cer- C *ta ſcientia, quòd in Comitiis, Poiſiciaci habitis, Reverendiſſimi Cardinales, qui tunc aderant, ſcripſerunt quamdam confeſſionem Fidei, quam ipſi primi, ore confeſſi ſunt, aliique Epiſcopi: & cùm deventum eſſet ad illum articulum: firma Fide credimus, & confitemur in Auguſtiſſimo Eucharistiæ Sacramento eſſe realiter verum Corpus, & verum Sanguinem D. N. Jeſu Chriſti: Ipſe Epiſcopus Uticenſis, ore id fateri noluit, neque ſubſcribere, excuſando ſe, quòd* D *tempus vellet ad deliberandum, & huc uſquè diſtulit ſubſcribere, idque confiteri; neque cum cæteris, Sacramenti Communionem ſumere voluit, ſed ſeorsùm, unà cum aliis Prælatis ſuſpectis laicali communione, ſub utraque ſpecie communicavit.*

Contra Epiſcopum Carnotenſem.

Ibid. ut ſup. pag. 218.

E *EXaminati teſtes treſdecim deponunt, quòd in Comitiis Poiſiacis confiteri noluit Articulum de realitate Sacramenti; prout neque Odetus à Caſtillione, tunc Cardinalis, neque præfatus Uticenſis fateri, ac ſubſcribere voluerunt. Teſtis de auditu, & motu proprio: quòd, cùm Senatuſconſulto Pariſienſi edictum eſſet, ut omnes, qui nollent profiteri ſe credere, juxta formulam Catholicæ Fidei à facultate Theologica editam Pari-*

ſienſi, ab Urbibus expellerentur. (*Quæ formula cùm delata eſſet ad Capitulum Carnotenſe, quod Galliarum celeberrimum ferè eſt*) *admonitus Epiſcopus à Canonicorum Capitulo, ut omnes ſuos Canonicos admoneret, ut eam facerent confeſſierem, quod quidem facilè fuiſſet, ſi primus ipſe id reipſa exequutus eſſet. At Epiſcopus eam ſibi formulam deferenti,* inquit; lege; *cùmque ad articulum perveniſſet, de auctoritate Pontificis, hoc modo ſe habente.*

B *Quicumque non dixerit, Epiſcopum Romanum Chriſti eſſe Vicarium, & Petri ſucceſſorem, ac univerſalis Eccleſiæ caput &c. Epiſcopus ipſe ſubintulit,* Omninò rejiciatur.

Contra Epiſcopum Laſcurenſem.

Ibid. ut ſup. pag. ead. 2.

TEſtes quatuor. Habetur copia à Nuncio Apoſtolico tranſmiſſa de anno 1557. prolixæ proteſtationis, miſerandæ profectò, ac flebilis Cleri Laſcurenſis, ipſi Epiſcopo exponentis, quæ ſint veri, bonique Paſtoris partes, ac quan- C *tum gaudii Catholicis, illius ad Epiſcopacum promotio primùm attulerit, tantum poſtea iidem mæroris conceperint, quòd is non Paſtoris, ſed lupi potiùs officio fungi videretur: providendo populis, de Parochis à religione apoſtatis, ab aliiſque Provinciis rejectis, & exulibus, quos per univerſam Diœceſim diſtribuit, ut mentes fidelium à Fide Catholica averterent. Quòdque in Cathedrali Eccleſia, appellata, Gallica lingua, di Pau, mandaverat, ut Fr. Petrus* D *Semi du Baran, Diœceſis Auxecanæ, apoſtata Dominicanus, adulter, item & hæreticus, atque ut talis condemnatus, & à toto Regno Franciæ relegatus, quem, reclamante Capitulo, nè dùm domi retinebat, ſed hæreſes etiam, ac errores, contra Fidem Catholicam, ſe præſente, concionari tolerabat; cùm tamen Canonici ipſi condemnationem, & bannum prædictum ipſi Epiſcopo oſtendiſſent. Longo etiam diſcurſu nominant plures apoſtatas hæreticos, quos diverſis* E *Eccleſiis concionatores propoſuit. Et idem Nuncius Apoſtolicus mihi ſcripſerat, ſe, in alio licèt habitu, interfuiſſe predicationi ejuſdem Fratris Petri in loco Pau, docentis hæreſes, Epiſcopo præſente, quem etiam modeſtè redarguit, uti unus de populo, non autem, ut Nuncius, neque ut Eccleſiaſticus, ſcribendo ad me in ſpecie errores, & hæreſes, quas popu-*

A *lum docuerat, præfato Epiſcopo præſente, de quibus in Actis.*

Contra Epiſcopum Olorenſem.

Ibid. ut ſup. pag. 21. 2.

TEſtes quatuor deponunt, quòd eſt Concionator, & Gubernator Reginæ Navarræ, perverſiſſimæ hæreticæ, & is notoriè eſt diffamatus de hæreſi, nec defert Tonſuram, nec habitum Epiſcopalem.

B Contra Archiepiſcopum Aquenſem.

Ibid. ut ſup. pag. eadem.

TEſtes quatuor deponunt; quòd faciebat concionari apoſtatas hæreticos, quòdque declinaverat ad Ugonoteos Lugduni. Et teſtis unicus de auditu proprio, quòd negabat Purgatorium.] Hucuſque relatio.

XXXV.

Jam pridem contra omnes hos Epiſcopos proceſſum confecerat Pius IV. nempè (ut ex ipſis originalibus conſtat in Cod. altero inſcripto, (*Sententiæ la-* C *tæ &c. de anno 1563. & 1564. Claudio de Valle Notario*) exiſtentibus) contra Antonium Caracciolum ſub die 22. Octobris præfati anni 1563. pag. 48. contra Epiſcopum Uticenſem, eodem die & anno pag. 49. contra Epiſcopum Laſcurenſem pag. 50. contra Monlucum pag. 51. contra Archiep. Aquen. pag. 52. contra Oloronenſem pag. 53. contra Carnotenſem pag. 54. ipſiſque reſpectivè diebus & anno Pius præfatus damnationem protulerat: cùm eodem inſu- D per 1564. ſub die 7. Septembris (ut in eodem Cod. pag. 75.) Odetum Caſtillioneum, tamquàm nefarium hæreticum, Cardinalatu, aliiſque Eccleſiaſticis beneficiis, officiiſque privaſſet. Verùm Pius V. has Prædeceſſoris ſententias, contra præfatos Epiſcopos quidem latas, ſed non promulgatas, evulgandas tandem cenſuit, ut à fidelibus cunctis internoſci, ac evitari poſſent lupi, qui Paſtorum loca, ſedeſque nefariè occupabant. Latæ palàm in illos ſen- E tentiæ exemplum accepimus à Conciſtorialibus Actis Cardinalis Farneſii, fuitque hujuſmodi.

M. S. Cod. ſign. num.

[Die XI. Decembris MDLXVI.

Act. Conſiſt. Card. Farneſ. pag. 113

FActa Suæ Sanctitati, per Chriſtianum de Monte, Suæ Beatitudinis Curſorem, relatione citationis per eum contra Dominos Joannem Chiaremont,

aliàs

aliàs de Calido monte, Archiepiſcopum Aquen., Joannem Monlucium Epiſcopum Valentinum, Ludovicum Albert Epiſcopum Laſeurenſem, Carolum Guillart Epiſcopum Carnotenſem, Joannem de S. Gelaſio Epiſcopum Uticenſem, & Claudium Reginam Epiſcopum Oloronenſem, pro præſenti infraſcripta die, per affixionem in locis ſolitis executæ, ad concludendum, & videndum concludi in Cauſa, & audiendam ſententiam definitivam; & per magnificum D. Petrum Belum dictorum citatorum, & non comparentium contumacia accuſata: idem D. Petrus Procurator petiit, per eumdem Sanctiſſimum Dominum Noſtrum in cauſa contra prædictos citatos, & non comparentes concludi, & ſententiam definitivam pronunciari. Et Sanctiſſimus Dominus Noſter dictos citatos non comparentes, contumaces reputavit, & ſententiam protulit, prouti in cedula, quæ ibidem lecta fuit, tenoris ſequentis.

[PIUS PAPA V.

Chriſti Nomine Invocato.

IN excelſo Throno Noſtræ Majeſtatis ſedentes, in Conſiſtorio noſtro ſecreto, & Deum ſolum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ferimus, in his ſcriptis, dicimus, ſtatuimus, pronunciamus, declaramus, & definimus in cauſa, & cauſis, quæ inter Dilectum noſtrum Petrum Belam Procuratorem Fiſcalem S. Rom. Univerſalis Inquiſitionis, adversùs hæreticam pravitatem Agentem, ſeù Promotorem, ex una; & Joannem de Chiaramont, aliàs de Calido Monte, Archiepiſcopum Aquenſem, Joannem Monlucium Epiſcopum Valentinum, Ludovicum de Albret Epiſcopum Laſeurenſem, Carolum Guillart Epiſcopum Carnotenſem Joannem de S. Gelaſio Epiſcopum Uticenſem, & Claudiam Reginum Epiſcopum Oloronenſem, reos inquiſitos, de, & ſuper hæretica pravitate, partibus, ex altera, quòd Joannes de Chiaramont, & alii prænominati, rei delati, & inquiſiti in officio ejuſdem S. Rom. Inquiſitionis de hæretica pravitate, & de anno 1563. die 13. menſis Aprilis, aut alio veriore tempore moniti; & citati, ſub excommunicationis, & aliis cenſu-
A *ris, & pœnis, ad perſonalitèr comparendum, Romæ in eodem officio Sacræ Inquiſitionis prædictæ, & de Fide reſpondendum, ac ſe ab objectis hæreſibus expurgandum, & aliis, prouti in literis monitorialibus legitimè executis, & in actis ejuſdem Officii reproductis; comparere, ac ſe expurgare contemnentes, & proptereà contumaces reputati, excommunicationis ſententiam, & alias cenſuras, & pœnas incurriſſe declarati; non modò per annum, verùm etiam per triennium*
B *eamdem excommunicationis ſententiam, animo ſuſtinuerunt obſtinato, & perſonaliter comparere contempſerunt. Idcircò eumdem de Chiaramont, aliàs de Calido Monte, Archiepiſcopum, & alios præfatos Epiſcopos, ob lapſum anni, imò triennii, veluti hæreticos, contumaces, & excommunicatos fore, & eſſe condemnandos, prout condemnamus, ipſoſque omnes, & ſingulos, ſententias, cenſuras Eccleſiaſticas, & pœnas, ſimilibus contumacibus hæreticis, & excommunica-*
C *tis, & in excommunicatione pertinacitèr perſiſtentibus, ex cauſa hæreſis, poſt annum, à Jure, & ſacris Conſtitutionibus inflictas, damnantur, incidiſſe, & incurriſſe; & proindè eoſdem ab Archiepiſcopatu, & Epiſcopatibus prædictis reſpectivè, ipſarumque Eccleſiarum adminiſtratione, omnibuſque privilegiis, honoribus, dignitatibus, Prælaturis, Commendis, Beneficiis, Officiis, penſionibus, juribus, feudis, actionibus, juriſdictioni-*
D *bus, tàm Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus, ipſo facto depoſitos, & privatos, & ad illa perpetuò inhabiles, & incapaces effectos, eorumque bona quæcumque, & qualiacumque mobilia, & immobilia, ac ſeſemoventia fore, & eſſe publicata; ac eos, quatenùs opus ſit, deponimus, privamus, & inhabiles facimus, eorumque bona omnia, feuda, jura, actiones, Juriſdictiones publicamus, ipſorumque ſtatuas, in tantæ contumaciæ deteſtationem, brachio ſæculari Almæ Urbis no-*
E *ſtræ Gubernatoris, in ipſas, juxtà morem, debitè animadvertere tradimus, & relaxamus, omni meliori modo &c.*

Ita pronunciamus.

Nos PIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.)

At ſceleribus ſuis ſeipſos adeò XXXVI.
damnati hi Epiſcopi prodiderant, ut à nullo, alii ab eo, quod eſſent, cenſeri potuerint, communique idcirco Scriptorum omnium ſententia, quam per-

ſidia ſua meruerunt, damnationem ac- A
cipiant. Quapropter ſilentio ritè prætereunt, in Catalogo Archiepiſcoporum Aquenſium, Fratres Sammarthani, in
Gall. Chriſt. to. 1. Epiſc. Aquen. pagin. 195. & ſeq.
Gallia Chriſtiana, Joannem de Claramont; nàm poſt Gaſtonem de la Marthoniæ, qui menſe Octobri ineunte, anno 1555. obiit, Franciſcum de Noailles, qui Aquenſem Cathedram, dumtaxàt anno 1580. adeptus eſt, ponunt; quòd præfatus Joannes turpiter in hæreſim lapſus, à Pio, Pontificali honore, ut audiſti, expoliari, & hinc ex Epiſcoporum B
albo deleri meruerit. Inter Epiſcopos verò Laſcurenſes recenſent quidem Ludovicum de Albret; verùm, inſti-
Ibid. ut ſup. pag. 616.
tutum ab Antonio Rege Navarræ, & Joanna de Albreto narrant; quo oſtendant, nonniſi hæreſi addictum, ab hæreſis dilatandæ ſtudioſis Principibus, Ludovicum eo honore decoratum fuiſſe. Inter Epiſcopos etiam Carnotenſes Carolum de Guillard dinumerant, ſed
Ibid. pagin. 453. num. 101.
abſque ullo honore; adepti culminis dumtaxàt, & mortis illius die prænotata. De Joanne autem de Sancto Ge- C
laſio [*Hic Gaſparis de Coloniaco*, (inquiunt) *Admiralii Caſtilionei tempore, à Fide Catholica devius, ad ſegregum partes deſecit, & uxorem duxit Abbatiſſam, quem Præpoſitus illicò excommunicavit &c.*] Scripſiſſe demùm de Claudio Regin inter Epiſcopos Oloronenſes ſàt habuerunt: eum, ex ſupplicum
Ibid. tom. 2. Epiſc. Vutien. pagin. 1148. num. 53.
libellorum Magiſtro, & ſanctiore Conſiliario Reginæ Navarræ, ab ann. 1561. D
ad 1580., graſſante in Bearnia hæreſi,
Tom. eodem pag. 811. num. 38.
Oloronenſem Epiſcopum extitiſſe: ex quo ſine negotio intelligitur, qui tanta, apud Navarræam Reginam, gratia potiebatur, illum non niſi hæreticum eſſe potuiſſe. Unus eſt Joannes Monlucius, Valentinus Epiſcopus, quem Sammarthani iidem, omni propè conatu, contra ipſorum Gallorum Scriptorum, non modò Catholicorum modò, ſed etiam hæreti-
Tom. eodem pag. 1120. num. 69.
corum conſtantem aſſertionem, ab hæreſis nota vindicare contendunt, ſcri- E
bere auſi, ex unius Decani Valentinenſis aſtu, & relatione, (quem deinde calumniæ palinodiam canere in Regio Conſilio coactum fuiſſe dicunt) & Romanorum Palatinorum rumore, injuſtè in eum, primò ſub Pio IV. latam, deindè ſub Pio V. promulgatam fuiſſe damnationis ſententiam.

XXXVII. Verùm quàm falsò iſta protulerint, ex ea, quam inſeruimus facta Pontifici Maximo relatione, dilucidè cunctis patere arbitramur; cùm, ex ipſa, non modò inter Epiſcopos alios hæreſis inſimulatos, Monlucius hæreticus; ſed inſuper inter ipſos hæreticos Hæreſiarcha, Monlucius idem appareat; ac inſuper nullius cœterorum Epiſcoporum, ſicùt Monlucii, tot teſtibus iniquitatem comprobatam, jureque fuiſſe aſſertam. Ex iis deindè, quæ egit, & à nobis ſuo loco dicenda erunt, facilè quis exiſtimare poterit, an rejectis Franciſci Belcarii, Pequillo, Scipionis Dupleixis, Spondani, Bulengerii, Hieronymi Catenæ, & Gabutii narrationibus, Sammarthanorum, qui cujuſdam Columbi Apologeticæ Diſſertationi tantùm innituntur, ſententia potiùs ſequenda ſit.

Septem fuiſſe Galliæ Epiſcopos à XXXVIII.
Pio damnatos, ſcribit Gabutius; ex quibus Uticenſem, Valentinum, Carnoten-
Vit. Pii lib. 2. cap. 4. pag. 87.
ſem Oloronenſem, & Laſcurenſem notat, duorum autem nomina ſilentio tegit. Totidem extitiſſe juridica, quam protulimus, Pio facta, & ex actis publicis confecta, relatio teſtatur. In ſex tamen dumtaxàt Epiſcopos, ab eodem Pontifice expreſſè prolatam damnationis ſententiam ideò credimus, quòd Antonius Caracciolus, non modò cum cœteris, ex Pii IV. ſententia, paſtorali omni munere deturbatus eſſet, ſed temporali etiam poteſtate, ab Urbe cui præfuerat, ob immania ſcelera ejectus jam fuiſset; ex qua in Caſtrinovi paternæ hereditatis Oppidulum ſe receperat, omni honore dignitate, ac authoritate exutus, ubi tunc erat, ac ſi non eſſet. Quapropter, cùm vel profano exemplo, vel viperea doctrina, ut alii, quos memoravimus, niſi ſibi, ulteriùs nocere poſſet; ſatiùs ab illius damnatione, utpotè qui damnationis jam pœnas ſubierat, temperare Pius judicavit; nè, videlicet, in mortuum propemodùm ſævire videretur. Haud diù autem reverà vixit; nàm (Thuano teſte) in eo, quem diximus, Oppido, ſub anno 1569. infelicem animam, Deo, & hominibus execrabilis emiſit. Repertos quoque alios in Gallia Præſules, qui
Frizon. Gall. purpurat. pag. 521
eodem morbo laborarent, in quos nihilominùs Pontifex jure non egit, innuere videtur, in Gallia purpurata, Petrus Frizon. Apoſtolicis tamèn eos increpationibus, ac monitis perſtringere non prætermiſiſſe, ea oſtendunt, quæ ad Gra-

Gratianopolitanum Epiſcopum, ob nonnulla, quæ in illius Civitate, ipſo annuente, agebantur, in hunc modum ſcripſit.

(Venerabili Fratri, Franciſco, Epiſcopo Gratianopolitano.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

NOn ſine magna animi moleſtia cognovimus, hæreticos, qui in Civitate tua ſunt, ſuos habere concionatores ſectæ ſuæ. Te vero, qui, ad continendam in Fide Orthodoxa populi partem Catholicam curare debueras, ut hæreticorum concionatoribus opponeres duos Concionatores, vitæ, & Fidei probatiſſimæ; uſum eſſe ad hoc tempus opera quorumdam, qui, Ordine, in quo religioſam vitam profeſſi fuerant, deſerto, ad ſæcularis vitæ habitum, & licentiam redierunt, quorum doctrina nihil ferè ab hæreticorum doctrina differt, ſicut accepimus, præterquam quòd, quæ hæretici apertè, ipſi, pauló tectiùs, & arte, & ſimulatione quadam adhibita, docent. Mirati ſumus valdè, tàm grave officium apoſtatis abs te commiſſum fuiſſe, cùm noveris, quantoperè hoc hominum genus, Deo hominibuſque diſpliceat, quibus, etiamſi Catholici eſſent, infamia, quam, fracto voto, & deſerto Ordine, contraxerunt, omnem fidem, authoritatemque contrahit; quorum ex numero fuerunt penè omnes, qui ætate noſtra tot, & tam variarum, & pernicioſarum hæreſum authores, ac principes extiterunt. Cùm verò tanta labis, etiam hæreticæ, ſuſpicione laborent, quàm grave putas eſſe ſcandalum, te eorum videri approbare doctrinam? Proinde admonendum te duximus, ut animarum ſaluti, ſicùt officium tuum poſtulat, diligentiùs conſulas, & cogitans, reddendam abs te rationem fore de animabus, quæ culpa tua perierint, illis apoſtatis ſtatim à te ſegregatis, & expulſis, quorum familiaritas ipſa non poteſt non magnam tibi infamiam conflare, & Fidem tuam in ſuſpicionem adducere, magna diligentia conquiſitis, idoneis, & probatis Concionatoribus, Religioſis, vel Sæcularibus, eorum fideli, aſſiduaque opera utaris, ad extirpanda hæreticæ pravitatis zizania, quæ in Civitate tua creviſſe, & multiplicata fuiſſe audivimus: & quod illi Apoſtatæ deſtruxerunt, ſarcire, atque ædificare coneris. Illud quoque, etiam tacentibus Nobis, ipſa te res monet, ut, quoniam ſcis, præcipuum telum, quo hæretici Fidem Catholicam oppugnant, eſſe corruptos Eccleſiaſticorum mores, des operam, ut vitæ tuæ exemplo gregem tibi commiſſum paſcas, &, ſi quid in aliquibus de Clero tuo corrigendum eſſe cognoveris; corrigas. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo &c. die XXIX. Auguſti Pontific. noſtri anno primo)

XXXIX.

Gall. Chriſt. tom. 1. pagin. 605. num. 57.

Franciſcus d'Avancon vocabatur Gratianopolitanus hic Epiſcopus, qui cùm ſciens, ac volens, in illius Eccleſiæ perniciem tantùm ſcelus admitteret; in ſuſpicionem idcircò venit Pio, non facilè ad ſanam mentem poſſe revocari. Egit nihilominùs mitiùs, quàm par eſſet, cùm eo, nè fortè exaſperatus in deteriora palàm prolaberetur, parereque contemneret. Veruntamen ea ipſa die, qua ad ipſum præfatam Epiſtolam ſcripſit, ad Internuncium quoque ſuum, Turrianum literas dedit, quibus juſſit ut rem totam Carolo Regi explicatiùs exponeret, ut, regia quoque authoritate interpoſita, Epiſcopus ad ſaniora conſilia, vel invitus, redire compelleretur.

(Venerab. Fratri, Michaeli, Epiſcopo Cænetenſi, Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio, apud Carolum Francorum Regem Chriſtianiſſimum.

Ven. Frater &c.

Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.

CErtiores facti ſumus à viris, quibus fides habeatur, digniſſimis, in Urbe Gratianopoli, Provinciæ Delphinatus, majorem quidem civium partem eſſe Catholicam, ſed (quod ſine gemitu referri non poteſt) Epiſcopum ejus Civitatis favere Ugonottis, ut eum, qui magna ejus peſtis infamia laborat. Itaque, cùm illi habeant duos Concionatores hæreticos, uti illum ad eam partem populi, quæ Catholica eſt, duobus aliis Concionatoribus, qui Religioſam Vitam aliquandò profeſſi, Ordine ſuo deſerto, ad ſæcularem vitam redierunt, quorum doctrina,

nihil

A *nihil ferè ab Ugonottorum doctrina differt, niſi quòd eadem, quæ illi dogmata, paulò tectiùs, & arte quadam adhibita, docent; nec pati eum, ut quiſque Catholicus conciones habeat ad Catholicos, præter illos ſuos apoſtatas. Cùm hanc Catholicorum, qui Gratianopoli ſunt, neceſſitatem noſſet Dilectus filius nobilis Vir, Dux Montis Penſerii, illius Provinciæ Gubernator, fecit, ſicùt accepimus, quod Catholico Printipe, & Regio verè Francorum genere orto, dignum fuit.* B *Rogavit, anno ſuperiore, de menſe Februario, per literas, Dilectum Filium Ludovicum de Caudreto, Societatis* Jesu *profeſſorem, ut Gratianopolim ſe conferret, atque ibi ſacro Quadrageſimalis jejunii tempore, Dei verbum Catholicis prædicaret, ipſique Epiſcopo ſcripſit, ut eum prædicare permitteret. At ille minimè id paſſus eſt; quin etiam affirmaſſe dicitur, neminem unquàm de ea Societate, quoad ipſe viveret, ibi verbum Dei eſſe prædicaturum. Accidit poſteà, ut* C *Ludovicus, in loco quodam propè Gratianopolim, concionandi cauſa, ſe conferret: ibi, cùm audiſſet, Epiſcopum Gratianopoli tunc abeſſe, viſum illi fuit, Ven. Fratrem, Archiepiſcopum Ebred, vocatum, qui tunc fortè Gratianopoli erat, inviſere. Eò cùm veniſſet, hortante ipſo Archiepiſcopo, ſummâ Cleri ejus Eccleſiæ, & Conſilii Regii voluntate, paraverat concionem habere ad Catholicos, jamque maxima multitudo Catholicorum; Catholicum Concionatorem, audiendi ſtudio incenſa convenerat, cùm quidam de* D *Miniſtris Epiſcopi, qui itidem hæreticæ pravitatis laborare dicitur, obſtare, & impedire cœpit, quominùs is concionaretur, & Ugonottos adversùs eum adeò concitavit, ut is, qui Ducis Penſerii locum in ea Civitate obtinebat, cùm fortaſſe vereretur, nè ea res tumultum aliquem excitaret, interdixerit, ac vetuerit, nè is concionem haberet, non ſine maximo fremitu, & querela Catholicorum omnium.* E *Quæ Nos, cùm audivimus, vehementer, pro eo ac debuimus, commoti ſumus: nimis enim grave, nimiſque indignum eſt, non modò Ugonottos habere Concionatores ſuos, ſed eos etiam tantum apud quoſdam gratia valere, ut Catholicos privent Concionatoribus Catholicis. Nec verò dubitamus, quin id Dux Montiſpenſerii moleſtiſſimè tulerit; cùm non modò ea in re Catholicis, & Orthodoxæ Fidei, ſed ipſi quoque, qui illum Concio-* A *natorem Catholicum eò miſerat, injuria, & contumelia illata ſit. Quia igitur, niſi tantæ Catholicorum, qui Gratianopoli ſunt, neceſſitati ſubveniatur, verendum eſt, nè magis, magiſque in dies, propter Catholicorum Concionatorum inopiam, hæretica peſtis in ea Civitate augeatur: Fraternitati tuæ mandamus, ut hæc, ſicuti geſta ſunt, chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Regi Chriſtianiſſimo narres, quæ illi non dubitamus, ut ſunt, ſic graviſſima, & indigniſſima viſum iri, cui* B *hoc etiam abs te dici volumus, ſi talia ferantur, & ſi permittatur Epiſcopis, Apoſtolica Sede contempta, pro Catholicis concionatoribus, tales, quales illi apoſtatæ ſunt, Concionatores populis ingerere; fieri non poſſe, ut in illo Regno Catholica Religio conſervetur diutiùs. Proindè hortaberis, ut ejus Civitatis neceſſitati provideat, ſicuti pro ſua pietate, & Catholicæ Religionis ſtudio facturum eum eſſe confidimus. Id verò, quò propenſiùs faciat, eum abs te noſtris* C *verbis leniter, & amanter admoneri volumus, eâ illum jam ætate eſſe, ut animum virilem, at Regium, ſeque, & Majoribus ſuis Chriſtianiſſimis Regibus dignum capere, & à ſuis Miniſtris obedientiam, ac debitum obſequium exigere debeat. Si talem animum, ac ſpiritus Regios ſumpſerit, fore, ut nemo illius ætatem contemnere audeat, & majori in dies cum authoritate regnaturum.* Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo &c. die XXIX. Augu- D ſti MDLXVI. Pontif. noſtr. ann. primo).

Acriori verò conatu curavit Pius, XL.
nè Odetus Caſtilioneus, Calvinianæ hæreſis labe infectus, & ob id olim à Pio Quarto, ſacræ purpuræ dignitate ſpoliatus, in Regis conſilium deinceps admitteretur; quippè qui, & hæreticus palàm eſſet, & à piorum communione jure ſejunctus. Neque permitteretur, ut is Cardinalatus purpuram, qua antè anathematis in ſe latam ſententiam ſu- E perbè à ſe abdicaverat, ac poſtea in Apoſtolicæ Sedis contemptum reaſſumpſerat, cum eâque uxorem duxerat, ulteriùs geſtaret: Denuncians, niſi quæ decretæ de illo pœnæ ſumerentur, ſe Cardinalatus dignitatem in Gallicæ nationis quemquam alium nunquàm ampliùs collaturum. Quid actum fuerit mox dicetur.

Cœte-

XLI. Cœterùm, eùm ad hæreſes evellendas, Fidemque Catholicam conſtabiliendam, nil magis conducere exiſtimaret, quàm ut Tridentini Concilii Decreta cuſtodirentur, quibus depra- Ibid. ut ſup. vati in primis Epiſcoporum, cœterorumque Eccleſiaſticorum mores reformarentur; ideò in hanc curam totis nervis intendens, præter ea, quæ ſcripſerat, in literis, quas, ut diximus, perferendas Turriano dederat; rem acriùs urgere decrevit, & cùm hoc ſegniùs curari videret, nihil tale Rege, aut Regina poſtulante, ad omnes Gallicanos Epiſcopos literas dediſſe, quibus eis mandabat, ut, vel Concilium ipſum ſervandum curarent, vel graves neglecti officii pœnas ſubirent, Gabutius ſcribit. Verùm, ſicuti fateri neceſſe eſt, rationem, ac modum, quo cunctando, diſſimulando, ac beneficiis perſæpè cumulando hæreticos, Rex, vel potiùs Regina, ſibi, Regnique tranquillitati conſulendum arbitrabantur, ſemper Pium improbaſſe; ità in eo, quod ad Concilium Tridentinum pertinet, temporum acerbitate perpenſa, medicinam hanc quidem ægroto Regno, & omni quidem ſtudio, Pium porrexiſſe invenimus; non tamèn abſque temperamento. En Epiſtola, quam, de his agens, ad præfatum Carolum Regem dedit.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Carolo, Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem &c.

Ex Archiv. Vatic. *INter plurimas Officii noſtri curas, illa præcipuè in corde noſtro inſidet, & animum noſtrum indeſinentèr eximulat, ut nobiliſſimum Regnum tuum, ſublatis, extirpatiſque hæreſibus, concordia, pace, quiete, & priſtina tranquillitate fruatur. Cupimus id, & Divini honoris, & animarum ſalutis cauſa; cupimus verò etiam tua: etenim populi Regni tui, de Religione inter ſe diſſidebunt, & non modò in Urbibus, ſed in ſingulis ferè domibus iſtæ diviſiones manebunt; nunquàm deerunt turbarum, motuum, ſeditionum cauſæ, nunquàm deerunt ambitioſi, & rerum novarum cupidi homines, qui per ſpeciem tuendæ* A *ſuæ religionis novæ, quo illi nomine hæreſes ſuas vocant; ſectas hæreticorum foveant, & cum externis jam conſilia conſociare non dubitent, ut aditum ſibi muniant ad ea, quæ affectant, conſequenda. Ità res tuæ in aſſiduo diſcrimine verſabuntur. Et tuum quidem pium animum, Majoribus tuis, Chriſtianiſſimis Regibus dignum novimus: te ſcimus, & odiſſe vehementèr hæreſes, & id ſtudere, ut, qui à Catholica Fide deducti fuerunt, ad Eccleſiæ gremium re-* B *vertantur; ſed illud quoque ſcimus, non deeſſe, qui tibi ſuadeant, ut tolerando, patiendo, diſſimulando, paulatim hæreſes extinguere coneris, idque tutius eſſe exiſtiment. Nè nobis quidem, temerè quicquam agi placet: dexteritatem, patientiam, moderationem à te adhiberi volumus. Non ignoramus, quàm difficile ſit, ſubitò eos, qui à Fide Catholica receſſerunt, à ſuis erroribus revocare; quæ ferri, temporis cauſa, neceſsè eſt, ferenda eſſe cenſemus; ſed, ut à præcipitibus* C *conſiliis abſtinendum eſſe putamus; ità ad id remedium, quod tutò adhiberi poteſt, quodque, ad ſanandum malum magnum, in primis vim habiturum eſt, ſine ulla mora, & cunctatione deſcendi, dicimus oportere. Quæris, quodnam hoc remedium ſit? Illud, chariſſime Fili, ut, ſi cogere non vis omninò omnes, Regno tuo ſubjectos, Sacri Tridentini Concilii decreta ſuſcipere, ſaltem ea jubeas ab ipſis Catholicis obſervari, præſertim ex ea parte, quæ ad Eccleſiarum regimen,* D *& correctionem Eccleſiaſticorum pertinent. Non modò enim ea res illorum animos, qui deflexerunt à Religione Catholica non offendet; ſed talem correctionem ipſi quoque magnoperè probabunt. Corrupti enim, & depravati Cleri mores, adeò diſplicent omnibus, ut Sacerdotum, & aliorum Eccleſiaſticorum vitia, cauſam in primis dediſſe conſtet tantis hæreſibus. Nec verò hæreticorum Concionatores ulla re magis doctrinæ ſuæ venenum diffuderunt, quàm reprehendendis,* E *& exagitandis Sacerdotum vitiis, eiſque in ſummum odium ſimul, & contemptionem adducendis: hoc illi telo, ad impugnandam veritatem Catholicæ Fidei præcipuè uſi ſunt. Et ſanè imperitum vulgus, non tàm quod Sacerdotes doceant, quàm quemadmodùm vivant, ſpectat, plus exemplis, quàm verbis movetur. Mali mores omnem fidem orationi abrogant. Quid verò indignius dici poteſt, quàm*

quàm eos, qui caſtè, boneſtè, piè vivendi exempla præbere populo debeant: turpitèr, inboneſtè, nequitèr vivere? Si igitur bæreſes in Regno tuo extinguere cupis, chariſſime fili, Eccleſiaſticorum reſecanda ſunt vitia. Excitandi ſunt diligenter bortationibus tuis Epiſcopi, ut in Eccleſiis ſuis reſideant, atque ad animarum ſalutem diligentiùs invigilent quàm anteà ſolebant; ac ſuum quiſque eorum Clerum reformet, & corrigat. Qui Concubinas habent, eas ejicere, & expellere compellant; qui aliis vitiis populum offendit, coërceant, & vitam Sacerdotibus dignam degere cogant. Si, quæ in Eccleſiaſtico corrigenda ſunt Ordine, correcta fuerint, [quod ſine ullo ſeditionum, & tumultuum metu fieri poterit, dummodò Epiſcopi officio ſuo, te etiam bortante, fungi tandem incipiant, tuumque illis Regium auxilium, ut debet, paratum ſit] ipſi quoque laici meliores efficientur. Subtrahetur bæreticorum fautoribus materia novarum rerum; quin etiam magis, magiſque in dies reſipiſcent ii, quos à recta Fide, non minùs Eccleſiaſticorum vitia, quàm bæreticorum fraudes detraxerunt. Quòd ſi mentionem Concilii in præſentia fieri non placet, ob aliquas cauſas: Majeſtas tua, omiſſa mentione Concilii, jubeat, quæ in eo ſtatuta fuerunt, ad reformationem pertinentia, ſervari nibilominùs, & in uſum adduci: velùt de Seminariis in unaquaque Eccleſia inſtituendis, quocumque ea nomine placeat appellari; dummodò enim ea, quæ tùm providè ſtatuta fuerunt, atque adeò neceſſaria ſunt, ſerventur; non magnoperè erit de nomine laborandum. Hæc illa ratio eſt, qua Majeſtas tua facilè, Deo Juvante, bæreſes extinguet, & regnum ſuum pacabit, atque ſtabiliet. Nec verò ei deerit Dei Omnipotentis auxilium, dummodò ipſa liberiùs agat, & paternum noſtrum conſilium exequatur. Quod, ut faciat, per viſcera Miſericordiæ Dei eam rogamus, & obſecramus. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo &c. die xx. Junii MDLXVI. Pontif. noſt. ann. primo)

XLII. Ipſo Gabutio teſte, certum eſt, Regem his Pontificis monitis commotum, Epiſcopos omnes, per id tempus in Aula Regia commorantes, ad ſuam quemque Diœceſim procurandam, quamprimùm ſeſe conferre imperaſſe, ipſumque ad Archiepiſcopos literas hujuſcemodi dediſſe.

(*Quas hoc tempore calamitates experimur, eæ ſanè Dei in nos iram exerceri, ſatis oſtendunt. Ut autem ille placetur, opus eſt, ut Antiſtites ſacri, pro officio ſuo, & ratione, ſpectatæ vitæ, & doctrinæ munere, piiſque jejuniis, & obſecrationibus, populis ritè edocendis operam navent diligenter, atque ad cultum Dei, ejuſque Cæleſtium mandatorum obſervationem, quos debent, omnes inſtituant. Hoc autem ad agendum inducit Nos, ac piè cohortatur Pius V. Pontifex Maximus. Itaque Præſules omnes obteſtamur in Domino, ut ad reſidendum in ſuam ſinguli Provinciam, primo quoque tempore proficiſcantur.*) *Apud Gabut. Ibid. ut ſup.*

XLIII. Epiſtolæ hujus authoritate commotos Gallicanos Epiſcopos, Pii mandato paruiſſe, Gabutius idem aſſerit. At in reliquis, quibus ad Concilii Tridentini decreta in mores inducenda, proſpiciebatur, Rege, aut Regina minimè poſtulantibus, Epiſcopis ipſis Pium mandaſſe, (ſicut ipſemet Gabutius dicit,) vel, ut ipſum Concilium ſervandum curarent, vel graves neglecti officii pœnas ſubirent, ambigendum non eſt; nàm, licèt ad Regem ſcribens, ipſius Concilii nomen reticeri Pontifex, ut vidimus, pro nibilo habuerit, dummodò quæ ipſum ſanxiſſet, executioni, ſaltem aliqua ex parte, mandare vellent: tamen cum ipſis agens, auctoritate uſum eſſe, præcepiſſeque palàm, quæ omninò compleri vellet; niſi quem Pii ingenium lateat, dubitare poterit.

XLIV. Et reverà hujuſmodi in Gallia Epiſcopis, reperimus diſtrictè admodùm Pium præcepiſſe, ut Tridentini Concilii Decreta ſuſciperent: nàm ſub vix ſuſcepti Pontificatus initium, univerſè Epiſcopis omnibus, cum his mandatis Literas dedit. En miſſa ab ipſo ad Archiepiſcopum Biſuntinum Epiſtola.

(Ven. Fratri, Claudio, Archiepiſcopo Biſuntino.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater ſalutem &c.

Allatum jam eſſe ad te non dubitamus, de Sedis Apoſtolicæ regimine, quod, ſicut Altiſſimo placuit, Nobis, licèt *Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.*

cèt tanto loco indignis, delatum fuit. A
*Sanè à tanto onere ſubeundo deterrebat
Nos virium noſtrarum infirmitas; ſed
Divinæ gratiæ ope, auxilioque confiſi, id
ſuſcepimus. Quia verò ad aures noſtras
pervenit, nondùm ſuſceptum à te fuiſſe
Sacrum Generale Tridentinum Conci-
lium; ſanè mirati ſumus, cur id ſuſci-
pere diſtuleris, quod ſcias Apoſtolicæ
Sedis authoritate comprobatum fuiſſe,
& ab omnibus, & ubique juſſum ſuſci-
pi, atque ſervari. Quocircà Fraternita-
tem tuam monemus, & diſtrictè præci-* B
*piendo mandamus, ut id ſine recuſatione,
& mora, & devotè ſuſcipias ipſe, ac
fideliter obſerves, & à Suffraganeis tuis
pari devotione, ac diligentia ſuſcipien-
dum, atque obſervandum cures. Nihil
facere potes, quod ad officium tuum ma-
gis pertineat, non mediocriter Nos, &
Catholicos omnes offenſurus, ſi (quod
abſit) cunctatus diutiùs fueris; nèc verò
Nos id ferre, aut diſſimulare poſſemus.
Illud quoque Fraternitatem tuam hor-
tamur, & monemus, ut, quoniàm tantis* C
*hæreſibus cauſam præcipuam conſtat
Paſtorum incuriam, & negligentiam
præbuiſſe, & Cleri vitia, moreſque cor-
ruptos; memor officii tui, & cogitans
reddendam ab te rationem fore in ju-
dicio diſtricto, æterno illi, ſummoque
Paſtori; commiſſum tibi gregem debita
diligentia paſcas, atque cuſtodias, hæ-
reticorum, tamquàm luporum inſidias
ab eis pervigili cura arceas. Clerum, ut
honeſtè, ſobriè, caſtè, piè vivat, & exem-
plo vitæ tuæ excites, & arguendo, obſe-* D
*crando, increpando, & ſi opus fuerit,
ſeveriùs agendo, cures. Correctis enim
Cleri vitiis, ſperari poterit, laicos quo-
que honeſtiùs, & religioſiùs eſſe victu-
ros. Cùm reliqua verò omnia Concilii
Decreta tibi exequenda ſunt, tùm illud,
primo quoque tempore, de Seminario in-
ſtituendo, ex quo mirifica utilitas ad
unamquamque Eccleſiam perventura eſ-
ſe ſperatur. Illud quoque diligentèr, &
ſeduló curare te volumus, ut notitiam
habeas Clericorum, non ſolùm Civitatis,* E
*ſed etiam Diœceſis tuæ, quos conſtet eſſe
Catholicos, quique vitæ, & morum ho-
neſtate, & doctrina, ad ſerviendum Deo,
& huic Sanctæ Sedi ſint idonei, ac de-
lectu quodam eorum cum fide, & ſine
perſonarum acceptatione habito, Nobis
indicem, ſigillo tuo obſignatum, & manu
tua ſubſcriptum, cum eorum nominibus,
& locis, ubi habitant, mittas. Nos enim,
ut communis omnium Parens, proborum
virorum, ubicumque ſint, rationem ha-
bere decrevimus, & eorum opera uti,
cùm occaſio oblata fuerit, ad eas res, quæ
ad Dei, & hujus Sanctæ Sedis obſe-
quium pertinebunt. Te ipſum verò à
Nobis expectare volumus quidquid, pro
loco, in quo Dominus Nos conſtituit, opis,
& auxilii tibi, ad munus tuum laudabi-
litèr obeundum, ferre poterimus: & ſi
vigilare te ad ſalutem commiſſarum tibi
ovium, & eam, quam debes Sanctæ huic
Sedi devotionem præſtare viderimus,
habebis Nos propenſos ad omnia, quan-
tum cum Deo licuerit, quæ ad commo-
dum, & honorem tuum pertinebunt.*
Datum Romæ, apud Sanctum Petrum,
ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Janua-
rii MDLXVI. Pontific. noſtri anno pri-
mo.)

Et quia comperit Pius, Biſunti- XLV.
num Præſulem hunc, & Tridentinum
Concilium ſuſcipere detrectantem, &
quem oportebat, utpotè ad aliorum
correctionem poſitum, exemplar ſeſe
virtutum exhibere, pravitatis, ac li-
centiæ commiſſis ſibi ovibus ſcanda-
lum dare; ad ulteriora progreſſus, miſ-
ſo qui in eum inquireret, præfato Julio,
Archiepiſcopo Surrentino, acriores ad
ipſum ſequentes literas dedit.

(Ven. Fratri, Claudio, Archiepiſcopo
Biſuntino.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater &c.

AD aures noſtras jamdudùm, multo- Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut ſup.
*rum fide dignorum literis, & rela-
tione, non ſine magno dolore pervenit, te,
multis in rebus, diligentis, & boni Pa-
ſtoris erga commiſſum tibi gregem of-
ficia prætermittere, & vita, & moribus
tuis Clerum, ac populum graviter offen-
dere, quibus, ſi ſalutis, & officii tui me-
miniſſes, piè, honeſtèque vivendi exempla
præbere deberes; nec ſuſcepiſſe adhùc
Concilium Tridentinum, tametſi non
ignores, ejus decreta Apoſtolicæ Sedis
authoritate confirmata, & ab omnibus
ſuſcipi, & obſervari juſſa fuiſſe; ac pla-
nè ità te gerere, ut hæreſes, quas ſeduló
extirpare deberes, incuria, & negligen-
tia tua, vitæque licentia, potiùs alas,
atque confirmes: quæ vehementèr cupe-
remus, falsò de te vulgata fuiſſe. Sed, cùm*

tuæ provectionis initia recordamur, veremur, nè nimis vera ſint. Etſi autem aliis literis noſtris, te officii tui diligentèr admonuimus; tamèn divini honoris, & Catholicæ Religionis zelus, & ſollicitudo, atque angor, qui cordi noſtro inſidet; propter ſalutis tuæ, & commiſſarum fidei tuæ animarum periculum, impulit Nos, ut illo officio non contenti, mitteremus iſtic Ven. Fratrem, Julium, Archiepiſcopum Surrentinum, virum fidei, integritatiſque ſpectatæ, Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ Nuncium, & Commiſſarium, ut harum rerum veritatem diligentèr inquirat, & quæ corrigenda, & emendanda in te compererit, corrigat, & emendet, &, præter cætera, curet, ut ipſius Tridentini Concilii decreta ſuſcipias, exequaris, & ſerves. Proindè Fraternitatem tuam in virtute Sanctæ obedientiæ monemus, atque præcipimus, ut ei ſuper omnibus rebus, de quibus, noſtro nomine, te monuerit, pareas, atque obedias: alioquin ſententiam, quam in te tulerit, ſuſpenſionis, interdicti, ſivè etiam excommunicationis, ratam habebimus, & faciemus, Deo authore, inviolabilitèr obſervari. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xviij. Martii MDLXVI. Pontif. noſtri anno primo)

XLVI. At unum erat, præ cœteris, quod Pontificis animum, in Galliarum Regno torquebat; cognoviſſe, nimirum, ut non ſemel admonuimus, hæreticos à Regina, non modò minimè, ut par erat, coercitos, ſed impenſiùs potiùs ab ipſa gratiis, beneficiiſque fuiſſe cumulatos. Et revera, licèt in eum, quem ſupra memoravimus, Odetum Caſtilioneum, non ſemèl tantùm, ſed iteratò perſtrepuerit Pius; nil tamen contra illum actum, & Apoſtolicorum in eum mandatorum executionem, quotidiè, diverſarum causarum aſſimulata ſpecie, Regina protelaverat. Oblatis ſiquidèm Odeto laicis bonis, ac juribus, obtinere ab eo ipſa nitebatur, ut Eccleſiaſticis cederet; & à volente impetrare ſtudebat, quod minimè ab invito extorquere voluiſſet. Quæ quidem protelatio Pium meritò in ſuſpicionem induxit, ut ea quoque hæreticis adhæreret. Hæretici pariter duo Epiſcopi, quos memoravimus, Valentinus, & Uticenſis, Catholicis (ut diximus) Epiſcopis, ad proprias redire Diœceſes compulſis, cùm non modò in aula Regia ſubſiſterent, ſed ſpecialibus etiam favoribus ipſa illos cohoneſtaret, conceptam de ea malam opinionem auxere; quam, deteriorem penitùs deindè reddidit malevolorum quorumdam vociferatio, qua, nempe, Reginam ipſam ad ineundam cum Turcis ſocietatem, (ut hi, videlicet, armata claſſe Chriſtianos aggrederentur) Conſtantinopolim miſiſſe vulgarunt.

Quantò igitur ob hæc in dies magis ſuſpicionibus, ac ſollicitudinibus angebatur Pii animus, tantò viciſſim undique anguſtiis premebatur Regina, cùm, & ſimulationem, qua cum hęreticis agebat, ut felici concluderetur fine conceptum quoddam animo propoſitum, pandere nollet; nec è contrà Pontificis benevolentiam, ac gratiam amittere, ſanum conſilium putaret, cujus auxilio freta, aliquandò hoſtium ſuorum auſus comprimere ſperabat: ideòque, ut ea, quæ contra iſtos commoliebatur, ex ſententia ſuccederent, miſſo ad Pium, & Rempublicam Venetam (quæ, & ipſa de Regina querebatur, quæ cum Turcis agere, ut eos ad inferenda Chriſtianis damna traheret, diceretur) nobili viro, Equite de Seura, apud utrumque ſe purgare contendit; & ad præſcriptum, tali, tantâque efficacia is egit, ut ex utriuſque animis [ſi tamen Scriptoribus rem narrantibus ſit fides] omnem prorsùs ſuſpicionem, dubitationemque ablegaverit.

Hoc anno Lutetiæ Pariſiorum obiit Carolus Molinæus, in quo Deus verè patientiæ, & miſericordiæ ſuæ divitias oſtendiſſe fatendum eſt; ſi tamen ipſe verè reſipuerit. Hic peſtilens ille homo fuit, qui virulentis ſcriptis pluribus Catholicam Fidem, ac Apoſtolicam Sedem, ſed præcipuè Sacroſancti Concilii Tridentini acta innumeris calumniis læſit; quas, juſſu Pii, Andræas Vega Minorita, & Petrus Fontidonius. Theologus poſtmodùm cruditiſſimè diluerunt. De eo hæc habet Bulengerius: XLVII.

(*Lutetiæ, Carolus Molinæus, Februario menſe, libellum ſuplicem Senatui obtulit, quo petebat, ut in Sectarios antiquaretur, & legibus ageretur. Præcipua libelli capita fuere, quòd, ſpecie Religionis, rebelles cœtus haberent, pecunias ſectæ conſciis propria authoritate indicerent, Conſiſtoria celebrarent, Miniſtros privatorum ſumptibus alerent, ſtipendia erogarent. Quòd in Conſiſtoriis Miniſtri de omnibus cauſis, ſpreta Regii magi-*

magiſtratus Juriſdictione, cognoſcerent, plebeculam, à Fide Catholica ad novas opiniones traductam, licentia, & libertate imbuerent; ipſi verò peregrini, & hoſpites, nullaque legitima vocatione miniſterium arriperent, & Sacramenta, propriâ authoritate adminiſtrarent, Sacerdotum munera interpellarent, denique omnia facerent, quibus ſubditorum fides in Regem infringeretur. Eo animo tùm erat, ut ſi vita ſuppeteret, ſectæ opiniones ſcriptis ſuis everteret, ſed in ea cogitatione, antequàm opus attingeret, exceſſit.) Iſta ille; at Thuanus, privati illius odii in Sectarios has attuliſſe cauſas ſcribit: quòd nempè, Confeſſionem Auguſtanam, quæ in Germania obtinebat, Genevenſi, & Helvetica tolerabiliorem dixiſſet; & in Commentariis, in conſuetudines Pariſienſes, fanaticos eos, & ſeditioſos vocaſſet; & ea proptèr, illos in concionibus, Synodis, & ubique, palàm ipſum traducere, domeſticos, qui eum obſervabant, corrumpere, & amanuenſes, nè eorum opera uti poſſet, minis, pretio, blanditiis ſeducere conſueviſse. Verùm, ſi ſic res ſeſe habuiſset, non contra Sectarios cunctos, ſed in eos dumtaxàt, qui Genevenſis, & Helveticæ ſectæ erant, invectum eſse, & ſcripſiſse, dicendum eſset, non contra omnes, quorum partem ab eo alteri præpoſitam, pro ipſo ſtetiſse cenſendum ſoret. Cùm verò contra omnes ſcripſerit ſectas, ſectarum omnium evidens eſt agnoviſse perniciem, iiſque ſe abdicaſse, ut Catholicam Fidem profiteretur: quod nempè apertè reſerre, æquivoco ſuo ſcribendi modo, Thuanus noluit, quòd fortè laudibus, impiiſſimis Molinæi ſcriptis, ab eo ſuperiùs datis, hæc illius reſipiſcentiæ ultima monumenta, nullatenùs convenire conſpexerit.

XLVIII. Obiit quoque Saloni in Provincia, nugax ille, toto Orbe famoſus, Michael Nonſtradamus, qui futurorum eventuum præſcium ſe, & præſagum, per aſtrorum influxum venditavit; ſub cujus deinceps nomine, ejuſmodi ſuas cogitationes plurimi alii ediderunt, verſibus, recens conditis, quaſi ab eo conſcriptis, typis traditis, ut plebeculæ imponerent, eique Prophetæ nomen attribuerent: quod tamèn (ut ſcribit Britius) huic meritò conceſſum nonnulli putant, virumque bonum fuiſſe ſcribunt, & hoc cœleſti munere, pro ingenuitate, & vitæ probitate non indignum aſſerunt. Albinum quoque, nobili Valzergorum, & Sereſciorum familia ortum, Tholoſanum, Eccleſiaſticum, & Archidiaconum, fidei defenſorem, & voce, & ſcriptis toti Aquitaniæ clarum, hoc eadem anno mortuum eſſe, tradit Genebrardus in Chronic.

1. At Inter cœtera, quæ, memoratu digna, hoc anno acciderunt, illud procul dubiò fuit, hæreſim, ejuſque ſodales, tumultus, rebelliones, bella, unàque cum eis innumeras calamitates, in Belgio, primò erupiſſe, ſecumque evexiſſe. Superiore anno, ut Surius, Thuanus, aliique narrant, menſe Octobri, ut vult Surius, vel Decembri, ut ſcribit Belcarius, Philippus Secundus, Hiſpaniarum Rex, & Belgii Princeps, ad ejuſdem Belgii Gubernatricem, Margaritam Parmenſem literas dederat, quibus, ad Fidem Catholicam conſervandam, denuò vulgari, & hinc executioni mandari Edicta omnia juſſerat, quæ adversùs hæreticos, tùm ipſe, tùm Pater ipſius, Carolus V. Imperator ſanxerant; & inſupèr Sacroſancti Tridentini Concilii Decreta, uti jam cœtera Hiſpanicæ ditionis loca fecerant, recipi, & obſervari præceperat. In illis verò Edictis, Sedis Apoſtolicæ authoritate, ut Bentivolius narrat, forma præſcribebatur, quam Inquiſitores ſequi deberent, ut ab hæreſis peſte regiones illæ ſervarentur incolumes, & mandatorum quidem Regis hæc præcipua quædam fuiſſe capita, Surius refert.

[*Ut Parochi ſuorum Parochianorum nomina, totamque familiam deſcribant, & qua quiſque in platea degat, & cujus ſit conditionis. In iis, ſi qui ſint, qui non ità pridèm in ipſorum Parœciis habitare cœperint, petant ab illo Parocho vitæ illorum teſtimonium, ſub quo proximè morati ſint: id, ſi non ſuppetat, intra certum tempus exhibere jubeant. Ab ignotis quoque conjugatis, ejus Sacerdotis, qui illos conjunxit, repetant teſtimonium, ut apareat, nùm in contrahendo matrimonio, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ morem ſecuti ſint, atque tùm horum, tùm aliorum omnium, qui in illorum præſentia matrimonio juncti fuerint, nomina in ſcripta redigant.*

Ut non Parochi dumtaxàt, ſed etiam Confeſſarii omnes, ipſorum confiten-

tium nomina, cognomina, habitationem A *adnotent.*

Ut idem faciant Parochi, & eorum Vicarii erga conſcribenda nomina, & cognomina baptizandorum infantium,& eorum Parentum,& Suſceptorum.

Ut utriuſque ſexus Didaſcali omnes ſe ſiſtant coràm Epiſcopis,expoſituri conditionem,patriam, religionem ſuam, & quos libros pueris prælegant. Porrò Epiſcopi, de iis facti certiores, vel admittant, vel rejiciant, aut certè differant illos, & ſuſpendant. B *Si qui verò non ſe ſiſtant, aut non velint reſpondere Epiſcopis; iis fas non ſit juventutem inſtituere.*

Ut Parochi accuratè perquirant, num illi, qui publicis victitant eleemoſinis,Catholici ſint, ſuaque peccata confiteantur, & communicent. Si qui tales non ſint, iis à Præfectis pauperum negetur eleemoſina.

II. Iſta decretorum capita, & à Parmenſi, Regis juſſu, edita fuiſſe, & à C Provincialibus Synodis, tùnc paſſim, juxtà Concilii Tridentini mandatum, coactis, prodiiſſe narrat Thuanus. Superiori ſiquidem anno Maximilianus à Berge, Archiepiſcopus Cameracenſis Synodum habuerat,cujus acta deſcripta habentur, ac Antuerpiæ hoc anno in Officina Gulielmi Silvii Typographi Regii, cum ejuſdem Regis privilegio, ut etiam in Commentario novorum Belgii Epiſcoporum Havenſis narrat, typis ſunt tradita. Belcarius inſupèr,& D alii confirmant, Regiarum literarum exempla, quæ hoc anno 1566. menſe Januario publicata fuerunt,Parmenſem ad Provincias miſiſſe, mandatis ſuis additis, quibus, univerſis, & ſingulis præcipiebat, ut Regiæ voluntati omnes parerent,utque id commodiùs perficeretur, jubebat, ut unum ex ſuis Senatoribus, ſemper, ſemeſtri hoc munere functurum, deligerent Civitates, qui Inquiſitoribus, juriſdictionem ſuam exercentibus,adſideret,in cujus locum, E ſexto quoque menſe alium ſufficerent; qui, & Tridentini Concilii decreta exactè ſervari curaret,ſedulòque quid in eo negotio ageretur, indicaret; ut tertio quoque menſe ſaltèm, quo in ſtatu Religio eſſet cognoſceretur; & ſi quæ difficultates ſubortæ fuiſſent, eis per Delegatos à Parmenſi proſpiceretur. Et hæc quidem prima tumultuandi

Arnol. Havenſ, Comment. lib. 1. cap. xi. pagin. 45.

in Belgio occaſio, ex odio videlicèt in ſeverum Hiſpanicæ Inquiſitionis jugum proceſſit, quod novarum rerum amatores, quàm potuerunt, immaniſſimum, iniquiſſimumvè depinxere,ut indè animos concitarent.Erant quidèm (inquit Haræus) in inſtructione hic denuò renovata,jamque Inquiſitoribus in Belgio anno 1555. & aliàs data, neſcio cur, nonnulla (ut ipſe aſſerit) dura; & hæc inter cœtera: (*Si aliqui* (Regis ſunt verba) *apud Inquiſitores compareant, volentes alium deferre ſuper hæreſi, ea tamèn conditione, quòd nomen delatoris celabitur, & informationi non inſeretur,(ut ſepiùs contingit) illos tamquàm teſtes non recipient, neque eorum delationem informationi inſerent, neque ex ejuſmodi delatione contra aliquem procedent.*) Et rursùm. [*Si Inquiſitores Commiſſarii comperiant aliquos, qui per invidiam,aut alia occaſione alios injuſtè detulerint, hoc Judici, & Magiſtratui Loci, aut Concilio Provinciali indicabunt, ut ipſi contra tales calumniatores procedi curent.*] Iſta apud Haræum.

At, priuſquàm Edictum publicaretur,nobilitatem fœdus inter ſe inijſſe anno ſuperiori, idem ſcribit. Verùm, utrùm tempore nuptiarum inter Alexandrum Farneſium & Mariam Emanuelis Regis Portugalliæ, ex filio Eduardo Neptem, ſub finem ſcilicèt Novembris: vel nonniſi paulò poſt, ſe non poſſe affirmare dicit;tametſi parùm referat, ſi tunc inita ea ſocietas fuerit, ante Idus Decembris,quibus de Regiis literis publicandis ſtatutum fuit, an aliarum nuptiarum occaſione, nempè Montignæi, Hornani Comitis fratris, ut tradit Campana. Quidquid fuerit, certum ſibi etiam non innotuiſſe fatetur Haræus ſupradicti fœderis primarium Inventorem,licèt ex gravi authore hæc exſcripſiſſe affirmet: [*Inter nobiles erant adoleſcentes nonnulli,qui,vel Genevæ,vel in Germania peregrinas Religiones didicerant,deſeriq; Galliarum exemplo, quam ſequerentur Religionem non debere affirmabant. Ab his paucis conjuratio primò ſuſcipitur, ità incerta initio,ut quid,aut qua ratione aggredi oporteret, conſtituere ſecum difficulter poſſent. Verùm, cùm hæc, verbis concepta, conjuratio, inanis futura diceretur, Philippo Marnixio, Domino Sanctæ Aldegundæ dictante, ſex unà ſecum nobiles fœdus ſanxerunt &c.*) Horum verò nomi- III.

nomina hęc ſunt, Dandelotius Vilerſius, Hameſius, Tholouſius, Bouxtelius, & Dolhainus; quibus deindè Orangius, Egmondanus, Bergenſis, Hornanus, Montigneus, Hoocſtratanus ſe addidere, qui fœdus inter ſe ſcripto firmarunt; cui, ut Bentivolius narrat, compromiſſi nomen dederunt. Hi igitur, cùm alii ſimulatione rem agere æquiùs judicarent, Provincias atque Urbes, in quibus turbas concitarent partiti, apud amicos, & notos, ſuam ſocietatem ſuſcipiendam curarunt, magnaque voluntatum, ſtudiorumque conſenſione effectum eſt, ut paſſim multi nobiles ſe conjurantibus adderent, tabulaſque conſignarent: imò nonnulli, inaudita animi levitate, quid eſſent, quidve continerent percipere negligentes, cœterorum, qui illas ſubſcripſiſſe dicerentur, profitentes ſe ſtare judicio, eas pariter ſubſignarunt, & inter hos, Catholicos etiam extitiſſe aliquos, ſcribit Surius; qui tamen, prava deindè confœderatorum mente comperta, ab eis ſe ſeparunt.

IV. Ubi igitur, quod præfati ſumus, Edictum vulgatum fuit, ſeſe à Zelandiæ, Ollandiæ, atque Ultrajecti Præfectura abdicandi facultatem à Gubernatrice Orangius obtinere connixus eſt; quòd, ex quorumdam Edicti ejuſdem capitibus, imminentibus, certèque exorituris motibus, obſtare non poſſe, ſe intelligere diceret. Vigeſima quoque ſecunda die Januarii, quatuor ſupremarum Brabantiæ Provinciæ Urbium Delegati, unà cum Brabantiæ Cancellariæ delegatis Gubernatricem adiere, ſibique impoſitam Inquiſitionis juriſdictionem ſuſtinere non poſſe, quorumdam privilegiorum ſuorum exhibitione, oſtenderunt. Varii etiam contra Edictum ipſum, ac Inquiſitionem, per Urbem, ſeditioſi libelli ſparſi fuerunt: Inquiſitionique ipſi, magna militum manu, Bruſvvicenſium Ducem, brevi, auxilio venturum, ſubdolè, ſeditioſèque vulgarunt; dùm interim novis Edictis, de officio Parmenſis ſubditos commonefaceret, ſecretò licèt, ad turbas ſedandas, de mitigandis Regiis in hæreſim, ac pro Inquiſitione mandatis, continuà conſilia haberet.

V. At fœderati, qui rurſus Bredæ, menſe Martio, apud Orangium convenerant, quarto nonas Aprilis primùm Bruxellam ingrediuntur, inter quos Henrico Bredenrodio ab iiſdem delata provincia, ut pro toto Conventu verba faceret, libellumque Parmenſi exhiberet. Eamdem quoque Urbem paulò poſt, nempè tert. non. Aprilis, ingreſſus eſt etiam Ludovicus Naſſovius, tàm frequenti nobilium comitatu, ut jam Bruxellæ centum quinquaginta cenſerentur, quorum omnium nomine Bredenrodius, ex ſibi impoſito, ut diximus, munere, nonis Aprilis in ampliſſimo Equitum, Togatorumque Senatu, quem Parmenſis eo die coëgerat, poſt multa ad ſui ſociorumque excuſationem prolata, libellum ſupplicem ei obtulit, cujus ſummam Franciſcus Haræus hanc fuiſſe ſcribit.

VI. *(Eſſe ità ſane, ut cauſas non improbabiles Rex haberet, quibus, cùm antè ſæpè, tùm poſtremis literis, patris Cæſaris exemplo, retinendam veterum de Religione Edictorum ſeveritatem imperaret. Verùm, cùm non unis, neque iiſdem conſiliis, adminiſtrari Rempublicam perpetuò oporteat, fuerintque ea Edicta jam olim, (cùm ferre ea poſſe homines crederentur, cùmque minùs exactè ex eorum præſcripto jus diceretur) maximorum malorum, graviſſimorumque motuum cauſa, vereri ſe modò, non tàm veteres animorum offenſiones, atque eos rerum motus, ſeditioneſque, quibus concuſſa, graviſſima ruina Reſpublica collabatur. Jam pridèm ſe ſperaſſe futurum, uti vel Proceres, vel Provinciarum Ordines hanc in ſe curam ſuſciperent. Verùm, cùm, certis, quas ignorarent, de cauſis, hoc illi Reipublicæ officium non præſtiterint, facere ſe neceſſariò, pro ea, qua Regi, Patriæque neceſſitudine tenerentur, uti de rebus tantis, Parmenſem commonefacerent, ceteriſque, hoc ſuo officio, idcircò præirent, tùm quod agros habitarent, in quorum vaſtitatem commotorum ſe ſe hominum rabies, ut plurimùm converteret, tùm quòd ſibi, cæteriſque per Belgium hominibus, nullam contra calumniam ſuffecturam innocentiam intelligerent. Poſtulare itaque ſe uti, & legatione, Regi Parmenſis exponat, retineri (niſi, veteribus Edictis abrogatis, noviſque, ex ſententia Ordinum generalium, promulgatis) Rempublicam diutiùs non poſſe; tùm quoad de hac legatione ſententiam Rex reſcripturus, differri omnem Inquiſitionis, Edictorumque executionem Parmenſis patiatur; atque hæc eſſe poſtulata, quæ Nobiles,*

Annal. Brabant. Franc. Haræi.

biles, jam pridèm Regi ſide probati, hu- A
millimè flagitarent, extrà omnem ſedi-
tionem, cædiumque culpam futuri (quod
Deum, Regem, Parmenſem, Senatores,
omnes omninò homines, atque ſuam con-
ſcientiam teſtarentur) ſi ſide optima,
præclariſsimoquè in Rempublicam ſtu-
dio monentibus non pareatur.]

VII. Libellum hunc, licèt in eo libe-
riùs, quàm par eſſet, fęderati loqueren-
tur; tamen in lenius verborum genus
fuiſſe ab Orangio commutatum, tradit
idem Haræus, quòd jam, ſumptis viri- B
bus, conjurati in apertam exilirent au-
daciam: quæ quidem erupit, cùm libello
eidem à Parmenſi retulere reſponſum,
quod, paucis complexum, ejuſmodi fuit:
[facturam ſe, quòd de Hiſpanica Lega-
tione proponeretur; jamque anteà, ſe
eam novam Edicti formulam concepiſ-
ſe, qua Regio decori, ſubditorumque
ſimul genio, ac utilitati proſpiceretur.
Ferre nihilominùs imperii ſui rationem
haud poſſe, quòd interim, omni metu
Edictorum ſublato, Religio, ac Fides C
pravis, ac impiis commolientium inſi-
diis objecta remaneret; leniter tamèn,
ac citra omnem ſeveritatem, ſe impe-
rante, Inquiſitores ſuo munere perfun-
cturos.] Hi, enim, temerè viciſſim
reſponſum reddiderunt, ſe optaſſe, ut
clarioribus dilucidioribuſque verbis
animi ſui ſententiam Parmenſis aperi-
ret; quapropter, ſi quid eorum, quæ
metuebantur, accidiſſet; ſciret ipſa pro-
fectò, cujuſvis criminis ſe eſse inno-
xios, quòd ipſorum conſiliis, oportuno D
tempore, aures adhibere contempſiſ-
ſet.

VIII. Hinc dictis facta addiderunt: cùm
enim commotæ tempeſtatis periculum
non minùs agnoviſset, quàm formidaſ-
ſet *Parmenſis*, conceptum timorem ità
in corde preſsum retinere non potuit,
ut inter loquendum, cuidam proceri
Barlaimontio illum non aperiret. At
eam ut conſolaretur Barlaimontius, his
verbis uſus eſt: (*Nequaquàm Domina,*
nè metuas hos, ſeù mendicos, ſeù nebu- E
lones.) Quæ quidem verba, cùm ver-
naculo protuliſset ſermone, juxtà hujus
prolationem obſervata, conjuratis Geu-
ſiorum nomen impoſitum eſt. Geuſii
ſiquidem vocem, quam gallicam aliqui
faciunt, modò ſcurram, modò mendi-
cum, modò facetum nepotem ſignifica-
re nonnulli exiſtimant; licèt alii teu-
tonicam credant, & pro Geuſen uſur-
pant, quam majores, vel Gothis, genti
barbaræ tribuiſsent, vel Gothici no- *Apud Iſſelt.*
minis odio convicium feciſsent.

Quidquid ſit, cùm, eodem Aprili IX.
menſe, quos diximus, fœderati, qui jam
trecenti numerabantur, in Comitis Cu-
lenburgii ædibus pranderent, proque
magnitudine, multiplicitateque pocu-
lorum, publicarum rerum curæ con-
ſilia, ac verba multiplicarent; inter alia
accidit etiam recitari dicterium, quo à
Barlaimontio tota ea optimorum, nobi-
liſſimorumque hominum multitudo in
contemptum dicta fuerat; quo audito
omnes verbo perculſi, & à vino ſimul,
non modò exhilarati, ſed extrà ſe rapti,
uno ore, unâque voce, libenter in Re-
gis, patriæque gratiam ſe Geuſios fu-
turos conclamare cœperunt, & dicen-
tes: *vivat Rex, vivant Geuſii*, immani-
bus, ad Regis Geuſiorumque ſalutem
ſeſe poculis profuderunt. Hinc Breden-
rodius, quem, omnium nomine, libellum
Gubernatrici obtuliſſe diximus, fędera-
torumque ferè Princeps videbatur, vas
ligneum poſtulat, manticam è trabe
ſuſpendit; ſub trabe fauſtam Regi Geu-
ſiſque potationem indicit, jurisjurandi
eam formulam potanti præſcribit: uti
uſque ad panem, ſalem, atque manti-
cam, non diſceſſurum ſeſe ab inſtituto
quiſque profiteretur Creſcit bacchan-
tium furor, galèri permutantur, inverſi
capitibus imponuntur, ad ſingula quæ-
que momenta: *vivat Rex, vivant Geuſii*,
inclamatur. In aream procedunt, &
idem quoque ſymbolum per inſequen-
tes dies repetunt, & mox è cinericio
panno ſibi veſtes aſſumunt, minutaſque
mendicantium è ligno ſcutellas, pocu-
laque è galero ſuſpendunt; numiſmata
cudi in eam formam procurant, ut uno
latere Regis effigies, his circumſcripta
verbis; *Fideles Regi*, altero, duabus
fœderatis manibus implicata mantica
conſpiceretur, his verbis adiectis: *uſque*
ad Manticam. Radi ſibi poſtremò, præ-
tèr ſuperius labrum, barbam reliquam
jubent. Hinc, ſicuti Proteſtantes in
Germania, Hugonotti in Galliis; ſic
in Belgio Geuſii deinceps, qui à Fi-
de Catholica defeciſſent, nuncupati fue-
runt.

Qui in Hiſpaniam legati Regem X.
adirent, Marchio Bergenſis, & Monti-
gneus eliguntur, à fœderatis Geuſiis
probati, qui donèc Regis animum per
eos non intellexiſſent, tranquillè ſeſe
domi

Digitized by Google

domi Rempublicam habituros promiſerunt; ſed, quàm probè fidem datam præſtiterint, ſubſequentes mox coitiones, ut obſervat ab Iſſelt, & aliæ ab iis excitatæ turbæ luculenter oſtenderunt. Interim Parmenſis, dimiſſis in ſuas quoſque Provincias Præfectis, eorum ſingulos earumdem Provinciarum Conventus cogere, menſe Majo hujus anni voluit, in quibus, ipſa mandante, hæc capita propoſita fuerunt, à præfato Haræo, quem præ omnibus fidelem, ac exactum Belgicorum tumultuum Scriptorem reperimus, & quæcumque ſcripſit, ut ab Iſſelt obſervat, ex ipſis autographis decerpſit, ſic adnotata leguntur.

(*Qui aliam à Catholica, Religionem, publicè, privatimve doceret, munus gereret, libros ſcriberet, domum, ſciens, dolo malo præberet, turbam concitaret, Catholicos offenderet; in eos homines, pœnitentes gladio, non pœnitentes laqueo animadverteretur: bona ità demùm Fiſco cederent, ſi non iis Provinciis atque Urbibus exiſterent, quibus ob crimen in commiſſum cadere bona damnatorum non conſueverunt.*

Qui crimen hæreſis animo contraxiſſet, res facto non admiſiſſet, huic pœnitenti, & coram Epiſcopo hæreſim renuncianti, pœnæ is terror non exiſteret.

Qui delatus, hæreſi non renunciaret, is, proſcriptus bonis uteretur; alienandi, teſtandique de iis bonis poteſtatem non haberet; mortuo hæredes Catholici ab inteſtato ſuccederent: bona ita tamèn amitteret, ſi contra Religionem, quietemque Provinciarum abſens moliri quid convinceretur.

Anabaptiſtæ pœnitentes, nullius gravioris facti rei, extrà ordinem, arbitrio Judicis coërcerentur, pœna mortis non tenerentur: ſed non pœnitentes, definita exilio, boniſque mulctarentur.

Hæretici relapſi, indè denuò pœnitentes, exilio, atque bonis; non pœnitentes morte punirentur.

Anabaptiſtæ relapſi, nullo diſcrimine, laqueo ſuſpenderentur.

Qui libros, vel hæreticos, vel ſeditioſos, ſciens, dolo malo ſæpiùs excudiſſet, diſtraxiſſet, is pœna Miniſtrorum Doctorumque teneretur.

Qui rariùs feciſſet, is proſcriptus, arbitrio Judicis, vel ære, vel corpore pœnas daret.

Qui lucro, non hæreſi adductus, res eas feciſſet, extra ordinem, arbitrio Judicis coërceretur.

Qui, quò quis ſeduceretur, frequenter diſputaret, pœna mortis; qui rarò, nec ſeducendi animo, ſed curioſitate id faceret, in eum, arbitrio Judicis animadverteretur.

Qui libros improbatæ lectionis legeret, legendos alteri exhiberet, imagines, ſigna, Statuas, religioni contumelioſas pingeret, ſculperet, pictas, ſculptas haberet, illicitis novarum religionum collegiis interfuiſſet: in eum, pro criminis perſonæ, atque rei diverſitate, arbitrio Judicis ſtatueretur. E contra qui hæreticorum illicita collegia denuntiaſſet, huic ſi collega extitiſſet, pœna condonaretur, ſin collega non fuiſſet, vel dimidium bonorum, ſi ſexcentos florenos non excederent, vel quartam, ſi excederent, è bonis damnatorum acciperet.

Peregrini intra Urbes, atque pagos ità demùm futuri inquilini admitterentur, ſi idoneas ab eo, cui poſtremo paruiſſent, Parocho, atque Judice literas afferrent. Ad Peregrinos tamen Mercatores, ità ea cautio non pertineret, ſi modeſti, ſine Catholicorum offenſa, permanerent.

Quibus reis ob pœnitentiam fuiſſet condonatum, ii Magiſtratum impoſterùm nullum gererent; quos tamèn ſuſpectos de hæreſi Judices pronunciaſſent, ii, re cognita, impetrata in integrum reſtitutione, à Magiſtratu non probiberentur.)

His (inquit Haræus) de Ludimagiſtris, & Typographis, & alia pauca capita etiam addita erant, quæ forſan de iis, quæ ſuprà ex Thuano, & Surio propoſuimus, decretis, egiſſe cenſendum eſt.

XI. Variè igitur Ordines reſponderunt; & quidem Arteſii, ut idem Haræus narrat, ſi calumniatoribus pœna ſtatueretur, univerſa ſibi placitura capita faſſi ſunt. Flandri etiam ità aſſentiti ſunt, ut contra ea multa nihilominùs de certis ſuis Privilegiis, de Judicum præventione objicerent; cùm Jus nullum in laicos dicere, permitti Clericis vellent; de libris non ſolos Theologos, ſed cœterarum quoque diſciplinarum profeſſores cognoſcere optarent. Attrebates autem, Hannonios, & Namurcenſes capitibus ſub-

ſcrip-

ſcripſiſſe, ſcribit Thuanus, qui ex inſtituto hæreticorum partes tueri contendens, poſtquàm diffiteri minimè potuit, capitum formulam ſingulis Provinciarum Ordinibus à Curia propoſitam fuiſſe, ut eam ratam haberent; Attrebateſque, Hannonios, ac Namurcenſes ei ſubſcripſiſſe, addit, & in Flandria, & Brabantia promulgatam fuiſſe, non vocatis Batavis, Zelandiis, Friſiis, & aliis, quòd ji, privilegiis, & immunitatibus ſuis fulti, minimè aſſentirentur. Quò enim Batavi, Zelandi, Friſii vocandi fuerint, minimè intelligitur, cùm ſeparatim ſingularum Provinciarum Ordines cogendi eſſent, nec promulgationi in Brabantia, vel faciendæ, vel factæ commune aliquid ipſi haberent. Nec privilegia, ac immunitates, quibus fulti, capitibus minimè aſſentirentur, ipſarum Provinciarum Ordines cogere vetaret, cùm aliæ quoque Provinciæ ſimilibus, ac illæ, privilegiis, ac immunitatibus exornatæ, & à novo Edicto, ut diximus, averſæ, illud non receperint; nec ex hoc tamèn ſuos ſingulæ Ordines convocare reſpuerint.

XII. Ex eo autèm Edicto, nullum, ut tradit Haræus, Reſpublica fructum eſt conſecuta; nec mirandum eſt, promulgatam hanc temporariam, ac fiduciariam placitorum moderationis formulam, multis indignationem, univerſis riſum moviſſe, idque adnotaſſe Thuanum, eo quòd in ea, (ut ipſe dicit,) loco ſummi beneficii decretum eſſet, ut Proteſtantes, Miniſtri, eorum hoſpites, & qui offenſioni cauſam darent; non flamma, ſed ſuſpendio necarentur; qui animum ſententiamque mutarent, gladio; vulgus in errorem labens, exilio caſtigaretur. Mirandum, inquam, non eſt, cùm jam in apertum proſilire hæretica inſania, furorque decreviſſet. Etenim, mox ubi de mitioribus his legibus Parmenſis agere cœpiſſet, & in lubrico ità rem conſtitutam nonnulli fœderati animadvertiſſent, ut, ſi perſuaderi hoc, quod proponebatur, Edictum contingeret, nulla impoſterùm ſtabiliendæ novæ ſectæ ſpes exiſteret; aſtutiſſimis quibuſdam ſuadentibus, novarum rerum amatores, Gubernatricem, omni prorsùs ſublato Edicto, eorum votis ceſſiſſe, ſubdolè, etiam ſcripto, vulgarunt. Quo factum eſt, uti Cardinalis Bentivolius tradit, quòd torrentis inſtar, vox hæc, ultrò, citròque curſans, vulgum ſic concitaverit, ut, paucis ante Kalend. Maji diebus, circùm majores Flandriæ vicos, per agros, diurni etiam haberentur Calviniſtarum conventus; nocturnos enim diù ante celebrarant. Tùm ſiquidem publicè, effrænatèque, ex induſtria, prodire hæreſim fœderati curarunt, ut ſic faciliùs impiis eorum petitionibus, neceſſitate ferè cogente, Rex annueret. Imò ad plebem incendendam, crebros ſparſos rumores de Legatorum infauſto in Hiſpaniam adventu, de Regis contra Sectarios, eorumque fautorum indignatione, de Claſſis, ad eum in Belgium portandum, apparatu, de Henrici Brunſuvici, qui ſub Philippo merebat, cum delectis militibus, ut Inquiſitoribus, (ſicut innuimus,) noviſque Epiſcopis, armata manu preſtò eſſet, ex Germania adventu, Thuanus ipſe diffiteri minimè potuit; effectumque id aſſerit, ut in dies creſcentis, numeri oſtentatione adverſariis, metus incuteretur: additque impiarum conventicularum facto initio, in Flandria, Brabantia, Gheldria, ac Friſia conciones publicè, deindè in patentibus campis, aliiſque opportunis locis habitas; paſſim ad eas primùm inerme, ſed poſtmodùm, ad corporis tutelam, armata confluente plebe.

XIII. Sic facto impetu, impunè ubique Calviniſtarum, Lutheranorum, Anabaptiſtarum diſſeminabantur errores, ſummiſque laudibus unuſquiſque falſum, cui ſe addixerat, dogma extollebat; nec doctior quiſquam, aut peritior prædicationis munus aſſumebat, ſed qui impudentior, iniquæque innixus quiſque opinioni, eam, non tàm procacitèr proferre, quàm alios etiam, uti Dei verbum, docere poſse arbitrabatur. Fœminæ etiam, quibus ab Apoſtolo præceptum erat, ut ſilerent, & ſi non aliis prædicare, colloquiis ſaltèm intereſſe, horrenda prorsùs temeritate contendebant. Nullæ tamen per Lutzemburgum, Arteſiam, Hannoniam, Namurcum, neque per Inſulas, Duacum, & Orchum hæreticæ coitiones habitæ ſunt.

XIV. His idcircò compertis, mitioribus remediis omninò poſthabitis, ſeveriora adhibenda cenſuit Gubernatrix; ac menſe Junio, in impios conventus graves pœnas decrevit: quod tamèn Edictum inefficax fuit, ſi Thuano credatur;

Hiſtor. par. 2. 4 ...

Bentivol. ut ſup. Haræus, ut ſup.

A datur; nàm alii, eo, in Urbibus coërcitam plebem aſſerunt, & inſuper hunc fructum perceptum, ut quibus locis conciones nondùm haberentur, in iis nè ſuſciperentur, Magiſtratus operâ, cautum eſſe ſcribunt. At contrà, (ut refert Haræus,) quibus locis jam factæ erant, majore etiam hominum concurſu, armatorumque multitudine, Miniſtri conventus ſuos ad loca Urbibus viciniora tranſtulere, Pſalmos ad numeros Marotanos, Bezanoſque, inſtar B Sirenum, decantarunt; in Papam, ut Antichriſtum, in Sanctorum imagines, ut Idola, in Monachos, cœteroſque Sacerdotes, ut Phariſæos, (exemplo Ducis Joſue, Eliæ, Machabæorum, imò ipſius Chriſti, ut jactabant,) conciones acerbas perpetuò habuerunt. Quin & Legatos in Gallias, Angliam, Germaniam varios miſerunt, ut undique accitis viribus, cœptæ rebellionis auſus tuerentur. Fœderati etiam, aſſimulata ſpecie, quòd Hiſpanicis Legationibus C non reiponderetur, ſexto decim. Kal. Auguſti ad Sanctum Trudonem ditionis Leodienſis Urbem, ſeditioſum ſatis conventum habuere; dùm intereà, poſt diutinas conciones in Flandria, per obſcuros primùm Caſletanæ ditionis pagos, Templa violantur; indè, Auguſto menſe ineunte, in vicinum Balliolum furor tranſit, celebre ibi Monaſterium, colluviæ hominum invadente, imaginibus, ſtatuiſque inſultante, omniaque evertente Juliano, & Jacobo Miniſtris. D Eadem Stigerii patrantur ſcelera, & Lyſa tranſgreſſa, per Inſulenſem agrum, Seclinium uſque excurritur. At tantum facinus Seclinienſes, Goudecuriani. Vvouriniani, cœterique ejus regionis ruſtici, minimè ferendum putarunt; ideòque, nullo imperante, ſumptis, quæ ſors obtuliſſet, armis, uno agmine in obvios Iconoclaſtas irruunt, quorum pars in paludes concitatur, vel flumine mergitur, altera, paucis demptis, qui delapſi ſunt, ferro trucidatur. Eadem E ferè ſacrilegia, (nt mox dicetur) Ipri, ejuſque exemplo, Gandavi, & tota occidua Flandriæ regione, in Urbibus, & pagis commiſſa ſunt, ſcelus fovente, ac ſaltem diſſimulante, Egmondano. At quod Antuerpiæ patratum eſt, uti omnibus præſtat, omnibuſque exemplo fuit, ſic non curſim, ac properatò recitandum. Illud, prætèr innumeros alios, ab Haræo habes his verbis.

A *[Antuerpia jam inde à menſe Majo uterum geſtarat; hinc menſe Julio inſignibus ſex agrariis concionibus intumuerat: acceſſerant Lutheranorum, & Calviniſtarum in uno utero concertationes; neceſſariò itaque prodire, Flandriæ exemplo, infauſtum partum oportebat. Solemnes annuæ, Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Urbicæ ſupplicationes de more peragebantur; Imago Beatæ Mariæ Virginis ſolemni pompa per Urbem circumlata,* B *indè, pro more, medio templo collocatur. Multis itaque verborum contumeliis Jerichuntinum hunc triumphum Arcæ novi Teſtamenti, (ſimilis enim deſcribitur Arcæ veteris ad Jerico Joſue 6.) multi proſcindunt, Deiparam (proh ſcelus!) Mariolam fabri, à Joſepho fabro ſalutant: accendunt animos Miniſtri; fugienda non animo modò, ſed & corpora Idola clamant, eradicari, extirpari tantam ſummi Dei contumeliam oportere vociferantur. Quinto itaque* C *die poſt, illo ipſo tertio decimo Kalend. ideſt, die Auguſti vigeſimo, poſt preces veſpertinas, nebulones nonnulli Sacram ædem primariam, D. Virgini Sacram ingreſſi, inſanis clamoribus, vocibuſque toto Templo concertant, Imaginem Beatæ Mariæ compellant; ſi,* Vivant Geuſii, *clamet, parcituros ſe illi affirmant, Æditius inſultant, cum Catholicis rixantur. Excitus ad eum rumorem Magiſtratus, initio apparitores, poſt è ſuo Collegio certos in Templo, nullo fructu* D *ablegat. Sub veſperam itaque hora ſexta, occluſis Templi foribus, præeunte quodam Centurione, qui tutandarum concionum munus tenebat, ſublata voce, ad numeros Genevenſes Pſalmum auſpicatur, eo eventu, ut velut carmine motis mentibus, in Imaginem Deiparæ, ceteraſque furibundi inſilirent; Chriſtum denique unà cum cruce funibus detractum in fruſta comminuerent; latrones tamèn, (ſuos equidem tutelares) intactos relinquerent; Sacroſanctum Sacramen-* E *tum, horrendis contumeliis afficerent, præſtantiſſimorum pictorum monumenta confringerent, religioſa, jure etiam Gentium, mortuorum ſepulchra violarent, ſupellectilem Sacram omnem auferrent: atque ea ratione pauci nebulones, nemine repugnante, in tàm populoſa Urbe, totos tres dies bacchantur, totius Urbis Templa diripiunt, Monaſteria, Sacella, cibos, quos abſumere non poſ-* XV.

ſunt, profundunt, cervicem reliquam fœdant, Libros Bibliothecarum, nullo diſcrimine conſcindunt, pecuniam, veſtem, ſupellectilemque ſibi omnem rapiunt.) Et infrà (*Jam vaſtatis, hunc, in modum, Templis, mox primarium Beatæ Mariæ Hermannus StuyeKer Zuollanus,Calviniſtarum Miniſter turbulentiſſimus invadit. D. Georgii ædem Lutherani occupant. Lubet adjungere verba Metrii Calviniſtæ, quò certiùs etiam iſta poſteris conſtent. Marggravius, (inquit) poſtquàm plebem* B *difficilè expelli, aut ſedari poſſe videt, omnes januas, una excepta, claudit, & diſcedit; hinc populus audentior factus, cùm jam veſperi hora ſexta eſſet audita, alter alterum inſtigat, ſimulacrum Mariæ deturbant, Sacellum effringunt, exclamant:* Vive les Geus,Vivant Geuſii. *Hoc incepto, mox tàm valido furore ulteriùs progreſſam, graſſatum, pluribuſque manibus laboratum, ut ante noctis medium, omnia ſacella effracta, Altaria dejecta, Statuæ, ſimulacra, & imagines* C *deturbatæ, fractæque, clauſtra omnia reſerata fuerint, in hoc ampliſſimo Mariæ Templo, Altaribus, plùs minùs ſeptuaginta, decorato; & pretioſis picturis, regalique luxu tàm ſplendido, ut ſimile vix inveniri queat. Hæc omnia ſimul atque hic peracta, ingentes Adoleſcentum catervæ, viris nonnullis, nebulonibus ſimul, & meretricibus permixtis, circumcurrunt, idem aliis etiam locis perpetraturi, Franciſcanorum, Clariſſarum, D.Jacobi, Andreæ, Georgii, Michaelis Petri Potſi Burgi, Fakenarum Sororum, Albarum, Nigrarum, & Tertianarum, Nonarum Bogardorum, Dominicanorum, & ut ſemel, ac ſimul dicam, totius Antuerpianæ Urbis Templa, Sacellaque omnia, inſano, feſtinoque tumultu, vaſtant; itâ ut, ante clarum orientis ſolis jubar, præcipua quæque diruta, deturbataque fuerint.*] Et nonnullis interjectis [*Poſtridiè manè ſtatim atque portæ patebant Iconomachorum quidam extra Urbem eurrunt, primò ad D. Bernardi Monaſterium, ſexquimilliario ab Urbe, deindè circumcircà in pagis, Antuerpiæ vicinis, incredibili audacia, & ſtrenuitate, omnia in Templis confringunt, ac demoliuntur. Intereà alii, toto hoc die, & duobus ſequentibus, in ipſa Urbe, Templa, & Monaſteria iterum percurrunt, & quidquid reliquum, vel integrum inve-* A *niunt, confringunt, nemine contra, aut dicente, aut faciente.*] Sic ille.

XVI. Falſa verò, ac commentitia, ex his, ea deprehenduntur, quæ Thuanus, ad excuſandum, ex more, horrendum hæreticorum facinus, ſcripto mandavit: narrat ſiquidem, quòd, dùm Chriſti Crucifixi ſimulacrum ingens, egregiè deauratum, (cujus ſupra Haræus meminit, ut audiſti,) impii funibus, cunctantèr, tractimque dejicere conarentur, ſorte accidiſſe, ut in velleris aurei B Equitum inſignia, ſuper exedras depicta incideret, eaque confringeret; quamobrem, patientiâ ſe jam in juſtam indignationem vertente, Magiſtratum, ac pleroſque cives arma ſumpſiſſe, & multitudinem, è plebis fece talia molientem, avertiſſe, ac propulſaſſe; quibuſdam ex his comprehenſis, & mox in foro partim ſuſpenſis, partim exilio, & alia pœna, ad exemplum mulctatis, &c.

At, quàm fabuloſa ſimùl, ac inepta C ſint hæc, aliaque ejuſmodi, quæ addit, ut tanti ſceleris conſcios, ac authores hæreticorum præcipuos minimè extitiſſe oſtendat, ac ferale excidium in plebis fecem tantummodò rejiciat; ex ipſius oris teſtimonio facilè judicatur. Cùm enim omnes penè Scriptores, quod prædiximus, venerandum Crucifixi Redemptoris ſimulacrum in majori Urbis Templo ſtatuerint; idque primùm à ſævientibus latronibus legatur direptum; cùm hoc prima die accide- D rit, & biduo ſequenti continuatas ſacrarum ædium à ſacrilegis direptiones, nemine contradicere, aut ire auſo, Thuanus ipſe diffiteri minimè potuerit; quomodò deindè, ex præfatæ imaginis confractione, Magiſtratus, ac civium patientia in juſtam indignationem verſa, ſacrilegia iſta molienti multitudini, armis ſumptis, ſeſe objeciſſe, ac pœnis etiam impoſitis eam coërcuiſſe aſſeruit, ſi non tantùm (ut diximus) ea die, ſed biduo etiam ſequen- E ti, nemine contradicente, eadem facinora plebs ipſa patravit?

XVII. Quòd verò impiæ commolitionis, ac execrandi excidii, non tàm plebis fecem, quàm nobiles hæreticorum, (quos Thuanus deindè, & alii, ut infrà dicetur, ſe crimine illato purgare contendiſſe pluribus, ut innuimus, narrat) ac Magiſtratum gerentes, auctores fuerint; evidentiſſimè agnoſcitur. Re-

A Reſpuerant enim Antuerpienſes Magiſtratus ipſi, quod, ad coërcendam plebem, quæ jam ad ſeditionem verſa agnoſcebatur, obtulerat Parmenſis auxilium, ut cuncti ferè Scriptores, nec ipſo Thuano dempto, teſtantur; eò ab heretica pravitate perducta iniquitate, ut proprium excidium, ac calamitatem diligeret, ſibique ipſi minimè parcendum putaret. Quibus ſi addas, quòd, biduo tantum, poſtquàm ab ea Urbe Orangius diſceſſerat, ejuſdem horrendum excidium patratum fuerit; verum B intelliges, quod Haræus his verbis ſcriptum reliquit: (*Certè nemo ſeſe contra eos,* (*nempè nebulones conjuratos*) *toto triduo ſeriò movebat. Cauſa ferebatur, quòd aperta machinatione nobilium fœderatorum,* (*qui, ut paſſim ubique ſuos, ſic & Antuerpiæ Penſionarium VveſenbeKium, alioſque habebant*) *tùm & tacito favore Orangii, & ſociorum procerum iſta fieri ſatis conſtaret, atque ità non temerè civibus contra cives ad arma ruendum eſſe, plu*C*res ratiocinabantur.*) Sic ille: imò ab ipſo Thuano eadem hæc Orangii perfidia his verbis proditur. (*Dùm hæc agerentur, crebris literis à Magiſtratu Arauſionenſis rogabatur, ut ad Urbem veniret, qui ſua diſſimulatione uſus, hæc per ſuam abſentiam fieri mallet, ſivè neceſſitate eos adigere vellet, venire noluit, niſi ea conditione, ut ſe, ſuaque, & omne Urbis adminiſtrandæ jus ſuæ poteſtati committerent. &c.*)

XVIII. Ubi igitur tot, tantaque Antuer- D piæ patrata crimina Parmenſi innotuere, ipſa nuncio conſternata, cùm (ut ſcribit Bentivolius) Proceres, Provinciarumque Gubernatores, temerarios hos auſus non modò diſſimulare, ſed iiſdem etiam fomitem miniſtrare meritò ſuſpicaretur; propriæ incolumitati conſulendum putavit, compoſitaque ſupellectile, Montes in Hannonia adire decrevit. Formidinem ejus ritè auxerant, ac in ſententia in tutiorem lo- E cum ſe recipiendi, confirmaverant fœderatorum comminationes, quibus temerè de milite à ſe conſcripto, de ſocietatibus ſuſceptis, multa ſatis palàm jactabant; & quòd circa Bruxellam, per agros ità turbulenti quidam armati diſcurrerent, (& quidem ſtudio, ut inde eam excedere compellerent,) ut Urbi ipſi, Regioque pariter palatio timori eſſent; eò magis, quòd Vilvordiam Parmenſi abducta, Geuſios ei cuſtodes appoſituros, diceretur. Præcipui ferè omnes Belgii proceres Bruxellæ tunc commorabantur, qui, audito Gubernatricis conſilio, à proficiſcendi propoſito eam retrahere ſtuduerunt. Agamontius, & Orangius, præ aliis, hoc officio ſunt functi, & non eſſe, quod Bruxellæ metueret, ac potiùs ſe propriæ vitæ jacturam, quàm vim ullam ei inferri paſſuros edicunt. Sic ei conſulere viſi ſunt, ſed reverà (ut Bentivolius adnotavit) ſibi potiùs conſulere voluerunt; haud levis ſiquidem criminis rei exiſtimati fuiſſent, ſi coràm ipſis Gubernatrix aliò ſe reciperet, vel potiùs ſe in fugam tradere coacta fuiſſet. Sacrilegis nihilominùs Antuerpienſibus nil magis in votis fuiſſe, quàm ut Parmenſem Bruxellâ exturbarent, quòd, ea abſente, impium ſuum facinus Bruxellenſes ſectaturos ſperarent, mox dicetur.

Proceribus igitur, quos memoravimus, ſuadentibus, à ſententia Parmenſis diſceſſit; deindè cum fœderatis, certis legibus cœtera quoque compoſuit. Quapropter, Edicto, vigeſima quinta Auguſti edito, ipſamet, & ſuas cum fœderatis pactas inducias vulgavit, & populos de officio commonefaciens, brevi adfuturum Regem dixit. Graviſſimas quoque pœnas ſacrilegis Templorum direptoribus interminata eſt, & contra Magiſtratus, & Urbes, quæ ſceleri conſenſiſſent, privilegiorum jacturam decrevit. Bruxellæ militare imperium Mansfeldio confirmavit, mille octingentis peditibus delectis, & tota ea Urbe, ipſiuſque agro, hæreticorum proſcripſit conciones, ac novarum ſectarum exercitia prohibuit. XIX.

Verùm (ut ſcribit cum aliis Thuanus) peſſimum Antuerpiæ exemplum, jam ad alias Urbes, & loca transierat; nàm Mechliniæ idem hæretici auſi ſunt, licèt à Magiſtratu impediti. Liræ autem, cùm alitèr multitudinem Magiſtratus coërcere nequiret, è Templis, ſacris imaginibus, aliiſque ſublatis, quæ offenſionis cauſam præbere viderentur, Iconoclaſtarum conſilia eluſit. Bredæ verò, Bergæ ad Somam, item ad Sylvam Ducis in Brabantia, in Flandria, (ut innuimus) Gandavi, Ipris, Teneramondæ, Aloſti, Aldenardæ, Tornaci, & Valencianis, plebs impunè ſacra omnia evertit. Trajecti paritèr ad XX.

Moſam, Dordaci, Amſterodami, Delfis, Hagæ, Harlemii, Brielæ, ac Lugduni in Batavis; in Zelandiæ denique, Inſulis Campoveræ, & Uliſſingæ; in Friſia Graeninghe, Leovardie, & aliis ejuſdem Provinciæ locis; Campis Suvolæ, & Deventriæ Oppidis, Tranſiſcelanis, Arnhæmii, Venlonæ, Hardevici, Ruremundæ, ac Neomagi in Geldria; necnon Middelburgi, eadem patrata ſcelera fuere, cùm impiorum conatus, vel adjuvarent, vel avertere Magiſtratus minimè valerent.

XXI. E contra verò maximarum virtutum, fortitudiniſque illuſtria ſpecimina (ut ſcribit cum aliis Haræus, & nos paulò antè innuimus) aliæ Provinciæ, in iiſque conſtitutæ Urbes, ac Loca dederunt; quorum merito, virtuti, ac in veræ Religionis propoſito, laudis teſtimonium hìc non eſt denegandum. Ex eodem Haræo audi, quæ fuerint [*Lutzenburgum* (inquit) *Arteſia, Hannonia; Urbes, Inſulæ, Duacum, Orchinium, Namurcum nullam hujuſcemodi in ſe contumeliam admiſerunt. Brabantia item, magnam Ducatus portionem, quæ Lovanio, & Bruxella deſcribitur, magna cum laude immunem habuit. In Flandria, Brugæ, Cortracum, Granelinga, DunKercKa, Aloſtum, Tenramonda, Geradimontium officium præſtiterunt: adeòque Caſenbrotius, unus licèt è fæderatis, Egmondano à conſiliis, cùm Iconomachos circa Gerardimontium nonnullos offendiſſet, collecta, [ut re ſubita poterat] perexigua ruſticorum manu, cæſis duodecim, viginti vulneratis; è captivis quinquaginta, uno & viginti ſuſpenſis, reliquis virgis cæſis, ingentem factioſis hominibus metum incuſſit. &c. Neomagi ea laus hiſce temporibus fuit, uti Magiſtratui præclarè imperanti fortitèr cives parerent, concionatores Urbe profligarent, Societate Sancti Nicolai ibi celebri, ſuſpectos homines moverent, Comitem Megemum in Urbem adducerent, conſiliaque, Religioni, obedientiæque Regiæ retinendis opportuna, ſuſciperent. Comiti Culenburgano, novam religionem meditanti, fortiſſimè honorati plures cives reſtiterunt; eruditoque libello pericula ei, quæ poſt acciderunt, tanto antè demonſtrarunt. Ultrajectum, celebris eo tractu Civitas, antequàm è ſubito, atque inopinato metu ſe collegiſſet, quatuor Eccleſiarum Baptiſmalium, duorum Monaſteriorum, Dominicanorum, & Franciſcanorum contumeliam, ita eſt perpeſſa, uti loca cætera, prudente Canonicorum, civiumque fortitudine, ab injuria conſervarentur. In Hollandia, magna, iis temporibus, fuit Dordraci, Harlemi, Goudæ, & Gorcomii gloria. Per Zelandiam, Friſiamque, quamvis inter Lutheranos, Calviniſtas, atque Anabaptiſtas variè res jactaretur; Catholicorum tamen per ea loca multorum conſtantia, atque virtus emicuit.*] Hactenùs ille.

XXII. Antuerpiæ autem conjurati, cùm ſecum, (ut innuimus) in execranda, quæ patraverant, delicta deſcenſuros quoque Bruxellenſes, exturbata ex Urbe Parmenſi, ſperaſſent; ubi hac ſpe fruſtrati ſe agnoverunt, ſuaque nutare molimina conſpicerent; ſibi ipſis metuentes, libellum Urbis Magiſtratui obtulerunt, in quo præcipui, tùm nobiles, tùm hereticæ iniquitatis Miniſtri, ſe ignaris, ac omninò inſciis, in ſacras imagines, ac Templa furentem, & inconſultam plebem irruiſſe oſtendere connixi ſunt. Probaſſe quidem ultrò fatebantur, pravos hujuſmodi cultus penitùs ablegandos; non tamen modum, quo, abjecta Magiſtratuum legitima auctoritate, effectum id fuerat, quemvè idcircò, toto animo fuerant deteſtati. Si juberentur, paratos ſe eſſe fidei, ac obſequij juſiurandum repetere; interim tantùm ſibi locus daretur, in quo conventus ſuos cogere poſſent, excuſantque, quòd jam Templis quibuſdam, dùm certa ædes ipſis aſſignaretur, ad conciones uterentur. Deprecantur demùm, ut Edicto diſtrictè prohibeatur, nè alius alium, religionis intuitu, dicto, vel facto lædere audeat. Sic modò ſimulationibus, ubi vires ſibi non ſuppetere agnoſceret, modò viribus, ac impetu, ubi tutò poſthaberi poterat ſimulatio, hæretica iniquitas uſa eſt: ſimulata ſiquidem fuiſſe hæc eorum, aliorumque hæreticorum, ſi quæ fuerunt, officia, ex his, quæ, ſub ſinem hujus anni, Joannes Stractmanus Ordinis Prædicatorum Sodalis, ad Cardinalem Alexandrinum ſcripſit, impia eorum molimina, ac auſus referens, conjicere erit; dicit enim.

XXIII. [*Inſupèr ſcribere compellor perfidiſſimorum hæreticorum, in noſtris regionibus, (quorum infinitus eſt numerus) inſaniam, ac rabidam jactantiam, qua*

Ex Archiv. Card. Alexan. to. 66.

qua paſſim gloriantur ipſi, pleni ſpiritibus malignis, ſuperbiſſimo faſtu, ſe elaborataros, ut tota inficiatur Italia, atque Hiſpania; jamque ferunt, ſe deſtinaſſe in dictas regiones conſimiles belluas, atque furias infernales, qui peſtiferum ipſorum dogma, atqae zizania tritico ſuperſeminent. Quapropter humillimè orare non deſinam V. I. D., qua debeo, ſervata obſervatione, ut prævia admonitione ad omnes Principes Italiæ, & quorum intereſt, ut diligentiſſima in hoſce Fidei capitales inimicos fiat animadverſio, rigoroſiſſimaque punitio, ut temerarii ipſorum conatus reprimantar, atque ad petram allidantur, Fideſque Catholica illibata permaneat. Addam & aliam horum perfidorum audaciſſimam inſolentiam; ajunt enim, ubi Regis noſtri Catholici (cujus præſentiam omnes boni, & Catholici, ut Angeli vultum expectant; mali verò, & iſtius farinæ homines metuunt) qui ſævire non deſinunt in Deum, in Dei Sacramenta; in Sanctos, linguâ ipſorum peſtifera, & ſolùm metu à facto ſimulantes, in clerum, & omnem ſtatum Eccleſiaſticum, quem etiam in univerſum ſeſe trucidaturos jam iterùm, ante Omnium Sanctorum Feſtum minabantur. Sed laus Deo adhuc ſubſiſtimas, (licèt in nonnullis ex Oppidis Eccleſiaſtici, & Religioſi expulſi ſint) dùm nobis aderit in primo acceſſu, iram, & indignationem deferbuiſſe cognoverint; tantiſper diſſimulantes, ad eandem malitiam ſe reverſuros, nec deſituros, quin ipſorum iniquiſſimæ falſitates ſuperiores evadunt, ac veram Fidem Catholicam penitùs extirpent.

Contigit prætereà à paucis diebus, quòd quidam cognomine Berchmontius, neque re, neque genere nobilis, ſed ex Patre nobili, & illegitimo thoro, Bredæ, oppido Ducatus noſtri Brabantiæ natus, Antuerpiæ [hoc eſt Anverſa] reſidens, neſcitur, an proprio, an alterius inſtinctu, poſtquàm maximam rei domeſticæ, & uxoriæ partem dilapidaſſet, impium cum aliquibus ſceleratiſſimis hominibus fœdus injit, diripiendæ Civitatis Antuerpienſis, & facto tàm enormi fucum addidit odium jam excandeſcens Calviniſtarum, Confeſſioniſtarum, & Anabaptiſtarum (ità enim vocantur hæreſes, jam per Belgiam graſſantes) contra Presbyteros, Monachos, & Catholicæ Eccleſiæ fautores, & eorum Templa, & Monaſteria. Conduxerat

A *non parvam manum perditiſſimorum juvenculorum, cum quibus intrepidè Templum Deiparæ Virginis occupat; & oſtiis undequaquè clauſis, ea, quæ à Catholicis reſtaurata erant, diſrumpit, & fœdiſſimè omnia contrectat, animo occupandi turrem Eccleſiæ, & ſono Campanarum excitandi populi fecem, & ſeditione orta, ſpoliandi Canonicorum, & aliòrum Catholicorum divitum mercatorum*

B *ædes. Quæ cùm Comiti Hoochſtratano, qui Civitatis Antuerpienſis præſidio præeſt, donec Princeps Orangæ ex Comitatu Ollandiæ revertatur, denunciantur, ſtatim comitatas cum aliquot ſatellitibus, ad Templum convolat, & Berchmontium cum ſua cohorte adeſſe jubet, arreptoque ſatellitis baculo, primus ſe ſpoliantibus objicit, eos admonent temeritatis, & inſaniæ, & deprecatur, ùt deſiſtere velint, alioqui ſe vi contra ipſos experiturum: ſed fruſtrà admonet,*

C *& orat; imò Comitem Templo includunt, qui rei novitate commotus, jubet à militibus, qui foris erant, Templi oſtiam vi recludi, & cohortem totam ad pugnam inſtructam ingredi, & prædones, aut lapidari, aut capi. Capti Ducem, qui domum profugerat, produnt, qui noctu nihil mali ſuſpicans, ex proprio lecto, & ædibus captivus in domum civicam ducitur, & die ſequenti cum quinque ex ſuis patibulo affigitur laqueo, & ſtrangulatur. Quo peracto, multorum*

D *animi, qui prædæ inhiabant, & Catholicorum everſionem deſiderabant, defecere, populuſque multùm fuit ſedatus; attamen interim non ſilvere hæreticorum concionatores, neque ceſſavere ſtructuræ novorum Templorum, quæ maxima audacia, & ingenti ſumptu, contra Imperatorum Regumque Edictum, in Civitate Antuerpienſi, & Gandavi, extrà, juxtà portam Civitatis extruxerunt. Calviniſtæ duo Templa Antuerpiæ rotunda forma, ingenti amplitudine, ex*

E *lateritio lapide ad tecta uſque evexere: in quibus Templis, tertio hujus menſis Novembris, cum maximo omnium Civitatum concurſu, ſuo more Cœnam Dominicam celebrarunt. Sed longè ſit à me ipſorum peſtiferum modum referre, quem obſervarunt; nàm blaſphæmiis omnia ſcatent. Confeſſioniſtarum etiam concionator apoſtata, Monachus quondam Carmelita, cum ſuo ſocio Dominicano noſtri Conventus Bruxellenſis, etiam apoſtata, cum maximo populi con-*

concurſu; quandoquidem ipſis Bruxellæ in noſtra Civitate non licuit, Antuerpiæ nituntur ſuis blaſphæmiis evertere Sanctam Eccleſiam Catholicam; ſed ſpero tandem magno ipſorum malo. &c. Bruxellæ X. Novembris 1566.

XXIV. Minori fortè Religionis incommodo Gandavi ſedatæ turbæ, cùm neque intra Urbem, nec aliis, quàm Calviniſtis concionandi facultas ſit facta; cùm è contra Antuerpię omnis novę religionis conventus receptus fuerit. Amſtelodami verò, re cum ſex, & triginta ſectatoribus diù agitata coram Curiæ Ollandiæ Delegatis, tandèm ſic componitur, quòd Religionem Catholicam ſi quis turbaſſet, mortis ſupplicio afficeretur; ut conciones, cœteraque novę religionis miniſteria, in Franciſcanorum Templo, à quo Religioſi exturbati fuerant, exercerentur; cœteris Monaſteriis primævo Catholicorum ritui remanentibus. Ut armatus nemo concionibus intereſſe præſumeret. Ut Miniſtri munus nemo exerceret, ni priùs inter cives adſcriptus eſſet. Ut ab injuriis, libellis famoſis, ſimilibuſque contumeliis abſtinerent.. Liceret cadavera, quovis ritu in Minoritarum condere Cœmeterio, ſi alio tumulo tradenda eſſent, vel nullis omninò cæremoniis funus celebraretur, vel hæ Catholici dumtaxàt ritus exiſterent. Catholici verò ſuorum cadavera, vel in eo, quem prædiximus, Franciſcanorum Cœmeterio, vel alio quocumque libuiſſet loco ſepelire poſſent. Si ea pacta Rex approbare renueret, cuique diſcedendi, ſuaque ſecum auferendi facultas eſſet. Harum Urbium exemplum, ut ab Iſſelt narrat, Urbes reliquæ paſſim ſecutæ ſunt, iiſdem ferè conditionibus, præter Tornacum, & Valencenam, quæ diù contra Regem, & Religionem ſunt luctatæ; ſed tamen vi, & armis à Parmenſi compulſę; & cùm in eis tumultuantium plurimi ſcelerum pœnas dediſſent, cœteris urbibus, ac locis exemplo fuerunt, ità ut, brevi, cuncta penè priſtinæ tranquillitati reddita viderentur. Tornacum nihilominùs, non hoc anno, ſed ſequenti, à Parmenſis militibus, ſub Noicarmo occupatum, ſcribit Surius, at probabiliùs præſenti, Haræus aſſerit.

Ab Iſſelt &c.

XXV. Gubernatrix autem, quòd, ad propulſandos rerum novarum cupidos, neceſſariò vim adhibendam agnoviſſet, neceſſariòque etiam Urbes multas communiri oportere intelligeret, quòd ſine metu difficultèr eos in officio manſuros animadvertiſſet; hac de re, acceptis etiam mandatis à Rege, (cujus animum gravitèr exorti tumultus percuſſerant; unde eorum commolitores ſeverè admodùm plectere decreverat,) ab Hiſpania, ad hoc accepta pecunia, militem conſcribere cæpit, quo temerarios eorum auſus comprimere valeret. Quod, cùm delictorum conſcii ægerrimè ferrent, fœderatorum præcipui ſibi ſeriò conſulendum exiſtimarunt, nè inermes, ac omni deſtituti ſubſidio, à ſuperveniente Regis ira præoccuparentur. Exeunte itaque hoc anno, ſeù, ut alii tradunt, ſequenti inchoante, Teneramondiam, Flandriæ Urbem Orangius, Egmondanus, Hornanus, Hoochſtratanus, & Comes Ludovicus Naſſovius convenerunt. Multa hic Orangius (ut Haræus refert) in eam dixit ſententiam, ut, neque vi, de ſuſcepta ſemel religione depellendos homines profiteretur, & contra imminentem Regis iram ſeriò cogitari debere affirmaret. Ludovicus fratri aſſentiebatur, multaque de Germanicis auxiliis in medium afferebat. Se Regi non eſſe repugnaturum Egmondanus profeſſus eſt. Hornanus, ſuo modo militariter multa jactavit. De Hoochſtratano obſcura fama eſt. At, cùm innumeris undequaque periculis conſilium omne patere conſpiceretur, dubiis, ancipitibuſque animis, nil certi ſtatuere potuerunt. Orangius verò in ea, quam conceperat, ſententia obfirmatus, Ultrajecto, bellica tormenta Bredenrodio [quem facilè conjuratorum principem fuiſſe oſtendimus] Vianam miſit, ut eam ipſe novis munitionibus firmaret. Multa hic exigui illius Oppiduli privilegia, ſummique imperii poteſtatem oſtentabat, & cuſtodes, militeſque pro arbitrio eidem impoſuerat, ac infeſtos ſibi vetere odio Ultrajectinos, privilegiorum quorumdam prætextu, multis ad Leccæ fluminis ripam incommodis divexabat. Sculpta ejus imago Geuſico habitu circumferebatur, & ex plurimorum ſententia, ad Hollandiæ Comitatum, Friſiæque (ut dicit Haræus) vetus Imperium, jure gentilitio Bredenrodius, brevi perventurus credebatur. Verùm, ut Scriptura loquitur, ac Bentivolius ſcribit, ſubvertit grando ſpem mendacii,

cii ; nàm præcipiente Parmenſi, à Comitibus Arembergio, & Megemo, quibus etiam Norchermius ſeſe addidit, inde deturbatus, ac in proximiorem Germaniæ regionem ſe recipere coactus, paulò poſt ibidem infelici fine vitam concluſit. A

XXVI. Philippus autem Hiſpaniarum Rex, Belgiique Princeps, licèt multa contra ſeditioſos, ut diximus, ac ſevera, animo meditaretur, tamèn ea ex ſententia ut perficere poſſet ; compreſſa interiùs ira, Orangium, cæteroſque Belgii proceres literis perhumanis fuerat proſequutus, ac de vetere officio retinendo commonefecerat. Ad Provincias quoque, ac Urbes, jam pridèm ſe in Belgium venturum ſcripſerat, ubi coràm de ſubditorum poſtulatis æquiſſima ratione agniturum confidebat. At inania hujuſmodi officia reddiderant, quæ Franciſcus Alava Hiſpanus, apud Galliarum Regem pro Hiſpano Legatus, Montigneo in Hiſpaniam proficiſcenti dixerat; haud obſcuris enim verbis, gravem Belgicis turbatoribus Regis iram impendere ſignificaverat; quod idem confirmaſſe, quibuſdam in literis, quas ſub finem Decembris hujus anni ad Parmenſem ſcriptas, & interceptas, ac ad Orangium dicitur fuiſſe delatas; quo eodem tempore ad Hornanum Fratrem Montigneus eas literas dederat, ut multa in illis de Regis gravi offenſa commemoraret. Quare, de Regis ejuſdem ſimulatione, tàm multiplici in animos ſuſpicione injecta, mirum non fuerit, rebellantes, blandis verbis, quibus à Rege deliniri videbantur, minimè acquieſcere voluiſſe, ac, ut ſibi caverent, nova molimina excogitaſſe.

XXVII. Summò interim animi mærore, Religionis jacturam, Sacrorum direptionem, Dei, & Regis contemptum, ſacrilegorum deteſtanda flagitia audierat Pius, & ſerpentis hæreſis cancro comprimendo totis viribus incubuerat; imò, ac ſi prævidiſſet, quæ deindè patrarunt, impiiſſima hæretici ſcelera, ut ea deturbaret, jam anteà (ut ſupra innuimus) Julium Paveſium, Archiepiſcopum Surrentinum, Apoſtolicum ſuum, in Belgium, Nuncium miſerat, datis ad Margaritam Auſtriacam, Parmæ Duciſſam, Belgiique, pro Fratre Catholico Rege, Gubernatricem, ſequentibus literis.

[Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Margaritæ de Auſtria, Flandriæ Gubernatrici.

PIUS PAPA V.

Dilecta in Chriſto Filia. Salutem &c.

Cum, pro loco, in quo Dominus Nos, licèt immeritos, conſtituit, cupimus, Divinæ ejus Majeſtati obſequium noſtrum fideliter præſtare, & Catholicæ Fidei in Provinciis, quæ hereticæ pravitatis peſte laborant, tuendæ, animarum ſaluti ſimul, & ipſarum Provinciarum quieti, paci, tranquillitatique conſulere; neceſſarium Nobis viſum eſt, in iſtas partes, in quibus nimis jam ea peſtis creviſſe, & in dies largiùs ſerpere dicitur, mittere aliquem virum, Dei timore, Religioniſque zelo præditum, qui noſtra vice diſpiciat, quid agere expediat, ad id malum reprimendum, & Catholicam Religionem conſervandam. Quia verò Ven. Fratris, Julii, Surrentini Epiſcopi fides, & integritas, & divini honoris zelus, multis experimentis explorata Nobis ſunt, & cognita: Noſtrum, eum, & Sedis Apoſtolicæ Nuncium iſtùc miſimus, ad ea, quæ ad ipſam Religionem pertinent, cognoſcenda, & quæ compererit Nobis referenda, ut de ſalubri, & opportuno remedio, Deo juvante, cogitare poſſimus. Illud autem ei mandavimus, ut in primis te, tamquàm eximiam Filiam noſtram viſat, & noſtris verbis ſalutet; atque ad ea, quæ ei commiſimus, pro tua, Nobis nota, in Deum pietate, conſilium, & favorem tuum fidenter requirat. Quod, ut Divini obſequii cauſa, & pro Sedis Apoſtolicæ reverentia illi præſtes, Nobilitatem tuam vehementer hortamur in Domino, & rogamus. Ipſum autem Devotioni tuæ magnoperè commendamus; &, ut fidem ejus Orationi, ſuper iis, quæ tibi noſtro nomine attulerit, habeas, petimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, &c. Die XVIII. Martii MDLXVI. Pontific. noſtr. ann. primo] Ex Archiv. Vatic. ibid. ut ſup.

Ubi à Surrentino has literas Margarita accepit, in hunc modum ad Pontificem ſcripſit. XXVIII

(San-

(Sanctiſſimo Domino Noſtro

A

PIO QUINTO.

Sacroſanctæ Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Pontifici Maximo, Domino Obſervandiſſimo.

Beatiſsime Pater.

Ex propr. original. Ex Archiv. Card. Alexand.to.66.

Poſt humillima Sanctitatis Veſtræ pedum oſcula. Quæ Reverendiſ- B *ſimus Epiſcopus Surrentinus, Veſtræ Sanctitatis nomine, mihi expoſuit, ea, cum omni reverentia percepi, gaviſaque plurimùm, quòd S.V. in tantis Reipublicæ Chriſtianæ occupationibus,oculos clementèr ad hanc Provinciam mihi à Catholica Regia Majeſtate, Domino meo clementiſſimo commiſſam, convertere, ac ea, quæ ad Dei obſequium, & hujus populi ſalutem, quietemque promovendam pertinerent, ſuggerere dignata fuit. Ad quæ meliùs exequenda,* C *in hac temporum iniquitate, & dictæ Catholicæ Majeſtatis præſentiam optarem, & Dei opem implorare non deſino. In mea certè voluntate, & ſtudio nihil deſiderari patiar, prout S.V. ipſe Surrentinus pleniùs declarare poterit, per quem etiam V.S. intelligere dignabitur, quantoperè me ſentiam erga eamdem obligatam, pro ſummo, quo me, ac totam domum Farneſiam favore complectitur. Pro cujus incolumitate, ac felici regimine, Deum Optimum Maximum viciſ-* D *ſim orabo, atque ad ejus obſequia me, cum omni humilitate offero.* Bruxellæ, die VII. Junii ann. MDLXVI.

Sanctitatis Veſtræ.

Obſequentiſſima
Margarita)

XXIX. Cœteri quoque Nobiles Belgæ, acceptis, quas ad eos Pius dederat, à Surrentino Nuncio Apoſtolicis literis, nec ipſo, ut vidimus, Orangio ex- E cepto, verè Catholicorum, piorumque partes ſe impleturos polliciti ſunt, ut patet ex eorum reſponſis; ex quibus Viglii Zuvichemi unum hic referre ſat fuiſſe, viſum eſt.

(Beatiſſimo Patri, ac Domino, Domino

PIO QUINTO,

Pontifici Maximo.

Beatiſſime Pater.

Ex propr. origin. Ex Archiv. Card. Alexand.to.66.

Non potui, non ſummo affici gaudio, quòd intelligerem eo teſtimonio apud S.V. me fuiſſe ornatum; ut indè mota fuerit per Reverendiſſimum Archiepiſcopum Surrentinum, virum verè probatiſſimum, Literas ad me dare, ac Sanctiſſimam ſolicitudinem ſuam de Fidei Catholicæ in hac Provincia conſervatione ſignificare. De quo, Deo Omnipotenti, ac V. Sanctitati maximas gratias ago. Etſi autem ſtudium meum lubentèr in hoc ſemper poſuerim, operamque diligentèr dederim, ut Orthodoxa Religio. Sediſque Apoſtolicæ obedientia, inviolata in his regionibus ſervaretur; tamèn hujus temporis iniquitas facit, ut huic meo affectui non omninò effectus reſpondeat: quemadmodùm id pleniùs ipſe Reverendiſſimus Surrentinus V.S. declarare poterit; cui hujus Provinciæ, præſertim quantum ad Religionem pertinet, ſtatum ſincerè expoſui, & ex aliis quoque viris Catholicis agnoſcere potuit. Deus S.V. ad ſuæ Eccleſiæ utilitatem diù ſervet incolumem. Datum Bruxellæ, oct. Id. Junii MDLXVI.

Sanctitatis Veſtræ.

Humillimus, Obedientiſſimuſque Famulus.
Viglius Zuvichemus.)

Nec minori pietate, ac zelo,ſuum ſe munus impleturos Epiſcopi ſpoponderunt, quos, tùm per ipſum Surrentinum Archiepiſcopum, tùm per literas, ab ipſo ad eos delatas,commonuerat Pius, ut labanti in Belgio Catholicæ Religioni, adhibitis præcipuè, quæ Tridentini Concilii decreta paraverant, remediis, ſuccurrerent; ac, pro virili ſua, hæreticorum auſibus obviam irent. Hujuſmodi hortationibus, quænam reſponſa data fuerint,ex nonnullis, quas hic inſerendas duximus, illorum epiſtolis, à proprio originali tranſcriptis, colligere erit. XXX.

Ex Archiv. Card. Alexand.to.66.

Epi-

A Eccleſiæ Empollenſis Decanus.

[Sanctiſſimo Patri,

PIO PAPÆ V.

Sanctiſſime Pater.

Ex Archiv. Card. Alexan. Ibid. ut ſup.

Recepi, ea, qua decuit, reverentia, à Reverendiſſimo Archiepiſcopo Surrentino Beatitudinis Veſtræ Breve, & ejus orationi fidem habens, præſtiti, quæ S.V. à me fieri per eumdem poſtulabat. B *Humillimè autem S.V. deprecor, ut, cùm idem Reverendiſſimus ipſi referet, quæ ex me, aut verbo, aut ſcripto excepit, dignetur diligentiùs expendere pericula, in quibus verſamur, & nobis paterno affectu ſuccurrere. Porrò, ut quotidiè Deo Patri per Dilectum Filium ſuum Jeſum Chriſtum gratias agimus, quòd, hoc tàm calamitoſo tempore dignatus ſit Eccleſiæ ſuæ, de tàm pio, ac vigilante Paſtore providere, ità quoque* C *eumdem precari non ceſſamus, ut multo tempore ſalvam, & incolumem, eidem Eccleſiæ ſuæ Sanctitatem Veſtram ſervet, cujus pedes devotiſſimo animo exoſculor.* Bruxellis pridie non. Junii MDLXVI.

Sanctitatis Veſtræ.

Devotiſſimus Sacellanus
Laurentius Metſius Eccleſiæ Empollenſis Decanus indignus)

Epiſcopus Iprenſis.

D (Sanctiſſimo Domino Noſtro,

PAPÆ PIO V.

Beatiſſime Pater.

Ex Archiv. Card. Alexand. Ibid. ut ſup.

Apoſtolicum Breve S. T. unà cum paterna Benedictione, XXII. Junii, per Reverendiſſimum Archiepiſcopum Surrentinum, qua decuit reverentia recepimus, & amplexi ſumus, multùmque gaviſi de Sanctitatis Tuæ, E *erga gregem ſibi commiſſum, provida ſollicitudine, per quam inter has procellas, quibus miſerè jactacur Religio, in ſpem bonam erigimur, futurum, ut iterùm, brevi, in deſideracam tranquillitatem reducamur. Ut autem juſſis pareamus, & quod nobis, ad Catholicæ Fidei defenſionem, conſervationemque, & ad obedientiæ, Apoſtolicæ Sedi debitæ tute-*

A *lam, opportunum eſſe videatur, brevitèr indicemus; nihil pro temporis qualitate commodius eſſe exiſtimamus, quàm, ſi totis viribus incumbamus, executioni reformationis Tridentinæ, quæ hiſce rebus ſic ſatis conſulit, & medetur, ac ſine magna invidia in uſum mitti poterit, ſi, amotis impedimentis, accedat juſta diligentia. Primùm, quia Clerum illa potiſſimùm ſpectat, eaque providentia Patrum facta eſt, ut etiam languenti Eccleſiæ ſatis clementer ſit at-* B *temperata; & æquiſſimum eſt, ut illinc Eccleſiaſtica diſciplina primùm reſarciatur, unde diſſolvi incæpit. Deindè, cùm auctoritas Romanæ Sedis, ipſique debita obedientia, ſine qua non poteſt conſiſtere Religio, in ipſo Concilio Tridentino, tàm clarè agnoſcatur, ut nuſquàm clariùs; non video quid, ad retinendam, reſtituendamque Religionem convenientius ordinari poſſit, quàm, ut fidelitèr in uſum deducantur, quæ ab eadem Sede, omnium Patrum conſenſu,* C *ſanctiſſimè, & utiliſſimè ſunt decreta. In acceleranda autem executione, jam inchoata, ſucceſſum feliciorem, & faciliorem reddiderit, ſi T. S. Clero noſtri diſtrictus eximat ſpem ulterioris dilationis, quam ſibi faciunt, prætextu illo, quòd nondùm habitum ſit, nec haberi poſſit Concilium Provinciale. Nàm & Archiepiſcopum noſtrum Mechlinienſem, Cardinalem Granuellanum, conſtat, juſtiſſimis de cauſis abeſſe: & in Concilio Tridentino pleraque, & præ-* D *cipua capita, ità clarè diffinita ſunt, ut nullam Provincialis Concilii declarationem requirant. Proindè poterit S. T. hanc vanam moræ occaſionem abrumpere, ſi nobis mandare dignetur, ut, non obſtante Concilii Provincialis dilatione, ſine ulla diſſimulatione, ad eorum executionem procedamus, quæ abſolutè definita ſunt, in quibus ſanè ſatis negotii, ut ocioſi eſſe non debeamus: maximè, ſi eadem S. T. nobis tempus ſtatuat, quo reſcribere debeamus, & de progreſſu* E *rationem reddere. Hoc autem ad præſentem cauſam multùm faceret, & velut coronidem adderet his, quæ Tridenti benè, & utilitèr acta ſunt, ſi Catechiſmum, illic promiſſum, acciperemus; & Divinum Officium, ad uniformitatem, quoàd ejus fieri poſſet T. S. authoritate reductum, repurgatum, & confirmatum acciperemus. Diligentiam in cuſtodiendis oviculis noſtris, quam Reverendiſ-*

ſimus Dominus Surrentinus T.S.nomine requiris, utinàm, Dei miſericordia freti, vel ex parte præſtare poſſimus. Certè quàm neceſſaria ſit, omnibus notum eſt. Curabimus autem pro viribus, ut piiſſimis deſideriis V.S. non ubique defuiſſe videamur. Cui, & nos in omni humilitate enixiſſimè commendamus, & ut eam benigniſſimus Deus ſuæ Eccleſiæ diù ſervet incolumem, devotè precamur. Ypris XXVII. Junii ann. MDLXVI. A

Tuæ Sanctiſſimæ Paternitatis
Humilis Servus
Marthinus Rithovius,
Indignus Epiſcopus
Iprenſis) B

XXXI. Tàm pia, egregiaque Iprenſis hujus Epiſcopi, tùm vota, tùm ſtudia, mox in primis evertiſſe ſubortum hæreticorum furorem, deindè Eccleſiaſticorum, qui ipſi ſuberant, pervicaciam; ex alia ejuſdem ad ipſum Pontificem epiſtola, colligitur; in ea ſiquidem manu ſua ſcribit (*Cùm in tàm horribili vaſtitate Divinam ultionem apertiſſimè juvet agnoſcere, quæ, poſt multas comminationes, tandem acerbiùs erupit in vindictam; dùm ſæpiùs moniti, de vita, & moribus reformandis, non paruimus: tamen (quod multis lachrimis deplorandum eſt) adhùc tanta eſt in pleriſque locis Cleri ſurditas, ut ad tale tonitruum nondùm expergiſcantur, &c.*) C Cùm autem ipſe, uſque ad finem (ut narrat Havenſis) Tridentino Concilio interfuiſſet; mirum ideò non eſt, quò illius decreta proſpexerint, adeò perſpicuè intellexiſſe, ac curandis Religionis vulneribus, unicum ea remedium dixiſſe, vulneribuſque ipſis adhiberi exoptaſſe. D Quòd tamen ea cumulatè in mores induci, abſque Concilio Provinciali, non poſſe, tandem animadvertiſſet; idcircò, diù fruſtrà expectato Cardinali Granvellano, Mechlinienſi Archiepiſcopo, ad quem illud cogere pertinebat, ipſum demùm convocare, habereque ipſe inſtituit. Qua de re præfatus Havenſis: [*Dum autem,* (inquit) *juſtâ ex cauſa, ab Eccleſia Metropolitana diutiùs, quàm putabat, abeſſet Archiepiſcopus; Reverendiſſimus Dominus Martinus Rithovius, Provinciæ Mechlinienſis Senior Epiſcopus, ex authoritate Sacroſancti Concilii Tridentini, primam Synodum Provincialem, Mechliniæ celebrandam indixit, eamque XI. Junii incæpit, & XIV. Julii, anno 1570. abſolvit. &c.*) E Imò bis Concilium Provinciale coëgiſſe, inferiùs ipſemet ſcribit; quibus celebratis, Diœceſanam Synodum, Ipris 1577. habuit.

Ex ipſo originali ex Archiv. Card. Alexand.

Arnold Havenſ. de erection. Nov. Epiſc. Belgii lib.1. cap.14. pag.70.

Ibid. ut ſup. lib.1. cap.13 pag.60.

Ibid. cap.14 pag.70.

XXXII. Cum Rithovio, Tridentinæ Synodo pariter interfuerat Antonius Havetius, ex Prædicatorum Ordine, Epiſcopus Namurcenſis, qui tamen ad Pii literas, ipſi ab Archiepiſcopo Surrentino exhibitas, nonniſi iſta reſpondere ſat habuit; licet Surrentino eidem unà cum literis ad Pontificem mittendis, ſcripta alia tradidiſſet, quæ reperire non potuimus.

Ibid. ut ſup.

(Beatiſſimo Patri, & Domino,
Domino Noſtro
Papæ.

Beatiſſime Pater.

ACceptis Sanctitatis Veſtræ Literis, quibus jubet fidem me adhibere iis, quæ Reverendiſſimus Pater, Archiepiſcopus Surrentinus, ex parte Beatitudinis Veſtræ mihi proponeret; auditiſque ejus propoſitis, tradidi ei aliquot capita brevia, in genere, & quædam ore ad os, in ſpecie, ex quibus utriſque intelligi poſſe puto ſtatum Religionis, in hac inferiori Germania, & quibus in periculis verſetur, niſi, per Catholicæ Majeſtatis adventum, ei brevi ſuccurratur. Deus B.V. Eccleſiæ ſuæ ſervet incolumem; cui omnem obedientiam, & obſequium, cum oſculis pedum offero humillimè. Namurci XXV. Maji MDLXVI.

Ex Archiv. Card. Alexand. 1566.

V. Sanctitatis.
Obſequentiſſimus
Filius, Antonius Havetius
Epiſcopus Namurcenſis]

XXXIII. Vel his, aliorumque literis commotum Pium; vel, qua præditus erat, eximia prudentia, à ſe ipſo in eam deſcendiſſe ſententiam, ut tumultibus Belgicis ſedandis, unum eſſet remedium, quòd ſcilicèt Catholicus Rex in eam Provinciam ſeſe conferret; vel ex utroque, omninò incompertum. Illud in dubium vocari minimè poteſt, adeò conſilium ipſum Pii animo inſediſſe, ut ad illud executioni mandandum perpetuò (& ut verbis Apoſtoli utamur) opportunè, & importunè eumdem Philippum Regem extimulare, urgereque minimè deſtiterit. Qua de re Gabutius

Vit. Pii lib.1.cap.10 pag.78. tius [*Ad hæc denuntiabat,*(inquit) *niſi præſentia ſua Rex rebus modum afferret; haud ità magno intervallo futurum, ut & in Belgis Religio jam inculca periret, & Rex ipſe, ditionibus ſuis exutus, condoleret. Propterea in ea re inſiſtendum eſſe veſtigiis Caroli V. qui, ob unam Gandavenſem defectionem, poſthabicis cæteris rebus omnibus, ex Hiſpania diſceſſit, atque Regis, æmuli ſui fidei ſe committens, Galliam prætervectus, in Belgaſque progreſſus, eos motus omnes ſuſtulit, ac tranquillavit. &c.*) Sic ille. Sed quæ hoc anno ad ipſum Catholicum Regem ſcripſit, præ omnibus, Pii hac in re animum, ſtudia, conſiliaque patefaciunt; en ejus Literæ, ex Vaticano Archivo fideliſſimè exſcriptæ.

(Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo, Hiſpaniarum Regi Catholico.

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto Fili &c.

Ex Archiv. Vatic. loc. cit. sup. *SÆpè cum Dilecto Filio noſtro Cardinali Paceco, ſæpè etiam cum Oratore tuo locuti fuimus de periculo rerum Provinciæ tuæ Flandriæ; a quibus, quanta ſollicitudine, & timore, de ejus tàm nobilis Provinciæ ſalute angeremur, cerciorem M. T. credimus eſſe factam. Id verò etiam ipſi ad te ſcripſimus, ſi celeritas adhibita fuiſſet, ut debuit, credimus occurri ei malo facilè potuiſſe. Nunc audimus, & ſatis certis nunciis compertum habemus, non ſine magno animi mœrore, res illas pejore loco eſſe, quàm anteà fuerint, nec malum id remedii dilationem longiorem pati poſſe. Itaque commoti Religionis, & animarum periculo, de quibus Nobis rationem eſſe reddendam, ſcimus; commoti verò etiam periculo tuo, nè tàm nobilem Provinciam, avitum patrimonium tuum, morando, differendo, & protelando, amittas; M. T. hortandam, atque monendam duximus. Nihilominùs, pro auctoritate, quam Nobis, licèt indignis, Deus dedit, paternè præcipiences, atque mandantes, ut, nulla ampliùs incerpoſita mora, illùc, ad reprimendum illud, in dies creſcens, incendium, ipſe te conferas. Nullum enim aliud remedium, tanti, ac tàm corroborati mali eſſe conſtat, quàm tuam præſentiam. Si qui periculum illius Provinciæ extenuant, crede Nobis, chariſſime Fili, illi, vel in prudentia labuntur, vel M. T. decipiunt. Si hoc tempus, ſubveniendi ſaluti illius Provinciæ prætermiſeris, vide nè, ſi poſteà volueris, ſubvenire in tempore non poſſis. Reddere Nos quidem rationem Deo debemus de animarum ſalute, quæ illìc (quod abſit) tua negligentia, ab hæreticis, tuis, & Eeclefiæ hoſtibus, repreſſa fuerit; pretèr tantum damnum tuum, pretèr infamiam ſempiternam, tot animarum jacturæ rationem Deo reddere tu quoque debes. Hæc liberiùs ad M.T. ſcripſimus, quia non ſolùm conſcientiam noſtram apud Deum, & homines exonerare volumus, ſed tuæ quoque animæ, & tuæ exiſtimationi, tuiſque rebus, pro paterno erga te amore, conſultum cupimus.* Dat. Romę, apud S. Marcum 16. Junii 1566. Pontific. noſtri anno primo.)

Digna profectò hæc Pii epiſtola cognoſcitur, quæ aureis literis æternitati conſignetur; præter enim verè Apoſtolicam authoritatem ſimul, ac libertatem, qua exarata deprehenditur; ità ſcitè in ea de præſentibus diſſerit, ac ſi oculis futura proſpiciat; adeoùt, his, quæ deindè acciderunt, & quæ in Epiſtola hac futura prævidentur, ſimul collatis, quod de Sanctiſſimo Samuele Scriptura loquitur, ritè uſurpari poſſe videatur; quòd videlicèt [*Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*] XXXIV. 1. Reg. 3. v. 19.

XXXV. Illud idcircò exprobrare deinde Pius Philippo potuit. (*Si audiſſet me, & in viis meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos ejus humiliaſſem, & ſuper tribulantes eum miſiſſem manum meam.*) Pſal. 80. v. 14. Verùm ille, nec tanti Patris mandatis obediens, nec adeò ſalutaribus monitis acquieſcens, à politicis ſuis excogitationibus, ſeù illuſionibus ſe divelli paſſus eſt, perſtititque in ſententia, (qua in ſpecie ſaltem ſe aliquandò abdicaſſe, quæ ſuprà ſunt recitata declarant) Belgium non adeundi. Ubi igitur, recrudeſcente in dies hæreticorum iniquitate, eò tandem perventum eſſet, ut, quæ retulimus, ſcelera Antuerpiæ patraſſent, Pius, ſtatim ac de illis certior redditus eſt, rursùm Philippum aggreſſus, & ad Apoſtolicum ſuum Nuncium, & ad Philippum ipſum ſequentes literas dedit.

[Ven. Fratri, Joanni Baptiſtæ, Archiepiſcopo Roſſanenſi, in Hiſpaniarum Regnis, apud Regem Catholicum, Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio.

PIUS PAPA V.

Ex reg. Vatic.

Non facilè ſcribere poſſumus, quanto in mœrore verſemur, propter triſtiſſimos nuncios, quos de rebus Flandriæ accepimus; multorum enim literis compertum habemus, Urbem totius illius Provinciæ maximam, opulentiſſimam, & munitiſſimam, apertè à chariſſimo Filio Noſtro Rege defeciſſe, atque eſſe in hæreticorum poteſtate, Catholicoſque omnes illius Provinciæ trepidare, & ad fugam ſpectare, ſi modò ſe, ex impiorum, ac ſceleratiſſimorum hominum manibus eripere poſſint; adeò talibus hominibus ad cædes, ad incendia, rapinas, & omnia ſcelera, & ſacrilegia paratis, omnia redundare. Scribimus ad Regem literas, quas abs te illi reddi volumus, in quibus literis illius ſuæ Provinciæ calamitatem, & Catholicæ Religionis inſtantem ruinam deploramus. Sæpè illum per literas noſtras hortati ſumus, & vehementer inſtetimus, ut ille iret; ſæpè eum de eadem re monendum, noſtro nomine, ab Oratore ſuo, & Cardinali Paceco curavimus; ſed nihil profecimus. Jam veremur, ſi illùc ire ſtatuerit, nè ſerus ejus adventus ſit, quod Deus, pro ſua Miſericordia, prohibeat. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum. Die &c. 1566. Pontific. noſtri anno primo.]

Ad Catholicum Regem.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro &c.

PIUS PAPA V.

Chariſſime, &c.

Quantoperè neceſſarium judicaverimus M.T. præſentiam, ad extinguendum incendium, quod in Provincia tua Flandriæ, ab hæreticis excitatum, in dies augeri audiebamus; intelligere potuiſti ex literis noſtris, & ex iis, quæ ad te ſæpiùs ſcribenda curavimus, ab A *Oratore tuo, & à Dilecto Filio noſtro Cardinali Paceco. Ex iis enim, quæ audiebamus, nullum aliud remedium ſupereſſe videbamus, quo illius Provinciæ ſaluti conſuli poſſet. Nunc, quod ſine gemitu, & dolore referre non poſſumus, multorum literis compertum habemus, Urbem tuam, omnium Urbium illius Provinciæ maximam, opulentiſſimam, & munitiſſimam, Antuerpiam, ferè redactam eſſe in hæreticorum, tuorum, Deique rebellium poteſtatem, Catholi-* B *coſque homines illius Provinciæ perterritos ad fugam ſpectare, ſi modò liberè aliò fugere poſſint: adeò plena eſſe omnia armis perditiſſimorum hominum, ad omnia ſcelera, & ſacrilegia paratiſſimorum. Itaque maximo in mœrore ſumus, nec habentes jam quod M.T. ſuadeamus, illorum populorum calamitates, & Catholicæ Religionis inſtantem ruinam, ac tot animarum interitum lugemus, noſtriſque paternis hortationibus, & conſiliis, non fuiſſe, dùm tempus* C *fuit, obtemperatum, dolemus.* Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, die &c. 1566. Pontific. noſtri anno primo.)

XXXVI. Prævaluit igitur apud Philippum conſilium, quo, à Belgico itinere abſtinendum, conſultiùs viſum eſt; ſed infelici admodùm exitu, ut eventus probavit, & nos innuimus; nàm Parmenſi in earum Provinciarum regimine Dux Albanus ſuffectus, nimia ſeveritate adeò commotos animos exaſpe- D ravit, ut ſolus eos, maximo Regis, & Religionis detrimento, ad perpetuam, nulloque prorsùs remedio reparandam defectionem adegiſſe viſus fuerit. Belgicam ſuam profectionem Pontifici pollicitum fuiſſe Philippum expreſſè tradit Adrianus; ſed à propoſito revocatum ſubdit, quòd minimè haberet, cui Hiſpaniarum interim regimen committeret, cùm ille, quem habebat, filius, nec ſolus, nec etiam aliorum conſilio fultus, muneri ferendo, utpotè mente E captus, ſat eſſet. Verùm, ex his, quæ acciderunt, excuſationem hanc Adrianum eruiſſe probabiliùs cenſendum deprehenditur. Eam ſiquidem Philippum protuliſſe non invenimus, ac Pio, multò plus, ſanè quàm Adrianus, intimorum Philippi conſiliorum inſtructo, nec in mentem venire potuit, (ut ſuperiùs allatæ ejus Epiſtolæ oſtendunt) ut eam Philippus idem in medium profer-

re

re poſſet. Quapropter adeò longè petitam excuſationem ipſam, & à ſubſequentibus elicitam, magis Scriptoris ingenio dandam, quàm veritati conſentaneam arbitramur.

XXXVII. Sicut autem officiis, à Pontifice apud Regem factis, Belgii tranquillitati Parmenſis ritè conſultum cenſere debuit; ſic ad turbarum compreſſionem, ſubſidia à Pio præſtita, aut conceſſa plurimùm conferre poſſe exiſtimavit; ideòque ab ipſo eadem, hac Epiſtola deprecata eſt.

(Beatiſſime Pater.

Sanctiſſime Domine, poſt humillimam Sanctitatis Veſtræ obſervantiam, uſque ad pedum oſcula beatorum.

SEreniſſimus Rex Catholicus, Dominus meus Colendiſſimus, Dominia hæc Germaniæ Inferioris, meæ Gubernationi commiſſa, quæ dudùm in eum tranſtulit quondàm inclytæ memoriæ Carolus V. Imperator, Genitor ejus, ob diutinum, & difficile bellum, ità inæpit ære alieno gravare, ut in hunc uſque diem illa reſtaurare non potuerim; ſed & variæ quotidiè, ac novæ ſuboriuntur occaſiones ſumptuum, quibus eorumdem dominiorum proventus ſufficere nequeunt; præſertim, cùm, præter gravia impendia, quæ Majeſtas ſua ſuſtinet contra Turcas, tàm in Melita, quàm Goletta, & Hungaria tuenda; ego quoque, earumdem harum Provinciarum nomine, ingentem pecuniæ ſummam, cum ſtatibus Imperii, ſacratiſſimo Cæſari contribuere tenear; & deindè, (ut arbitror Sanctitatem Veſtram intellexiſſe) ità ab hæreticis, & ſectariis hæ regiones infeſtentur, turbenturque, ut, niſi aliundè, quàm ex ordinariis ſubſidiis, ſuppetiæ atque auxilia ferantur, ulteriùs diù ſubſiſtere nequeant. Quamobrem non habemus Rex, & Ego, in hac rerum neceſſitate conſtituti, ad quem, præterquàm ad Sanctitatem Veſtram, tanquàm ſacram anchoram, cui univerſalis Eccleſiæ cura incumbit, recurramus, auxilium, & opem petituri, utpotè donativum, ſeù ſubſidium medietatis fructuum, & bonorum Eccleſiaſticorum, in iiſdem Provinciis inferioribus, conſiſtentium, citrà magnum gravamen Ordinis Eccleſiaſtici, cùm de illius conſervatione nunc præſertim agatur, quique Principem Protectorem ſuum in tàm gravi diſcrimine, jure meritò, & ſecundùm Deum juvare teneatur; quemadmodùm latiùs exponet Sanctitati Veſtræ Illuſtriſſimus Dominus Commendator Major Caſtellæ, Majeſtatis ſuæ Orator, quem, ut Beatitudo Veſtra benignè audiat, fidemque iis, quæ referet, illi præbere, atque hac rerum, à ſectariis, & hæreticis calamitate altiùs perpenſa, juſtæ Regiæ petitioni, ac meæ, liberalitèr condeſcendere dignetur, obnixiſſimè rogo, & obteſtor: factura rem, non minùs ſanctam, quàm Religioni Orthodoxæ maximè neceſſariam, ac ſua dignitate, & munere paſtorali dignam, Deoque Opt. Max. gratam, qui eamdem Beatitudinem Veſtram Chriſtiano Orbi diù ſervet incolumem. Bruxellæ 14. Juli 1566.

S. V.

Humillima, & Obſequentiſſima Filia,

Margarita, Duciſſa Placentiæ, & Parmę, Sereniſſimi Regis Catholici, in Provinciis ſuis Germaniæ inferioris locum tuens.) Hactenùs Epiſtola.

Menſe Novembris hujus anni, ut Surius, Thuanus, Belcarius, aliique narrant, Antuerpiam, à Confeſſioniſtis evocati, venerunt Lutherani Miniſtri, Matthias Flacius Illiricus, Centuriarum Eccleſiaſticarum concinnator, Dominicus Spargenbergius, Joannes Vorſtius, L. Hamelmanus; dùm alii, ex Geneva, & Anglia vicina, qui Helveticam Confeſſionem ſequebantur, accivíſſent; quorum, poſt aliquot diſceptationes, annitente Marco Pereſio, inſtitore Hiſpano, ditiſſimo, qui illis favebat, prævaluiſſe authoritatem, ſcribit Thuanus, & confirmat Surius, his verbis. (*Porrò autem Lutherici buccinatores non admodùm magnos videntur Antuerpiæ ſucceſſus habuiſſe; quòd Calviniani primas ſibi facilè vindicarent; & certè, cùm poſteà inde diſceſſiſſent, & Spargenbergius Coloniam veniſſet, quodam ex illo percontante: quis rerum ſtatus eſſet Antuerpiæ, aut aliquid ejuſmodi; ille reſpondit. Antuerpiæ Chriſtus pendet inter duos Latrones; Papiſtas, & Calviniſtas: ſignificare volens, ut arbitror, Luteranis ibi non multùm eſſe loci, & authoritatis, &c.*) Sic Surius, XXXVIII.

rius. Edidiſſe verò, paulò poſt, Illiricum, & Spargenbergium, latinè, & theutonicè, ſuam Confeſſionem, quam, *Confeſſionem Miniſtrorum Jeſu Chriſti in Eccleſia Antuerpienſi, conſentientem cum Auguſtana Confeſſione*, appellarunt, idem ſcribit; cùm jàm multò antè Calviniſtæ Theuthonici ſuam quoque edidiſſent, hoc titulo: *Brevis Fidei confeſſio*. Utraque tamen à Catholicis, doctiſſimis, & graviſſimis viris, confutata eſt. Inter utriuſque ſectæ Miniſtros, habitas diſputationes, de Corporis B Chriſti præſentia in Cœna, ſcribit Belcarius, qui addit, quòd, cùm inter ſe convenire non poſſent, haud diù ibi commorati, re infecta, domum reverſi ſunt. Ab Iſſelt tamen conventus is ſectariorum in ſequentem annum rejicitur.

XXXIX. Intèr commiſerandas has, Religionis cauſa, in Belgio commotas tempeſtates, Catholicæ Fidei tamèn immobilitèr adhærentes, finitimæ Urbes nonnullæ, & à naufragio tutæ, & jucun- C dam tranquillitatem tenuerunt; nàm Cameraci, ut præfatus ab Iſſelt narrat, in tanta civium multitudine, unus repertus eſt Jo: Clericus, qui Germaniæ exemplo, ab Archiepiſcopo, Urbis Domino, & Magiſtratu, concedi Confeſſionem Auguſtanam civibus poſtularet. Ad poſtulata verò id reſponſi accepit, ut intrà Curiam retentus, accepta capitis ſententia, horis tribus poſt, caput palàm in foro amitteret, tranquilliſſimamque, eo ſuo malo, Rempublicam effice- D ret. Prudentiſſimus quoque (ut Surius narrat) Sanctæ Ubiorum Coloniæ Senatus, immortalique ad omnem poſteritatem laude digniſſimus, ſumma cura, & vigilantia, tumultus omnes intrà ſuos limites antevertere, & avertere ſtuduit, Deoque adiuvante, illiuſque optimos conatus mirabilitèr fortunante, ejus ampliſſimæ Urbis celeberrima Reſpublica priſcum illud ſuum, in aſſeruanda mordicùs ſemel recepta Religione, ſingularis conſtantiæ nomen ſibi jure E optimo vindicavit. Nec diſpari zelo, tuendæ Religionis ſtudio, Leodium ſe dedit, id in primis curante Gerardo Gioesbeloano, Leodienſi Epiſcopo, cujus pietatem, ac fidem ſequuti ſunt omnes ejus Urbis cives; nàm in Provinciæ Comitiis, hoc anno habitis, uno omnes ore in Majorum Fide velle vivere, & mori conclamarunt, & palàm

A profeſſi ſunt; quæque, ad evertenda ex eorum finibus hæreſis peſte, neceſſaria exiſtimarunt, decretis etiam firmarunt. I.

Sed ea potiſſimùm Chriſtiani Orbis Provincia, majorem in Religione tuenda laudem obtinuit, majoremq; idcircò pacem poſſedit, quæ ſicut à tumultuantibus hæreſibus remotior, ſic etiam ſecurior fuit; nempe Hiſpania, quæ ſub Philippo Rege, Catholicæ Fidei ſtudioſiſſimo, nullam omninò, vel tranquillitatis, vel antiquæ Religionis jacturam perpeſſa eſt. Summo ſiquidèm obſequio Pii ſanctitatem, ac dignitatem venerante Philippo, & optimum pariter Regem, tamquàm unicum Filium diligente Pio, effectum eſt, ut felici fœderatione Regnum à Sacerdotio, & Sacerdotium viciſſim fulciretur à Regno. Univerſis namque, ac ſingulis Miniſtris ſuis Rex præceperat, ut Pontificis mandata omnia, ſinè vlla prorsùs cunctatione, ut Campana tradit, executioni mandarentur; idcircò Pius in his, quæ ad Chriſtianam ſpectabant pietatem, ac Religionem, nè quid in Regnis ejus induceretur, vel corruptelæ, vel erroris, abſque ullo obice diligentèr providere potuit. Ut res itaque Chriſtiana, (inquit Gabutius) bonique mores in Hiſpania optimè conſervarentur, atque ubi lapſi fuiſſent, ſanctè reſtituerentur, non modò, ut in aliis regionibus, per Sacroſancti Tridentini Concilii decreta, jam ibi recepta, ſeù per Apoſtolicos Nuncios; ſed multis etiam ſalutaribus, ac ſpecialibus Edictis, ibidemque evulgatis Legibus, ſtudioſè procuravit. Sub anathematis ſiquidèm, aliiſque graviſſimis pœnis, ludicra ſpectacula, in quibus Taurorum ferarumque congreſſiones, ſeù agitationes, non ſine aliqua hominum cæde, gravique animarum damno, fieri conſueverant, prohibuit; &, inſtante Rege, poteſtatem Sodalitatibus Sanctiſſimi Sacramenti, qua improvidè cibos, ab Eccleſia, ſtatis diebus, interdictos veſcendi facultatem faciebant, omninò ſuſtulit. Ludimagiſtros etiam omnes ſolemnem, ac legitimam Fidei edere profeſſionem juſſit; atque nè inſcriptiones, ſub imaginibus eorum, qui hæreſeos damnati, pœnas luiſſent, deinceps in Templis affigerentur, diſtrictè prohibuit; imò eorum domos, ſolo æquari, in medioque columnellam cum mar-

marmorea tabella, in qua illorum vita A pariter, ac mors deſcriberetur, defigi imperavit. Capitali verò ſententia damnatis, pridie quàm ſupplicium obirent, Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento communiri conceſsit. Fœneratorum inſupèr iniquas negotiationes, quamvis pecuniis difficiliùs mutuò accipiendis, quas mox curaturus erat in Belgio, & alibi, certum indè Rex detrimentum eſſet accepturus, ſeverioribus legibus profligare contendit.

II. Magnam hanc verò ſollicitudi- B nem, de Hiſpaniæ Regno tuendo, atque in vera Religione, eique reſpondentibus dignis moribus, cuſtodiendo, quam Pontifex geſsit, illud præ ceteris oſtendiſſe videtur, quod præfatus Gabutius narrat, & miram verè paſtoralem ejus advigilantiam patefacit. (*Sub idem tempus*, (inquit) *arcas nonnullas, Calvinianis refertas Cathechiſmis in Hiſpanicum idioma converſis, ut mos eſt hæreticorum, per Hiſpaniam diſſeminandis, Lugduni, Toloſæque in Gallia depre-* C *henſas fuiſſe, Pio renunciatur: quo ille cognito, graviter doluit, periculoque occurrens, ea de re Catholicum Regem admonuit, caveret diligentèr, nè exteri libri, ni priùs benè cogniti, & à ſacris Quæſitoribus approbati, in Hiſpaniam inducerentur, uti ſedulò curatum eſt, tanto ſublato periculo.*) Sic ille.

III. Cùm autem, tùm morum reformationem, tùm Fidei, ac Religionis ſecuritatem, ac incrementum, à probitate, & ſtudio tàm Epiſcoporum, quàm D totius Eccleſiaſtici Ordinis pendere cognoſceret; hos in primis, de impoſito eis munere commoneſacere voluit, literis ad eos, ejuſdem (ut Gabutius tradit) exempli ſcriptis, ac illa, quam ad Palentinum Epiſcopum dedit, quà Sacri Tridentini Concilii decreta in uſum induci, Clericorum diſciplinam reſtitui, eorumque ritè educandorum Seminarium inſtitui, ab hæreticis caveri, proborum virorum, quibus Ec- E cleſiaſtica munera mandari poſſent, cenſu habito, certum ad ſe indicem mitti juſsit. Epiſtola ejuſmodi eſt.

(Ven. Fratri, Chriſtophoro, Epiſcopo Palentino.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater, ſalutem, & Apoſtolicam &c.

POſteaquàm, ità providente Deo, Apoſtolicæ ſervitutis Officium indignis humeris noſtris impoſitum eſt, non ſine acerbiſſimo animi dolore, gemituque miſerabilem, ac flebilem Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum attentè conſiderantes, eos omnes excitare, commonere, & extimulare cogimur, quos Deus in partem ſollicitudinis, ſub noſtra vigilia, ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ regimen convocavit; ut nobiſcum omnes ad hanc curam incumbant, & ad tàm grave hoc, magnumque onus ſuſtinendum adiuvent, atque corroborent infirmitatem noſtram; ut dùm caput membrorum, & membra capitis mutuis fulciantur auxiliis, Eccleſia Dei, quæ tàm afflicta, ac deformata reperitur, recreata tandem erigatur, & erecta ritè conformetur; atque in tot, tantiſque calamitatibus, non ſolùm à Domeſticis, ſed ab externis etiam inimicis defendere ſe, tutarique poſſit. Non ignorat Fraternitas tua, quàm longè, latèque ſeſe pernicioſæ diffuderint hæreſes; neque te fugit, quàm certam, & efficacem hujuſmodi malo, ad perdendas Dominicas oves, occaſionem dederit Paſtorum negligentia, & quàm magnam vim, ad hunc morbum augendum, habeant corrupti, & depravati Eccleſiaſticorum hominum mores. Jam verò perſpicere potuiſti, quàm imminutus inter laicos ſit cultus pietatis, quàm aucta licentia ſimul, & impudentia. At planè intelligis Frater, quantoperè ſint nobis pertimeſcenda iræ Divinæ flagella, ob noſtra, populique Chriſtiani peccata, nobis intenta. Ad has igitur, quibus afflicta laborat Eccleſia, tot tantaſque plagas utcumque ſanandas, & ad iram Dei aliquo modo avertendam, atque placandam, unicum nobis remedium ſupereſt, diligens videlicèt Sacroſancti Æcumenici Concilii decretorum cuſtodia, ac fidelis obſervatio. Itaque, pro eo, quanti facis omnipotentis Dei cultum, Fraternitatem tuam admonemus, ac rogamus, ut ejus, quam ſuſtines, perſonæ memor, & officii, omnia, quæ in ipſa Synodo, tàm piò, prudenti, ac maturo

turo Judicio, Deo favente, conſtituta, ac ſancita ſunt, deindè Sacroſanctæ hujus Apoſtolicæ Sedis authoritate, & decreto comprobata, &, ut per univerſum Chriſtianum Orbem conſervarentur, in uſumque inducerentur, promulgata, ac mandata fuerunt; plenè præſtare, & exequi omninò procures. Et verò, quoniam Sacri Præſules ſubditis ſuis ad rectè vivendum exemplar eſſe debent, ſæcularesque homines mores ſuos, ad Sacerdotum vitam, & exemplum inſtituere, & conformare conſueverunt: da operam Frater, atque effice diligentèr, ut Eccleſiæ tuæ Clerum, populumque univerſum, cùm ſalutaribus monitis, ac præceptis, tùm etiam virtutum exemplis, & charitatis conſiliis, & officiis, ad colenda pietatis ſtudia excites, & impellas; cavens in primis, nè in te quidquam offendatur, quod animabus tibi commiſsis peccandi occaſionem præbere poſsit, aut malum exemplum: curabiſque diligentèr, opportunè, & importunè, ut Clerici, qui minùs honeſtò vivunt, admoniti corrigantur: eos argue, obſecra, increpa, ut probè vitam inſtituant; ac, ſi opus fuerit, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritatem in eos exerce. Clericorum verò Collegium, quod proborum Sacerdotum Seminarium, ac fundamentum eſſe debet, ex ſalutari ejuſdem Concilii decreto, ut quamprimùm erigatur, enitere, erectumque omni ope, & officio proſequere. Deniquè Chriſti oves, curæ tuæ commiſſas, ab hæreticorum fraudibus, tamquàm à lupis, aut à carnificibus, ac latronibus ſegregandas, & arcendas, ſummo ſtudio contende, dabiſque operam quàm accuratiſſimè, ut, ſi fortè quiſpiam in iſto grege hac execranda peſte reperiatur infectus, nè is pernicioſo contagio alios commaculet. Conſidera, Frater mi, diligenter, ac perpetuò recogita, poſt brevem fragilis hujus, & mortalis vitæ curſum; de grege tibi commiſſo, Summo, & Æterno Paſtori, eidemque tremendo, ac terribili Judici rationem te reddere oportere. Da igitur operam, ut, cùm in ejus Divino conſpectu fueris conſtitutus, fidelis ſervi mercedem, non autem pigri, & negligentis mercenarii pœnam, conſequi merearis; ac ſcito, quemadmodùm, ad Paſtorale munus noſtrum rectè præſtandum, auxilium tuum imploramus, ità planè ad officium tuum ſtrenuè obeundum, operam, ac ſtudium noſtrum tibi non defuturum. Illud verò to monitum volumus, ut omni officio, ac diligentia de Civitatis iſtius, Diœceſiſque tuæ Clericis indagando probè cognoſcas, qui Catholicæ pietatis laude, morum integritate, probitate vitæ: ac doctrina præſtent, idoneique ſint, ut huic Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedi fidelitèr, atque utilitèr inſervire poſſint, ac de iis omnibus, cenſu habito, indicem, proba fide conſcriptum, & manu, ſigilloque tuo obſignatum, cum uniuſcujuſque nomine, ac loco, ubi degat, ſingillatim adnotato, ad Nos cures perferendum. Nos enim, qui omnium fidelium Patris perſonam, licèt indigni, ſuſtinemus, ejuſmodi virorum opera, & induſtria, prout occaſio tulerit, ad eas res, quibus ad honorem Dei, & ad Sanctæ hujus Sedis Apoſtolicæ obſequia fuerit opus, uti, eoſque honeſtis laboribus, ad communem Sanctæ Eccleſiæ utilitatem applicare conſtituimus. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Kal. Februarii 1566. Pontific. noſtr. ann. primo.)

IV. Hiſpaniarum verò Epiſcopis facultatem ſubſtulit Pius, qua in caſibus, ſibi iiſdem reſervatis, gratiaque facienda utebantur; inde enim, quas, velut Hiſpanicæ Cruciatæ nomine, Regi pecunias penſitabant, colligere conſueverant. Oblatam autèmècontra conditionem, de Sacratorum hominum ſpoliis ea ratione accipiendis, ut ſpoliorum eorumdem pars dimidia Regis eſſet, accipere Pius recuſavit. Licèt enim utilius, ac commodius ſibi fore, ſi per Regis Miniſtros ea colligerentur, videretur; quòd ſibimet nihilominùs cavendum eſſe conſideraret, nè in Clero magnam inde conflaret invidiam, vel in avaritiæ ſuſpicionem incurreret, legem hanc reſpuendam cenſuit; imò, non modò rejecit, ſed tot facultates, ac decreta ſuper tribus Militaribus Ordinibus, & Cathedralium inſuper Eccleſiarum nominationibus, aliiſque rebus dudùm Pontifices Summos conceſſiſſe, ſe vehementer dolere dixit; quòd hi, videlicèt, olim tantumdèm, ac fortaſsè plùs, quàm Reges ipſi, in Hiſpaniis, humanis de rebus diſponere, & adminiſtrare, magno rerum ſpiritualium fœnore, potuiſſent.

V. Quæ tamèn, Bartholomæi Caranzæ, Archiepiſcopi Toletani cauſa, inter Pium, ac Philippum, hoc eodem anno interceſſerunt; & ferventem Pontificis zelum, & ſummam verè Catholici Regis

gis pietatem ſummoperè commendarunt. Rem, utpotè memoratu digniſſimam, cuncti, & rerum Hiſpanicarum, & geſtorum Pii Scriptores monumentis diligentiſſimè mandarunt; utinàm tamen ſinceriſſimè, cùm partium ſtudio plerique eorum deprehendantur abrepti. Facile verò eſt ex cunctorum teſtimoniis agnoſcere, quæ Abrahamus Bzovius tradidit falſa eſſe; ſcribit enim anteceſſorem Pii V. Pium IV. Hugonem Cardinalem Boncompagnum in Hiſpaniam deſtinaſſe, ut de cauſa præfati Archiepiſcopi agnoſceret. Hunc verò à multitudine, & authoritate adverſariorum Caranzæ, quemadmodùm par erat, ſolum in ea cauſa inquirere minimè potuiſſe; poſtulantibus æmulis, ut duo à Regia manu, & ab Inquiſitionis Hiſpanicæ tribunali, Cardinali adjungerentur, qui omnia inſpicerent, nihilque ſine eis decerneretur. (*Pontifex igitur* (inquit Bzovius, qui, ut ex his, quæ addit, hoc nomine Pium V. ſignificare voluiſſe cognoſcitur.) *ea indignitate commotus, Regem officii admonuit, & nè Cardinali impedimento in ejus cauſæ cognitione eſſet, vel ipſe, vel quivis alius, ſeriò edixit; ac, ſi porrò reſiſtere pergerent aliqui, ut, proteſtatione interpoſita, in Italiam potiùs reverteretur, quàm aliquid non ex dignitate Apoſtolicæ Sedis ageret, aut verò innocentem, æmulorum malevolentia, opprimi videret. Paulò poſt, Petrum Camojanum, Epiſcopum Aſculanum, Nuncium Apoſtolicæ Sedis, ad Regem Philippum deſtinavit, qui cauſam Caranzæ ex Hiſpania Romam avocatam denuntiaret. &c.*) Sic ille, & gravi quidem lapſus errore; nàm ex Campana, Catena, ac cœteris, nullatenùs ſub Pio V. apud Catholicum Regem de hac re Boncompagnum egiſſe habemus; ſed, re potiùs infecta, cùm, ob mortem Pii Quarti, vacaret Sedes, Boncompagnum ipſum Romam rediiſſe, Catena ipſe teſtatur. Proteſtationes idcircò, & alia, quæ Bzovius excogitavit, à Pio V. in mandatis Boncompagno eidem data eſſe non potuerunt, cùm, eo, inquam, ſedente, jam Romæ, non in Hiſpania Boncompagnus eſſet. Diſtinctam rei ſeriem habes ex Gabutio, his verbis.

Vit. Pii lib. 3. cap. 4.

[*Agitabatur per idem tempus in Hiſpania gravis illa cauſa Bartholomæi Mirandæ, & Caranzæ, Archiepiſcopi Toletani, qui de hæreſi poſtulatus, ex Apoſtolicæ Sedis authoritate ibidem in cuſtodia tenebatur. In eum jam diù, cùm habita eſſet quæſtio, neque Paulus, neque Pius, uterque ejus nominis IV. Romani Pontifices, ut, vel reus, vel cauſa ad ſe Romam ex ſacrarum Legum præſcripto deferretur, & coram ipſis tamquàm ſummis Epiſcoporum omnium, Fideique cauſarum Judicibus ageretur, obtinere potuiſſent, quòd apud Regem Catholicum ab illo ſacræ Inquiſitionis Senatu id Judicii, ex authoritate Apoſtolica, ſibi pro tempore ſæpiùs delegata, ad ſe pertinere profitente, continentèr daretur exceptio: Pius, ut & reus, & quæſtio ad ſe deportaretur, quæ, ſua apud Regem erat authoritas, & ſanctitatis opinio prorsùs effecit. Nàm ob id, maximis cum mandatis, Petrum Camojanum in Hiſpaniam miſit, dato diplomate, quo, ſi minùs juſta facerent, ſacros illos violatæ fidei Judices omni authoritate privabat judicandi, & à piorum communione ſegregatos declarabat; quamquàm id illis, quòd neceſſe non eſſet, minimè fuit indictum.*

Simùl atque Rex Pii poſtulata cognovit, qua erat in Apoſtolicam Sedem, & præſertim in hunc Pontificem, pietate, licèt nonnullis reclamantibus, conſtantèr edixit, parendum omninò eſſe (ut ejus utamur penè verbis,) Patri Sanctiſſimo, ac quidquid ille decreviſſet promptè præſtandum: nihil enim, niſi ſanctum, ac Deo gratum ab eo ſtatui poſſe, quippè qui Divino nutu regeretur. Archiepiſcopo igitur, cum ſua deſcripta quæſtione, ab arcta cuſtodia Romam perducto, & in S. Angeli Arcem incluſo, ad ejus cauſam & cognoſcendam, & dijudicandam ſapientiſſimis viris in conſilium adhibitis, tàm aſſiduè Pius incubuit, ut quamplurimis, ſuper hac quæſtione, habitis Congregationibus, iis fermè omnibus frequentiſſimè ipſemet interfuiſſe, vel præfuiſſe potiùs, remque, lata ſententia, propè decidiſſe perhibeatur; ſed aliis graviſſimis diſtractus negotiis, morteque præreptus, rem Succeſſori ſuo, Gregorio XIII. definiendam reliquit, qui dùm eſſet Cardinalis, à Pio Quarto, hac de cauſa in Hiſpaniam Legatus, nihil reportaverat; mox Pio V. in Pontificatu ſuffectus, reum Archiepiſcopum, ſuper tali crimine valdè ſuſpectum judicavit, certiſque pœnis injunctis, ad voluntariam omnis hæreticæ pravi-

tatis deteſtationem, ac legitimam Catholicæ Fidei confeſſionem admiſſum abſolvit. Is porrò ſummæ patientiæ, & modeſtiæ documento, in adverſarios ſuos in hac cauſa nihil unquàm, ut ferunt, obloquutus, diuturnum carcerem alacritèr, conſtanterque perpeſſus, demùm in Cœnobio Fratrum ſuorum Sanctæ Mariæ ſuprà Minervam, anno 1576. nonas Maji è vita deceſſit.]

VI. Iſta Gabutius, quæ quidem confirmant, ac dilucidiùs explicant prolatæ à Gregorio XIII. in ipſum Caranzam ſententiæ verba, quam, Deo annuente, ex proprio originali, integram ſuo loco dabimus, & ex qua interim, ad rem, de qua agimus, iſta in medium proferenda exiſtimavimus. Poſtquàm enim Ferdinando, Hiſpalenſi Archiepiſcopo, Generali Inquiſitori, à Paulo IV. facultatem datam contra quoſcumque inquirendi, per literas in forma Brevis expeditas, in ea narravit Gregorius; iſta ſubnectit: (*Quarum quidem vigore, cùm idem Ferdinandus, Archiepiſcopus Bartholomæum Archiepiſcopum Toletanum, tamquàm de hæreſi ſuſpectum, capi, & detineri feciſſet; fel. record. Pius PP. IV. dicti Pauli ſucceſſor, ejuſdem Pauli IV. literas, Apoſtolica authoritate confirmavit, approbavit, & innovavit, atque ad aliud biennium duntaxàt prorogavit, cum facultate ſubdelegandi, per ſuas literas, prout in eis continetur. Cùmque per dictum Bartholomæum Archiepiſcopum, tùm ipſe Ferdinandus Archiepiſcopus, quàm alii duo de ſupremo Tribunali Inquiſitionis, tamquàm ſuſpecti, revocati eſſent, & per arbitros, ſententiæ recuſationis, in favorem dicti Bartholomæi Archiepiſcopi Toletani latæ, & ab ea pro parte Procuratoris Fiſcalis ipſius Inquiſitionis, ad Sedem Apoſtolicam fuiſſet appellatum; idem Pius, nè ob altercationes, & differentias, quæ, ſuper judicio prætenſarum ſuſpicionum hujuſmodi, ortæ erant, & veroſimiliter oriri poterant, cauſa prædicti Bartholomæi Archiepiſcopi longiùs protraheretur, de præclara integritate, probitate, & prudentia chariſſimi in Chriſto ejus, nunc Filii noſtri Philippi, Hiſpaniarum Regis Catholici plurimùm in Domino confiſus, eidem Philippo Regi Judices non ſuſpectos, qui in cauſa dicti Bartholomæi Archiepiſcopi proceſſum, authoritate Apoſtolica conficere, & formare, proceſſumque hujuſmodi ſic formatum, integrum, & originalem, & in debita forma, quantociùs ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam tranſmittere deberent, nominandi authoritatem, & facultatem, per ejus Literas conceſſit, prout in illis, & aliis, ejuſdem ſuæ voluntatis, & intentionis declaratoriis, etiam repetitis, pleniùs continetur.*

Cùm autem idem Philippus Rex, hujus facultatis vigore, bon. mem. Gaſparem, tunc Archiepiſcopum Compoſtellanum in cauſa ejuſdem Bartholomei Archiepiſcopi, ad formandum proceſſum hujuſmodi nominaviſſet, & idem Gaſpar Archiepiſcopus ad nonnullos actus, pro dicti proceſſus confectione, (ut exponebatur,) proceſſiſſet; ſed propter cauſæ magnitudinem, & multa, & varia impedimenta, illum totalitèr conficere nequiviſſet; idem Pius dictum biennium prorogatum uſque ad alium annum, & ſecundò eumdem annum jam ſimilitèr prorogatum, uſque ad Kalen. Januarii proximè tunc futuras anni 1565., ad effectum, ut idem Gaſpar Archiepiſcopus dictum proceſſum integraliter formare, & perficere deberet, per diverſas ſuas literas, eidem Gaſparo Archiepiſcopo directas, extendit, & propagauit; prout in eiſdem literis latiùs continetur.

Succeſſive verò, eodem Pio IV. viam univerſæ carnis ingreſſo, cùm ſan. mem. Pius PP. V. noſter Prædeceſſor ad ſummum Apoſtolatus apicem eſſet aſſumptus, pro munere ſui Paſtoralis officii providens, nè cauſa dicti Bartholomæi Archiepiſcopi diutiùs differetur, ſed ut illa Apoſtolicæ Sedis (ut par erat,) judicio terminaretur; ipſius perſonam, unà cum toto proceſſu, ſub tuta cuſtodia ſibi tranſmitti voluit, atque mandavit. Cùmque prædictus Bartholomæus Archiepiſcopus, ſimul cum originali ejus cauſæ proceſſu, per fidelem cuſtodiam deductus eſſet ad Urbem, idem Pius illum in continenti in Arce Sancti Angeli ſecurè, & fidelitèr cuſtodiri præcepit, prout in ea, uſque ad præſentem diem, ſimilitèr eſt cuſtoditus.] Hucuſque Gregorii verba.

Quòd autem ſcribat Gabutius, miſſo à Pio in Hiſpaniam Camojano, in mandatis datum, quòd ſi Hiſpanici Inquiſitores juſſis parere detrectaſſent, & proceſſum ſimul, ac reum tradere recuſaſſent; illos, uti violatæ fidei Judices, VII.

dices omni judicandi authoritate pſivaret, atque à piorum communione ſegſegatos enunciaret: ſciendum, à Pio ipſo, Archiepiſcopo Roſſanenſi, ſuo, Apoſtolicæque Sedis, apud Catholicum Regem, ut alibi diximus, Ordinario Nuncio, jam ante id imperatum, ut Epiſtola, in hunc modum ad ipſum ſcsipta, teſtatur.

(Archiepiſcopo Roſſanenſi &c.

[PIUS PAPA V.

Ven. Frater &c.

Ex Archiv. Vatic.

CUm Ven. Frater Bartholomæus, Archiepiſcopus Toletanus, & Hiſpaniæ Primas, ſeptem jam circitèr annos, ſicut noſti, in carcere retentus ſit, & poſt tres annos, non modò cauſa ejus nunquàm deciſa fuerit, ſed nè potuerimus quidem ipſi unquàm ſatis certò ſcire, quid illi objiciatur, nedùm quid adversùs eum probatum ſit: moleſtiſſimè ferentes, tantam cauſam, qua nulla major, nec gravior incidere potuit, tamdiù tractam eſſe; & Prælatum, tanta dignitate præditum, tàm diuturna vexatione affligi. Conſiderantes præterèa, quantum ex ea re ſcandalum ortum ſit, quantaque materia præbita fuerit omnibus gentibus, non ſolùm de ſacræ Inquiſitionis hæreticæ pravitatis officio obloquendi, ſed etiam hujus Sanctæ Sedis, ad quam unam tantæ cauſæ cognitio portinebat, nimiam lentitudinem accuſandi: dolentes denique vicem Eccleſiæ Toletanæ, tàm inſignis, ac nobilis, quæ per tot annos Paſtoris ſui ſolatio deſtituta luget, non ſine magno animarum ſalutis periculo, & bonorum ipſius Eccleſiæ temporalium detrimento: ſtatuimus, ac decrevimus, quandoquidem aliis quibuſdam officiis parùm adhùc profecimus, non ferre nec diſſimulare diutiùs tantam, non ſolùm ipſius Archiepiſcopi calamitatem, ſed etiam noſtram, & Apoſtolicæ Sedis injuriam, cum magno totius Chriſtianæ Reipublicæ ſcandalo. Quocircà Fraternitati tuæ mandamus, ac diſtrictè præcipimus, ut ſimul ac has Literas acceperis, eas ad notitiam Ven. Fratris, Archiepiſcopi Hiſpalenſis, Majoris Inquiſitoris hæreticæ pravitatis, ejuſque Conſilii, & aliorum, quorum hæc ſcire intereſt, pervenire facias; ut ſciant, quòd Nos, motu proprio, & ex certa ſcientia

A *noſtra, ac de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, ipſi Archiepiſcopo Hiſpalenſi, Prælatis, Doctoribus, Conſiliariis, ac reliquis omnibus ejuſdem Officii, quocumque nomine vocentur, & quacumque dignitato, etiamſi Epiſcopali, aut Archiepiſcopali ſint præditi, omnem authoritatem, facultatem, ac poteſtatem, à Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris, in hac cauſa, quocumque verborum tenore, conceſſam, & quibuſcumque cum clauſulis, etiam derogatoriarum derogato-*
B *riis, & quantumvis efficacibus, inſolitis, & inexcogitatis, etiam ſi de illis, & de earum tenoribus, ad verbum ſpecifica, & expreſſa mentio facienda eſſet, non autem per clauſulas generales; quibus omnibus, & ſingulis, in hac parte dumtaxàt, derogamus, tenore præſentium revocamus, atque auferimus; omnibus autem ad quos ſpectat, ſivè Eccleſiaſticis, ſivè laicis, in virtute Sancti Spiritus, ac Sanctæ Obedientiæ, Apoſtolica authoritate, ſub pœna excommunicationis latæ*
C *ſententiæ, quam ſtatim laici, & Eccleſiaſtici, Epiſcopali dignitate inferiores, contrafaciendo incurrant, & à quâ à nemine, preterquàm à Nobis, vel Succeſſoribus noſtris, canonicè intrantibus, abſolvi poſſint, niſi in mortis articulo. Quod verò ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos, vel etiam majores Principes attinet, ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis, præcipiendo mandamus, ut ipſum Archiepiſcopum Toletanum, cùm primùm harum literarum notitiam habuerint, ſtatim è*
D *carcere dimittant, & in libertatem ſuam reſtituant, emittique, & reſtitui curent, & faciant, ſine ulla mora, & exceptione, abſque ulla cautione, & impedimento. Ipſi verò Archiepiſcopo Toletano in virtute Sanctæ Obedientiæ, atque etiam ſub pœna ſimilis ſuſpenſionis à Divinis, mandamus atque præcipimus, ut ſimul ac liberatus fuerit, conſtituto tamèn primò per eum Eccleſiæ Toletanæ idoneo in ſpiritualibus, temporalibuſque Vicario, qui Eccleſiam Tole-*
E *tanam, durante Archiepiſcopi abſentia, regat, atque gubernet: quique etiam à Gubernatore, ſivè Æconomo ejuſdem Eccleſiæ, noſtra, ſeù Prædeceſſorum noſtrorum authoritate anteà deputato, quem Nos ex nunc, tenore præſentium amovemus, computa, & rationes ſuæ adminiſtrationis exigere, & ad eas reddendas per Cenſuras Eccleſiaſticas, & per alia Juris, & facti remedia compel-*

lere poſſis, & valeas; ad Sedem Apoſtolicam veniat, & noſtro ſe conſpectui repræſentet, qui, Deo auctore, id de ejus cauſa, mediante juſtitia, ſtatuemus, quod ipſius Dei Omnipotentis honori expedire, officioque noſtro convenire videbimus. Mandamus præterea omnibus, & ſingulis Officialibus Sacræ Inquiſitionis, tàm dicto Archiepiſcopo Hiſpalenſi, quàm reliquis Miniſtris, Conſiliariis, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, & Tabellionibus, vel etiam Scriniariis dicti Officii, habentibus proceſſus, ſcripta, codices, cedulas, vel quæcumque alia, ad cauſam dicti Archiepiſcopi pertinentia, ut ea omnia, & ſingula, intrà terminum trium menſium, ab harum notitia inchoandorum, per fidum nuncium, ſigillo ſuo, vel ſigillis obſignata, & clauſa, ad Nos ipſi tranſmittant, vel, ſi magis placuerit, infrà terminum unius menſis, Fraternitati tuæ tradant atque conſignent: quorum alterum ſi non fecerint, indignationem Dei Omnipotentis, ac Beatiſſimorum Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli, & noſtràm ſe noverint incurſuros, & etiam Excommunicationis latæ ſententiæ vinculo innodatos fore. Quiſquis autem ipſi Archiepiſcopo Toletano, quominùs ad Nos veniat, impedimentum, aut moram objicere quoquo modo auſus fuerit, vel impedire, aut retardare, aut retardare volentibus, auxilium, conſilium, aut favorem præſtiterit; quacumque dignitate præditus ſit, ſivè laicus, ſivè Eccleſiaſticus fuerit, in eaſdem, ſicùt dictum fuit, pœnas Excommunicationis, & ſuſpenſionis ſe noverit incurſurum. Non obſtantibus privilegiis, & indultis tuicumque perſonæ conceſſis, nè interdici, ſuſpendi, aut excommunicari poſſit per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, ac de verbo ad verbum expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem: quibus omnibus, eorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxàt, ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Volumus autem, ut tranſumpta harum Literarum manuſcripta, vel impreſſa, & manus tuæ ſubſcriptione, ſigilloque munita, parem authoritatem, ac vim habeant, ac ſi originales literæ oſtenſæ cuique eſſent, vel exhibitæ. De eo verò, quod actum fuerit, continuò Nos diligentèr facias certiores; & hoc mandatum noſtrum ità exequi curabis, ut diligentiam tuam in Domino laudare debeamus, & ex hoc officio noſtram uberiùs gratiam merearis. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die XXX. Julii 1566. Pontif. noſt. ann. primo)

VIII. In Regeſto Vaticano, ſtatim poſt Apoſtolicas has literas, verba hæc adnotata leguntur: [*Pius Papa V. ità mandavit expediri.*] Ex earum autem tenore ritè ambigi non poſſe cognoſcitur, Camojano, ut diximus, hac de cauſa in Hiſpaniam, præſenti anno, miſſo, eadem à Pontifice data in mandatis. At, ut ex Gabutio audiſti, illa nec quidem prodere neceſſe fuit, cùm, tergiverſatione quavis ſubmota, tamquàm divini oraculi verbis, Pontificis mandatis Rex piiſſimus obediri voluerit.

IX. Ut autem ex allatis Apoſtolicis Pii literis, & Gregorii verbis, omnis ambigendi, vel errandi auferatur occaſio; ex eo nimirùm, quòd à Gregorio Caranzæ cauſa à Pio IV. Gaſpari Compoſtellano Archiepiſcopo delegata aſſeratur; in Pii verò literis ad Archiepiſcopum Roſſanenſem, non Compoſtellano, ſed Hiſpalenſi Archiepiſcopo, nè in ejuſdem cauſæ inquiſitione ulteriùs procederet, denunciari præcipiatur: meminiſſe prudens lector debet, demandatum in primis eidem Compoſtellano à Pio IV. munus, uſque ad Kalend. Januarii anni 1565. perſeveraſſe: quapropter, cùm eo non fungeretur, dùm Pius præfatas ad Roſſanenſem literas dedit; non fuit idcircò, quòd ab illo ſe abſtinere ei præciperet.

X. Quod rursùs in allata ſententia Gregorius eumdem Gaſparem, uti jam mortuum, bon. mem. elogio exornet; id paritèr æquè dictum ſcias; nàm Gaſpar idem, quarto non. Februarii, anno 1571. Pio nimirum adhùc in vivis agente, extremum diem objit: ſententiam verò præfatam, utroque, Pio, nimirùm, & Gaſpare, defuncto, Gregorius protulit.

XI. Dum hæc de Toletano Archiepiſcopo acta ſunt, Toletanum Provinciale Concilium abſolutum eſt: ſub Chriſtophoro quippè Rogio de Sandoval, Epiſcopo Cordubenſi, ejuſdem Præſide, anno ſuperiore, ſext. Idus Septembris, cœptum fuerat: die tamen Dominico, idibus Januarii, ſeſſio ejuſdem ſecunda; & octavo Kal. Aprilis præſentis anni tertia, & ultima habita eſt. Inter Epiſcopos, qui ei interfuerunt, inſi-

Digitized by Google

Nicol. Antonii Bibliot. Hiſpan. to. 2.

inſigni elogio, ex Nicolai Antonii Bibliotheca deſumpto, D. Covarubiam, Epiſcopum Segobienſem, Scriptorem præclarum, in maxima ſua collectione Conciliorum Hiſpaniæ, claræ mem. Joſeph Cardinalis de Aguirre celebrat. Sub Gaſpare quoque de Zunica, & Avellaneda, quem paulò ante memoravimus, Archiepiſcopo Compoſtellano, Salmanticæ Compoſtellanum Concilium, ſext. Idus Septembris, an. 1565. inchoatum; ſeſſionem ſecundam octavo Kalend. Aprilis, & tertiam quart. Kalend. Maji hujus anni tantummodò habuit. Ipſius autem confirmatio, à Pio facta, ad annum 1569. pertinet. Concilium item Valentinum, quod Martinus Ayala, Archiepiſcopus Valentinus, tert. Id. Novembris præteriti anni cœperat, ſeſſionem quartam, undecimo Kalend. Februarii, & quintam ſexto Kal. Martii hujus anni celebravit; & ſequenti à Pio confirmationem obtinuit. Poſt Provincialem hanc Synodum, Diœceſanam alteram coegiſſe eumdem Archiepiſcopum Martinum, aſſerit præfatus de Aguirre, qui ejuſdem etiam acta refert, & poſt caput vigeſimum ſextum actionis primæ, quæ quinta die menſis Maji præſentis anni celebrata eſt, eidem actioni ſubinſerta hæc verba ponit. (*Dum hæc agerentur, Synodoque collecta, iis ſtatuendis, quæ Eccleſiæ noſtræ utilia eſſent, intenti eſſemus, literæ à Sanctiſſimo Domino noſtro Pio V. nobis datæ ſunt: quas, tanta animi alacritate perlegimus, quantam admirabilis in Deum tanti Pontificis pietas, & ſingularis erga nos benevolentia, & humanitas excitare in nobis debuerunt; ut verè ad ea proſequenda, quæ inceperamus, & ad alia etiam majora, in Eccleſiæ noſtræ utilitatem, planè confirmati. Utinam Deus Optimus Max., qui talem Chriſtianæ Reipublicæ indulſit Pontificem, illum nobis diutiſſimè ſervet, faxitque, ut tàm felici Pontificatus initio optimus, & ab omnibus deſideratus finis, quod futurum certò confidimus, reſpondeat. Nè verò ipſæ Summi Pontificis literæ apud nos ſuppreſſæ lateant, eas typis excudendas curavimus, ut ex communi bono communis etiam lætitia poſſet ad omnes pervenire. &c.*) Deinde adduntur Pii Epiſtolæ, ſub die prima Februarii hujus anni; quæ, quoniam ejuſdem exempli ſunt, ac illæ ad Palentinum Epiſco-

Aquir. Concil. Hiſpan. Synod. Diœceſ. Valent. pag. 128.

pum ſcriptæ, quas paulò ante retulimus, ideò hic denuò minimè ponendas cenſuimus. Septimo autem Id. Maji, ſecunda Diœceſanæ hujus Synodi actio peracta fuit, eique finis impoſitus.

XII. Nec putandum, per celebres duntaxàt has Hiſpaniarum Eccleſias celebrandis Synodis, hoc tempore, incubuiſſe; nàm cœteræ quoque, & in Catholici Regis ditione, & Luſitania tota, vel à præterito anno id curaverant, vel tunc cœptis, præſenti finem impoſuerunt, vel quæ nondùm cœperant, cogere moliebantur; adeò ardenti ſtudio iis, quæ Religionis erant, ferventiſſimi illi Epiſcopi ſtuduerunt. Has intèr, præfatus Cardinalis de Aquirre Concilium Granatenſe Provinciale recenſet, Petro Guerrero Archiepiſcopo Præſide. Concilium Bracarenſe, à Luſitaniæ Epiſcopis celebratum. In eadem Luſitania, ſub D. Jo: de Melo, Archiepiſcopo Eborenſe, Cæſarauguſtanum, cui D. Alphonſus de Aragon Archiepiſcopus, & Ferdinandi Catholici Regis Nepos præfuit: adeò ut hæc ad Pium delata, immenſa propemodùm lætitia ſuffundere debuiſſe videantur; dùm ſponte ab ipſis Hiſpaniarum Luſitaniæque Præſulibus exhibitum habuit, quod nec monitis, nec minis, à cœterarum gentium Paſtoribus, ſe obtinere poſſe comperit.

In Collect. Max. Concil. Hiſp. to. 4

XIII. At contrà accidit, fuitque in hoc ipſo, quo riſus dolore miſcetur, ingentemque meritò eidem ſollicitudinem ingereret. Ea ſiquidem eſt humanæ infirmitatis conditio, ut ſæpè de medicamento venenum faciat, & ut qui benè currere cœpit, deindè faſcinationi ſubjaceat, ac ei, cui debet, obedientiam abjiciat. Ex quorumdam namque relatione didicit ipſe, in Provincialibus hujuſmodi Synodis multa haberi, quibus Eccleſiaſtica libertas, Sanctæ Apoſtolicæ Sedis dignitas, & ipſiuſmet Sac. Tridentini Concilii decreta (ex cujus tamen decreto Provincialia eadem Concilia coacta erant) poſthaberentur. Hoc, igitur, nuncio conſternatus Pius, ſtatim malo occurrendum duxit, monendoſque officii ſui Præſules, nè quovis prætextu, à recta, tritaque ſemita abripi ſe paterentur. En Epiſtola ad eum, quem memoravimus, Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum, ejuſque Suffraganeos ſcripta, ex qua etiam, non anno ſuperiori, ut Cardinalis Aghirre puta-

putavit, ſed præſenti, hoc præfatum Cæſarauguſtanum Provinciale Concilium, vel cogendum, vel fuiſſe coactum, patet.

[Ven Fratribus, Archiepiſcopo Cæſauraugustano, & Suffraganeis ejus, in Provinciali Synodo congregatis, vel congregandis.

PIUS PAPA V.

Ven. Fratres &c.

Ex Archiv. Vatic.

CUm laborioſiſſimum Apoſtolatus officium, noſtræ quidem infirmitatis Nobis conſcii, ſed divinæ voluntati humiliter obedientes, ſuſcepimus; id Nobis ſolatii proponebamus, quòd vos, & reliquos fratres iſtius nationis, in partem ſollicitudinis noſtræ vocatos, ſperabamus veſtra erga Sedem Apoſtolicam devotione, ac fide, & diligenti obſervatione Sacri Concilii Tridentini decretorum, hoc Nobis onus levius effecturos. Hac ſpe impulſi, poſt aſſumptionem noſtram, cùm primùm, per innumerabiles occupationes noſtras, Nobis licuit, vos literis noſtris ſalutantes, ad ipſius Concilii decreta exequenda hortati ſumus; magis, ut quantoperè Deo, & Nobis gratum futurum eſſet officium veſtrum, quàm quòd noſtra hortatione, & monitis vos egere crederemus. Verùm, non ſine maxima admiratione, & animi perturbatione, nuper Nobis relatum fuit, nonnullos adeò officii ſui, & debitæ Sedi Apoſtolicæ, ac Concilio Æcumenico reverentiæ oblitos eſſe, ut decreta tanti Concilii, quorum quidam forſan ipſimet authores, vel certè approbatores fuerunt, quæque Apoſtolica authoritate eſſe non ignorant confirmata, & ab omnibus juſſa ſervari; quibuſdam in rebus reſtringere, in aliis ampliare, & contra ſanctionem felic. record. Pii IV. prædeceſſoris noſtri temerè interpretari minimè vereantur: quod denique eorum, & quatenùs obſervandum, & exequendum ſit; quod, & quatenùs omittendum, ac negligendum, indicare, præſcribere, & ſententiis ſuis decernere audeant, multaque ab iiſdem tentari, contra hujus Sanctæ Sedis authoritatem, & contra Jura Eccleſiaſticæ libertatis. Quæ, ſi vera ſunt, (id quod tamèn non facilè credere poſſumus.) dolemus admodùm, ſpem illos noſtram fefelliſſe, nec ſatis eorum poſſumus arrogantiam admirari, qui violare non dubitent Eccleſiaſticam libertatem, Sacroſanctæ Synodi authoritatem minuere, & hujus Sedis jus, ac dignitatem lædere; pro quibus rebus, ſi opus eſſet, acerrimè certare, & ſanguinem, ac vitam ipſam effundere deberent. An non vident, quantoperè Deum offendant, quantum ſcandalum infirmis præbeant; quanta labe chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Catholici exiſtimationem, & nomen glorioſum maculent, atque polluant? Quamobrem Nos Apoſtolatus noſtri officio deeſſe nolentes, ex parte Omnipotentis Dei monemus omnes illos, ſi qui talia auſi ſunt, vel (quod abſit) audebunt, ut à tali mente, ac tàm nefanda temeritate deſiſtant, reſipiſcantque, & ad cor redeant: quòd ſi, ſpretis monitis noſtris, atque hujus Sedis authoritate contempta, quidquam decernere, aut ſuadere auſi fuerint, quo Sacroſanctæ Synodi Tridentinæ decreta commutent, negligantvè, aut temerè interpretentur, & non, ſi quid limitandum, ampliandum aut intrepretandum viſum fuerit, ipſam Sedem conſuluerint, quæ ſibi talem, ut diximus, interpretationem, & poteſtatem reſervavit; vel, ſi contra libertatem Eccleſiaſticam quicquam ſtatuerint; indignationem Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtram ſe noverint incurſuros; & nihilominùs ex nunc, ſi quæ attentata, vel acta fuerint, ut præfertur, contra Eccleſiaſticam libertatem, vel Decreta Concilii Tridentini, vel authoritatem hujus Sanctæ Sedis; ea omnia, & alia quæcumque, in veſtra Synodo ſancita, decretata jam fuerunt, ſancienturvè, ac decernentur; irrita, & inania decernimus, ac declaramus. Nè quis vero illa excuſatione uti poſſit, quòd harum literarum notitiam non habuerit, tibi, Frater Archiepiſcope, in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ac mandamus, ut eas coràm tota Synodo congregata, aut congreganda, alta, & intelligibili voce recitari facias. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum. Die XII. Maji 1566. Pontif. noſtr. ann. primo.)

Poſt Epiſtolam hanc, in Vaticano XIV.
Regeſto ſtatim hæc ſubjuncta leguntur: (*Eodem exemplo ſcriptum fuit Archiepiſcopis, Tarraconenſi, Compoſtellanenſi, Hiſpalenſi, Valentino, Granatenſi,*

tenſi, & eorum Suffraganeis. Item Aurienſi, Caurienſi. Tudenſi, Aſturicenſi, Mindonienſi Epiſcopis, licet eorum Metropolitani ſint in Regno Portugalliæ. Item ad Synodum Toletanam, cui præſidebat Epiſcopus Cordubenſis.)

XV. Ambigi non poteſt, hac Pii ſolertia effectum eſſe, ut Hiſpaniarum, Luſitaniæque Epiſcopi, (ſi qui fuerunt,) qui aliquid minùs æquum, ſeù potiùs incautum commolirentur; ab eo pedem retraherent, cautumque fuiſſe, nè quis illud vel in medium proferre auderet; cùm rei hujus minimè dubia habeamus earumdem Provincialium Synodorum teſtimonia, in quarum Actis nil propemodùm reperire eſt, quo, vel Sedis Apoſtolicæ dignitas, vel Eccleſiaſtica libertas, vel demùm Sacri Concilii Tridentini decreta, læſa ritè valeant æſtimari. Imò alacritas ea, ac nunquàm ſatis laudanda demiſſio, ac reverentia, qua, ut innuimus, inferiùſque dicendum erit, earumdem Provincialium Synodorum ſtatuta, Sanctæ Apoſtolicæ Sedis magiſterio nobiliſſimi illi Epiſcopi ſubjecerunt, perſpicuè docet; eos, [*ſicubi* (ut dicit Ambroſius) *ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum reſurrexiſſe, pudoris ſtimulo majora reparantes certamina, ut non ſolùm nullum attuliſſe æſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe.*)

Apolog. David. c. cap. 1.

XVI. Rei hujus, inter alios, locupletiſſimum inſupèr teſtem habemus, quem paulò antè memoravimus, Martinum de Ayala, Valentinum Archiepiſcopum. (cujus præclarum elogium ex Biblioth. Hiſpana V.D. Nicolai Antonii, tom. 2. pag. 87. in Collect. max. Concil. Hiſpan. tom. 4. pag. 90. Cardinalis Aghirre rurſùs edidit.) Qui nimirùm, poſt abſolutas, hoc anno, & Provincialem, & inſupèr Diœceſanam, Synodos, pro Eccleſiaſtica libertate, aliiſque, memorandas ad Pium binas Epiſtolas dedit, quarum priorem nanciſci non potuimus, alteram ex proprio Originali hic ritè inſerendam cenſuimus.

(Sanctiſſimo Domino Noſtro,

PIO QUINTO.

Pontifici Maximo,

Martinus Ayala, Archiepiſcopus Valentinus, poſt humillima pedum oſcula.

S. P. D.

Ex Archiv. Card. Alex.

QUemadmodùm ſuperioribus diebus, Pater Beatiſſime, ad T. Sanctitatem detuli quinque capita earum rerum, quæ corrigenda videntur in hac Diœceſi Valentina: ita nunc, cùm opprimi apud nos videam libertatem Eccleſiaſticam, nec id quidem clàm, ſed per ſummam vim, ac furorem: illicò T. Sanctitatis opem mihi cenſui implorandam. Nàm, cùm, hiſce menſibus ſuperioribus, quædam Beneficia Eccleſiaſtica, ſervata Juris æquitate, & Sedis Apoſtolicæ authoritate, quibuſdam domeſticis, familiaribuſque meis contuliſſem, quorum quidem probitatem ex aſſidua conſuetudine perſpectam habebam: cùmque jam ea Beneficia, per aliquot menſes, ſumma pace poſſediſſent; repentè excitatus eſt in eos quidam tumultus à Statibus [quos vocant] hujus Civitatis Valentiæ, cui præſum. Sunt autem hi Status, Ordines quidam civium, qui in certas claſſes diſtributi, per ſuos Tribunos, ſeù Procuratores, Rempublicam, unà cum Miniſtris Regiis gubernant. Hi itaque nuper ſtatutum quoddam, ſeù, ut vocant, forum antiquum, produxerunt, quo caveretur, neminem ad Beneficia ejus Regni Valentini admitti, qui non eſſet in hoc ipſo Regno natus: quod quidem Regni ſtatutum, præterquamquòd, & iniquum eſt, & in libertatem Eccleſiaſticam contumelioſum, adeò non eſt hactenùs uſu, executioneque confirmatum, ut, & à Prædeceſſoribus meis, & à me liberè ſint hactenùs Beneficia, in quoslibet Hiſpanos collata. Sed nè ipſos quidem cives Valentinos ſervari id ſtatutum voluiſſe, argumento illud eſt, quòd ii ipſi, qui nunc magis cauſam urgent, cùm multorum Beneficiorum ſint patroni, hactenùs promiſcuè omnis generis homines, etiam extra Hiſpaniam natos, apud Prælatos, qui me præceſſerunt, & apud

me

me etiam ipſum, ad ea Beneficia obtinenda præſentarunt: quales apud nos Beneficiatos, plures, quàm ſexaginta nominare poſſem: quodque graviùs mihi in hac cauſa ferendum videtur, illud eſt quòd hi cives Valentini, non modò hos Præsbyteros, familiares meos, in quos Beneficia contuleram, perceptione fructuum prohibuerunt, ſed omnem, ad ſe defendendum, viam, quæ illis jure naturæ debetur, per vim, & quaſi eruptione facta, intercluſerunt: nàm eos Juriſperitos, & Procuratores, qui illorum patrocinium ſuſceperant, officiis omnibus Reipublicæ privatos, honorumque ſequeſtro vexatos, infames eſſe, & inhabiles ad Rempublicam impoſterùm gubernandam, Edicto publicè declararunt. Hæc quidem tàm apertè in libertatem Eccleſiaſticam commiſſa ſunt, tantuque cum vi, & injuria geſta, ut non dubitem, illos ea cenſura anatematis obſtrictos, quæ in Bulla felic. recordat. Julii III. continetur. Sed eos tamèn, violatæ libertatis Eccleſiaſticæ reos, & anathemati ſubjectos, nondùm auſus ſum publicè declarare, tùm quòd non ſum ſatis certus, an poſt mortem Sanctiſſimi Julii Pontificis ſit aliquid novi de ea re ſtatutum: tùm etiam, quòd ſim veritus, nè illi, qua audacia, & impetu cœperunt, nos planè obruerent. Cætera autem, pro mea quidem virili præſtare ſtudeo, & libertatem Eccleſiaſticam, tàm Sedis Apoſtolicæ, quàm hujus meæ dignitatis, contra illorum vim defendere. Tuum eſt, Pater Beatiſſime, horum inopum injuriam propulſare, vel motu aliquo proprio edito, vel declaratoriis, aut citatoriis literis, adversùs hos oppreſſores miſſis. Niſi enim nunc primùm hic impetus ab iſtius Sedis potentia, & authoritate audactèr compeſcatur; periculum eſt, nè ille mox, non modò in Prælatorum hujus Eccleſiæ damna, ſed in Apoſtolicæ etiam libertatis injuriam evadat. Deus Sanctitatem Tuam, ad Eccleſiæ ſuæ præſidium diù ſervet incolumem. Seguræ XII. Kal. Julii 1566.

Sanctitatis Tue.

Filius Obſequentiſſimus

M. Archiepiſcopus Valentinus)

XVII. At licèt his literis commonitum, in libertate Eccleſiaſtica aſſerenda, muneri ſuo defuiſſe Pium, vel ſuſpicari nefas videatur; tamen ob paulò poſt ſubſequutam, nimirum nonis Auguſti hujuſmet anni (ut ex paulò ante memorato elogio apparet) optimi Archiepiſcopi Martini mortem, interrupta de hac re conſilia jure cenſemus. Quapropter, nemine deinceps de injuria, quo oportuit zelo, expoſtulante, perditiſſima, ac iniqua illa contra Eccleſiaſticam libertatem audacia, aut prævaluit, aut debitas pœnas non dedit; & quod deterius eſt, perniciei ſuæ peſſimo exemplo in dies magis invaleſcente, contra fas omne, & Jus, adeò Catholici Orbis ditiones quoque alias infecit, ut luctuoſo hoc noſtro tempore, quoad Sacerdotiorum diſtributionem, jam non illud Apoſtoli de Eccleſia pronunciari poſſe videatur: (*Ubi non eſt Gentilis, & Judæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scita, ſervus, & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.*) Coloſſenſ. 3. v. 11. Nàm ſæcularium poteſtatum avaritia, & tyrannis, inter Gentilem, ac Judæum, circumciſum, & præputium, Barbarum, & Scitam, liberum, ac ſervum; & ut rem propriùs attingam, inter Gallos, & Hiſpanos, Germanos, & Italos; imò uniuſmet Provinciæ, & nationis accolas, res ita decrevit, ut jam ex aqua, & Spiritu Sancto renatum fuiſſe, nihil omninò proſit, ſi in hac vel illa terræ parte ortum eſſe non profuerit. Adeoùt, non modò omnia, ſicut ab initio, non ſint communia; ſed è contra, ſublatum filiis, datumque canibus, quodcumque optimis viris jure tradendum eſſet, æſtimetur. Hæreditate ſiquidem, profanæ poteſtates ſibi poſſidendum Sanctuarium Domini cenſent; & ſicuti temporalia adminiſtrant, & utinàm rectè; ſic etiam ſuper ſpiritualia, non quidem à Domino, ſed ſeſe ipſos ipſi conſtituunt; noviſque, neſcio quibus, eruditionibus, ac juribus excogitatis, circumſcribere fidelis ſervi, & prudentis, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis eſcam in tempore, auctoritatem, ac jura; plectenda temeritate præſumunt.

XVIII. Neque in hoc tantùm, unà cum Regiis adminiſtris (inſcio certè, ut pium eſt credere, optimo Rege) laici in Hiſpania, Eccleſiaſtica, ac ſpiritualia impetere auſi ſunt, ſed in cœteris quoque; itaùt unum ipſi cenſendi eſſent impedimentum, ob quod abſolutiſſimè ſacroſancti Concilii decreta, ut Pontifex imperabat, ac vehementer Rex idem exoptabat, executioni non mandaren-

darentur. Luculentiſsimus rei hujus teſtis exiſtit, quæ ſequitur Epiſtola, à Pampilonenſi Epiſcopo ad ipſum Pium data, quamvè ex proprio originali tranſcriptam hic duximus exhibere.

(Beatiſsime Pater.

Ex Archiv. Card. Alexand.

CUm cognoviſſem, Apoſtolicam Sedem, ſuo Præſide, hoc eſt Vicario
B *Jeſu Chriſti deſtitutam, (naturæ namque debitum jam perſolverat felic. record. Pius IV. pro cujus anima ſacrificium, ut par erat coram Altiſſimo obtulimus, ut qui fidelis ſervus in miniſterio talenci ſibi commiſſi in terris fuerat, cæleſte quoque præmium conſequeretur.) mox in hac Eccleſia Cathedrali, ac per totam meam Diœceſim ſupplicationes, & preces fieri curavimus, quò à Deo bonorum omnium largitore, talem ſuæ Eccleſiæ Paſtorem, qualem tempora*
C *hæc calamicoſa exigunt, (noſtris haudquaquàm culpis intendens) pro ſua in nos miſericordia, largiri dignaretur; Deo noſtras Oraciones exaudiendo, B. V. Paſtorem Eccleſiæ ſuæ Catholicæ, ac Jeſu Chriſti Vicarium nobis præſtitit. Tanti beneficii accepti nè ingrati eſſemus, in gratiarum actiones voces noſtras convertimus; fieri namque non poteſt, quin, hoc duce, membra Eccleſiæ (cujus Domini benignitace Sanctitas Veſtra caput eſt) munus ſuum exequantur. In*
D *Domino confido, cùm initio tui ſancti officii, tot tantaque icà ſanctè, ac ſalubritèr proſpexeris, Divinam Clementiam (qua adiutrice præes) vires, & gratiam B. T. daturam, ut ab Eccleſia ſua abuſus, cunctæque maculæ, & repurgentur, & tollantur; ita ut apud ipſam dicere valeat: Ecce Sponſa mea, macula non eſt in te. Sat abundè literæ Apoſtolicæ, ex intimo Sanctitatis Veſtræ pectore ad me emanatæ, quæ muneris Epiſcopalis me admonent, [quamquàm*
E *ſerò ſat ad me pervenerint] quod prediximus præſagiunt. Quòd autem me, pro munere Paſtorali, B. V. exhortata fuerit, ut decreta Sanctæ Synodi Tridentinæ (quæ unicum remedium, ad tot, & tanta Eccleſiæ vulnera ſananda, eſſe literæ Apoſtolicæ pronunciant) ſine mora exequi ſtuderem, lubens feci: quamquàm, ſi Sanctitatis Veſtræ auxilium, atque Sanctæ Sedis Apoſtolicæ non ſuf-*

A *fragetur, ad executionem decretorum S. Synodi me debilem fore cerno. Non ſine cauſa dictum hoc putet, B. V. nàm ſuper decretis de Viſitatione Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, ad petitionem Prioris, & Canonicorum hujus Eccleſiæ, hac occaſione, quòd Cathedralis ſimul, & Regularis ſit, coràm Auditore Gropero calumniam patior. Humilitèr ſupplico S. V. dignetur iſtud intelligere, &; quod facto opus ſit, juxtà Sanctiones Tridentinas, literis ad me miſſis, jubeat;*
B *& ubi hoc abſolutum fuerit, reliqua ſatis pacata fore B. V. non dubitet. Nàm (abſit à verbo invidia) inter Hiſpanicas gentes, aliam fideliorem in Fide Chriſti, atque obedientiorem Sedi Apoſtolicæ hac non puto reperiri, modò huic uni nodo occurſum fuerit. Taceo, quòd ſæculares Judices, hìc Eccleſiaſticam juriſdictionem ſubripere, & impedire præſumunt, quod ingenti dolore animi, refero. Quàm magno impedimenco hæc*
C *ſint, nè cætera (quantumvis ſanctè ſint definica) obſerventur, literis explicari ſat non poceſt. Diſcentium Seminarium, res ſanè, ut ſancta, ità juſta, (quamquàm redditus harum Eccleſiarum ità tenues ſint, uc vix Miniſtris earumdem ſufficiant.) dabo operam quamprimùm, juxtà formam decreti erigatur; cujus rei Sanctitatem Veſtram certiorem ſuo tempore reddam. Nomina Clericorum hujus Civitatis, & Diœceſis B. V. mitto, quorum Fides, eruditio, morum probitas, ut B. V. exigit, mihi nota ſunt. Tandem*
D *auxilium, quod S. V. ad paſcendum gregem, Dei bonitate mihi commiſſum, pollicetur, hoc iſtud vehementer peto, neque alitèr, quàm juxtà ſanctiones Eccleſiaſticas, hoc mihi præſtitum volo. Faxit Deus Opt. Max. ut diù poſſit B. V. Claves Eccleſiæ incolumis tenere.* Pampil. Kal. Junii ann. 1566.

Sanctitatis Veſtræ pedes, ea, qua decet, humilitate oſculor
E D. Epiſcop. Pampilonenſis.)

Mirandum ſanè eſt, à Didaco XIX.
Ramirez (id ſiquidem fuit Pampilonenſi huic Epiſcopo nomen) alteram hanc, præcipuamque Regni Navarræ partem, adeò in Catholicæ Fidei obſervantia, & Sedis Apoſtolicæ obedientia conſtantem, perſeverantem, ferventemque dici, ut cœteris hiſpanicis

gentibus, in quibus hoc tempore innumera, (ut ita dicamus) & veræ Fidei, & ſanctitatis, præ Catholicis nationibus aliis, effulſiſſe portenta, nemo inficiari poterit, ritè præponi mereretur; in eaque nil fuiſſe, quod recipiendis, exequutionique mandandis Sacri Tridentini Concilii decretis, impedimento eſſe poſſet. Sed multò magis mirandum agnoſcitur, quòd, cùm, hoc ipſo tempore, Navarræ pars altera, huicque contermina, ob eamdem abjectam Catholicam Religionem, & Sedis Apoſtolicæ obedientiam, luctuoſo eo, quem ſupra retulimus, incendio conflagraret, quo non ſpiritualia modò, ſed temporalia quoque Principum abſumebantur: Regios tamen adminiſtros, iis poſthabitis, quibus magis, non dicam in Fide, ſed in Regis quoque obedientia ſubditos firmare poterant; ac firmare, luctuoſo hoc tempore, neceſſe erat, (quod Sacri Tridentini Concilii Decreta, nimirùm executioni mandarentur) unum id pro virili ſua curaſſe viſi ſint, ut Eccleſiaſticam juriſdictionem ſurriperent, & impedirent, quæ & tantum bonum cuſtodire, & tantum viciſsim malum unà avertere poterat, ac propulſare. Cœterùm, cùm Pius eadem Concilii Decreta, ut diximus, neque in Provincialibus Synodis, nec ab alio quovis, pro arbitrio interpretari, diſtrictè, & quidem meritò prohibuiſſet; & nihilominùs experientia doctus, ea ità aperta perſæpè non eſſe cognoſceret, quin aliter, atque alitèr, pro cujuſque ingenio, ſano etiam ſenſu, bonoque animo explicari poſſe intelligeret; ac pro earumdem ſanctionum explicatione fræquenter ab univerſi Orbis Eccleſiis ſe interpellatum videret; nè ipſe muneri ſuo deeſſet, nèc in ſibi creditam meſſem alter quiſvis manum mitteret, nec in exoticos ſenſus, ſancta ea decreta transferret; & tandem parvulis cunctis petentibus ipſe idem panem frangeret; uti jam pridem fecerat Pius IV. ipſe quoque Cardinales quoſdam delegit, apud quos cuncta referri voluit, quæ ad ejuſdem Concilii decreta, vel intelligenda, vel in mores adducenda pertinerent.

1. At Divino prorsùs afflante Numine, (quo futura prævideret) ſtatim ac Apoſtolicæ Sedis culmen aſcendit, hoc videlicet anno, ſummo ſtudio Sebaſtianum, Luſitaniæ Regem, adhuc adoleſcentem, ad nuptias Pius urgere cœpit. Teſtantur hoc ab ipſo ad eumdem Regem ſequentes miſſæ literæ.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Sebaſtiano, Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

PIUS PAPA V.

Chariſſime, &c.

Cum te, ut eximium Filium noſtrum meritò diligamus, in maximis noſtris curis, non ea modò cogitamus, quæ in præſens, ſed illa etiam, quæ impoſterùm, ad honorem tuum, & Regni tui commodum pertinent. Ad eam jam ætatem, Dei benignitate, perveniſti, ut maturum exiſtimemus, cùm ſolus ſis, & tanti Regni ſpes unica, de quærenda tibi conjuge cogitare; ſed in hac cogitatione nulla Nobis conditio occurrit, quæ circumſpicientibus omnia Nobis magis placeat, quàm, ut matrimonium contrahas cum altera de Filiabus chariſſimi in Chriſto Filii, Maximiliani Imperatoris electi, ut quoniam major natu Hiſpaniarum Principi deſtinata putatur, tu minorem, cujus etas cum tua ſatis congruit, ducas. Neque clariori genere ortam ducere potes, neque à Matre, in qua major pietas reluceat, educatam. Tot verò Principes affinitate tibi his nuptiis adjunxeris, ut nemo ferè ſis de majoribus Chriſtiani nominis Principibus, qui non tibi affinis futurus ſit. Itaque optimè à Nobis conſulturus videris Regno, & poteſtati tuæ, ſi eam potiſſimùm duxeris. Nec verò minùs placiturum te generum puellæ Parentibus putamus, quàm tibi Cæſar Socer, & Imperatrix electa ſocerus placere debeant. Quocircà hortamur te, Fili chariſſime, ut ad has potiſſimùm nuptias animum tuum inclines. Nos hanc cogitationem minimè concepiſſemus, niſi te, ut diximus, eximiè amaremus. Plura autem de hac re loquuti fuimus cum dilecto filio, nobili viro, Ferdinando Meneſio, Oratore tuo, quem, & prudentem virum, & Majeſtatis tuæ amantiſſimum, fideliſſimumque Miniſtrum novimus: cui etiam mandavimus, ut

Ex Archiv. Vatic.

ut uberiùs de hac re ſententiam noſtram ad te perſcribat, quo illum officio, pro cætera ſua diligentia, in tuis, & Regni tui negotiis procurandis, functurum eſſe minimè dubitamus. Datum Romæ, apud S. Marcum, die 25. Septembris 1566. Pontific. noſtri anno primo.]

II. Ipſa die ad Reginam quoque Portugalliæ, Catherinam, Sebaſtiani aviam, quæque ipſum educaverat, ſequentes literas dedit Pius, ſperans, eadem interveniente, quaque ipſa apud Regem pollebat authoritate, illum in ſententiam facilè ſuam adducturum.

(Chariſſimæ in Chriſto Filiæ, Catherinæ, Reginæ Portugalliæ.

PIUS PAPA V.

Chariſſima, &c.

Ex Archiv. Vatic.

NOn eſſe alienum officio noſtro putamus, ac potiùs maximè convenire paterno amori, quo SereniſſimumRegem, Nepotum tuum proſequimur, cùm is jam ad puberem ferè ætatem, Dei benignitate, pervenerit, nec fratrem ullum habeat, cogitare jam de alicujus maximi Principis filia, illi uxore deſtinanda; qua de re cogitationem noſtram cum M. T. communicandam duximus. Tua enim hæc potiſſimùm cura eſt, quæ illi Avia es, quæ illum educaſti, & tua optima, piiſſimaque diſciplina inſtituiſti. Noſti autem pro tua prudentia, quanti interſit Nepoti tuo, quanti Nationi iſti, hanc, an illam potiùs uxorem habiturus ſit. Cogitantibus igitur Nobis de hac re, nihil Nobis videri ſolet utilius, nec ipſi, nec Regno ejus, affinitate Sereniſſimi Romani Imperatoris electi. Duæ ſunt ei Filiæ, quarum natu major, nuptura exiſtimatur Hiſpaniarum Principi: minor, ut ei deſponderetur, cujus etiam ætas ætati Regis ſatis apta eſt, Nobis maximè placeret. Majorem dignitate ſocerum is habere non poteſt, quàm Cæſarem; nec Socrum majori pietate, Religione, probitate præditam, quàm Imperatricem electam. Tali Matre genita, & tali cura educata, quis dubitare poſſit, quin cùm cæteris virtutibus, tùm in primis pietate Matris ſimillima evaſura ſit filia? Hæc ergo illa dote, qua nulla, his quidem temporibus, potior videri debet, maximè commendatur. Tot verò Principes, Rex, Nepos tuus, affines his nuptiis ſibi adiunxerit; quot ferè habet Principes (loquimur de Majoribus) Chriſtiana Reſpublica. Quocircà M.T. hortamur, ut de hac re cogitet, & ad hanc potiſſimùm affinitatem animum ſuum applicet. Hanc Nos cogitationem noſtram cum Oratore Regis communicavimus, ſcientes, cum tàm prudenti viro, tàmque fideli Regis ſui Miniſtro nihil non liberè communicare Nos poſſe, à quo etiam petiimus, ut pluribus de hac re ad M. T. ſcribat.] Datum Romæ, apud Sanctum Marcum. Die 25, Septembris 1566. Pontific. noſtri anno primo.)

At obfirmato adeò animo, à ducendæ uxoris conſilio, ſe Sebaſtianus abalienaverat, ut, vel à reverentia aviæ, vel à Pii monitis, ab abrepto ſemel propoſito nullatenùs ſe divelli paſſus ſit; ea, & ſui ipſius, & totius Luſitaniæ pernicie, quam, quæ ſunt ſubſecuta manifeſtè monſtrarunt: quæ ſanè, ac ſi præſentia, & ob oculos Pontifex haberet, ſui muneris, acerba ea incommoda avertere, eſſe cenſens, opportunè, & importunè incautum Juvenem ad nuptias compellere nunquàm deſtitit, ut per ſingulos ferè annos, ab eo ſcriptæ Epiſtolæ, aliaque, quæ geſſit, patenter oſtendent. III.

Apoſtolica verò ſollicitudine toto orbe diffuſas Eccleſias complectens Pius; ubi illas Indiarum, tàm Occidentales, quàm Orientales, de conſcenſo à ſe Apoſtolico throno certiores reddidit; cum eo ſimul nuncio, ad ipſas, Sacri Tridentini Concilii decreta, quibus, ad res Fidei, morumque componendas, uterentur, unà cum his literis miſit. I.

[Ven. Fratri Archiepiſcopo Sancti Dominici, in partibus Indiarum Maris Oceani.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater, &c.

Ex Archiv. Vatic.

PLacuit Omnipotenti Deo, qui infirma mundi eligere ſolet, ut fortia quæque confundat, fel. record. Pio Papæ IV. nuper mortuo, ad univerſalis Eccleſiæ regimen Nos vocare; quod onus, propter immenſam ejus magnitudinem, & virium noſtrarum infirmitatem, non ſine timore, ac tremore, Dei miſericordia freti, ſuſcepimus. Ad id verò faciliùs ferendum, & ad curæ, & ſollicitudinis officium, fideliter, ſicuti cupimus, implendum, neceſſarium Nobis eſt tuum, & cæterorum Fratrum, qui in ſollicitudinis noſtræ partem vocati eſtis, auxilium, & adiumentum. Proindè Fraternitatem tuam ſalutantes, hortamur, & fraterna charitate monemus, ut memor officii tui, & mercedis à ſummo illo, æternoque Paſtore propoſitæ, gregem tuæ fidei commiſſum, cùm ſalutaris doctrinæ pabulo, tùm vitæ, ac morum laudabilium exemplo, paſcas, atque intenſiſſimè, qua potes, cura, cuſtodias; eumque augere, & multiplicare coneris, quamplurimas poteris, oves, per te, ac per fideles operarios, & miniſtros ad ovile Dominicum adducendo, & aggregando. Si quid autem ad rem, quæ ad ipſarum ovium ſalutem pertineat, opus tibi auxilio Sedis Apoſtolicæ fuerit, id fidelitèr requirere debebis. Tuæ verò partes fuerint, de Eccleſiæ tuæ ſtatu, & de iis, quæ in iſtis partibus aguntur, [quod quidem ad Fidem, & Religionem attinet] curare, ut ad hanc Sedem, omnium fidelium Matrem, ac Magiſtram certi nuncii perferantur, ut & te in debita erga ſe devotione, & fide manere cognoſcat, & ex optatis Eccleſiæ tuæ incrementis gaudeat; ac, ſi cui rei providendum fuerit, authoritate ſua poſſit providere. Miſimus autem ad te, unà cum his literis, volumen authenticum decretorum Sacri Concilii Tridentini, quod nupèr, ſub eodem Prædeceſſore noſtro, Deo juvante, feliciter peractum fuit, quod abs te, & cæteris Fratribus ſuſcipiendum erit, devotè, & fidelitèr obſervandum. Omnipotens Deus te, Fratrem orantem pro Nobis, & felici ſtatu S.R.E. incolumem cuſtodiat, & tibi, & Clero, & populo tuo gratiam, & miſericordiam ſuam augeat. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die 3. Februarii 1566. Pontific. noſtri anno primo]

II. In Vaticano Regeſto, ſtatim poſt Epiſtolam hanc, eodem exemplo ſcriptum fuiſſe legitur Suffraganeis quoque Archiepiſcopi Sancti Dominici, Epiſcopo Sanctæ Marthæ, ſeù Sanctæ Fidei, Epiſcopo Carthaginenſi, Epiſcopo Sancti Jacobi de Cuba, Epiſcopo de Venezuola, Epiſcopo Portus divitis, Epiſcopo de Anteguera in partibus Indiarum, in novo Regno Granatenſi. Suffraganeis etiam Archiepiſcopi Civitatis Regum, nempè Epiſcopo de Chile, Epiſcopo de Panama, Epiſcopo del Cuſco, Epiſcopo de Popayan, Epiſcopo delas Chiareas, Epiſcopo del Quinto. Suffraganeis Epiſcopi Mexicani, Epiſcopo de Guatimala, Epiſcopo de Chiappa Uvacan, & Cuzumelen. Epiſcopo de Compoſtella, Epiſcopo de Hunduras, Epiſcopo de Mecuacam, Epiſcopo veræ pacis, Epiſcopo de Texcalla, Epiſcopo de Nicaragna, Epiſcopo de Guazaca, &c.

III. Scriptum quoque dicitur ad Archiepiſcopum Goanum in Indiæ Orientalis partibus, in quibus, ut Natalis Comes, ab Iſſelt, & alii referunt, [licèt id à Bulengerio in ſequentem annum rejiciatur] hoc ipſo tempore, in ea regione, quæ Japonia vocatur, Sacerdotum Societatis Jeſu opera, eorum numero ſucceſcente, qui ab inanium Idolorum cultu abſtracti, ad Chriſti Religionem confluebant, quamvis vario marte inter Chriſtianos, ac Idololatras res acta ſit; Religio tamèn ac Fides incrementi multum accepiſſe viſa eſt. Ad rem, ex ſententia perficiendam, uberemque fructum ex nova illa plantatione colligendum, multùm contulerat Humirandæ pietas, ac zelus. Erat is Azimæ Regis (ut Mombrinus Roſeus refert) germanus frater, per adoptionem à Rege altero, ante aliquot annos Rex creatus, Juvenis pulcher aſpectu, atque elegantiſſimæ formæ, qui, non minùs corporis, quàm animi dotibus inſtructus, jam pridem, donante Deo, veritatis lumen admiſerat, & ejuſdem Socie-

Societatis Patribus adnitentibus, cùm
alios plures, tùm maximè procerum
ſuorum præcipuos, Chriſti doctrinam
doceri feciſſet, cum iiſdem tandem ſa-
cro fonte expiatus, Bartholomæi nomen
acceperat.

IV. Cùm primùm igitur nova, Reli-
gione, novum nomen, novumque ſimul
hominem Bartholomæus induit, muta-
tis, abjectiſque veteris ſuperſtitionis
ritibus, Sathanæ, miniſtrorumque ejus
in ſe experiri furorem novus Chriſti
miles coactus fuit. Regi autem, qui
Bartholomæum per adoptionem in Fi-
lium receptum, ut diximus, Regem di-
xerat, filius alter ſpurius, Gotundonus
nomine fuerat: vir, ex viliſſimo licèt
mancipio natus, tamen ſpiritu ambitio-
ſus, qui duriſſimè, ſe abjecto, Patrem
in Bartholomæum Regni jura transtu-
liſſe tulerat, ipſumque idcircò hoc no-
mine implacabilitèr oderat: ideoque
ex eo, quòd veteri religionis cultu ab-
dicato, Chriſti Fidei adhæſiſſe eumdem
Bartholomæum vidit, optimam ſibi
oblatam opportunitatem credidit, il-
lum perdendi, quo ſe in paterni Regni
hæreditatem reciperet.

V. Gotundoni ambitioni, iræ, ac fu-
rores Bonzorum, (ſic ſiquidem Sacer-
dotes ſuperſtitioſæ illius gentis dice-
bantur) fomitem miniſtrarunt; ſtatim
enim ac Bartholomæus Baptiſmum ſu-
ſceperat, ad integrum Regnum ſuum
ab Idololatriæ ſordibus purgandum,
animum adjiciens, Idola ſubſtulerat,
ſacrificia aboleverat, verumque Dei
cultum in omnes Urbes invexerat;
& id quidem, quoniam, abſque ingenti
Bonzorum jactura, qui, ex pietatis ea
ſpecie immenſos facere quæſtus con-
ſueverant, perfici minimè potuit; in
Bartholomæum idcircò, ac veram Fi-
dem, ipſorum odium incendit.

VI. Illud verò, præ cœteris, eorum
animos in Regem exacerbaſſe, ſimul-
que Gutundoni rebellioni fomitem
miniſtraſſe cognoſcitur, quod à Natali
Comite narratur: (*Nàm, cùm Bonzi
conſueviſſent*, (inquit) *per quoſdam
exequiarum certos dies, quotannis, opi-
parum victum, & incrementum proven-
tuum accipere, à Principibus regionum;
Bartholomæus, quia cognoviſſet, id nihil
conferre illis, qui in cultu Idolorum ſine
baptiſmate deceſſiſſent; omnibus ſum-
ptibus illis parcendum eſſe ſtatuit, atque
ad ſex millia pauperum Chriſtianorum,*
A *pro Bonzis, ad epulas funebres convoca-
vit, Bonzibus omnibus excluſis. Atque
eùm ad Umbram, Urbem Regiam acceſ-
ſiſſet, pro ſacrificiis, quæ fiebant nuper
defuncti Regis ſtatuæ, illam è templo
convelli, & comminui jubet, atque ſuc-
cendi. Idem incendium excitatum,
actumque eſt multorum aliorum Idolo-
rum ejuſdem Urbis, & ubique in uni-
verſo Regno, quæ omnia prorsùs ſuc-
cenſa, ſunt everſa. Sed quoniàm reli-
quus erat Gotundonus filius ſpurius de-*
B *functi Regis, pro quo in Regnum Bar-
tholomæus per adoptionem ſucceſſerat,
iſque ægrè ferebat ſe fuiſſe Regno ita
privatum; viſa eſt opportunitas Bonzis
Sacerdotibus, non negligenda, eum in
Regem excitandi. &c.*) Sic ille.

Bonzorum igitur furore actus, ac VII.
ſuaſionibus illectus, Regni ei facta ſpe,
cùm aliquot Urbes, in Regiis Comitiis
ſibi conceſſas, Gotundonus poſſideret,
cum Principibus quibuſdam earum fini-
timis Idololatris fœdus injit, illorum-
C que ſuffultus auxiliis, Bartholomæi Re-
gnum invadere, ſibique ſubjicere cœ-
pit. Feribo Duce, ſummæ authoritatis
viro, nonnullis Chriſtianis occiſis, Ar-
rimæ conjuratio primùm erupit, haud
procul ab Icoxiura, deinde Rex impu-
gnatur, ac propè in fugam vertitur;
auctâque idcircò conjuratorum auda-
ciâ, Regia ſimul domus, ac Urbs incen-
dio crematur, dùm cum Urbis Præfe-
cto, & Fratre in munitionem Urbi vici-
nam ſe Rex recepiſſet. Intereà amici
D illum hortari, ac commonefacere mini-
mè deſiſtunt, ut nupèr aſſumptam
Chriſtianam Fidem abjiciat, & ad pri-
ſtinum Idolorum cultum revertatur;
hac una ratione inimicorum facilè im-
petus cohiberi, & in Regni pacificam
poſſeſſionem regredi poſſe oſtendentes.
Sed fruſtrà Regis propoſitum tentatum
eſt, qui temporale Cœleſti Regno poſt-
ponendum agnoverat; nec temporale
etiam ſubſidium ſibi defuturum, qui
pro Fide ſtrenuè decertaſſet, ſperave-
E rat; & quidem evenit: nàm Deus affli-
cti Regis miſeratus ærumnis, opem tu-
lit, verſoque fortunæ ſtatu, Rex ipſe
ſuperior factus, omnia penè, quæ adem-
pta erant recuperavit; Gotundonus ab
Arrimæ Regis fratris viribus obſeſſus:
Feribi Caſtella omnia concremata, ac
devaſtata; ac Divina tandem ope Rex,
ac fideles ſuperiores viribus evaſerunt.
Alia, quæ in Orientalibus ſimul, ac
Occi-

Digitized by Google

Occidentalibus Indiis hoc anno acciderunt, fusè habes, ex Sacchino, & aliis.

L Pro hujus tandem anni coronide, ut pluriès innuimus, abſolutiſſimus ille Romanus Catechiſmus, Pio mandante, prodiit, qui Prædeceſſoris Pontificis juſſu, adnitente præcipuè Carolo Cardinali Boromæo, à ſelectiſſimis doctrina, & pietate viris diù elaboratus, in totius Chriſtianæ gentis ſummum beneficium, atque utilitatem in lucem editus, quæ paritèr facienda ſunt, vel credenda ampliſſimè docens, tutò iter ſignat, quò quiſque fidelium in veræ

A viæ, æternæque vitæ pacem pedes dirigat. Traditum quoque fuiſſe hoc anno à Pontifice Societatis Jeſu alumnis, ut illud in varias, diverſaſque linguas verterent, ſcribit Sacchinus; facilèque ſuadet, vel cujuſvis generis linguarum, eorumdem Patrum, qua pollebant peritia, vel Pontificis zelus, qui pretioſum talentum, non in unius linguæ terra propemodùm abſcondi paſſus eſt, ſed B in communem totius Orbis uſum, & tunc quidem multis erroribus, ac criminibus oppreſſum, nummulariis potiùs cunctis tradi voluit, qui copioſum inde lucrum referrent.

ANNA-

ANNALES
ECCLESIASTICI.

JESU CHRISTI PII V. PAP. MAXIMILIANI II. IMP.
1567. 2. 3.

I. ANno, ab Orbe Redempto, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione decima, felicitèr ſuſceptam Paſtoralis regiminis
ſollicitudinem proſequitur Pius; &
Epiſcopos, ac Parochos, in primis, apud
ſuum gregem reſidere, juxtà legem ab
eo, anno præterito latam, urgere non
deſiſtit, ut ex eorum deinde vigilantia, & exemplo, tùm Clericorum cœteri, tùm plebs eis tradita proprios componere mores ediſcerent. Idcircò, cùm
Cardinalium nonnulli, qui Epiſcopali
etiam munere fungebantur, proxima
hujus anni Quadrageſima, vicinas ſuas
Eccleſias adire, in eiſque reſidere decreviſſent, pium eorum propoſitum
maxima Pontificem lætitia affecit, illudque ipſe ſummis laudibus extulit;
è contrà verò, non ſine ſtomacho, ſe
intellexiſſe dixit, aliquos Epiſcopos
adhùc contra ſuum mandatum in Urbe
latitare, nec ad propria repedaſſe.
Illis proindè interminatus eſt, niſi, &
quidem è veſtigio, diſcederent, non
illos modò impoſterùm fructuum, ſed
etiam Epiſcopatuum amiſſione mulctaturum: quibus Epiſcopi illi perterriti
minis, tandèm è ſuis prodire latebris,
in viamque ſe dare compulſi ſunt.

II. Uti verò ipſe Epiſcopos, ſic Epiſcopos, (ut innuimus,) Parochos ſibi
ſubjectos ad reſidentiam compellere
voluit. Ad hoc verò, ut qui reſidere

A tenebantur, Dominico gregi utiliter
præficerentur, hoc anno eam Conſtitutionem edidit, in qua qualemcumque
Parochialium Eccleſiarum collationem
damnavit, quæ, non ſervata Concilii
Tridentini forma, vel hactenùs facta
fuiſſet, vel de cœtero fieri contigiſſet.
Ejus initium ejuſmodi eſt: (*In confe-*
B *rendis Beneficiis Eccleſiaſticis, & præſertim Parochialibus Eccleſiis, perſonis
dignis, & habilibus, quæ in loco reſidere, & per ſe ipſos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi
oporteat, Alexandri III. Lateranenſi,
& Gregorii X. Lugdunenſi, Generalibus Conciliis, & Innocentii ſimiliter III.*
C *& aliorum Romanorum Pontificum
Prædeceſſorum noſtrorum editæ Conſtitutiones teſtantur. Quod, ut diligentiùs, ac rectiùs perficiatur, ſtatuit etiam
Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione Parochialis Eccleſiæ, etiam generalitèr, vel ſpecialitèr, etiam vigore
indulti in favorem Sanctæ Romanæ Ec-*
D *cleſiæ Cardinalium, aut aliàs quomodolibet reſervatæ, vel affectæ, debeat Epiſcopus, habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione, conſtituere, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat,
donec ei de Rectore providcatur: &*
E *deinde Epiſcopus, & qui juſpatronatus
habet, intra decem dies, aut aliud tempus, ab Epiſcopo præſcribendum, aliquos Clericos, ad regendum Eccleſiam
idoneos, Examinatoribus, juxta formam
ejuſ-*

ejuſdem Synodi deputatis nominet, & nonniſi ab eiſdem Examinatoribus per concurſum aliorum Examinatorum, etiam tamquàm magis idoneo ab Epiſcopo judicato, & electo de Eccleſia provideatur, alias proviſiones, ſeù inſtitutiones omnes, præter formam prædictam factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. &c.] Subdit, non ſine gravi animi ſui mœrore intellexiſſe, nonnullos Archiepiſcopos, ac Epiſcopos, Parochialium Eccleſiarum vacatione occurrente, eas nullo, aut minùs ritè ſervato, examine, (eo præſertim, quod ex Tridentino Concilio, per concurſum faciendum erat,) vel etiam examine ritè ſervato, nihilominùs minùs dignis perſonis, (conſanguinitatis, aut alium humanæ paſſionis affectum, non rationis judicium ſequentes,) Eccleſiaſtica ejuſmodi Beneficia contuliſſe, & de eis providiſſe; ideòque ex Paſtoralis ſui officii munere, collationes ſic factas, vel deinceps faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris fuiſſe, ac futuras fore, declarare ſe coactum eſſe. Et inſupèr, nè Parochiales Eccleſiæ, diù ſuo viduatæ Paſtore, in maximum animarum periculum manerent; ſi hæ ex illis fuiſſent, quarum, dùm pro tempore vacarent, ad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, & quoſvis alios Ordinarios collatores, in menſibus, ordinariis collatoribus, etiam per Apoſtolicas regulas aſſignatis, proviſio, & collatio ſpectaret, vel pertineret; vel etiam, ex aliis, quarum collatio ſibi, & Apoſtolicæ Sedi generalitèr, vel ſpecialitèr competeret; ſi juxta Concilii Tridentini formam approbatas, ac magis idoneas perſonas, intra certum tempus non elegiſſent, aut electas ſibi, & ſucceſſoribus ſuis, aut iis ad quos collatio ſpectaſſet, non ſignificaſſent; collationem, proviſionem, ac omnimodam talium Eccleſiarum diſpoſitionem, ſibi, aut ſucceſſoribus ſuis ſe reſervare edixit; quod etiam de Parochialibus ſtatuit, quæ Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, vel aliorum, ſeù Clericorum, & Laicorum ſimul fuiſſent; nàm ſi præſentatus, intrà tempus, eiſdem Patronis à jure præfixum, prævio, juxta formam præfati Tridentini Concilii, examine approbatus petiiſſet inſtitutionem, inſtitutioque ipſa per duos menſes à die præſentationis dilata fuiſſet; ipſarum Eccleſiarum collationem pariter ſibi, & Apoſtolicæ Sedi reſervavit. Si tamèn Ordinariorum negligentia, aut incuria, ultra dictos duos menſes inſtitutio dilata fuiſſet, Patronis pro ejuſmodi inſtitutione obtinenda, ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, vel demùm ad Apoſtolicam Sedem recurſum habendi dedit optionem.

III. Iiſdem etiam Ordinariis, ac Patronis, nè ab eodem Tridentino Concilio dierum decem præfinitum, ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis examinatoribus, tempus, ultra decem dies alios prorogare auderent, in hac ipſa Conſtitutione prohibuit; diſtrictiuſque vetuit, nè quis, pratèr Romanos Pontifices, aut alios, indulta hujuſmodi obtinentes, quacumque ſuper hoc eſſet auctoritate munitus, de ejuſmodi Beneficiis ſic reſervatis diſponere, vel circa illa, etiam per viam permutationis, vel aliàs, quidquam innovare quoquo modo præſumeret; & ut non modò dignis, ſed etiam dignioribus, magiſque idoneis, juxtà ejuſdem Concilii decretum, Parochiales conferrentur Eccleſiæ, voluit, ac decrevit. Quòd ſi Epiſcopus minùs habiles, idonioribus, habilioribuſque poſthabitis, elegiſſet; eos qui rejecti fuiſſent, à mala ejuſmodi electione ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens Metropolitanus fuiſſet, aut exemptus, ad viciniorem Ordinarium, uti Apoſtolicæ Sedis delegatum, vel ad ipſam Apoſtolicam Sedem appellare, ac ad novum examen prælectos, coram ipſo appellationis Judice vocare, ac provocare poſſe conceſſit; ibique, cùm irrationabile prioris eligentis judicium probaretur, per ipſum appellationis Judicem irritum reddi juſſit, ac per eum magis idoneo Parochialem conferri voluit, vel conferendam ei remitti, ad quem collatio, vel inſtitutio ſpectaret. Interpoſita hac tamen appellatione, impediri minimè, ac ſuſpendi clectionem, primo loco ab Ordinario factam declaravit; & inſuper à præfato etiam, ſi opus fuiſſet, appellationis Judice ad Apoſtolicam Sedem appellari poſſe indulſit.

IV. Conſtitutionem hanc à Pio editam legimus decimo quinto Kalend. Aprilis hujus anni; ſed quia in hac eadem Beneficiorum collatione abuſus alios plurimos irrepſiſſe cognovit, dùm paſſim Beneficia per reſignationem, ſeù permu-

mutationem vacantia, in manibus quorumcumque Ordinariorum, vel etiam apud Apoſtolicam Sedem fieri conſueverant; ideò ſexto Idus Auguſti hujuſmet anni aliam edidit, qua in deterius prolapſam Eccleſiaſticorum bonorum villicationem relevare contendit; eſtque ejuſmodi.

PIUS PAPA V. &c.

Eſt in Bull. parva Pii V pag. 65.

[*Officium creditæ Nobis adminiſtrationis expoſcit, ut non ſolùm corrigamus ea, quæ perperàm attentantur, verùm etiam, nè in futurum illa, contra Eccleſiaſticam puritatem attentari poſſint, debita animadverſione probibeamus. Sanè, cùm, ſicut accepimus, in reſignationibus, & permucationibus, quæ, tàm apud Sedem Apoſtolicam, quàm in partibus, in Ordinariorum manibus fiunt, quamplurimi abuſus irrepſerint, Nos, volentes ejuſmodi abuſus de Eccleſia Dei tollere, & futuris reſignationum, & permutationum admiſſionibus eam normam præſcribere, qua Sanctuarium Dei, hominum pactionibus tradi non poſſit; ac ut omnis ſimoniæ labes, & fraudis ſuſpicio in Beneficiorum Eccleſiaſticorum proviſionibus abſit; decernimus, ſupplicationes Beneficiorum quorumcumque, reſignationem, ſeù permutationem continentes, donec per Nos illarum admittendarum modus præſcriptus fuerit, ulteriùs, non per modernos, & pro tempore exiſtentes, Cardinalem, & alios Signaturæ noſtræ Gratiæ Præfectos, (ut antea) ſed per Nos tantùm, manu noſtra ſignari debere. Et nè, dùm præmiſſis occurrere intendimus, & à Signaturæ noſtræ Præfectis ab illis abſtinendum cenſuimus, Locorum Ordinarii, cæterique Beneficiorum Eccleſiaſticorum inferiores collatores præfati, ut anteà à pleriſque eorum factum eſſe audivimus, ita ſe fiducialiter cum iis, qui in eorum manibus Beneficia Eccleſiaſtica reſignant, gerant, ut nonniſi illis, quos ipſi nominaverint, aut pro quibus interceſſerint, ea conferant, & de eis provideant, vel diſponant; ac quos Eccleſiæ plùs prodeſſe poſſe cognoſcunt, negligant, & contemnant; Apoſtolica authoritate, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra Conſtitutione, omnibus, & ſingulis dilectis filiis noſtris, & Sedis Apoſtolicæ Legatis, Nunciis, ac Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac quorumvis Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Capitulis, Abbatibus, cæteriſque aliis, quorumvis Eccleſiaſticorum Beneficiorum, quomodocumque qualificatorum inferioribus collatoribus, ad quos de jure, vel conſuetudine eorumdem Beneficiorum reſignationes, ſeù permutationes admittendi facultas ſpectat, & pertinet, quacumque dignitatis prærogativa, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, prohibemus, nè poſthàc, donec debitus (ut præmittitur) ſtatuatur, ac decernatur, quorumvis Beneficiorum Eccleſiaſticorum, tàm ſæcularium, quàm quorumvis Ordinum Regularium, qualitercumque qualificatorum, etiamſi Juriſpatronatus, & ad quorumvis præſentationem, nominationem, electionem, & quamvis aliam diſpoſitionem pertineant, reſignationes, ſeù permutationes recipiant, vel admittant; neque Beneficia eadem, tamquàm per reſignationem vacantia, quibuſvis perſonis conferant, vel de eis provideant, aut quomodolibet diſponant. Nos enim Beneficiorum præfatorum collationes, proviſiones, aut quaſvis alias diſpoſitiones per eoſdem factas, nullas, irritas, & inanes, nullumque jus, aut titulum, etiam coloratum, tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio proviſis tribuere, ac ipſos ſic proviſos ad eadem Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda perpetuò inhabiles fore, ac eſſe; ac omnes, & ſingulos collatores præfatos in collatione, proviſione, & diſpoſitione Beneficiorum, in eorum manibus ſic reſignatorum, quovis prætextu, etiam devolutionis, vacantium, ſe intromittere nullatenùs poſſe, Beneficiaque præfata, tamquàm verè vacantia, per Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quoſvis eorumdem collatorum, in quorum manibus, contra hujuſmodi noſtram prohibitionem, reſignationes, ſeù permutationes factæ fuerint, ſuperiores, nullo alio devolutionis ordine ſervato, ſed quòd locus ſit præventioni, conferri, & de iis providere, ac diſponi liberè, & licitè poſſe. Et ſic per quoſcumque Judices, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper iis, à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, ſtatuimus, atque decernimus.*

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Ap. &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ſexto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

V. Quem verò præſcripſerit ipſe modum, quo ſanctè, ac juſtè Eccleſiaſticorum Beneficiorum ejuſmodi permutationes, ſeù reſignationes faciendæ eſſent, dicetur anno ſequenti; quo etiam quaſnam Beneficiorum ejuſmodi reſignationes, Epiſcopi, aliique Collatores admittere poſſent, declaravit. Hoc tamen anno literas Apoſtolicas conficiendi, atque expediendi, ſuper gratiis earumdem reſignationum formam edixit; extatque in Conſtitutione trigeſima ſecunda, tertia decima Martii hujuſmet anni publicata: formam autem hujuſmodi reſignationes in Curia, & extra publicandi, Gregorius tertius decimus præfinivit, ut ſuo loco dicendum erit.

Vid. in Bullar. parvo Pii V. pagin. 78.

Extat. in magno Bull. Conſtit. 58. pag. 252.

Extat. in Bull. magno intèr Pii V. Conſtit. 32.

Extat. in Bull. magno Greg. XIII. Conſt. 85.

VI. In his tamen Beneficiorum collationibus, cùm multa, tùm in Epiſcopis, & collatoribus aliis, tùm in ipſa Romana Curia, corrigenda Pius comperiſſet; aliqua inſuper ſanctæ huic adminiſtrationi, ex ampliſſimis Cardinalium indultis imminere damna, ac pericula ſapientèr animadverterit: idcircò privilegiorum eorumdem, in Beneficiorum collatione, latam nimis facultatem, moderandam eſſe pro ſuo munere cenſuit. Vulgata eſt igitur, hoc anno, ultima die Aprilis, ejus juſſu, Conſtitutio illa, in qua legitur, quòd Pius, ex tàm multis S. R. E. Cardinalium, ſuper Eccleſiaſticorum Beneficiorum diſpoſitione, indultis, & multiplicatione aliarum, ſuper aliis, facultatum, quæ quotidiè præfatorum indultorum literis diffuſè inſerebantur, ſæpè numero impeditus eſſet, quominùs ſolitam Apoſtolicæ Sedis benignitatem, erga pauperes, & benemeritos liberaliter exercere poſſet; occaſionemque idcircò capere volens, ut tanta dehinc ejuſmodi indultorum, & facultatum largitione præciſa, dictis perſonis, commodiùs benefaciendi via ſibi libera recluderetur; omnia, & quæcumque indulta, conceſſiones, facultates, & alia privilegia quæcumque, Beneficia Eccleſiaſtica conferendi, iiſdem Cardinalibus aufert, cum cura nempè, & ſine cura, ſæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem dictorum Cardinalium, ratione Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum Cathedralium, nec non Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ quomodolibèt obtinuerant, vel inpoſterùm obtinuiſſent, ac etiam quorum collatio, proviſio, & quævis alia diſpoſitio illis ex cauſa factæ, per eos ceſſionis, regiminis, & adminiſtrationis, ſeù commendæ, aut reſignationis, Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum hujuſmodi, Apoſtolica authoritate reſervata extitiſſet, vel impoſterum reſervanda eſſet; nec non quorumcumque inferiorum collatorum, & collatricum, de Jure, privilegio, conſuetudine &c. aut aliàs quomodolibèt pertinentia; & etiam illa commendandi, ac aliàs de eis diſponendi, omnibus, & ſingulis Cardinalibus ſpecialiter, & expreſsè revocat; præcipitque inſupèr, quòd omnes deinceps Apoſtolicæ literæ facultatum, & indultorum hujuſmodi, pro ſingulis Cardinalibus præſentibus, ac futuris, unam tantùm Cathedralem, vel majorem Eccleſiam, ſeù illius loco unum, vel duo Monaſteria, aut unum, vel duo Beneficia, in præfatis literis exprimenda, quæ Cardinales ipſi, ultrà illas ſex Epiſcopales, ac Presbyterales, & Diaconales Cardinalium Eccleſias, tunc temporis obtinuiſſent, ſeù quorum collatio eis reſervata fuiſſet, ſpectarent; omninò ſublatæ intelligantur: cum altera etiam hujuſmodi indultorum parte, ſupèr ipſorum Cardinalium conſenſu, in Beneficiorum proviſione, apud Sedem prædictam, pro tempore vacantium, requirendo, aliàs ſub dictis indultis comprehenſorum. De his ſiquidem omnibus impoſterùm Pius liberè ſe diſponere velle edicit; & facultates quoque commendandi Monaſteria, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, & regularia, necnon diſponendi de Monaſteriis, etiam curâ, & Conventu carentibus, & de dignitatibus conventualibus, & in Metropolitana, aliiſque Cathedralibus poſt Pontificales majoribus, & in Collegiatis Eccleſiis principalibus: ac pariter diſpo-

nen-

nendi de Beneficiis Referendariorum Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum, Protonotariorum, & aliorum officialium dictæ Sedis, nec non familiarium, cœterorumque omnium, qui Conſtitutionibus declaratoriis Pauli Papæ III. ad perpetuam rei memoriam editis, continebantur, vel cohibet, vel penitùs aufert.

VII. Familiarum denique eorumdem Cardinalium, per Apoſtolicæ Cancellariæ regulas, indulta, & privilegia, ad eos ſolos familiares, eorumdem continuos commenſales reſtrinxit, qui vera, & actuali familiaritate, continuaque commenſalitate hujuſmodi durante, extrà Romanam Curiam, vel Cardinalibus ipſis in dicta Curia exiſtentibus, apud dictam Sedem deceſſiſſent; & ea ſola Beneficia, quæ ipſi familiares, continui commenſales viventes, ad præfatorum Cardinalium collationem pertinentia, obtinuiſſent, ſeù quæ ex collatione, ſibi ab eiſdem Cardinalibus facta, aſſecuti fuiſſent, complecti voluit; alitèr verò, etiam motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus, & etiam cum præſentis Conſtitutionis ſpeciali, & expreſſa derogatione expeditas literas, nullius prorsùs eſſe roboris, ac momenti juſſit. Illa verò Beneficia, cujuſcumque generis eſſent, quæ aliquis, hæreſis crimine infectus priùs habuiſſet; à nemine obtineri poſſe decrevit, niſi ſpecialitèr vacationis modus exprimeretur, ſibique, ac Apoſtolicæ inpoſtèrm Sedi ea dumtaxàt diſtribuenda reſervavit. En quæ ſuper hoc lex ab ipſo ſancita fuit.

PIUS EPISCOPUS &c.

Extat. in Bull. parvo Pii V. pagin. 53.

CUm ex Apoſtolatus officio, Nobis (meritis licet imparibus) credito, cura Dominici gregis immineat generalis, & exindè teneamur, more vigilis Paſtoris, vigilare, & attentiùs providere, ut Eccleſiis, Monaſteriis, & quibuſvis aliis Beneficiis Eccleſiaſticis, nunc, & pro tempore, proptèr crimen hæreſis vacantibus, & vacaturis, tales viri eis præficiantur idonei, qui deteſtandas, ac nefarias hæreſes, diabolo diſſeminante, contra veræ, & Orthodoxæ Fidei puritatem exortas, de agro Domini extirpare, & populos ſibi commiſſos ad Catholicæ Eccleſiæ veritatem reducere, doctrina, verbo, & boni operis exemplo valeant.

A *Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ab aliis, ad id ſuadentibus, rationabilibus cauſis; nonnullis etiam Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera noſtra voluntate, & deliberatione, omnia, & ſingula Beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſecularia, & quorumvis Ordinum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, & aliarum quarumvis Militiarum re-*
B *gularia, quæcumque, & qualiacumque ſint, etiamſi ſecularia, dignitates, & præbendæ, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & dignitatibus ipſæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis poſt pontificales majores, ſeù Collegiatis hujuſmodi principales; Regularia verò Beneficia hujuſmodi Monaſteria etiam Conſiſtorialia, prioratus, præpoſituræ, præpoſitatus, adminiſtrationes, vel officia etiam clauſtralia, ac*
C *hoſpitalia, & præceptoriæ, & aliàs quomodocumque qualificata fuerint, ordinationi, & diſpenſationi noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ, hac perpetuò valitura Conſtitutione, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium reſervamus. Declarantes, omnes, & quaſcumque impetrationes de Beneficiis, ut præfertur, quomodocumque qualificatis, certo modo in futurum faciendas, & obtinendas, Beneficia hujuſmodi, propter hæreſim vacantia, & in futurum vacatura, non*
D *comprehendere, niſi ſpecialitèr, & diſpoſitivè vacationis modus, proptèr crimen hæreſis, expreſſus fuerit, & illum nullo modo, ſub quibuſvis clauſulis, & decretis comprehendi, quantumcumque generalibus, in quibuſvis gratiis, & conceſſionibus per Nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros faciendis, etiam per, fiat, ſignatis, & conceſſis; ac decernentes, omnes, & quaſcumque impetrationes, de quibuſvis Beneficiis, ut præfertur, qualificatis, hactenùs factas; &*
E *obtentas, niſi earum vigore in Judicio, per impetrantes, crimen ejuſmodi deductum fuerit, & ſuper eo ſententiam favorabilem obtinuerint, vel dictorum Beneficiorum poſſeſſionem aſſequuti fuerint, ad vacationem hujuſmodi, propter crimen hæreſis, ſe non extendere, & illum neminem comprehendere; ſicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis authoritate fungentes, etiam*

S. R. E. Cardinales, judicari, & inter- A *pretari debere; irritum quoque, & inane, ſi ſeciùs, per quoſcumque, quavis dignitate, & authoritate præditos, judicatum fuerit, decernimus. Volumus autem quòd præſentes literæ, &c. inter Conſtitutiones perpetuò valituras deſcribantur. &c.* Datum Romæ, apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ſexto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri ann. ſecundo]

VIII. Licèt verò quàmevidentiſſimè B appareat, hæc omnia Pium conſtituiſſe, ut animas, quas in præceps avaritia trahebat, ab iniquitatum funibus, quibus ſeſe obſtrinxerant, providè ſolveret; ac fidei zelo, quæ propoſuimus edixiſſe, nè videlicet Domini hæreditas alienorum poſſeſſio fieret; quòd tamen ea præceperit nullius omninò cupiditatis actus inſtinctu, cœtera quæ hoc ipſo anno decrevit, non minùs evidenter oſtendunt. Cùm enim comperiſſet, plurimos, Eccleſiaſtica Beneficia obti- C nentes, proprii honoris, ac ſalutis immemores, aliquando etiam prætextu facultatis teſtandi, eis ab Apoſtolica Sede factæ, in eorum ultimis voluntatibus, res ſacras, ac vaſa, ornamenta, ac patamenta Eccleſiaſtica, aliaque divino cultui dicata, quandoque ex fructibus Eccleſiaſticis, per eos acquiſita, non Eccleſiis, & Monaſteriis, ac Beneficiis, quibus præfuerant, ſeù à quibus proventus Eccleſiaſticos, & ſtipendia acceperant; ſed aliis potiùs locis, etiam D aliquando non piis, & ſæpènumero propriis etiam, ſecundùm carnem, affinibus, ac conſanguineis relinquere conſueviſſe: & inſuper ipſiuſmet Apoſtolicæ Cameræ collectores, ſub prætextu, quòd ea ſpoliorum nomine venirent, tamquàm ejuſdem Cameræ ſpolia, in maximum Religionis dedecus, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, & eorumdem Beneficiorum detrimentum, ac teſtantium animarum periculum, plu- E rimorumque ſcandalum, ſæpè exigere, ac percipere illa veritos non fuiſſe; idcircò, ad hujuſmodi evellendos abuſus, hoc anno, tertio Kal. Septembris, hæc ſtatuiſſe reperimus.

Extat. in Bullar. Bulla 42. pagin. 217. Ornamenta, & paramenta, ac res ſacras, & alia bona, ad uſum, & cultum Divinum ſpectantia, ſpoliorum nomine, ad Cameram Apoſtolicam pertinentium, minimè comprehendi; nec ipſa, cujuſvis facultatis, ab Apoſtolica Sede factæ, prætextu, ulli relinqui licere; ſed ad ſingulas Eccleſias, Monaſteria, etiam Conventu carentia, in quibus Beneficiati reſediſſent, aut quibus præfuiſſent, ſeù quæ aliàs obtinuiſſent, omninò pertinere.

In iiſdem Eccleſiis, ſeù Beneficiis Succeſſoribus, propria authoritate licere, eadem ornamenta &c. apprehendere, ac ipſa Beneficiorum eorumdem Eccleſiis, vel Sacriſtiis applicandi, & incorporandi data eis facultate.

Donationes, relicta, ac legata, teſtamenta, codicillos, aliaſque ultimas voluntates, quoad præmiſſa, nulla, & invalida, nulliuſque roboris, & momenti exiſtere, in cujuſcumque perſonæ, aut loci favorem facta declarat: quinimò res ſacras præfatas, quocumque nomine, vel titulo detinentes, Eccleſiis, quibus defuncti Beneficiati præfuiſſent, ſtatim reſtituere teneri, & ad reſtituendum per cenſuras, & pœnas, etiam furti, ac ſacrilegii, ac alia Juris, & facti remedia opportuna, cogi, & compelli poſſe, ac deberi jubet.

Ad Collectorum, vel Subcollectorum ſpoliorum Cameræ Apoſtolicæ inſolentiam coërcendam, domeſtica Presbyterorum, ſeù Clericorum ſupellectilia, etiamſi ex fructibus, & Beneficiorum proventibus acquiſita fuiſſent, ſub ſpoliorum nihilominùs appellatione minimè venire, nec pro ſpoliis ullo modo reputari poſſe, declarat.

Cavit inſuper, nè à ſpoliorum Collectoribus, vel Subcollectoribus exigi quidquam poſſet, per obitum illius, qui, dùm viveret, unum, vel plura Beneficia Eccleſiaſtica obtinuiſſet, cujus, vel quorum inſimul fructus, redditus, & proventus, triginta ducatorum auri Cameræ, ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non exceſſiſſent, aut qui annuas penſiones, ſuper quibuſvis Eccleſiaſticis fructibus uſque ad dictum valorem annuatim percepiſſent; dummodò tamèn is ſe ab omni illicita negotiatione, & à Sacris Canonibus prohibita abſtinuiſſet.

Sacra autem vaſa, ac paramenta, ac cœtera, divino cultui dicata, tamquàm ſpolia ab iiſdem Collectoribus, vel Subcollectoribus haberi, aut deſcribi, diſtrictiùs inhibet; ſed ipſa, cœteraque omnia, ſacris miniſteriis mancipata, Eccleſiis Monaſteriis Cap-

pel-

Digitized by Google

pellis, aliiſque Beneficiis, ipſorumque A Rectoribus liberè dimitti,ac conſignari mandat; ita ut ea cuncta in locis, in quibus conſtitiſſent, relicta ſint. Cùm verò hic expreſsè non ſignificaverit Pius, quænam res ſpoliorum nomine comprehenderentur; ipſas, ſcias, in Conſtitutione ſua decima octava Paulum V. fusè explicaſſe.

Vide in Bullar.

IX. *Bull. 47. pagin. 242. in magn. Bull.*

Cùm accepiſſet pariter Pontifex, in deputandis Vicariis,ac in aſſignatione portionum, Vicariis ipſis perpetuis Parochialium, Eccleſiis,Beneficiis, B Collegiis, aliiſque locis piis perpetuò unitarum, ex Tridentino Concilio facienda, nonnullos ità modum exceſſiſſe, ut parùm, aut nihil ex fructibus, redditibus, & proventibus Parochialium, iiſdem Eccleſiis remaneret; eâque de cauſa, circa interpetrationem decreti præfati Concilii, multas controverſias obortas eſſe; ad eas tollendas animum intendens,ac conſiderans,ideò uniones eas à Prædeceſſoribus Pontificibns fuiſſe factas, C ut ex redditibus, & emolumentis Beneficiorum unitorum, Eccleſiis, Monaſteriis, ac Collegiis faciliùs onera iiſdem incumbentia ſupportarentur, & promptiùs ab Eccleſiaſticis Miniſtris in iiſdem Divina celebrarentur officia, hoſpitalitas ſervaretur,aliaque charitatis opera exercerentur; & nihilominùs commiſſa parochialium cura animarum laudabilitèr etiam perageretur; ſtatuit idcircò, ac decrevit, in aſſignatione portionis perpetuis Vicariis, ex prædicto Concilio, D Prælatorum arbitrio, facienda, ità eos ſe continere debere, ut non major centum,nec minor quinquaginta ſcutorum annuorum ſumma, omnibus etiam incertis emolumentis, aliiſque obventionibus communitèr percipi ſolitis, computatis, eis omninò conſtitueretur; dummodò tamen Vicariis,ſivè in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata ſolitum non fuiſſet plus aſſignari, ſivè fundo, ſeù alia re ſtabili portio hujuſmodi jam attributa illis E non fuiſſet, habita quoque reddituum, onerumque loci, cui Parochialis ipſa unita fuiſſet, ratione; itaut portiones ultrà,vel infrà præfatas ſummas ſcutorum centum, vel quinquaginta hactenùs aſſignatæ, vel impoſterùm forſan aſſignandæ, quoad exceſſum, vel defectum hujuſmodi, nullius roboris, & momenti exiſterent, & ad prædictas ſummas redactæ, & auctæ reſpectivè cenſerentur; niſi tamen valor annuus, ipſius Parochialis unitæ habita ratione, minor quinquaginta ſcutis exiſteret; quo caſu aſſignata, vel Vicario perpetuo aſſignanda portio ſummam annualem valoris præfatæ Parochialis excedere non deberet; ſed omnes ejuſdem fructus Vicario ipſi perpetuo dumtaxàt attribuiſſe ſat eſſet.

Eccleſias autem, Monaſteria, & Collegia, in quorum Parochialibus Eccleſiis unitis præfatas Vicarias erigi contigiſſet;pro quantitatibus fructuum ipſis Vicariis perpetuis aſſignatorum, ad ſolutionem quindenniorum, quam Apoſtolicæ Cameræ ſolvere debuiſſent, ulteriùs non teneri voluit; ſed eis ad ratam certorum, quæ de earumdem Parochiarum fructibus percepta fuiſſent, detractionem fieri imperavit; ita tamen quod Vicarii perpetui, qui pro eo tempore deputati fuiſſent, novam ſuæ deputationis proviſionem ab Apoſtolica Sede accipere, & pro portione fructuum certorum ſibi aſſignata, annatam ſolvere, ac Apoſtolicas demùm literas expedire tenerentur; nec aliàs ad præfatarum Vicariarum perpetuarum poſſeſſionem, & eorumdem Parochialium ſervitium admitti poſſent.

Hos verò perpetuos Vicarios, non ad liberam Ordinariorum electionem, ſed ad illorum nominationem, eſſent, in quorum Eccleſijs unitis ponendi eſſent (prævio tamen eorumdem Ordinariorum, ſeù eorum Vicariorum examine, ac approbatione) deputari mandavit. Quòd ſi Parochiales Monaſteriis Regularium Mendicantium unitæ fuiſſent, ab eorumdem Monaſteriorum Superioribus, ex ipſis Mendicantibus, Vicarios nominari juſſit; qui, ſi ab Ordinariis, vel eorum Vicariis,prævio examine,ad animarum curam gerendam idonei reperti, ac probati fuiſſent, eos in Vicarios deputare debere voluit; hac tamen ratione, ut ad Superiorum ſuorum nutum amovibiles eſſent: quod etiam in Regularibus Monachis aliis ſervari præcepit, dummodò in ea Parochiali, in qua unus ex Monachis, prædicta forma ſervata, Vicarius deputatur, cum eo ſaltem quatuor alii ejuſdem Congregationis Monachi habitent.

Iſta

X. Iſta decrevit Pius Kalend. Novemb. hujus anni. Undecim autem Vicarias perpetuas, ut cœteris exemplo eſſet, in totidem Baſilicis, & Eccleſiis Urbis, cum aſſignatione portionum, ipſum inſtituiſſe, dicetur inferiùs. Ea verò in parte, quæ ad Eccleſiarum Mendicantium Vicarias ſpectat, ad Juris, & Tridentini Concilii terminos, à Gregorio XIII. qui proximè Pio in Pontificatu ſucceſſit, res redacta eſt, ut ſuo loco dicendum erit.

Bull. 139. in magno Bull. pag. 347. ann. 1571.

Vide in magno Bullar. Gregor. 13. Conſt. 9.

XI. Verùm inter cœteras, hoc anno, à Pio editas Conſtitutiones, quibus fidelem unà, ac prudentem Eccleſiaſticorum bonorum ſe diſpenſatorem exhibuit, celeberrima ea extitit, qua omninò alienandi, & infeudandi Civitates, & loca S.R.E., vel de eorum alienationibus, & infeudationibus, quovis prætextu, etiam evidentis utilitatis, tractandi, ſibimet ac Succeſſoribus ſuis facultatem ademiſſe viſus eſt. Ipſam ſiquidem, quem prędiximus, Gregorius, non modò confirmavit, quin etiam extendit, & qui eidem ſuffecti ſunt, Sixtus V. Innocentius IX. & Clemens Octavus ampliarunt. Quid autem ad eam edendam Pium impulerit, ex ipſamet Conſtitutione, quam neceſſariò hic ponendam duximus, utpotè de qua in Annalibus pluriès mentio occurret, accipies.

Gregor. 13. Conſtitut. 3. Xiſtus V. Conſtit. 26. Innoc. IX. Conſt. 1. Clemens VIII. Conſtit. 1., & 52.

(PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, &c.

Extat. in Bull. Conſtitut. 3. pagin. 220.

ADmonet Nos ſuſcepta cura regiminis univerſalis Eccleſiæ, cui, auctore Domino præſidemus, ut Civitates, Terræ, oppida, & loca Nobis, & Sedi Apoſtolicæ in temporalibus, mediatè, & immediatè ſubjecta, perpetuo in jure, dominio, & proprietate, ac poſſeſſione dictæ Sedis conſerventur.

§. Sanè, licèt nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, per eorum Conſtitutiones, rerum Eccleſiaſticarum alienationes prohibuerint, & jam factas revocaverint, & annullaverint; nihilominùs, cùm, retroactis temporibus, nonnulli nimirùm ambitioſi, & dominandi cupidi, ſub variis prętextibus, coloribus, & cauſis, ſæpè etiam falſis, (quod non ſine maximo animi noſtri mærore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus, ſugeſtionibus, & inſinuationi- A *bus ſuis, conati ſint oſtendere, & perſuadere magis utile, & expediens S. R. E. & Sedi præfatæ fore, ſi aliquæ Civitates, Terræ, Oppida, Caſtra, Arces, & loca ad Jus, & proprietatem ejuſdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, ſeu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur; vel etiam ex eo, quòd aliàs in feudum data, aut quovis alio titulo hujuſ-* B *modi alienata fuerint; & propterea tamquàm ad Sedem prædictam devoluta, vel devolvenda, poſſe, & debere de Jure iterùm infeudari; & conceſſiones è Sede Apoſtolica emanaſſe, ex quibus illa non mediocrem diminutionem, non ſolùm patrimonii, ſed etiam æſtimationis recepiſſe cognoſcitur.*

§. 2. Hinc eſt, quòd Nos, conſiderantes, omnium Civitatum, & Locorum prædictorum ſingularem fidem, & promptam devotionem, eidem Sedi exhi- C *bitam, omni tempore, valdè utilem, & ſalutarem fuiſſe, & eſſe; ac volentes, non ſolùm alienationes hujuſmodi, (quas tempore noſtro omninò exulare intendimus) de medio tollere, & quod Nobis licere non patimur, noſtris Succeſſoribus indicare, quos non immemores fore ſperamus, ante Domini noſtri Jeſu Chriſti, in examine diei magni adventus, tribunal, villicationis noſtræ rationem reddituros nos eſſe; ſed, ut omnis alienationum hujuſmodi fiendarum occaſio peni-* D *tùs aboleatur, quantum cum Deo poſſumus, per amplius providere, Conſtitutionibus Prædeceſſorum noſtrorum hujuſmodi etiam inhærendo, illaſque innovando, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, non ad alicujus ſuper hoc Nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera animi noſtri deliberatione, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine; habita etiam ſuper his cum Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, in Conſiſtorio noſtro ſecreto, conſultatione* E *matura; de eorum conſilio, & unanimi aſſenſu, [qui etiam juraverunt præſenti Conſtitutioni non contravenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præſentium attentantibus conſentire, & abſolutiones à juramento hujuſmodi non petere, nec accipere,] hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, & declaramus, Civitates, & loca prædicta, etiam hactenùs in feudum,*

aut

aut quemvis alienationis titulum, dari A
ſoluta, vel conſueta, ad Nos, & Sedem
præfatam devoluta, & pro tempore de-
volvenda, abſque alia ulteriori declara-
tione, & illorum poſſeſſionis apprehen-
ſione, eo ipſo Sedi, & Cameræ Apoſtoli-
cæ incorporata, ac ad jus, & proprie-
tatem, & dominium priſtinum, ac poſ-
ſeſſionem rediiſſe cenſeri; perindè ac, ſi
per quadraginta annos, & ultrà Civi-
tates, & loca præfata à Nobis, & Sede
præfata immediatè poſſeſſa, & nun-
quàm in feudum, aut titulum conceſſa B
fuiſſent.

§. 3. *Statuimuſque, & decerni-*
mus, quòd omnes, & ſingulæ, tàm Com-
munitates, & Univerſitates, quàm Ci-
ves, & Incolæ Civitatum, Terrarum,
& locorum prædictorum, aliæque quæ-
cumque perſonæ, tàm Eccleſiaſticæ,
quàm Sæculares, cujuſvis dignitatis,
& ordinis, etiam Epiſcopalis, vel majo-
ris exiſtentes S. R. E. Cardinales, tàm
publicè in Conſiliis Civitatum, & loco-
rum præfatorum, quàm privatim alibi, C
in quibuſvis locis etiam Civitatum, &
Terrarum earumdem Gubernatores,
aut, & Sedis Apoſtolicæ Legati, vel
Prolegati exiſtnnt, trnctantes, conſulen-
tes, aut aliàs verba facientes de infeu-
dationibus, aut alienationibus, de Civi-
tatibus, & locis præfatis immediatè ad
Nos, & Sedem præfatam ſpectantibus,
& pertinentibus, etiam devolutis, etiam
in feudum communitèr, & pluriès dari
ſolitis, etiam ex cauſa permutationis, vel
ſub annuo cenſu, aut canone, aut aliàs D
qnomodolibet, etiam contemplatione me-
ritorum erga Sedem præfatam, aut ſub
prætextu neceſſitatis, vel evidentis uti-
litatis faciendis, ſeù de poſtulandis, à
Nobis, & Sede præfata qaibuſvis per-
ſonis, cujuſvis dignitatis, ſtatus, gradus,
etiam Nobis, & Succeſſoribus noſtris ſe-
cundùm carnem conjunctis, etiam S. R.
E. Cardinalibus, aut quavis alia tempo-
rali, vel Eccleſiaſtica dignitate fungen-
tibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores,
ſeù quemvis aliam titulum, ad vitam, E
vel in perpetuum, vel longum tempus,
aut etiam Sedis Apoſtolicæ beneplaci-
tum, Civitatum, & locorum præfato-
rum, nc propterea de eligendis Oratori-
bus ad Nos, & Succeſſores noſtros, ſuper
præmiſſis, vel illorum occaſione mitten-
dis proponentes, tàm ipſi, quàm Orato-
res, munus hujuſmodi recipientes, aut
alii quicumque alienationes hujuſmodi

A *Romano Pontifici pro tempore exiſtenti,*
per ſe, vel alium, ſeù alios inſinuantes,
vel ſuadentes, eo ipſo ſententiam excom-
municationis incurrant, à qua, niſi ab
ipſo Pontifice, præterquàm in mortis
articulo, abſolvi nequeant: & inſuper
S. R. E. & Sedi Apoſtolicæ præfatæ re-
belles, etiam in primo capite læſæ Maje-
ſtatis, & proditores Civitatum, & lo-
corum præfatorum, ac bona eorum Fiſco,
& Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ipſo jure
devoluta, & incorporata ſint, & eſſe
B *cenſeantur, omnibuſque Eccleſiis, Mona-*
ſteriis, & aliis, per eos quomodolibet ob-
tentis, Beneficiis Eccleſiaſticis, eo ipſo
privati exiſtant, neque ad Civitates,
& loca præfata, ullo unquam tempore,
remitti poſſint; & ſi aliquandò eos rein-
tegrari contigerit, nihilominùs infames
remaneant, illiſque honorum, & digni-
tatum portæ perpetuò claudantur.

§. 4. *Et quoniam intelleximus, ali-*
quos etiam Cardinales, Civitates, Ter-
ras, Oppida, Caſtra, Arces, & Loca ad
C *vitam, ſeù tertiam, vel aliam generatio-*
nem, aut alias à dicta Sede, etiam ex
cauſa oneroſa, obtinere, habere, & poſ-
ſidere, cum facultate faciendi in illis me-
lioramenta, ità quòd ab eis amoveri non
poſſint, niſi reſtitutis ſibi priùs pecu-
niis, in melioramentis hujuſmodi expo-
ſitis; omnes, & ſingulas facultates fa-
ciendi melioramenta præfata, quibuſvis
perſonis, etiam Cardinalibus, per eoſdem
Prædeceſſores noſtros, aut alios ad id fa-
cultatem habentes, quomodolibet conceſ-
D *ſas, harum ſerie revocamus, & annul-*
lamus, & nemini deinceps ſuffragari
poſſe, neque debere; ac cuicumque, fa-
cultatem faciendi meliornmenta hujuſ-
modi habenti, illa etiam pro munitione,
& tuitione, niſi ex cauſa neceſſariæ con-
ſervationis locorum eorumdem, facta
fuerint, poſt publicationem præſentium,
facere omninò interdicimus, ac prohibe-
mus, & ſi ſecùs à quoquam factum at-
tentatumvè fuerit, melioramenta quæ-
cumque, per eos contra tenorem præſen-
E *tium facta, locis ipſis cedere, & Cnme-*
ram ad illorum ſatisfactionem minimè
teneri, & obligatam eſſe volumus, & de-
claramus.

§. 5. *Declarantes præſentes lite-*
ras, ſub quibuſvis revocationibus, caſ-
ſationibus, derogationibus, & aliis con-
trariis diſpoſitionibas, ſub quibuſvis
tenoribus; & formis, ac cum qnibuſvis
clauſulis, & decretis, pro tempore quo-
mo-

Digitized by Google

modolibèt factis, minimè comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, & quotiès illæ emanabunt, totiès in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas eſſe, & cenſeri debere.

§. 6. *Irritum quoque, & inane, ſi ſecùs ſuper his, à quoquam, quavis authoritate, ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari.*

§. 7. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Civitatum, ac locorum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

§. 8. *Sic igitur devotionis, & fidei conſtantia Civitatum, & locorum præfatorum erga Nos, & Succeſſores noſtros, & eamdem Romanam Eccleſiam perſeveret, ut merito integritatis, virtus majora beneficia ab eadem Sede conſequi mereatur.*

§. 9. *Volumus autem, quòd, ſicut omnes, & ſinguli Cardinales præſentes Conſtitutionem hujuſmodi, quantum in eis erit, obſervare, illique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus conſentire, aut abſolutionem à juramento præſtito non petere, nec oblatam, aut conceſſam acceptare, in Conſiſtorio noſtro ſecreto promiſerunt, & jurarunt; idem, per abſentes Cardinales à Conſiſtorio, in habitatione eorum, & à Romana Curia, ut quandocumque ad eamdem Curiam ſe contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales, in aſſumptione pilei, promitti, & jurari debeat, ac promiſſionem, & juramentum hujuſmodi, in forma juramenti, per eoſdem Cardinales præſtari ſoliti, adjungi, & inſeri debere; ac contrafacientes pœnam perjurii, & perpetuæ infamiæ juris, & facti eo ipſo incurrere decernimus. Prætereà quòd ipſi Cardinales, occurrente Apoſtolicæ Sedis vacatione, in Conclavi, quandò de obſervandis literis Julii Papæ Secundi, Prædeceſſoris noſtri, ſuper electione Romani Pontificis, & aliis Conſtitutionibus juramentum præſtare ſolent, etiam de inviolabilitèr obſervanda præſenti Conſtitutione noſtra, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & poſtmodùm idem ad Summi Pontificatus faſtigium aſſumptus, poſt ejus aſſumptionem, hoc ipſum promittere, ac jurare, & deinde poſt coronationem ſuam, promiſſionem, & juramentum hujuſmodi per literas ſuas ſpeciales, harum confirmatorias reiterare debeat. Quòd ſi illud à Pontifice [quod credendum non eſt] recuſabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales, in primo Conſiſtorio ſecreto, & præcipuè eorum Decanus, & Capita Ordinum, apud eum, omni cum inſtantia, & inſtantiſſimè, pro præſentium obſervatione petere, & rogare, ac obteſtari non ceſſent, idque, ut omninò efficiat, diligentiſſimè curare ſtudeant, ſtatuimus, & ordinamus.*

§. 10. *Quòdque præſentes literæ in libellum redigantur, & poſt prædictas Julii literas, quæ in dicto Conclavi legi ſolent, inter alias Conſtitutiones noſtras adiungantur, et etiam in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ, cum aliis extravagantibus noſtris, deſcribantur, ac ad valvas Baſilicæ B. Petri, etc.*

§. 11. *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam, &c.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, quarto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus; *Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.*

Ego Fr. Cardinalis Piſanus, Epiſcopus Oſtien.

Ego Jo: Cardinalis Moronus, Epiſcopus Portuen.

Ego Chriſtophorus Cardinalis Madruccius, Epiſcopus Præneſt.

Ego A. Cardinalis Farneſius, Epiſcopus Tuſcul. Vicecancell.

Ego Jo: M. Cardinalis Saracenus.

Ego Ful. Card. Peruſinus.

Jo: Cardinalis Politianus.

Jo: Baptiſta Cicada, Cardinalis S. Clementis.

B. Cardinalis Tranen.

Scipio Cardinalis Piſarum.

Jo: Cardinalis Capiſuccus.

Ego Clemens, Cardinalis Aracœli.

Ego Ja: Cardinalis Sabellus.

Ego Jo: Antonius Cardinalis Sancti Georgii.

Ego Aloyſius, Cardinalis Cornelius.

Ber. Cardinalis Salviatus.

Ego

A Ego Phil. Cardinalis à Burdeſia.
Ego Ludovicus Cardinalis Simoneta.
Ego Antonius Cardinalis Granuellanus.
Ego F. Cardinalis Pacecco.
Ego Marcus Antonius Cardinalis Amulius.
Ego Hieronymus Cardinalis de Corrigio.
Ego Jo: Franciſcus Cardinalis de Gambara.
B Ego Cardinalis de Sermoneta.
Ego Hipolithus Cardinalis Ferrarien.
Ego Innicus Avalos Card. Arag.
Ego Marcus Antonius Cardinalis Columna.
Ego Jo: Franc. Card. Commendonus.
Ego Marcus Antonius Cardinalis Bobba.
Ego Ugo Boncompagnus Cardin. S. Xiſti.
C Ego Alexander Card. Sfortia.
Ego Alexander Cardinalis Cribellus.
Ego Franciſcus Abbundius Cardinalis Caſtillion.
Ego Benedictus Cardinalis Lomellinus.
Ego Gulielmus Cardinalis Sirletus.
Ego Fr. Michael Cardinalis Alexandrinus.
D Ego Hieronymus Cardinalis Simoncellus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius S.R.E. Camer.
Ego Franciſcus Cardinalis Alciatus.]

XII. Quàm verò proficua fuerit Romanæ Eccleſiæ hæc Pii Conſtitutio, facilè educes, ex luctuoſis certè præteritorum Pontificum exemplis, qui ad ejuſmodi infeudationes,ac alienationes ſe induci paſſi ſunt, & carni,ac ſangui- E ni plus juſto deferentes,ei temporalem Eccleſiæ jacturam infauſtè nimis poſthabuerunt: vel etiam ex maxima utilitate, quæ hinc, ut Gabutius obſervat, ipſimet Eccleſiæ acceſſit. Ferrarienſis enim Ducatus paulò poſt, nempè ſub Clemente Octavo Eccleſiaſticæ ditioni hac ratione additus eſt; & ſub Urbano item Octavo Urbinatum Ducatus alter Apoſtolicæ Sedi devolvitur. In hac tamen Conſtitutione comprehenſas haud fuiſſe Terras, & loca, ob delicta Fiſco mancipata, in Conſtitutione ſua ſexageſima quinta,quæ incipit *Tanta*,Gregorius decimus tertius; & in Conſtitutione ſua ſexta, cui initium: *Hoc noſtri*, Sixtus Quintus delararunt. Uti, nec etiam bona ea, quæ à Baronibus Apoſtolica Camera comparaſſet, ſicùt Clemens Octavus in Conſtitutione, quæ incipit *Juſtitiæ*, edixit.

B Hæc, & quæ prædiximus alia in Sanctæ Apoſtolicæ Sedis juribus vindicandis,tuendis, reparandiſque egiſſe Pium neceſſe fuit,ut operoſiora aggredi poſſet, quæ moliebatur, perducereque ad optatum finem minimè potuiſſet, niſi ab Eccleſiaſticorum culmine indecoram abuſuum cœpiſſet ſolvere vetuſtatem; eâ ſiquidem ſolutâ, cùm non eſſet quod meritò ſibi objici poſſet à laica poteſtate, eam quoque eſt adorſus, & è manu, de qua non poſſe C ſurgere videbantur, libertatem, ac Eccleſiæ jura infracto animo redemit. XIII.

Ut verum nihilominùs fateamur, jam ab anno ſuperiori operi manum admoverat, cùm, videlicèt,ſub die 23. Decembris ejuſdem anni, contra Mantuanum Ducem data ſententia, nullum ei jus in nominatione,ac præſentatione, ad ipſius Mantuæ Eccleſiam competere, ut retulimus, pronunciaverat; & prætenſo ejuſdem Juri nil prodeſſe D Pii IV. prædeceſſoris ſui privilegium quoddam ei conceſſum, ſolemnitèr, & juridicè edixerat. Cùm verò Pius ille, non uni tantùm Mantuano Duci, ſed pluribus inſuper aliis Principibus viris hujuſmodi diplomata, ac privilegia conceſſiſſet; æquum ſanè non credidit Pius Quintus, neque rationi conſentaneum æſtimavit,ut uni tantùm,ex prolata in ipſum ſententia,tribulatio; cœteris verò remiſſio eſſet; ſed ex æqua- E litate cunctos paritèr juribus non gaudere declaravit, quæ ſibi ab ipſo collata, iniquè pariter, & injuſtè fuiſſent. Ex Diario Alexandri Cardinalis Farneſii, & ex infrà ponendis ejuſdem Pii Epiſtolis, rem totam, ordine digeſtam, habemus. Legitur ergo in prædicto Diario. XIV.

(Die ſeptima Februarii 1567.

Ex Diar. Card. Farneſ.

SAnctiſſimus Dominus noſter, attendens, quòd, licèt, Sede Apoſtolica, per obitum felic. record. Pauli Papæ IV. vacante, in Conclavi, in quo piæ mem: Pius Papa IV. ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptus fuerat, nonnulla Capitula, pro bono, & felici futuri Pontificatus regimine confecta, & per eumdem Pium Quartum, tunc tituli Sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem, & alios S.R.E. Cardinales, B *maturo conſilio, & deliberatione, in plena Congregatione præhabitis, ſubſcripta fuiſſent, inter quæ idem Pius tunc Præſbyter Cardinalis promiſerat, & juraverat, ſe nemini facultatem, nec nominandi, nec præſentandi ad Eccleſias Cathedrales, ſeù Monaſteria, aliaque Beneficia Conſiſtorialia unquàm conceſſurum, niſi de conſenſu duarum partium dictorum Cardinalium, & per modum ſecretum: ſucceſſivèque ipſe Pius, Præ-* C *deceſſor, ut præfertur, aſſumptus, illam, & purè, & ſimpliciter, ac bona fide, ad literam obſervare, & adimplere, ſolemni voto promiſerit, & juraverit; ac poſt coronationis ſuæ ſuſceptionem, per ſuas, ſub datis prid. Id. Februarii, Pontificatus ſui anno primo, ſuper ſingulis capitulis præfatis confectas literas, votum, promiſſionem, & juramentum hujuſmodi reiteraſſet, & innovaſſet, ac ſpecialitèr, & expreſsè nominaſſet, voviſſetque, ſe nemini unquàm præſentan-* D *di, & nominandi, aut conſenſum præſtandi ad Eccleſias Cathedrales, ſeù Monaſteria, aut alia Beneficia Conſiſtorialia, facultatem conceſſurum, niſi de conſenſu duarum partium ex tribus ipſorum Cardinalium, per modum ſecretum adhibendo; nihilominùs idem Pius, à nonnullis forsàn circumventus, nonnullas facultates Jurispatronatas, ſeù præſentandi, vel nominandi perſonas ad Eccleſias Cathedrales, etiam forsàn Metropolitanas, & Monaſteria, & Bene-* E *ficia Conſiſtorialia, pro tempore vacantia, conſenſu duarum ex tribus partibus Cardinalium hujuſmodi, ut præfertur, minimè adhibito; aliquibus etiam Regibus, Ducibus, Marchionibus, & aliis Principibus, nec non Univerſitatibus, & Collegiis conceſſerat, & literas deſupèr expediri fecerat, in dictæ Sedis authoritatis, nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum prædictorum præjudicium,*

A *& ſcandalum plurimorum. Idem Sanctiſſimus D. N. conſiderans, facultates hujuſmodi, adversùs tot proviſiones, vota, & juramenta, non ſine plurimorum ſcandalo, & magno authoritatis dictæ Sedis, nec non Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi prejudicio, factas fuiſſe; volenſque, nè Sedis Apoſtolicæ authoritas in dies minuatur, ac Eccleſiæ, & Monaſteria prædicta, ex ſupradictis conceſſionibus aliquod detrimentum patiantur, ſed ut ſolita gaudeant liberta-* B *te, (debitè) prout ſuo incumbit officio providere: matura deliberatione, ſuper his, cum S.R.E. Cardinalibus præhabita, ex præmiſſis, & certis aliis ſibi notis, legitimis, & id ſuadentibus cauſis, omnes, & ſingulas conceſſiones, & facultates præſentandi, nominandi, & eligendi, ſeù conſenſum præſtandi, ad quaſcumque Cathedrales, & Metropolitanas Eccleſias, & Monaſteria, cùm conſenſus duarum ex tribus partibus Cardinalium hujuſmodi adhibendus foret,* C *& Capitulum prædictum ſervatum non fuerit; quibuſvis, etiam Regibus, Ducibus, Marchionibus, & aliis perſonis, quacumque authoritate, & excellentia fulgentibus, necnon Civitatibus, Univerſitatibus, & Collegiis hujuſmodi, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac, ex quibuſcumque cauſis, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam negotio ipſo cum quibuſvis S.R.E. Cardinalibus, ac per ipſum Pium forſan accitis com-* D *municato, & maturè diſcuſſo, ac de illorum, non tamen duarum ex tribus partibus Cardinalium hujuſmodi, conſilio, & unanimi conſenſu, etiamſi Capitulorum, Eccleſiarum, ac Conventuum, & Monaſteriorum hujuſmodi ad id acceſſiſſet aſſenſus, ac etiam ob remunerationem laborum, & recompenſationem pecuniarum, cujuſvis qualitatis, & quantitatis forſan Cameræ Apoſtolicæ, & Sedi, in ipſius neceſſitatum ſubventionem ſolutarum, & ex quibuſvis condi-* E *tionibus, pactis, et reſervationibus, et aliis, etiam neceſſariò exprimendis, cauſis, ac aliàs quomodolibet per dictum Pium factas; etiamſi conditiones aliquas Reges, Reginæ, Duces Marchiones, et aliæ Perſonæ, nec non Civitates, et Univerſitates, Confraternitates, et Collegia hujuſmodi tenebantur, executioni demandata forent: revocavit, caſſavit, et annullavit, ac pro nullis, caſſis, excìſis, et infectis omninò haberi voluit: volens,*

lens, et decernens, quòd, Eccleſiarum, et Monaſteriorum prædictorum occurrente vacatione, nulla expectata præſentatione, ſeù nominatione perſonarum, vel cujuſvis præſentatione; Eccleſiis, et Monaſteriis præfatis, perſonæ idoneæ per eum, et pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem præficiantur, ac inhibeatur. Irritum quoque, etc.]

XV. Ubi hoc Pii decretum innotuit, gravitèr commotos Principes eos viros, cœteroſque, qui, quæ diximus, Pii Quarti diplomata obtinuerant, conclamatamque fuiſſe injuriam, divinare facile eſt: hinc clamoribus cuncta repleta, & ad Pontificem ipſum importunæ delatæ querelæ. Verùm Pius in ſententia immobilitèr perſtitit; nec minis, nec alia quavis re, ab arrepto conſilio ſe abalienari eſt paſſus, utpotè qui, priuſquàm rem aggreſſus fuiſſet, ritè, ac prudentèr ſecundùm Deum, perpenderat, agnoveratque, ità majorum, vel ſequenda exempla, vel excuſanda eſſe geſta; ut tamen ex his nil prorsùs, vel Dei obſequio, vel publicæ Eccleſiæ utilitati, vel Apoſtolicæ dignitati detractum eſſet: ubi enim horum aliquid in periculum adductum foret, nullius gratiam quærens, nullius odium pertimeſcens, Deo tantùm ſibi propoſito, nil aliud præterea quærendum curandumque cenſuit. Apertè id Epiſtolæ ab ipſo ſcriptæ teſtantur, quas hic meritò cenſuimus inſerendas, utpotè quæ, & verè Apoſtolicum Pii robur, ac libertatem; & ſimul à cupiditate ac ambitione omni alienum animum; ac unà demùm Chriſtianam ſimplicitatem, ac ſinceritatem perfectè exhibere videantur.

(Caroli Duci Lotharingiæ.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Ex Archiv. Vatic. *EX literis, quas à te nupèr accepimus, moleſtiùs, quàm putaviſſemus, te tuliſſe intelleximus, quòd Indultum tibi à fel. record. Pio Quarto, Prædeceſſore noſtro, conceſſum revocaverimus. Id ſanè fecimus, non quò minore, te, ac Domum tuam, benevolentia, quàm Prædeceſſor noſter proſequutus fuerit, proſequamur; neque quò minùs dignum te putemus, quàm hæc Sancta Sedes benignitate ſua complectatur; ſed cùm revocaverimus alia non pauca, quæ Prædeceſſor noſter inutilitèr, nimia quadam facilitate conceſſerat, illud quoque tuum Indultum revocavimus. Debetis autem, tu, & alii Principes, quæ in hoc loco conſtituti agimus, in bonam partem accipere, nec ea in veſtram contumeliam vertere. Cogitare debetis, Nos, ſine debita circumſpectione, & deliberatione matura nihil agere. Volumus quidem in iis, quæ recta, & honeſta ſunt, & tibi, & cæteris Filiis gratificari: ſed, ſi in illis quoque, quæ concedi, confirmarique, nec vobis, nec Eccleſiæ expediret, neglectis Sacri Concilii decretis, gratificaremur, noſtro ipſorum officio nequaquàm ſatisfaceremus, neque Deo, cui rationem actionum noſtrarum reddituros Nos aſſiduè cogitamus, excuſare nos poſſemus, &c.* Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die 16. Octobris 1567. Pontific. noſtri anno ſecundo)

Ad Chriſtinam autem, Lotharingiæ Duciſſam, ac præfati Caroli matrem, quæ confirmationem Indulti, à Pio IV. conceſſi, quodve, decreto ſuo, Pius (ut diximus) infirmaverat, petebat; ſic reſpondit. XVI.

(Chriſtinæ, &c.

PIUS PAPA V.

Dilecta Filia, &c.

Ibid. ut ſup. *EX literis tuis nuper acceptis, Nobilitatem tuam duo à nobis deſiderare intelleximus, alterum, ut Chriſtianus Simoneta obtineat Archidiaconatum Eccleſiæ Tullenſis, ad quem nominatus fuit, alterum, ut Nobilitati tuæ, & Dilecto Filio, nobili Viro, Duci, nato tuo Indultum à felic. record. Pio Quarto Prædeceſſore noſtro conceſſum confirmemus, &c. De revocatione ipſius Indulti Nobilitas tua juſtam querendi cauſam non habet. Nos enim, ſalvo officio, & conſcientia noſtra, prætermittere non poſſumus, quin ea, quæ inutilitèr, & contra Sacrum Tridentinum Concilium, nimia noſtri Prædeceſſoris facilitate, conceſſa fuerunt, revocemus, quod in ſimilibus rebus jam fecimus, non, ut huic, vel illi Principi injuriam faceremus; omnes enim filiorum loco diligimus, & in iis, quæ recta, et honeſta, ipſiſque utilia*

lia fuerint, preces eorum exaudire parati ſumus; ſed quia, non ſolùm id officio noſtro convenire exiſtimavimus; verùm etiam ipſis Principibus expedire, ſæculari ſua poteſtate contentos, non appetere hujuſmodi Patronatuum, & nominationum Jura. Quapropter æquo debes animo, noſtro de hac re judicio acquieſcere, neque ità id accipere, quaſi parvam rationem habeamus tuæ, & Filii tui Ducis devotionis, ac fidei, erga Sedem Apoſtolicam. Nos verò eo vos nomine paterna charitate proſequimur; ſed Catholicis Principibus, & hujus Sanctæ Sedis devotis filiis nihil dignius eſt, quàm ea, quæ à Nobis fiunt, in bonam partem accipere, nec de noſtris judiciis judicare. Nos enim ſine cupiditate ulla agimus ea, quæ ad obſequium Dei, & animarum ſalutem, & bonum Eccleſiæ regimen pertinere, diligenti priùs deliberatione, & conſideratione adhibita judicamus: illud aſſiduè cogitantes, Nos actionum noſtrarum rationem Deo eſſe reddituros. Confidimus autem, & Nobilitatem tuam, & ipſum Ducem, poſtquàm hæc ſecum diligentiùs perpenderint, id quod egimus eſſe, ut veſtra pietate, & moderatione dignum eſt, facilè probaturos. Datum Romæ, die 16. Octobris 1567. Pontific. noſtri anno ſecundo.)

XVII. Præ cœteris verò, quibus præfatum Pii decretum permoleſtum fuit, Sebaſtiano Luſitaniæ Regi grave admodùm extitiſſe, intelligimus. Alia præterea nonnulla evenerant, ex quibus Regi ipſi Pius erga ſe animo abalienatus, nec eſſe, ut heri, & nudiùs tertius viſus fuerat. Alvaro idcircò de Caſtro, Oratori ſuo, apud Pontificem querelas, ſuſpicioneſque has ſuas deponere mandavit. En qua humilitate, comitateque Pius, apud Sebaſtianum ſe purgare, ipſiuſque animum delinire ſtuduit.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Sebaſtiano, &c.

[PIUS PAPA V.

Chariſſime, &c.

Ex Archiv. Vatic.

PEr Dilectum Filium, nobilem virum, Alvarum de Caſtro, Oratorem tuum, quatuor Majeſtas tua querelas ad Nos detulit, quibus ſingulis ità reſpondebi- A *mus, ut confidamus, M. T. ſincera voluntate noſtra, erga ſe meliùs perſpecta, ſatisfactionem noſtram accepturam.*

Queſtus es primùm, quòd, cùm huc veniſſet Orator Sereniſſimi Regis Poloniæ, ad præſtandam Nobis obedientiam, more, inſtitutoque aliorum Chriſtianorum Regum; cùmque is controverſiam moviſſet de dignitate, ac jure, ut, dicitur, præcedendi: Nos, perindè ac, ſi de Jure tuo ambigi poſſet, eum audiverimus: quæ res, quemadmodùm acta fuerit, B *ſi diligentiùs ad te, illo tempore perſcriptum fuiſſet, planè perſpexiſſes, nullam te juſtam habuiſſe querendi cauſam. Tantum enim tibi tribuimus, ut potiùs gratias Nobis agere, quàm expoſtulare debueris. Quid autem commodius facere potuimus, quàm ut illam controverſiam, ablegato tunc ejus Regis Oratore, ſine ulla Juris tui diminutione ſedaremus? Sed de hac re plura non dicemus, cùm jam per ipſum Oratorem tuum, virum, non minore prudentia, quàm fide erga te præditum, tibi de* C *hac re pleniùs ſatisfactum fuiſſe patemus.*

Quòd verò, cùm nonnulli ad Nos veniſſent, impedire conantes exactionem illius Eccleſiaſtici ſubſidii, quod à Prædeceſſore noſtro tibi conceſſum fuerat, contra pactiones inter te, & Clerum initas, & ab ipſo Prædeceſſore noſtro, & à Nobis etiam approbatas, illos audiverimus, & ſuperſederi ab ejus exactio- D *ne juſſerimus; literis, de hac re ad Dilectum Filium Cardinalem Patruum tuum, datis, debuiſti ea in re rationem habere officii noſtri. Nos enim, pro loco, in quo ſumus, & perſona, quam ſuſtinemus, quin quoſcumque, ad hanc Sanctam Sedem adeuntes, admittamus, & quæ proponere voluerint audiamus, prætermittere non poſſumus, nec debemus; præſertim Religioſas, Eccleſiaſticas perſonas. Sed ut falli, aliquandò, atque etiam errare ipſi poſſumus, (homines enim ſumus) ità cum errata noſtra ipſi agnoſci-* E *mus, ea ſine mora corrigere ſolemus, & ſi quid Nobis per obreptionem impetratum fuerit, revocamus; ſicuti tunc fecimus, ſuper ſubſidium, perpetuum ipſi Clero ſilentium imponentes.*

Eodem autem modo reſpondemus alii querelæ tuæ, de illo Religioſo ex Conventu de Thomar vocato, à Nobis audito, & illius negotii executione ſuſpenſa. In hac enim Sede conſtituti,

omnes

Digitized by Google

omnes ad Nos venientes, & gravari ſe, opprimivè à potentioribus querentes, audire debemus, præſertim tenues atque inopes. Nam qui magni, atque potentes ſunt, ſi non ità noſtro patrocinio indigent, ſed ſua illis dignitas, ac magnitudo ſatis reſpici ab omnibus cogit. Audiemus autem Oratorem tuum de ea re, & Pracuratores ejuſdem Conventus; & jis, quæ utrique propoſuerint, conſideratis, faciemus quod æquum eſſe, & licere, atque expedire cenſebimus.

Reſtat ut M.T. edoceatur à Nobis, qua de cauſa juriſpatronatus Monaſteriorum Conſiſtorialium, quæ in Regno tuo ſunt, quod tibi à Prædeceſſore noſtro conceſſum fuerat, revocaverimus: ea verò res ità ſe habet. Poſt obitum felic. record. Pauli Papæ Quarti, Patris ſecundùm ſpiritum, & prædeceſſoris noſtri, cùm Collegium Ven. S.R.E.Cardinalium, ex quorum uumero tunc ipſi eramus, conveniſſet, ut mos eſt, ad creandum novum Pontificem, præter alia, quæ pertinere viſa ſunt, ad bonum Sedis Apoſtolicæ regimen, conventum inter eos fuit, ut quicumque de illis in eo officia eſſet ſucceſſurus, nemini juſpatronatus Eccleſiarum, ac Monaſteriorum Conſiſtorialium concederet, præterquàm in Conſiſtorio ſecreto, & de conſenſu ſaltem duarum partium Collegii: quam pactionem omnes ſervaturos nos eſſe juravimus. Creatus poſteà fuit felic. record. Pius Papa IV. qui aliquantò poſt tempore, id quod de conceſſionibus hujuſmodi ſe, cùm eſſet Cardinalis, in Conclavi obſervaturum juraverat, iterùm cùm eſſet Pontifex, juravit. Cùm igitur reperiſſemus, juſpatronatus in Eccleſia Mantuana, Ducibus Mantuæ, ab ipſo Prædeceſſore noſtro contra pactionem illam, bis jurejurando firmatam, tributum fuiſſe; facere non potuimus, quin eam conceſſionem irritam eſſe declararemus. Qua occaſione oblata, omnes hujuſmodi conceſſiones, ejuſdem Prædeceſſoris noſtri, in quibus forma illa ſervata non fuerat, revocandas duximus; præſertim cùm nonnullos Princeps, qui tale Jus impetraverant, illo abuſos compertum haberemus. In iis autem jus quoque tibi ab eo conteſſum revocavimus, non eo ſanè animo, ut te offenderemus, quippè qui nè id quidem Jus tibi conceſsum fuiſse ſciebamus; ſed legem noſtram generalem eſse oportuit. Ut Majeſtas autem tua

A *ſinceram voluntatem noſtram, & paternum erga ſe animum cognitum habeat: eorum ipſorum Monaſteriorum Conſiſtorialium, quæ in ipſa revocatione noſtra comprehenſa fuerant, adminiſtrationem, quò meliùs impoſterùm regatur, ſicut Majeſtatem tuam deſiderare ſcimus, nemini poſthac, quoad vixerit, concedendam; ſed per triennium tantùm, ſtatuimus: cuius rei literas expediri juſſimus. Hæc ſunt, quæ tuis quereiis reſpondenda eſse duximus; ex quibus intelligere*
B *poteris, minimè juſtam expoſtulandi tauſam te habuiſse, &c.* Datum Romæ, apud S.Petrum, die 27.Octobris 1567. Pontific. noſt. anno ſecundo] XVIII.

Sub ipſa die ad Henricum Cardinalem, Sebaſtiani Patruum, de rebus iiſdem, has quoque literas ſcribendas duxit.

(Henrico, Card.Portugalliæ, &c.

PIUS PAPA V.

C Dilecte Fili &c.

Ex Archivo Vatic.

EX multo, accuratoque ſermone nobilis viri, Alvari de Caſtro, Oratoris Regii, & ex tuis literis intelleximus, quàm moleſtè feras, voluntatem noſtram, ſicut ex quibuſdam literis noſtris ſuſpicatus es, immutatam fuiſse. Non potuimus autem, nec ipſi quidem non dolere, quòd in eam tibi ſuſpicionem venerimus, quem inter Ven: Fratres noſtros, vel pro tua ampliſſima dignitate, ac nobilitate,
D *vel pro tuis, iſto loco, & genere dignis virtutibus, ac præcipuè excellenti Catholicæ Religionis zelo, vitaque, ac moribus probatiſſimis, & plurimi ſemper fecimus, & eximia quadam charitate proſequimur. Sed, cùm ſuſpitionem tuam ex iiſdem rebus ortam eſse intellexerimus, de quibus Chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex, ipſe quoque per eumdem Oratorem conqueſtus eſt nobiſcum; lectis literis, per quas ei reſpondemus, minimè dubitamus, ſinceram*
E *mentem noſtram in illis rebus, quæ tuum, & illius animum offenderunt, planè perſpectam, & probatam iri; nihil enim eo certè animo fecimus, ut vel Regem, vel te offenderemus. Quòd aures autem noſtræ patuerint aliquibus, qui ſe gravari putabant, eas à Nobis auditos eſse non mirum videri debuit: in hac enim Sede à Domino conſtituti, neminem ad eam venientem excludi ratia patitur afficii,*

officii, ac muneris noſtri. Omnium querelas patienter, etiam de Nobis ipſis querentium, audire debemus; ſuum tamen agnoſcendæ veritatis locum ſemper relinquimus. Et quia falli, atque errare, ut homines poſſe Nos novimus; Deo gratias agimus, quòd errata noſtra, ſine ulla pertinacia ſemper corrigere parati ſumus. Sed de ſingulis rebus Nos, in literis ad Regem, quas leges, & illi, & tibi ſatisfeciſſe confidimus. Te, omni ſuſpicione abjecta, planè perſuaſum habere volumus, nec de priſtina voluntate erga te, nec de judicio de te quicquam remiſſum, ac detractum eſſe. Reliqua ex Oratoris Regii literis, viri Nobis, & vobis meritò probatiſſimi, cognoſces. Datum Romæ, apud S.Petrum, die 27. Octobris 1567. Pontific. noſtri anno ſecundo.)

XIX. Eximia in his Pii epiſtolis elucet, ut innuimus, & animi fortitudo, qua ab ea rectitudinis ſemita, per quam ex officii ſui munere incedere ſatagebat, nec latum unguem inflecti paſſus eſt: & unà profundiſſima ipſius animi demiſſio, qua falli poſſe, in agibilibus hiſce rebus, ingenuè fatetur; ac ipſo tempore, ad corrigenda, quæ mala egiſſet, promptum ſemper paratumque ſe exhibet. Ex ipſis inſuper ritè elicere eſt, quòd, ſi conſcientiâ, & Apoſtolicæ Sedis dignitate, ac demùm univerſalis Eccleſiæ utilitate cogente, prædeceſſoris Pii errata quodammodò prodere compulſus fuit; (utpotè qui de iis, quæ ſanciverat rationem reddere teneretur,) id tamen ſic feciſſe, ut, & per diſciplinam Eccleſiam, & per humilitatem cuſtodiret ſeipſum: exiguitatiſque ſuæ memorem, (ut verbis utar magni Gregorii) ſibi in animo Pium Quartum etiam præpoſuiſſe, quem correxit, melioremque ſe judicaſſe, quem judicavit.

XX. Rursùs autèm, cùm vides Lector, Pium Quintum, prædeceſſoris ſui errata in medium proferentem: & ſe inſuper ipſum falli, atque errare, ut hominem poſſe, ultrò ingenuèque fatentem: agnoſco quæſò, quàm immeritò Janſeniſtæ, aliique hæretici hujus temporis contra Pontificiam infallibilitatem oblatrent. Coacervandis ſiquidem undequaque Summorum Pontificum criminibus perpetuò inſudant; innumeris propè editis voluminibus,

A erratorum eorum ſcientiam ingerere doctis, ac indoctis ſtudent; non ſemel, vel bis, ſed milliès nervoſiſſimè rejectas ipſorum criminationes, ac ſi quid novi eſſent, recantare, impudentiſſimè non verentur; ac ad magis excitandum in Pontifices ipſos livorem, ac odium, nos eò uſque infallibilitatis eorum dilataſſe fimbrias, fineſque volunt; ut indiſcriminatim nulla in re eos errare poſſe, vel potuiſſe aſſeramus, calumnioſè commentiuntur. Verùm, ad quid B impudentiſſima, inſidioſaque hæc ſtudia, niſi ut imperitis nebulas ignorantiæ offundant? Non modò nos, Pontifices ſummos errare poſſe concedimus, ſed ipſimet Pontifices, ubi opus fuit, alter alterius errata detexit; tantumque abſuit, ut ſe errare in rebus jam prædictis non potuiſſe, arbitrati ſint, quin è contra, uti homines cœteros, falli, decipi, errareque poſſe faſſi fuerint, admiſſoſque delere errores, ubi deprehenderint, paratos ſeſe protule- C rint. At, quid hæc cum infallibilitate in iis, quæ ſunt Fidei, & morum, ac in factis iis, quæ juri conjuncta ſunt? Hanc profectò ſolam, non aliam obtinuit Chriſtus Petro, ejuſque Succeſſoribus, dùm Patrem oravit, nè illius deficeret Fides, & ut eâ tutò poſſet confirmare fratres ſuos. Sed hæc obiter dicta ſint.

Quòad jus præcedendi, de quo in præfata Epiſtola Pius, injuſtè Sebaſtianum de ſe conqueſtum fuiſſe, ſcribit: XXI.
D mota jampridem de hoc inter Poloniæ, & Luſitaniæ Regum Oratores controverſia; ad illud tamen fortè ſpectat, quod in ſuo Diario refert Firmanus. Hoc ſiquidem anno, Pontificiæ Coronationis recurrente ſolemnitate, in qua cum Oratoribus aliis in Pontificio Sacello, Sacro adſtare Oratores etiam præfati debebant; eorum quiſque ea occaſione prætenſum jus ſtatuere decrevit; quapropter armato ſtipatus milite, ſe in Sacellum ipſum conferre E decrevit, vel ut vi priorem, quem occupaſſet, locum tueretur; vel, ut ab occupato ab altero deturbaret. At rei admonitus Pius ſatius duxit in Sacellum ſe non conferre, & Sacro ea die ſolemni non intereſſe: quo ſapientèr utriuſque auſus eluſit.

Firman. Diar. ſub die 17. Ianuar. hujus anni.

Ut autem ad Pii Quarti indulta redeamus, ſciendum eſt, noſtro hoc tempore rursùs ea in medium proferre, XXII.

re, & quidem, Mantuanæ Eccleſiæ vacationis arrepta occaſione, nonnullos connixos eſſe; jamque res eò perducta videbatur, ut laicæ poteſtati tribuendum cenſeretur, quod à præfato Pontifice, diplomate exhibito, ritè, ac jure ei conceſſum adſtruebatur. Accidit autem, (Deo ſic diſponente,) ut de aliis acturus ad fel: mem: Pontificis Clementis XI. pedes me conferrem, à quo, neſcio quare, de his interrogatus, verbis primùm, deinde ſcripto abolita Pii Quarti diplomata oſtendi, ac derogatoria, quæ allata ſunt, Pii V. decreta exhibui. Quapropter factum eſt, ut his munitus Pontifex præſidiis, ſæcularis poteſtatis prætenſo rejecto jure, ipſaquemet poteſtate Sanctiſſimi Pontificis judicio piiſſimè acquieſcente, liberè quem libuit, Mantuanæ Eccleſiæ Epiſcopum præficere potuerit.

XXIII. Verùm & in his pariter, & in aliis ſuprà relatis, tali, tantoque ſtudio, quo Pius, quæ Eccleſiaſtici Juris eſſent cuſtodire, ac redimere à quovis connixus eſt, ſordis avaritiæ nil omninò immiſcuiſſe, illud profectò declarat, quod hoc ferè tempore dediſſe reſponſum apud Caracciam legitur. Cùm enim nonnulli, qui in vinculis erant, oblata pecunia, ab eo veniam deprecarentur; reſpondit, ſi eſſent judicio liberandi, ſe nihil prorsùs velle ab eis accipere, ſin judicio damnarentur, juſtum eſſe juſtam pœnam ſubirent; ideòque nihil eſſe, quòd pecuniis fiderent, ſed conſcientiæ, & veritati benè factorum. Quòd ſi ex his verbis laudandus magis videatur, quòd potuerit facere oblata mala, & non fecerit, quàm quòd egregio aliquo facinore, ab omni prorsùs cupiditate liberum animum oſtenderit; ſumma profectò ea liberalitas, qua pauperes eſt proſecutus, ac ſeveritas illa, qua etiam propriò damno, quamlibet populorum concuſſionem, quavis ratione factam evellere ſtuduit; in rebus Eccleſiaſticis vindicandis omni etiam prorsùs avaritia fuiſſe expertem, (ut in allatis paulò antè Epiſtolis ingenuè ipſe met confitetur,) rationabilitèr demonſtrant. Monti ſiquidèm Pietatis, unde pauperibus, abſque uſura, vel jactura aliqua mutuum datur, hoc anno decem millia coronatorum dono dediſſe Pontificem, in eorumdem pauperum ſubſidium, in præfatis apud Caracciam literis, ſub die decima octava Januarii hujus anni ſcriptis habetur; ex quibus etiam errorem Bzovii coarguere potes, qui perperàm in ſequentem annum id rejicit.

Epiſt. apud Carac. ſub die 18. Januar. 1567.

Vigeſima inſupèr nona die Maji hujuſmet anni, Motu proprio quorumcumque Commiſſariorum, ad quæcumque onera Cameralia, vel alia, ad Cameram, aut Apoſtolicam Sedem ſpectantia, exigenda deputatorum, facultates abolevit, ac revocavit; quòd ſibi injuncta munera ji acerbiùs, quàm par eſſet, exercuiſſe compererit, ac proprio commodo, & peculiari lucro, præter, & ultra modum inhiare dicerentur; multaque, ac gravia, variaque damna, injurias, vexationes, extorſiones, & gravamina provincialibus, ac ſubditis quotidiè inferrent. Peſtilentes igitur, atque inſaturabiles has Reipublicæ Hirudines, ſivè, ut vocant, ſanguiſugas omninò Pius ablegavit; lenitate, (ipſiuſmet ſunt verba) clementia, benignitate, & benevolentia ſubditos ſibi tractari volens, nihilque ab eis, præter Juris, & æquitatis debitum exigi, vel extorqueri, ac ſanctæ, piæque Matris Eccleſiæ jugum ſuave, & onus leve illos ſentire deſiderans. Additque, ſe ad nefarios eos homines eo munere deturbandos, ab eo quoque adductum, quòd, propter improbos Officiales, Princeps, quantumlibet bonus, & integer, malè audire conſueverit. Communitatibus igitur, ac Univerſitatibus, & illarum Rectoribus, & Præfectis, Cameralium jurium, atque aliorum onerum ſibi perſolvendorum exigendi munus dedit, quod, licèt minùs eis accomodatum, ac proprium cenſeretur; tamèn ſubditorum concuſſioni propriam jacturam, ac damnum præferendum exiſtimavit. XXIV.

Extat. in Bull. parvo pag. 62.

Qua verò Principis juſtitia, liberalitate, ac in ſubditos miſericordia, hujuſmodi peſtes è tota Eccleſiaſtica ditione exturbavit; Sacerdotali etiam ſeveritate his ſimiles, & deteriores alios, animo, omni cupiditate experte, eliminare è tota Eccleſia hoc ipſo ferè tempore contendit. Cùm enim plurium Indulgentiarum, & facultatum, per prædeceſſores Romanos Pontifices, ac etiam à ſe, Eccleſiis pluribus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Militiis, Confraternitatibus, Societatibus, aliiſque piis Locis conceſſarum vigore, quæſtores multos intellexiſſet, ex iiſdem XXV.

Indul-

Indulgentiis temporale tantùm lucrum A quærentes, eorumdem Locorum piorum nomine, in diverſis Civitatibus, ac Diœceſibus quæſtus facere, Confratres deſcribere, Cappellas, & Oratoria erigere; illiſque erectis Indulgentias hujuſmodi communicare, & in diverſis gradibus, à Jure prohibitis, diſpenſare, ac plura etiam concedere, quàm eis, vigore facultatum prædictarum, licitum eſſet; ipſoſque lucro intentos, pecuniaſque potiùs, quàm Chriſtifidelium ſalutem quærentes, B varios, ac diverſos Commiſſarios, Procuratores, Receptores, Factores, Nuncios, alioſque Miniſtros conſtituiſſe, qui, non ſolùm ſupradicta, ſed plura etiam alia, eis nunquàm conceſſa facere, & concedere auderent: necnon eò audaciæ deveniſſe, ut Locorum Ordinarios, eorumque in ſpiritualibus Generales Vicarios, Officiales, ac Miniſtros, Eccleſiarumque, ac Ordinum Prælatos, & Superiores, vel alios, quæſtum hujuſmodi impedientes, Cenſuris C Eccleſiaſticis innodare, aliaque in pluribus graviter excedentes, in Divinæ Majeſtatis offenſam, ac ſuarum, & Chriſtifidelium animarum perniciem, Ordinariorum perturbationem, & piarum mentium ſcandalum facere præſumpſiſſe; ad tàm ſacrilegam negotiationem ab Eccleſia Dei pellendam, mitioribus omninò remediis poſthabitis, morbi penitùs occaſionem cenſuit radicitùs præſcindendam; ideòque ſexto Idus Februarii hujus anni, omnes, D & ſingulas Indulgentias, quomodolibèt conceſſas, pro quibus conſequendis adjutrices manus porrigendæ eſſent, & quæ quæſtuandi facultatem quomodolibet continerent; perpetuo ſuo decreto revocavit, ac irritas reddidit. Et eadem etiam Conſtitutione decrevit inſupèr, ut impoſterùm, Indulgentiarum, ac facultatum per quoſcumque Romanos Pontifices obtentarum prætextu, etiam in Fidei, aut S. Cruciatæ E favorem, nullus omninò, cujuſcumque gradus, & dignitatis, vel Eccleſiaſticæ, vel temporalis extitiſſet, queſtus facere, aut Nuncios, Quæſtores, Commiſſarios &c. pro illis recipiendis conſtituere, niſi ex ſpeciali licentia, & ex certa ſcientia tunc exiſtentis Romani Pontificis præſumeret, vel auderet. Pratèr hanc verò Conſtitutionem, alteram inſuper Pium ediddiſſe, qua ad

Extat. in Bull. Magno Conſtitut. 38. pagin. 233.

quæſtum, Indulgentias, & Confeſſionalia publicari diſtrictè prohibuit, dicetur alibi. Eſt autem inter hujus Pontificis Conſtitutiones nonageſima nona, & incipit. *Quam plenum ſit &c.*

Extat. in Magno Bullar. pag. 302.

XXIV. Hoc eodem ſpiritu ductus, Hoſpitali S. Lazari Hieroſolymitani privilegia de Hoſpitalibus, & piis leproſorum locis revocavit; eo quòd Magiſter Conventus, ac ejuſdem Hoſpitalis fratres, ſuorum privilegiorum obtentu, multa ſecùs, quàm par eſſet, conati, præ ſtudio habendi, quod ambiebant; neque ullius pietatis, neque Apoſtolicæ benignitatis modum erga ſe ponderantes, cœteros alios à regimine, cura, & poſſeſſione Hoſpitalium, & Religioſorum locorum, quæ ſub invocatione Sancti Lazari leproſorum aliquandò fundata, deindè aliis ſacris, & religioſis locis ritè unita, aut in eorum commodum ſuppreſſa fuerant; dejicere, ac quodammodò perturbare variis artibus commoliebantur. Huic militari Ordini, qui Sancti Auguſtini regulam profitebatur, ut ex Conſtitutione prima Alexandri IV. habetur, quæ incipit: *Cùm à nobis*, multa privilegia contulerat Clemens IV. in Conſtitutione ſecunda: *Cùm dilecti*, & Conſtitutione quinta: *Venerabilibus*: imò alii plerique Pontifices, quorum noviſſimus omnium Pius IV. ampliſſimas facultates dederunt, ut ex ipſius Pii IV. Conſtitutione: *Inter aſſiduas*, apparet. Verùm, cùm his abuterentur, (ut diximus,) eas Pius V. revocandas, explicandas, ac reformandas cenſuit. Qui verò Pio ſucceſſit Gregorius, militiam hanc alteri Militari Ordini S. Mauritii Martyris, ab Emanuele Philiberto, Sabaudiæ Duce, tunc recens inſtituto, univit, perpetuoque ejus regimini ſubjecit; ut in ipſius Gregorii Conſtitutione ſexta *Chriſtiani*, & ſeptima, *Pro commiſſa*, videre eſt. Quam unionem, paucis additis, Clemens quoque VIII. in Conſtitutione centeſima ſecunda: *Decet*, comprobavit.

Extat. in Bull. parvo pag. 66.

XXVI. Notandum eſt autem, duplices haberi ſuper revocatione Privilegiornm, ac facultatum præfati Ordinis Sancti Lazari, à Pio datas Apoſtolicas literas; quarum primæ quæ incipiunt: *Sicuti bonus Agricola*, datæ leguntur hoc anno, ſeptimo Kalend. Februarii, Pontificatus anno ſecundo, tùm ea, quæ huic militiæ privilegia adempta ſunt,

Extat. in Bull. Magno Conſtitut. 28. pagin. 204.

ſunt, tùm ea, quæ eidem licere, ac A manere declarantur, continent; extantque in magno Bullario, & in ordine Conſtitutionum Pii, vigeſimum octavum locum obtinent. Aliæ verò, quæ de revocatione privilegiorum dumtaxat agere videntur, in parvo Pii Bullario, ſeorſim impreſſo, leguntur, vulgatæque habentur, undecima die Menſis Auguſti hujusmet anni, Pontificatus ſecundi; illarumque eſt initium: *Graves ad nos quotidie &c.* Ut autem eas gratias, facultates, ac pri- B vilegia Pius ſuſtulit, quibus ſuffulti nonnulli, ex ſpecie pietatis, terreno quæſtui turpitèr ſe dare poterant; ſic amplificanda, & confirmanda ea duxit quæ in Eccleſiæ tantùm utilitatem cedere proſpexit, nulla prorsùs propriæ emolumentorum jacturæ habita ratione, ut patet in iis, que vigeſima tertia Octobris hujus anni decrevit: ſpolia ſiquidem Monachorum Ordinis Ciſtercienſis ad Monaſteria, & Loca, in quibus Monaſticam profeſſionem emi- C ſiſſent ſpectare voluit, & Commendatariis, aut Apoſtolicæ Cameræ Commiſſariis nullum in eis ſibi jus aſſumere, diſtrictè prohibuit. Id autem ab eo decretum cognoſcitur, occaſione quòd in Monaſterio de Caſamari, Verul. Diæceſ. Ordinis Ciſtercienſis, defuncto Priore, Fulvius Philonardus Clericus, qui, ex diſpenſatione Apoſtolica, illud in Commendam obtinuerat, in gravem ipſius Monaſterii Conventualis menſæ jacturam, præfati Prioris bona in pro- D prios convertere uſus contenderit.

Bull. parvo pag. 66.

Extat. in Bull. magn. Conſtiut. 46. pag. 241.

XXVIII. Dum verò negotia, ac lucra, quæ contra Divina, ac humana jura contrectabantur, ſic Pius deſtruere, ac evellere ſtuduit; quæ juxta leges, & juſtitiam fieri poterant, eodem tempore promovere omni conatu haud deſtitit. Lanificium enim ipſe in Urbem induci curavit, multis aureorum millibus, (quos centum millia fuiſſe Catena ſcribit,) ad id expenſis, ampliſſimoque Privilegio, artis ejuſdem E Conſules, nonis Septembris hujus anni, cognoſcendi, nimirum, cauſas, ad artem ipſam ſpectantes, tradita iiſdem Juriſdictione, inſignivit: quam deinde Conſtitutione ſua ſexageſima prima, cui initium, *Urbem*, Gregorius XIII. approbavit; & ſua altera 14. *Cùm aliàs*, Sixtus V. extendit.

Extat. in Magn. Bull. Conſtit. 41. pag. 238.

XXIX. Nec in modicum ejuſdemmet Ur-

bis commodum moderatio etiam ceſſit, dotium, munerum, & ornamentorum quarumcumque mulierum, nuptiarum etiam tempore, quam Senatus, Populuſque Romanus, hoc ipſo tempore edixit, Pio id primùm ſuadente, & deinde, diplomate, non. Kal. Julii hujus anni expedito, approbante: hac ſiquidem ratione cautum eſt, nè immoderatis ſumptibus civium domus, totius Reipublicæ damno, exhaurirentur. Cùm tamen uſu, comperta conſtricta nimis ea lex poſtmodùm viſa eſſet; altera moderatioe, mitiorem eam reddidit Sixtus V. Conſtitutione ſua quinquageſima ſecunda, *Cùm in unaquaque*, doteſque ad quinque millia, & quingenta ſcuta auxit.

Extat. in Bull. Conſt. 39. pag. 225

Extat. in Bull.

XXX. Cùm autem Pius, juxtà Sapientis monitum, judicans terram, juſtitiam diligeret, (ut apparet ex literis apud Caracciam, die quarta Januarii hujus anni ſcriptis) omnibus Gubernatoribus Pontificiæ ditionis, quos Pius IV. præfecerat, ſuos Magiſtratus abrogavit, noviſque creatis, nè cujuſquam perſonam, aut vultum in judicio reſpicerent, vel vererentur, omnibus imperavit; ac nè Patrum quidem Cardinalium, quorum fortaſſis interceſſione uti contigeret, ſi cauſa aliqua committeretur, ullam rationem haberi voluit, & Conſtitutionem quinquageſimam ſecundam, *Et ſi cuncta*, ab eodem Pio IV. editam, de condemnatis & bannitis non audiendis, niſi in carceribus conſtitutis, & defuncti hæredibus citatis; & ut etiam, contra condemnatos in contumaciam, & in quacumque inſtantia, pro quacumque pœna corporis afflictiva procederetur; vulgato, hoc anno, die duodecima Julii, motu proprio, ampliavit, & extendit.

Extat. in magn. Bull. Conſtit. 40. pag. 216.

XXXI. Antiquam etiam in Urbe conſuetudinem, ut curſu equorum, aſinorum, bubalorum, & hominum, ad bravia, à Romano Senatu propoſita, à Capitolio ad Vaticanum, Apoſtolorum Principis forum contenderetur, Pontifex abſtulit; curſuſque hujuſmodi, in viam, ut priùs fuerant, Flaminiam ad Capitolium, hoc eodem tempore rejecit. Quinimò, Conſtitutione, Kal. Novembris hujus anni data, Taurorum, aliarumque ferarum beſtiarum agitationem, toto Orbe diſtrictè prohibuit; votaque, & juramenta deſuper adhibita, irrita declaravit; ac à ca-

Extat. in magn. Bull. Conſtit. 48. pag. 241.

cæritate & pietate Chriſtiana, hujuſmodi cruenta ſpectacula, aliena edicens, dœmonumque, non hominum digna; quemlibet, qui iiſdem cùm intereſſet, mortuus fuiſſet, Eccleſiaſtica carere ſepultura, decrevit. Clericis verò, tàm regularibus, quàm ſæcularibus, Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, vel in ſacris Ordinibus conſtitutis, ſub excommunicationis pœna, nè ipſis ſpectaculis intereſſent, digna prorsùs ſeveritate prohibuit. A

XXXII. Regularium autem ſingularem B
Extat. in Bull. Conſt. 31. pag. 214 ſollicitudinem gerens, ſeprimo Idus Februarii hujus anni, Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum privilegia, à Prædeceſſoribus Pontificibus conceſſa, confirmavit, ac auxit. Novis plurimorum indultorum conceſſionibus Ordines Fratrum, ac Monialium mendicantium inſignivit, atque circa ea, Tridentinum Concilium, Conſtitutione edita decimo ſeptimo Kal. Junii, declaravit, & extendit,
Extat. in Bull. Conſt. 41. pag. 227. ipſorumque Indultorum communicationem aliis regularibus Ordinibus impertitus eſt. Revocata tamen ab ipſomet Pontifice eſt indultorum hæc Conſtitutio, quo ad examen, & approbationem Confeſſariorum, per Ordinarios facienda, altera edita an- C
Extat. in Bull. Conſt. 133. no 1571. *Romani*, & tandem Gregorius XIII. in Conſtitutione ſua nona, cui initium, *In tanta*, omnia hujuſmodi privilegia ad juris communis, & Tridentini Concilii terminos reduxit; ità ut ea tantùm Mendicantibus indulta manſerint, quibus ante hujuſmodi Bullas, Mendicantes ipſi fruebantur, nec Tridentino Concilio adverſantur. D

XXXIII. Sed quia nonnulli Locorum Ordinarii, juxta Tridentini Concilii Decreta, clericorum Seminariis conſtruendis animum intendentes, Mendicantium Ordines, qui bona ſtabilia, ex Indulto, & diſpenſatione Apoſtolica, retinere poterant, & propterea verè ac propriè Mendicantes eſſe non videbantur, ad eorumdem Seminariorum ſubſidium, aliaque hujuſmodi ſubeunda onera compellere voluerunt; ideò Pontifex, tùm Ordines, qui verè inter Mendicantes recenſeri debuiſſent, tùm illos, de quibus loquimur, à præfatis omninò oneribus immunes, Con- E
Extat. in Bull. Conſt. 44. pag. 219 ſtitutione edita, tertis die Octobris hujus anni, declarandos cenſuit. In ea, Mendicantes Sancti Dominici, S. Franciſci, S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordines dixit, illiſque etiam Servorum B. Mariæ Ordinem addidit, eorumque omnium Domos, ac Monaſteria, etiamſi in communi, propris bona, tam mobilia, quàm immobilia, & ſtabilia, ac alia quæcumque poſſediſſent; Mendicantium tamen nomine, & omnibus, & ſingulis Mendicantium privilegiis, ac exemptionibus gaudere poſ- Extat. in Bull. pag. 212.
ſe conceſſit. Sed & aliis inſuper Conſtitutionibus Mendicantium Ordines auxit; nàm edita ea, quæ incipit: *Ex ſupernæ*, decimo ſeptimo Kalend. Septembris, Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſtini Lateranen., & S. Salvatoris, & S. Crucis Olimbrien., & Monachos S. Benedicti, Congregationis, & Ordinis Caſſinenſis, Montis Oliveti, Valliſumbroſæ, Ciſtercienſes, Chartuſianos, Camaldulenſes, & S. Hieronymi Hiſpaniarum; & Fratres militiæ Jeſu Chriſti, reformatorum nuncupatorum Regni Portugalliæ, inter Mendicantes retulit. Alia data ſub die nona Novembris, Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula Ordinem, Extat. in Bull. conſt. 49. pag. 243
inter Mendicantes pariter comprehendi, eorumque gratiis, & privilegiis perfrui declaravit: alteris demùm Apoſtolicis literis, die decima octava Novembris datis, Congregationi Fratrum S. Hieronymi, Jeſuatis nuncupatis, idem indulſit.

Cæterùm, cùm pluriès contigiſſet, XXXIV.
nonnullos fratres, tàm Ordinis S. Franciſci Capuccinorum, quàm alterius S. Franciſci de Paula Minimorum, de uno Ordine ad alium, etiam abſque ſuorum Præfectorum permiſſu, demigrare conſueviſſe; unde ex hoc perturbationes, ac ſcandala, inter utriuſque Ordinis ſodales, haud raro exorirentur; Conſtitutione, ſexta die Octobris hujus anni data, neminem impoſterùm ex fratribus Cappuccinis, ad Ordinem Minimorum; & ex Minimis ad Capuccinos, permittentibus etiam eorum Ordinum Superioribus, Extat. in Bull. Conſt. 45. pag. 240
tranſire poſſe Pius mandavit. Hanc deinde Conſtitutionem Xiſtus V. extendit, dum Capuccinis, Fratres de Extat. in Bull. Conſt. 10. Xiſti V.
Obſervantia recipere omninò etiam prohibuit. Quæ autem ad Ordinis Humiliſtorum reformationem pertinent, inferiùs ponentur, uti cætera, quæ ad reformationem quorumdam ſo-

ſodalium S. Franciſci ſpectant. Cùm editæ à Pontifice de illa Conſtitutiones ſequenti anno appareant; immeritò idcircò à nonnullis ſub preſenti adnotari agnoſcuntur.

XXXV. Magnum verò fuit hoc anno, Pium inter, & Societatis Jeſu Presbyteros negotium, ut Sacchinus in ſua ejuſdem Societatis hiſtoria narrat, his verbis. [*Romæ Pontifex, qui adhuc Societatis opera peramanter uſus, eximia voluntatis in eam ſuæ documenta præbuerat, ingentem terrorem fecit, nè quid in ejus Inſtitutis novaret. Chorum in ea deſiderabat, & quibus utimur, ſimplicia vota, ſubiniqua ajebat videri, quòd nequaquàm partem utramque par nexus adſtringeret, ſed Societas, ſua libertate nihil imminuta, obligatos ſibi alumnos teneret. Duobus his capitibus haud dubiè nervi incidebantur hujus Ordinis, totuſque commutabatur. Inde Patres ipſius, juſſu Pontificis, ſeduló collectas, utraque pro re, ſcripto, rationes, Cardinalibus, Concilio Tridentino ad uſum revocando præpoſitis tradidere, &c. Hæc adeò manifeſta, & valida rationum monumenta, cùm conſideraret Pontifex, reſpondit: quòd pertineret ad Vota, ea ſibi probata; de choro autem, cùm ad eum Borgia, & Pollancbus, alia cauſa adiiſſent, ita eſt locutus: Vidiſſe ſe, quas Patres, per Cardinalem Pacecum propoſuerant, cauſas, nulla earum omninò ſibi perſuaſum; itaque etiam tùm exiſtimare, ad excitandam invicem pietatem, pſalmodiam in commune habendam; itá tamèn, ut Scholaſticis nequaquàm ea re diſtinerentur; & quibus horis non intereſſes populus, ſatis fore diceret, ſi pauci, atque adeò duo interdum Chorum facerent; ac laudare ſe, nè tempus canendo tererent, ſed ut pronunciarent intelligentèr, brevique perſungerentur. Æquum tamèn eſſe ex occupationibus intervalla ſumi, quibus vacarent ſibi; nè caminos purgantium inſtar, ſordibus detergendis ſordeſcerent. Ubi, cùm Pollancbus, quantum ad id curæ, quotidiana meditatione, & gemina dici cujuſque recognitione, ac retractatione adhiberetur, dixiſſet: nihil* (inquit) *meditationem Chorus impediet. Inde rogavit Borgia, ut liceret differre, quoad Sacerdotalium precum Breviarium, quod ejus Sanctitatis juſſu, è Concilii Tridentini*

Sacchin. Hiſt. Soc. Ieſu par. 1. lib. 3. pag. 91.

A *decreto reſtituebatur, in lucem prodiret. Quod cùm facilè impetraſſet, nihil tùm innovatum eſt.*] Sic ille, qui cùm dicat, ex Borgia, hoc anno, Pium reſtitutioni Breviarii incubuiſſe; ſcias eam anno tantùm ſequenti abſolutam, & Pii Conſtitutione vulgatam, ut ſuo loco dicendum erit. Proſequitur deindè Sacchinus. [*Agebant jam propè ſecuri, ſeque defunctos procella ſperabant, cùm circa Natalitia Domini ſolemnia, in quibus Socii aliquot erant*
B *ad Sacerdotium evebendi, cognoſcunt, Pontificem ſuo in Urbe Vicario imperaſſe, nè quem Religioſorum, nè de Societate quidem, niſi ſolemnia vota profeſſum, ad Ordines ſacros recipiat, ea gratia, nè poſtea, ſi fortè dimiſſi eſſent, aut mendicandum Sacerdotibus, aut ſordidus exercendus quæſtus eſſet, cum dedecore Ordinis, quod Concilium Tridentinam vetat. Detulit P. Franciſcus privilegia Societatis ad Cardinales, rebus Concilii Tridentini cognoſcendis*
C *præpoſitos. Hæc ita probata ſunt Cardinalibus, ut reſponderent, poſſe Societatem ſuum tenere inſtitutam. Conditionem tamèn quidam adiiciebant gravem, & perniciosſam, ut ſi uſu aliquando veniret, ut dimiſſo cuipiam abundè non ſuppeteret, ad vitandam ſacri gradus ignominiam; ipſa, quod ſatis foret, Societas ſubminiſtraret. Quod & onus intolerandum Societati in ſumma ſua inopia erat, & contra omne Jus videbatur, ut quis ex noxa,*
D *pœnaque lucrum faceret, & defectionum erat illecebra, cùm & extra diſciplinæ jugum, extraque omne negotium, perverſis hominibus alimenta proponerentur, quibus intra cœnobia, ſive religioſæ obedientiæ labore, frui non poſſent. Viſus eſt initio Pius Pontifex, quod placuerat Cardinalibus comprobare. Illud deindè vitandæ mendicitatis conſilium, per ſubſidia, quæ Societas ſubminiſtraret, parùm æquum, nimiumque periculoſum ratus, iterum*
E *Cardinales eoſdem rem juſſit cognoſcere. Qui, cùm convenienter priori ſententiæ pronunciaſſent, ut quos Societas arbitratu ſuo amandaret, ſi quando mendicitas urgeret, eis ſubſidio ipſa iret, Pontifici demùm ea ſtetit ſententia, ut exiſtimaret conſultius, Religioſos quoque Societatis, profeſſione priùs, quàm ſacris Ordinibus obligari; idque ſeptimo Kal. Junii anni* 1567.

Digitized by Google

Alciatus Cardinalis, Pontificis nomine, præcepit Borgiæ; & anno proximo, Concilii Tridentini decretum, nè ſæculares Sacerdotes, ſine certis vitæ ſubſidiis fierent, ad Religioſos quoque non profeſſos, edito diplomate voluit pertinere, &c.

Sed, cùm Pio V. illud viſum eſſet in votis noſtris adhibendum temperamentum, quamvis plura, & maxima importaret incommoda; tamen P. Franciſcus, divina plenus fiducia, maximèque ſe optima jubentis mente, atque obſequii virtute conſolans, reſpondit: Societatem, quæ cunctas nationes Eccleſiæ Romanæ, Vicarioque Chriſti vel reddere, vel conſervare obedienter conatur, multò ipſam magis in poteſtatem ejus futurum: continuòque agitari eſt cæptum, quemadmodùm, minimo cum boni publici detrimento, Sanctiſſimi Patris fieri imperata poſſent. In omnia mentem verſantibus, unum occurrebat levamentum, ut quibus ſuppeteret facultas, non tamquàm Religioſi, paupertatis voluntariæ nomine, ſed Eccleſiaſtici redditus, vel patrimonii titulo initiarentur. Verùm, conſultis, per literas, Provinciarum Præpoſitis, ſumma cum P. Franciſci approbatione, viſum eſt omnibus, obediendum ſimpliciter. Id diſciplinæ, id paupertati Religioſæ, idem voluntati Pontificis congruentius fore. Itaque leviſſimum incommodum habuere, uti paulò accuratiore delectu fierent Sacerdotes, iique trium ſaltem votorum profeſſione ea cauſa obſtringerentur, ex quibus deinde legerentur idonei, ſuo tempore vota quatuor è Societatis legibus edituri.]

XXXVI. Hactenùs ille; cujus teſtimonium in his quæ ſcripſit, licèt meritò recipiendum cenſeamus; majori tamen diligentia temporis, quo hæc acciderunt habuiſſe rationem, nos deſideraſſe fateri cogimur. Cùm enim aſſerat, circa Natalitia Domini ſolemnia hujus anni, Pontificem ſuo in Urbe Vicario imperaſſe, nè Religioſorum quempiam ad Sacros Ordines reciperet, niſi ſolemnia profeſſionis vota emiſiſſet; ideòque Patrem Franciſcum privilegia ad Cardinales, rebus Concilii Tridentini cognoſcendis præpoſitos detuliſſe, &c. ac Pontifici demùm eam ſtetiſſe ſententiam, ut conſultius Religioſos quoque Societatis profeſſione priùs, quàm ſacris Ordinibus obligari exiſtimaret; Idque ſeptimo Kal. Junias anni 1567. ab Alciato Cardinali, Pontificis nomine, præceptum Borgiæ: hac profectò ratione controverſiam hanc, ac litèm priùs finem, quàm principium habuiſſe ſignificare videtur; cùm nempè Decembri hujus anni incœperit, & Junio, ejuſdem Pii præcepto, eidem finis impoſitus fuerit. Errorem inſuper confirmat, cùm poſt id addit, anno proximo Concilii Tridentini decretum, nè ſæculares Sacerdotes ſinè certis vitæ ſubſidiis fierent, ad Religioſos quoque non profeſſos, edito diplomate, Pium pertinere voluiſſe; nàm, cùm certum ſit, ſequenti anno, ut ſuo loco dicendum erit, Diploma hujuſmodi editum fuiſſe, ut ipſe fatetur; & controverſiam cum Jeſuitis agitatam, & præcepto Pontificis abſolutam hoc præſenti, magis oſtendit.

Arbitramur igitur eſſe potiùs dicendum, ſub finem hujus anni Pontificem ſuo in Urbe Vicario mandaſſe, nè Religioſorum quempiam ad Sacros Ordines reciperet, niſi regularem priùs profeſſionem emiſiſſet: quo Pii præcepto Societatis Alumni perculſi, Privilegiorum ſuorum exhibitione ei obedire protelaſſe, uſque ad Kal. Junias ſequentis anni, quo, pridiè Idus Octobris diploma Pius edidit, in quo, ut diximus, Concilii Tridentini decretum, *Cùm non deceat*, ad Regulares quoque non profeſſos extendit. Huic parere Jeſuitæ, ſuperſtite Pio, compulſi ſunt; at eo è vivis ſublato, à Gregorio Decimo tertio priſtinæ Privilegiorum ſuorum libertati ſunt reſtituti.

Extat. in Bull. parvo pag. 207.

Concil. Trid. Seſſ. 21.

Quò demùm ad Clericos, vel Romam adventantes, vel in Urbe commorantes; Pii juſſu denuò Edictum illud vulgatum eſt à Jacobo Cardinali Sabello, quod præcedenti anno editum fuerat; & ut à laicis internoſcerentur, eidem hæc addita: (*Et quia uſu, & experientia compertum eſt, laicos, qui Clericalibus veſtibus uti conſueverunt, & utuntur, à Clericis non poſſe internoſci, quia levi, & modica differentia in bireti geſtatione utuntur: eiſdem, authoritate, commiſſione, & mandato, & vivæ vocis oraculo, noviſſimè nobis facto* [nempe à Pio] *monemus eoſdem omnes laicos, eiſque propterea præcipimus, & mandamus, ut infra decem dierum ſpatium, à publicatione præſentium computandum; biretum rotundum, cum ſuis* XXXVII.

Extat. in Bull. parv. pag. 205.

ſuis plicis, quo omnes laici utuutur, deferauc. Et qui præmiſſa non adimpleveriut, veſtium omnium, & indumeutorum amiſſionem, necnou quinquaginta ſcutorum auri, & carceris, aliamve arbitrio noſtro imponendam pœnam incurreuc &c.) Datum Romæ, die 30. Octobris 1567.

XXXVIII. Inter Clericos autem, debitas ſcelerum tandem pœnas luit hoc eodem anno, Romæ, Clericus Florentinus, & Apoſtolicus Protonotarius, quem alibi memoravimus, *Petrus Carneſecbius*, de quo hæc habet Thuanus, *Thuan. Hiſtor. ſub an. 1566.* qui cum Scriptoribus cœteris, de ipſo, anno ſuperiori egit. [*Initio ſtacim Poutificatus* (inquit de Pio agens) *magna ſevericatis exempla edidit, præcipuè in cauſa Religionis, conquiſitis peſſim, per Italiam, criminis hujus ſuſpectis &c. Magiſtrum Palacii Florentiam miſit, qui Petrum Carneſcbium, arctiſſima cum Mediceis neceſſicudine conjunctum, & diù Margaritæ, Sabandiæ Ducis Uxoris familiarem, dedi poſtularec. Is verò, cùm Pontificis literas Coſmo porrexit, Petrum, Coſmi ipſius menſæ aſſidentem invenit. Verùm Coſmus; qui gratiam Pontificis, obvio obſequio, & quavis alia ratione demereri in animum induxiſſet, neglecto amici periculo, eum, ſine ulla cunctacione tradidit, qui Romam perductus, accuſante eum Achille Statio, Luſicano, homine non illiterato, ſed preſtitutæ fidei, qui Carneſecbio ab Epiſtolis fuerat; convictuſque, quòd cum Sectariis in Germania, & iu Italia cum Victoria Columna, Marcbionis Piſcarii vidua, & Julia Gonzaga, lectiſſimis alloqui fœminis, de pravitate ſectaria ſuſpectis, amicitiam coluiſſec, tandem ad iguem damnatus eſt.*] Sic Thuanus, paucis mendacia multa complexus. Nos, quæ ab authenticis ſcripturis habuimus, in medium proferimus;

XXXIX. *Ex Archiv. inquiſ.* Anno 1540. Petrus Carneſecchius, Neapoli, Joannis Valdes Hiſpani, Marci Antonii Flaminii, ac Fratris Bernardini Ochini Senenſis diſcipulus fuit, & Petri-Martyris ac Galeazii Caraccioli familiaritatem coluit.

XL. Viterbii, ſequenti anno 1541. amicitiam ipſe, ac conſuetudinem cum præfato Flaminio habuit; & inſuper cum Victore Soranzio, Bergomenſi Epiſcopo, Apollonio Merenda, Aloyſio Priolo, Petro Paulo Vergerio, Juſtinopolitano Epiſcopo, Lactantio Ragnone Senenſi, Bernardini Ochini alumno, ac ſequaci: Valdeſianis, nimirum, Lutheranis, Zuinglianis, Calviniſtis hæreticis; & inſuper cum Balthaſſare Alterio, apoſtata, Lutherano, qui cum hæreticis, ac Proteſtantibus Germaniæ Principibus commercium habebat, ac librorum hæreticorum monopolium exercebat. Ut prætereamus, quòd Romæ educatus Carneſechius, ac pluribus Beneficiis, honoribus, ac penſionibus Eccleſiaſticis auctus, plures apoſtatas domi recipere, ac impenſiùs fovere; opera, & pecunia hæreticos, qui in Ultramontanas regiones, hæreſis cauſa, fugam meditabantur, auxilio eſſe, ſolemne habuit.

Per literas, quamdiligentiſſimè Juliæ Gonzagæ apoſtatas hæreticos duos commendavit, tantoque ardore, ac efficacia, tantiſque laudibus eos extulit, ac ſi Apoſtoli extitiſſent, qui ad prædicandum Æthnicis Evangelium mitterentur; & reverà Pſeudoapoſtoli illi, ea mente in Principis illius ditionem pergere commoliebantur; ut ibi, nimirùm, aſſimulata docendi literas ſpecie, hæreticis catechiſmis, praviſque opinionibus ſibi traditos pueros imbuerent. XLI.

His omnibus, ad Paulum III. anno 1546. delatis, Romam Carneſechium accerſiri jubet, & à Cardinali de Burgos, tunc Inquiſitore, in eum inquiri mandat. Illata ſibi facinora, ſemper negando, Carneſechius propulſavit, & hinc doloſè abſolutionem obtinuit. Relicta hinc Italia, in Gallias ſeceſſit, ubi plurimorum hæreticorum conſuetudine gaudens, eorumque libros legens, hæreticorum etiam tunc præcipuo, Philippo Melanctone, familiariter uſus eſt. XLII.

Anno autem 1552., in Italiam reverſus, & Patavii, ac Venetiis commoratus, antiquam cum hæreticis neceſſitudinem minimè prætermiſit; viciſſimque ab hæreticis aliquibus Genevenſibus, ac Italicorum hæreticorum in ipſa Civitate Miniſtris aliis, literis proſequutus eſt; & juxta ejuſdem facinoris participum depoſitionem, alioſque teſtes, ac probationes, Lutheranorum ſectæ in pluribus articulis adhæſit. XLIII.

Re comperta, Paulus Papa IV., XLIV.
ac

ac Cardinales, eo tempore Inquiſito- A
rum munere fungentes, ſub die 25.
Octobris anni 1557. decreto contra
eum libello, ut vocant, pœnali, ad
comparendum, ſexta die Novembris
ejuſdem anni perſonalitèr in jus Vene-
tiis vocarunt. Verùm, cùm venire
contempſiſſet, in cenſuras, pœnaſve in
præfato monitorio, ac libello, tàm
Romæ, quàm Venetiis, vigeſima quar-
ta Martii, anno 1558. vulgato, com-
prehenſas, ipſum incidiſſe declara-
runt. B

XLV. Contumax itaque, ac excommu-
nicatus Carneſechius cùm anno, & am-
pliùs perſeveraſſet, à Cardinalibus In-
quiſitoribus, ſexto Aprilis 1559. in
eum tandem, uti contumacem, ac hæ-
reticum, prolata ſententia fuit; quem
etiam, ſi comprehendi contigiſſet, ſæ-
culari brachio tradendum, ut punire-
tur, edixerunt. Ipſe verò, tantum ab-
fuit, ut hæreticorum conſuetudinem
dimitteret, quin potiùs ipſis conſi-
lium, ac opem conferret, iiſdemque C
frequens conviva aſſideret. Connixus
pretereà, ut falſæ ac hæreticæ opinio-
nes quædam in nonnullis Provinciis
vulgarentur, ac reciperentur; utpotè
qui Genevæ, majori puritate, quàm in
Catholicis regionibus, à Conciona-
toribus noſtris Evangelium prædicari
aſſereret.

XLVI. Transfugas, Genevam, vel in
alias Lutheranorum regiones, hære-
ticos quoſdam ſummoperè commenda- D
vit, quòd eò demigraſſent, ubi liberè,
juxtà propriæ conſcientiæ inſtinctum,
vivere poſſent; Sanctæ, Catholicæ, &
Apoſtolicæ doctrinæ, falſæ, ac ſuperſti-
tioſæ Religionis indito nomine. Tam-
quam ſuperfluam, ac ſcandaloſam Fidei
quoque Catholicæ profeſſionem, quam
procer quidam, in mortis conſtitutus
articulo, emiſerat, vituperavit, ac im-
probavit; ex eo præcipuè, quòd inter
alia, Pontificem, qui tunc Eccleſiæ
præerat, verum Chriſti Vicarium ac
Petri Succeſſorem eſſe confeſſus eſſet. E
E' contra verò, impiam, quæ ſub vi-
tæ ſuæ finem Valdeſius dixerat, aut fe-
cerat, majori prorsùs laude dignam
edixit.

Ægerrimè hæreticorum punitio-
XLVII. nem ferebat, atque ad eos ſcribens,
Noſtros, *Innocentes*, *Fratres*, *Pios*,
Amicos, *&* *Dei electos* vocabat. Et
quia Henricus Secundus, Galliarum
Rex Chriſtianiſſimus, acerrimè in eos
invehebatur; ideò infortunia nonnul-
la, imò mortem ei illatam, juſtæ Dei iræ,
qui ſuorum iniurias ulciſceretur, attri-
buit; juſtoque pariter Dei judicio im-
pium, ac ſacrilegum Ædium Inquiſi-
tionis incendium, poſt mortem Pauli
Quarti ſequutum, nefariè adſcripſit.

Hoc autem Pontifice è vivis ſu-
blato, innumeris artibus, fictiſque ex- XLVIII.
cuſationibus, licètdiù ante, ut dixi-
mus, tamquam hæreticus damnatus
fuiſſet, audiri nihilominùs à Pio IV.
obtinuit; atque à ſumma ipſius Pon-
tificis clementia, ea gratia impetrata,
nullis abiuratis, quibus publice adhe-
ſerat, erroribus, ut denuò in Eccleſiæ
gremium recipi mereretur, ac ſi ſem-
per innocens extitiſſet, ſubdolè abſo-
lutoriam ſententiam eſt conſecutus.
Quod facinus, utpotè omnibus dete-
rius, palàm ipſemet deinde confeſſus
eſt; nàm ſcripto, propria manu exara-
to, accuſationes, ac alia ſibi illata cri-
mina veriſſima eſſe, & è contra excu-
ſationes, & ea, quæ ad ſe purgandum in
medium attulerat, ficta omninò, ac ſi-
mulata fuiſſe apertiſſimè declaravit.
Hac tamen ratione præfatos duos, ut
diximus, Romanos Pontifices, Pau-
lum videlicet III. & Pium IV. fefellit,
atque à Pio ipſo, motu proprio, prio-
ris abſolutoriam ſententiam confirmari
impetravit.

Hoc tamen beneficio nihilo me- XLIX.
lior effectus, nec ab hæreticorum con-
ſuetudine Romæ, Neapoli, Florentiæ,
Venetiis, Patavii, aliiſque in Locis.
tàm Italiæ quàm extra abſtinuit: nec
eis pecuniâ ſubveniendi officium præ-
termiſit: nàm Petro Gelid, Sacramen-
tario hæretico, & Petro Leoni Mario-
nio, aliiſque, qui ſe Genevæ recepe-
rant, pecuniam multotiès ſuppedita-
vit. Nec minùs, poſt præfatam abſo-
lutoriam ſententiam, hæreticorum li-
brorum lectione oblectatus eſt, & præ-
cipuè Martini Lutheri, Petri Marty-
ris Calviniſtæ, & Apologetici Marci
Antonii Flaminii, pro peſtilenti libro
Valdeſii, cui titulus erat, *Chriſti Bene-
ficium*, contra Ambroſium Catheri-
num Archiepiſcopum exarati.

Sed quia inter eos, quorum ipſe L.
amicitiam colebat, nonnullos hæreti-
cos Sacramentarios, juxtà Calvini blaſ-
phæmias, de admirabili Euchariſtiæ Sa-
cramento, & Sacroſancto Miſſæ Sacri-
ficio

ficio impiè differentes deprehendit; eos Carneſechius ab ea ſententia abducere connixus eſt: non quidem ut illis Catholicam veritatem ſuaderet, ſed ut Lutheri alteram, de ipſomet Sacramento, ac Sacrificio, hæreſim amplecterentur.

LI. Tantis ſceleribus idcircò irretitum hominem Divina longanimitas diutiùs ſuſtinere noluit; quapropter, peſſimis ejus moribus, ac opinionibus Pio V. delatis, Florentiæ commorantem, ut anno ſuperiori narravimus, comprehendi, ac Romam adductum, Inquiſitionis ſiſti judicio mandavit; In quo, poſt varias tergiverſationes, & excuſationes, cuncta ſuperiùs narrata, & proprio ore, & propria manu exaratis Epiſtolis, vera eſſe fateri tandem compulſus fuit; ac triginta quatuor hæreticarum, erronearum, temerariarum, ac ſcandaloſarum opinionum, quas infra dabimus, impius ſectator repertus eſt: cùm literarum inſuper ſuarum teſtimonio, Genevam contendere decreviſſe, ut ei, quæ ibi impunè debacchabatur, hæreſi tutiùs adhærere poſſet, convictus eſſet.

LII. Expectabatur idcircò, ut licèt ſerò, tandem nihilominùs Carneſechium criminum pœniteret, quorum animadverſionem haud jam effugere valebat: ſed vir duri cordis, & incircumciſis auribus, nec tempori, nec duræ, qua obſtringebatur, neceſſitati ceſſit, ac admonitiones, ac pluriès iteratas, datas ei ad deliberandum inducias irritas reddidit; ita ut nullo modo adduci unquàm potuerit, ut errores abiiceret, ac in veræ Religionis ſinum rediret, ut Pius deſiderabat: qui præterita crimina, mitiùs quàm par eſſet, in eo plectere, ſi ea execratus fuiſſet, decreverat.

LIII. Tamquàm hæreticus igitur, impœnitens, incorrigibilis, hæreticorum fautor, ac receptator, bis ficte converſus, diminutus, ac veluti in utilis palmes, è vite præciſus, ab Eccleſiaſtico foro ejicitur, ac brachio ſæculari puniendus traditur, quod, capite plexum Carneſechium comburi juſſit. Decima autem ſexta Auguſti hujus anni in eum legitur ſententia lata, eique ſubſcripti paritèr leguntur Cardinales Inquiſitores.

B. Cardinalis Tranen.
S. Cardinalis Piſarum
F. Cardinalis Paceco
J. Franciſcus Cardinalis de Gambara.

LIV. In, aliàs memorato, Cardinalis Farneſii Diario, ſub die decimanona Septembris hujus anni, iſta habentur: [*Sanctiſſimus Dominus noſter hortatus eſt, & invitavit omnes Reverendiſſimos Dominos, ut accederent ad videndum, & audiendum abiurationem hæreticorum, quæ fieri debet die Dominico proximè futuro, in Eccleſia B. Mariæ propè Minervam.*] In Codice M.SS. verò originali, in quo præfata ſententia habetur: (*lata eſt hæc ſententia die Sabathi XVI. Auguſti 1567. die verò Dominico XXI. Septembris ejuſdem anni, in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam publicè recitata.*) Quæ autem in ea, coram Sacro Cardinalium Collegio, omnique populo, præcipuæ, impiæque recenſitæ ſunt Carneſechii opiniones, hujuſmodi fuerunt. *Diar. Card. Farn. pag. 181. 8.*

(1. *Juſtificatio per ſolam fidem, abſque ullis operibus noſtris, juxtà hæreſiarcam Lutherum in Epiſt. ad Galat. obtinetur.*

2. *Gratiæ, & ſalutis certitudo, ſecundùm eundem Lutherum, habetur.*

3. *Opera noſtra neceſſaria minimè ſunt ad ſalutem, quæ jam per fidem adepta eſt: neceſſariò tamen homo juſtificatus, quotieſcumque occaſio fert, vel ei vacat, operatur.*

4. *Hinc eliciebat, præfata bona opera, ad vitam æternam aſſequendam meritoria non eſſe; licèt poſt univerſalem reſurrectionem, potiorem gloriæ gradum obtentura eſſent.*

5. *Peccatum mortale non eſt jejuniorum tranſgreſſio, dummodò ex contemptu non ſit, eademque jejunia ad mortificationem tantùm utilia ſunt.*

6. *Liberum arbitrium, ex natura, ad malum habemus; & ante gratiam, ad ſolum peccatum.*

7. *Impoſſibilem eſſe Præceptorum Decalogi, ac præcipuè duorum priorum, & ultimi:* Non concupiſces, *obſervantiam, abſque efficaciſſima Dei gratia, & abſque magna Fidei, & Spiritus abundantia, quæ tamen in paucis invenitur; & hujuſmodi in mediocri quoque Chriſtiano non eſt, ſed perfectorum dumtaxat eſt, cujuſmodi Sancti Martyres, ac Eccleſiæ Doctores fuerunt.*

8. *Nul-*

8. *Nulli credendum, niſi Dei verbo in Sacris Scripturis tradito.*

9. *Non omnia Concilia Generalia in Spiritu Sancto congregata ſunt; ideòque non illorum omnium decretis, acquieſcendum eſt. (Notavit, quæ in Spiritu Sancto congregata cenſeri poterant.) Ambigebatque inſupèr, ad quos ea cogere pertineret, an videlicet ad Imperatorem, ad Papam, vel alios.*

10. *Cùm autèm videret, cæteris rejectis, Calvinum Sacramenta retinuiſſe duo tantum, Baptiſmum, videlicèt, ac Cœnam: (hoc enim nomine Sanctiſſimam Euchariſtiam nominare aliquandò conſuevit.) Lutherum, etiam Ordinem admiſiſſe; circa Sacramentorum numerum anceps fuit, & Ordinem, manuum impoſitionem vocare ſolitus fuit.*

11. *An à Chriſto, vel ab Eccleſia Confirmationis Sacramentum verè inſtitutum fuerit, dubitavit; quòd Confirmationem, non niſi promiſſionum in Baptiſmate factarum ratificationem crediderit.*

12 *Confeſſionem Sacramentalem de Jure Divino non eſſe, neque à Chriſto inſtitutam fuiſſe; idque, ex Scripturis probari non poſſe aſſeruit, eam tantummodò neceſſariam edicens, quæ Deo fit: ideòque Chriſtiano, in Sacramentali confeſſione, peccata, vel non aperire liberum eſſe; licèt confeſſionem hujuſmodi, utilem, ac conſolatoriam ei, qui confiteretur, quòad ſolatium, quod ex abſolutione ſumit, & quòad conſilia, & remedia, quæ indè accipit, ediceret.*

13. *Satisfactio, quæ in operibus ſatisfactoriis conſiſtit, à Sacerdotibus, pœnitentibus injunctis, neceſſaria non eſt, poſito quòd Chriſti merita ſuppleant, quæ ſufficientiſsima ad ſatisfaciendum pro totius Mundi peccatis ſunt. Hujuſmodi tamen opera, ad edomandam carnem, purificandumque ſpiritum bona ſunt.*

14. *Indulgentiæ nulli Sacræ Scripturæ teſtimonio innituntur. Inventum Paparum eſt, neque, niſi ſolis viventibus proſunt, quo videlicet ad pœnitentiam, ipſis, vel à Pontifice, vel a Sacerdotibus aliis impoſitam.*

15. *De Purgatorio vehementer dubitavit; imò poſt vitæ præſentis curſum, nec in rerum natura eſſe, credidit, & Chriſti ſanguinem, peccatorum* A *noſtrorum purgatorium extitiſſe, pervicaciſſimè putavit.*

16. *Secundum Macabæorum librum, in quo diſſertè de martuorum ſuffragiis agitur, apocryphum cenſuit.*

17. *In Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſubſtantiam panis remanere credidit; ita tamen, ut ibi etiam Corporis Chriſti præſentia, abſque tranſubſtantiatione exiſteret; juxta, nimirum, Lutheri hæreſim; cui ab anno 1543. adhæſerat: licèt aliquandò ei* B *quoque altera Calvini hæreſis arriſerit, de qua cum pluribus, & coràm, & per literas egit.*

18. *Satiùs eſſe duxit, quàm ſi ſub una, ſub utraque ſpecie laici communicarent.*

19. *Credidit, Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium non eſſe verè propitiatorium, niſi ex eo, quòd in nobis Paſſionis Chriſti memoriam excitat; & per conſequens Fidem, per quam peccatorum remiſſio impetratur.*

C 20. *Papam eſſe Epiſcoporum primum, non quidem authoritate, ſed ex quadam tantùm præexcellentia.*

21. *Papam, Romæ Epiſcopum dumtaxàt eſſe, & nullam ſuper alias Eccleſias poteſtatem habere, niſi quantum mundus ei deferret, ex eo quòd fuerit Petri Sedes, vel etiam ob dignitatem, & amplitudinem Urbis, & quòd tot millium Martyrum ſanguine decorata fuerit.*

22. *Romanos Pontifices ſibi majo-* D *rem, quàm à Deo acceperint, authoritatem in aliquibus uſurpaſſe, & præcipuè in Indulgentiis elargiendis, & aliarum Eccleſiarum ſuperioritate.*

25. *Per aliquod etiam temporis ſpatium dubitavit, an Romanorum Pontificum ſucceſſio in S. Petri Apoſtolatu defecerit.*

24. *Religioſorum, ac Monachorum nonnullas inſtitutiones, & Regulas, uti S. Benedicti, & alias improbavit; quòd deſidioſam vitam, ac inutilem* E *agerent*, quaſi fruges conſumere nati: *Uti etiam aliquos Mendicantium, & Saccorum regulas pariter execratus eſt; ex eo, nimirùm, quòd è pauperum manibus panem ſubtraherent; ſatiuſque fuiſſe edixit, ſi propriis manibus laborando, in ſudore vultus ſui vixiſſent.*

25. *Et licèt Religioſorum illorum, qui in Vinea Domini laborabant, & pro-*

Digitized by Google

proximorum ſaluti incumbebant, zelum comprobaret; nihilominùs zelum eumdem non eſſe ſecundùm ſcientiam exiſtimavit, quòd nimis opera in concionibus inculcarent.

26. *Quoad Cælibatum, magis, quàm abſtuliſſe, Presbyteris uxores reſtituere meliùs cenſuit.*

27. *Religioſos, caſtitatis voto ſe obſtringere, nec debere, nec poſſe; idque abſurdum eſſe, quia caſtitas, & continentia donum Dei eſt; ideòque niſi ab illis promitti poteſt, qui diuturna edocti experientia, hujuſmodi donum ſe à Deo accepiſſe noverunt: ideoque auctor fuit, ſuaſitque S. Benedicti Monacho, (æquè ut ille, hæretico, qui egreſſum è Religione moliebatur,) ut egrederetur.*

28. *Eadem de Monialibus, ac Virginibus, quæ ſe Deo dicant, ſenſit; idemque paritèr de ſimplici quidem, ſed perpetuo caſtitatis voto.*

29. *Dubitavit, an cujuſvis generis perſonas, peregrinationes, Eccleſiarum viſitationes, quæ, vel voluntariè, vel ex voto ſuſcipiuntur, decerent. Imò hanc peregrinationum ſuſceptionem, generatim omnibus Inutilem eſſe dixit.*

30. *Abſque ullo prorsùs delectu, omni cibo veſci licere, juxta comedentis conſcientiam; quod quidem fecit ipſe.*

31. *Peccatum mortale non eſſe, tranſgreſſionem jejunii, temporibus vetitis, iiſdemque cibis prohibitis uti; ſed plus, minuſque, vel ob ſcandalum, vel ſecundùm propriæ conſcientiæ, vel excuſationem, vel accuſationem peccatum eſſe.*

32. *Peccatum non eſſe, vel apud ſe retinere, vel libros vetitos, ſivè hæreticorum legere, ſed opus indifferens; & ſecundùm conſcientiam eorum, qui eos habent; Eccleſiæ videlicèt prohibitione non obſtante.*

33, *Cùm Chriſtus inter Deum. & homines unicus mediator fuerit, tamquàm quid ſuperfluùm, Sanctorum invocationem exiſtimavit, ac per aliquod tempus non invocavit.*

34. *Tandem cunctas hæreſes, & errores in præfato libro, de Beneficio Chriſti, contentos ſectatus eſt, falſæque doctrinæ, ac inſtitutioni, quam à Jo: Valdeſio, Præceptore ſuo didicerat, adhæſit.*

LV. Alia plura, ne tædio eſſent, ſtu-

A dio prætermiſimus. Ex his, quænam fides ei, quam propoſuimus, Thuani narrationi, aliorumque Hæreticorum commentis ſit adhibenda; facilè Lector agnoſces. At, ſicut Carneſechii crimina omni ſtudio imminuere connixi ſunt, ut innocentem prorsùs probarent; ſic ultra modum, criminum animadverſionem ſtudioſè auxerunt, ut ſeverum nimis, ac penè injuſtum Pontificem exhiberent; nàm igni traditum Carneſechium referunt, vafer- *Thuanus Hayedeger & alii.*
B rimè reticentes, viventi, an mortuo ignis admotus fuerit: cùm nihilominùs certum ſit, ob hujuſmodi cauſas Fidei, Romanam Eccleſiam nunquàm ſtatuiſſe, homines viventes comburi. Cùm verò Coſmo Mediceo detrahat, quòd amici oblitus, illum Pontifici tradiderit; meminiſſe debuiſſet Thuanus, Scripturæ ac Evangelio credentibus, Deum, ac fidem ejus, non amicitiæ modò, ſed cuivis etiam carnis, & ſanguinis neceſſitudini, imò animæ
C ipſi (eo nempè ſenſu, quo vivum corpus ſub animæ vocabulo intelligendum eſt) præponendam: ideòque omnia prorsùs humanæ amicitiæ jura meritò Coſmum proculcaſſe, ubi perverſi hominis operâ, fidei periculum animadvertit. Neque, ut ille excogitavit, ad captandam Pontificis tantummodò gratiam, ei Carneſechium conceſſit, ſed miro fidei prorsùs actus ardore id effecit; ut enim Hadrianus narrat, cùm Coſmus Carneſechium *Hadrian. Hiſt. lib. 19.*
D (uti ingenua familia natum, & qui ex ſtirpe Medicea Pontifici, nempè Clementi VII. ſervitio addictus fuerat) aliàs adjuviſſet, ut ſe delictis contra fidem, de quibus inſimulatus fuerat, purgare poſſet; ubi in hæreſi tandem pervicaci animo obſtinatum comperit, ut inſanabilem derelinquendum duxit, ac, ut ſua ulteriùs protectione indignum, ejecit; tanto fidei zelo, ac animi alacritate, (inquit Campana) ut ad Pium ſcribere, ut alibi
E diximus, veritus non fuerit, non Carneſechium modò, ob Catholicæ fidei incolumitatem, ſed Principem etiam filium, Pontifici vinctum, ſi res poſtulaſſet, libentiſſimè traditurum. *Campan. Vit. Philipi 2. par. 1. lib. 18. pag. 469.*

LVI. Quæ tandem impudentiſſimè de Achille Statio profert Thuanus, (prætermiſſis, quæ inſignis illius eruditionis præ omnium manibus verſantur, monumentis) ad ejus ſcientiam ac fi-

dem afferendam, teſtis, omni exceptione major accedat; iſque ſit S. Carolus Borromæus, qui, Pio IV. avunculo ſuo vivente, de Statio, has ad Cardinalem Luſitaniæ Infantem dedit epiſtolas; quas hìc inſerendas duximus, ne mendacis Scriptoris vitio, viro, de Chriſtiana, ac literaria Republica optimè merito, crimen injuſtè illatum permaneat. Eas ex inſigni Ambroſiana Bibliotheca accepimus, præcipua benignitate Franciſci, & Jo: Antonii de Saxis, eruditione, ac literis toto Orbe celeberrimorum, ipſæque hujuſmodi ſunt.

Ex Biblioth. Ambroſian. ſignat F. n. 384.

[*Achillem Statium, omni liberali doctrina expolitum, faciebam antea plurimi; at hoc tempore, cùm ſe nobis mirificè probaverit, dignum judicavi, quo, propter integritatem, & fidem non minùs, quàm propter ingenii facultatem, quæ in eo ſumma eſt, diligeretur. Nam longo intervallo rediturus Luſitaniam, cùm Sanctiſſimus D. N. eum liberaliter invitaret, ut eſſet apud* C *nos, hanc unam cauſam attulit profectionis ſuæ, quòd à Rege accitus, in cujus Imperio, ac ditione ſibi naſci contigerat, omnem vitæ ſuæ rationem ad illius authoritatem, & arbitrium contuliſſet, & quaſi voto adſtrictus, id conſilii cæpiſſet, quo nihil haberet ſanctius, aut antiquius. Quam Statii voluntatem, præſertim tàm egregiam, tàm gratam, tàm plenam officii, & pietatis, Sanctiſſimus Dominus Noſter. pro eo quanti Regem ſemper fecit, in* D *optimam partem accepit. Ego autem tanto amore ſum proſecutus, ut non minora probitatis, quàm doctrinæ ornamenta in eo proſpexiſſe videar. Itaque faciendum putavi, ut doctiſſimo viro, nihil tale à me petenti, ac nè quidem ſuſpicanti, hujus teſtimonii laudem tribuerem, non ut facilior, ſed ut illuſtrior, vel ad ipſum Regem, vel ad te illi aditus daretur. Hominem habes, qui in nobiliſſimis Italiæ Urbibus diù verſatus, magna ingenii gloria, &* E *doctrinæ varietate ita floruit, ut ſapientiſſimo cuique in oculis, in amore, atque in honore eſſet, nunc præclaris artibus inſtructus, ſuis laudibus ornatus, gratus Pontifici, mihi probatus, jucundus bonis omnibus, operam, & ſtudium ſuum Regi dicavit. Et quia in tuo patrocinio ſummum ſibi præſidium, & dignitatem conſtituit; hoc te vehe-* A *mentèr rogo, ut eum in fidem tuam recipias, & quibuſcumque rebus poteris, augeas, atque exornes: non enim mihi dubium eſt, quin ſe memorem & gratum præbeat, qui tantum virtute perfecit, ut à quibus eſt adjutus, ii ſuum officium præclarè poſuiſſe videantur. Deus florentem, & incolumem te diù nobis conſervet. Romæ tertio Non. Aprilis 1565.*

LVII.

Et ejuſdem ferè tenoris aliæ, ad ipſum Cardinalem Infantem, in Statii B commendationem ac laudem, ab eodem Carolo Cardinali, paulò poſt, ſunt ſcriptæ literæ, quæ ſequuntur.

M.SS. Cod. Ambroſ. ut ſupra.

[*Ex quo tempore SS. D. N. ſummam Catholicæ Eccleſiæ dignitatem, & poteſtatem conſecutus eſt, hoc unum ſpectavit, ut benemereri de Religione ipſa, non ſolùm poſſet, ſed alios etiam ad ſimilem virtutem invitaret. Itaque & Concilium habuit Tridenti, & quæ ſanctiſſimi homines in Spiritu Sancto congregati ſanxerunt, ea comproba-* C *vit; & divulgari, atque in Orbis Terrarum omnes Gentes diſtribui, diſſeminari, ad communem Chriſtianæ Religionis utilitatem voluit. Nunc id conſilii cæpit, ut, quæ olim à ſanctiſſimis viris conſcripta ſunt, quia temporum injuria, vel Librariorum inſcitia, multis ea in locis depravavit, in ſuam priſtinam veritatem reſtituantur. Neque hanc curam, & cogitationem eripiunt illi aliarum rerum occupationes, cùm hujus induſtriæ fructus ſit præ-* D *ſens, & fore proſpiciat, ut ad uſum poſteritatis etiam redundet. Sed literatorum copia hominum opus eſt, ad hanc rem, qui in veterum Librariorum tractatione ſint multùm, diùque verſati, & ingenii, & judicii laude excellant, ut vera à falſis dijudicare, & ſeligere facilè poſſint. Quo in genere eminet* Achilles Statius; *quapropter egi cum Ferdinando Meneſio, Oratore Regio, diligenter, ut is tam diù apud nos eſſet, dùm æſtas efflueret, cùm præſertim ejus opera* E *in Hieronymi libris inter ſe conferendis, & corrigendis, uti, SS. D. N. vellet; & ut tenui ipſe eſt valetudine, periculoſa tàm longi itineris ratio videretur, ſi hoc tempore ſe in viam daret. Qua de re Meneſium ad te ſcripſiſſe arbitror. Fecit tua, vel humanitas, vel in Pontificem Maximum pietas, ut Statium, quem jam in Luſitaniam revocaras, tamen adhuc Romæ teneremus.*

Te

Te igitur rogo, atque oro, ut hoc in eam partem accipias, quaſi doctiſſimi hominis ingenium, operam, induſtriam Religioni commodes; quas enim utilitates ipſius doctrina præbuerit, quæ certè erunt maximæ, liberalitati tuæ acceptas referemus. Et quoniam videtur ſubvereri, nè contrà ſui Regis voluntatem, & præter opinionem ſuam acciderit, ut Romæ diutiùs commoraretur; erit mihi vehementer gratum, ſi vir modeſtiſſimus intelliget, quòd, noſtro conſilio, profectionem ſuam in menſem Septembrem rejecerit, illud, & Regem, & te non modò probare, verùm etiam in optimam partem accipere. Te Deus ſalvum, & incolumem diù præſtet. Romæ prid. Kalend. Maii 1565.

LVIII. En quæ de Statio, quem ad vivum depinxiſſe (cùm virum, videlicet, non illiteratum dixit) Thuanus ſibi viſus eſt, probatiſſimus S. Carolus Borromæus ſcripſit; quo unico certè teſte, & improbi ſcriptoris, & omnium ei ſimilium commenta abundè rejecta, ritè quiſque cenſere debet. Sed, quod caput eſt, commentitium, ac omninò falſum ipſi-met cognovimus, quod de accuſato Carneſechio ab Achille Statio Thuanus idem confinxit; cùm enim cuncta, contra Carneſechium eumdem, originalia acta diligentiſſimè, nec ſemel revolverimus, ac in illis, ad quadringentos, & triginta ſimul, vel complices, vel teſtes recenſeremus; nec inter eorum nomina, neque alibi, Statium, nec nomine, nec alia quavis ratione, adnotatum offendere potuimus.

LIX. Ut hæreticorum nequitiam, ſic etiam Hebræorum perfidiam comprimere Pius ſtuduit. Ad eludendam ſiquidem, præterito anno, ab eo latam Legem, qua ſtabilia bona poſſidere prohibebantur, innumeros ipſi excogitaverant dolos, quibus, & Chriſtianos fallere, & fictis negotiationibus, ſpecie quidem, prohibita bona abjeciſſe viſi fuerant; ſed revera iiſdem potiri haud deſtiterant. Huic igitur fraudi Pium occurriſſe colligitur, ex diplomate quodam Joanni Michaeli Cardinali Saraceno dato in quo inſerta eſt ejus Conſtitutio, quam ex ſuo originali exſcriptam, hic duximus ponendam, extatque in Archivo Domus Catechumenorum, cui Pontifex eumdem Cardinalem Protectorem præfecerat. Dic t igitur.

[*Cùm nos nuper Conſtitutionem felic. record. Pauli Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, contrà Hebræos editam, innovantes, inter cætera ſtatuerimus, & mandaverimus, quòd Hebræi, tàm in Alma Urbe noſtra, quàm in quibuſvis Civitatibus, Terris, & Locis S. R. E. temporali dominio ſubjectis, bona immobilia per eos poſſeſſa, infrà tempus, per Magiſtratus præfigendum, non obſtantibus indulto, & conceſſione eiſdem Hebræis, per felic. record. Pium IV. Prædeceſſorem noſtrum, quòd liceret eis bona ſtabilia, uſque ad ſummam mille, & quingentorum ducatorum auri de Camera, tenere, & poſſidere; Chriſtianis vendere tenerentur, ac multa eiſdem, ut eis facere liceret, prohibuerimus, partim verò, ut iidem facere, & obſervare tenerentur, præceperimus: & quòd dicti Hebræi, ſi circa ea, ac præmiſſa, in aliquo deficerent, juxtà qualitatem delicti, in dicta Urbe per Nos, aut Vicarium noſtrum, ſeu alios, à Nobis deputandos, ac in Civitatibus, Terris, & Locis prædictis, per Magiſtratus, & tamquàm rebelles, & criminis læſæ Majeſtatis rei, ac toto populo Chriſtiano diffidati, noſtri, & ipſorum Vicarii, ac Deputandorum, & Magiſtratuum arbitrio, puniri poſſe decreverimus, prout latiùs in dicta Conſtitutione noſtra &c. Et, ſicut Nobis nuper innotuit, quidam Hebræi, obſtinata adhùc mentis duritie, bona ſtabilia, contrà tenorem dictæ Conſtitutionis detinere, vel illa, ſub variis coloribus, & palliatis contractibus, in Chriſtianos ſimulatè transferre ſategerunt, & quotidiè ſatagunt, interdumque, ut magis eorum verſutia tegatur, ſub apparente ſolutione pretii, vel fide de pretio habita, aut ejus parte, imaginarias venditiones infingere; aut alia etiam facere ſoliti ſunt, in fraudem, & contemptum dictæ Conſtitutionis, ac mandatorum, prohibitionumque noſtrarum, ac ſcandalum plurimorum. Nos igitur, volentes fraudibus hujuſmodi, ut par eſt, obviare, & quòd ea, quæ conſtituimus, ſuum impoſterùm ſortiantur effectum, providere: motu ſimili, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & quæcumque bona ſtabilia, quæ ad dictos Hebræos,* Ex Arch. Dom. Catechum.

in hac Alma Urbe, & ubique Loco- A
rum, excepta Civitate Bononiæ, ac
aliis Locis, ubi fuerunt jam Commiſſa-
rii deputati, noſtræ Sedique Apoſtolicæ
ditioni ſubjecti, commorantes, perti-
nere apparuerint; poſt diem emanatæ
dictæ Conſtitutionis noſtræ, lapſo ter-
mino ad vendendum eis præfixo, vel
quatenùs opus ſit præfigen, ſivè illa per
ſemetipſos poſſeſſa fuerint, ſivè alio
quovis modo ad eos pertinere dignoſcan-
tur; ſive ex quovis titulo, & cauſa ad
alios etiam Chriſtianos translata fue- B
rint, de quibus prædicti Hebræi veras,
& certas venditiones per indubitatam
ſolutionem pretii, non autem apparen-
tem, vel de eo habitam, ex quacumque
cauſa, fidem, factas eſſe legitime non
docuerint, ab eiſdem Hebræis, eorum-
que dominis. . . . .
. . . . & actione penitùs abdi-
camus, ipſoſque Hebræos illis privatos
ipſo jure fore, & eſſe decernimus, ac
tam bona ſic abdicata, quàm omnes, &
ſingulas pœnas, & mulctas, quas eiſ- C
dem Hebræis, occaſione transgreſſionis,
& inobedientiæ, contra ſingula, in ea-
dem Conſtitutione noſtra, contenta, ſi-
vè etiam ex cauſa contumaciæ, aut
aliàs circa præmiſſa impoſitas, & in-
flictas eſſe, ſeù etiam impoſterùm im-
poni, & infligi contigerit, Hoſpitali
ſeu Domui *Catechumenorum de Urbe,*
pro una; pro alia verò, dimidiis parti-
bus, Monti Pietatis dictæ Almæ Urbis
perpetuò applicamus, & appropria-
mus; ac pro faciliori mandatorum no- D
ſtrorum, ac præſentis motus noſtri pro-
prii executione, omnes, & ſingulas
Cauſas, tam in eadem Alma Urbe;
quàm in quibusvis Civitatibus, Terris,
& Locis S.R.E. temporali dominio ſub-
jectis, coram quibusvis Judicibus, aut
etiam noſtro, in dicta Urbe Vicario,
contra dictos Hebræos, occaſione præ-
miſſorum motas, ac impoſterùm moven-
das, in terminis, & ſtatu, in quibus
reperiuntur, ad Nos penitùs avoca-
mus, illaſque, ac omnes alias, & ſimi- E
les, Ven. Fratri noſtro Joanni Michae-
li Epiſcopo Sabinenſi, Cardinali Sara-
ceno nuncupato, dictæ Domus Cate-
chumenorum Protectori, ac Judici or-
dinario committimus, & delegamus;
mandantes eidem, ut in præmiſſis om-
nibus, unà cum ſuis inciden. dependen.
annexis, & connexis, uſque ad inte-
gram executionem procedat, ſumma-

A *riè, ſimpliciter, & de plano, ſola fa-*
cti veritate detecta, ac etiam, ubi opus
ſibi videbitur, manu Regia, ac aliàs,
juxtà facultates, ſibi in Juriſdictione
ſua ordinaria conceſſas, cum poteſtate
citandi, inhibendi in Romana Curia,
& extra eam, ac per Edictum, conſti-
to ſummariè, de non tuto acceſſu, &
terminos, etiam peremptorios, in præ-
miſſis, arbitrio ſuo, præfigendi, &
omnia alia, in præmiſſis neceſſaria, fa-
ciendi, & opportuna; Non obſtanti-
B *bus præmiſſis, ac noſtro de non tol-*
lendo Jure quæſito, quatenùs opus ſit,
& aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis,
& Ordinationibus, ſtylo Palatii, nec
non quibuſvis privilegiis, indultis, &
literis Apoſtolicis, eiſdem Hebræis, in
contrarium quomodolibet, & motu,
& ſcientia, & poteſtatis plenitudine
ſimilibus, conceſſis, quibus omnibus &c.
hac vice dumtaxàt ſpecialitèr, & ex-
preſsè derogamus, cæteriſque contra-
riis quibuſcumque. Volumus autem
C *præſentis noſtri motus proprii ſolam ſi-*
gnaturam ſufficere, & ubique etiam
in judicio, & extra, fidem facere, &c.
Motu proprio. M. Datum Romæ XIV.
Kalend. Februarii anno 2.

Ne verò hac lege, qua penitùs LX.
vaferrima Hebræorum molimina ever-
tere connixus eſt Pius, Domui Ca-
techumenorum, (quam, ut diximus,
ipſe ferè à fundamentis excitaverat,)
conſuluiſſe dumtaxàt videretur; de-
cem milia Coronatorum, hoc anno. *Epiſt. apud Caracc. 18. Ian. 1567.*
D etiam eidem attribuit, ut ex literis
apud Caracciam, ſub die decima octa-
va Januarii exaratis habetur; ex qui-
bus error inſuper Bzovii deprehendi-
tur, qui hoc in ſequentem annum
rejecit.

Et reverà, quàm æquo jure Judai- LXI.
eam perfidiam, atque audaciam, qua-
vis poſſet ratione comprimendam,
Pontifex cenſuerit; ex his facile edu-
ces, quæ Neapoli hoc eodem tempo-
re eveniſſe, in ſua Clericorum Regu-
E larium hiſtoria, ſcribit de Silos, his
verbis:

[*Quædam prorepſerat Judæo-*
rum ſecta Neapoli, ac tacita quadam *Silos Hiſtor. Cleric. Regul. ſub ann 1567. pag. 486. tom. 1.*
lue afficere Neapolitanam Religionem
cœperat: Romanam ementiti Fidem,
nomenque, Catholicos ſe profitebantur:
cæterum Hebræorum flagitia, rituſque
exercere, clandeſtinas aperire erro-
rum ſcholas, procudere, atque expolire.
in

in morum, pietatiſque exitium, tela hæreſum inſtituerant. Odorati iſthæc monſtra ſunt, majorum inſtituto, atque hæreditaria quadam, in ejuſmodi flagitiis detegendis, ſolertiâ, Clerici Regulares; nec mora: delatum ad Marium Caraffam, Neapolitanæ Eccleſiæ Antiſtitem, peſtilentiſſimum malum, profligatumque maturè eſt, ejeratis publicè erroribus, ac plaudente populo, quòd abraſum crimen cernerent, antequàm vicina in corpora proſiliret, noceretque attactu latiùs. Porrò in cognoſcenda graviſſima ea Fidei Cauſa, qui Archiepiſcopo, conſilio, & eruditione inter paucos adfuit, is fuit ex noſtratibus, Hieronymus Ferrus, qui, ut Alphonſo Cardinali Caraffæ deceſſori chariſſimus fuerat, eique prudentiam, atque integritatem inſigniter probaverat ſuam; ità perſpecta eadem Juvenis virtus, atque in rebus agendis ſolertia, permagno apud illum in pretio fuit, ut nullum frequentiùs, cùm privatis, tùm publicis in conventibus, rerumque tractatione graviſſimarum adhiberet, quàm Hieronymum Ferrum, delegeratque ab intimis conſiliis, unà eum Hieronymo Panormitano, è Prædicatorum familia, Alphonſo Salmerone Societatis Jeſu, & Hieronymo Spinola, laici ordinis Sacerdote, Viris doctiſſimis perindè, & integerrimis &c.]

LXII. Sic ille, qui addit, Neapolitanæ religionis hoc periculum, ad Pontificem delatum, ſummo, ac ardenti ſuo ſtudio effeciſſe, non modò, ut exoriens iniquitas, parvula adhùc, allideretur ad petram, [quod quidem pro ſuo munere Archiepiſcopus jam optimè impleverat;] verùm etiam, nè quid tale unquàm ampliùs contingere poſſet, optimis mandatis, Fidei occurriſſe diſcrimini.

LXIII. Verùm, tùm in ea Urbe, tùm in tota Regni illius ditione, plus ſanè negotii fuit Pio, ob Regium *exequatur*, [de quo plura præterito anno] cùm Strongolienſium Epiſcopum, abſque Regia hac ei facta facultate, minimè ſuo Viſitatoris munere fungi poſſe, Hiſpani Miniſtri contenderent. Illatam ſiquidem hac ratione Eccleſiaſticæ juriſdictioni vim, iniquiſſimo animo tulerat Pius; & licèt ab eo ſupplicitèr Prorex impetraſſet, ut ſuper hac re perſcriberetur ad Regem, ad quem, hac de cauſa, Pontifex ipſe

A Epiſcopum Aſculanum miſit, interimque negotio ſuperſederetur; tamen quieſcere minime potuit Pius, ità, ut intermedio eo tempore, de offenſa conqueri ceſſaret, & Eccleſiæ Jura non proclamaret; quod patet ex ſequenti ad Gaſparem Quirogam, Regium Conſiliarium, hoc anno ſcripta epiſtola, quæ ſic ſe habet:

(Dilecto Filio, Gaſpari Quirogæ, Conſiliario Regio.

B PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Quia probitatem, & integritatem tuam cognitam habemus, & te ſcimus ea, qua decet, devotione S. Sedem hanc proſequi; idcircò gaviſi ſumus, te aſſumptum fuiſſe in Conſilium Regium, & Chariſſimi Filii noſtri Epiſt. Pii V. lib. 1. Epiſt. 6. pag. 16.
C *Regis judicium magnoperè probavimus. Nullum autem tàm pio Regi præſtari à te officium, vel te dignius, vel quod ei gratius eſſe debeat, poteſt, quàm ſi de iis rebus certiorem eum facere curaveris, quæ ad Dei obſequium, & ipſius honorem, atque exiſtimationem pertinent. Cùm, pro commiſſo Nobis officio, miſiſſemus quemdam, Nobis valdè probatum, Epiſcopum, qui in Cleris Civitatum quarumdam Regni Neapolitani, ea, quæ eſſent exploranda cognoſceret,*
D *Noſque edoceret, ut quæ corrigenda eſſent, corrigere poſſemus; tàm pium, ac neceſſarium mandatum Apoſtolicum exequi minimè potuit, niſi Regium diploma, quod vocant,* Exequatur, *quod hoc illi permitteret, acciperet. Sanè commoti fuimus, ubi hoc audivimus: nimis enim indignum Nobis viſum eſt, imminui tantoperè, hac in re, Jus, atque authoritatem noſtram, & Apoſtolicæ Sedis dignitatem, in eo præſertim Regno, quod Juris ipſius eſt, nec*
E *poſſe Nos Eccleſiaſticas perſonas, per eos, quos miſerimus, viſitare, niſi hoc à Miniſtris Regiis permittatur; quod aliud non eſt, quàm ſuperbè velle ei Sedi præſcribere, cujus præceptis, & monitis, ſi Chriſtiani, & Catholici ſunt, reverenter, & humilitèr parere debent. Cùm igitur tantam hujus Sacroſanctæ Sedis contumeliam, & injuriam nec velimus, nec debeamus animo æquo ferre*

ferre nec diſſimulare : Chariſſimum Filium noſtrum Regem , quo ignorante tale committi perſuaſum habemus, de hac re edocendum curavimus , & hortandum , ut conſulat famæ , atque exiſtimationi ſuæ , & hujus Sanctæ Sedis dignitati, cujus authoritatem & jus, cenſuris Eccleſiaſticis tueri , ac defendere cogemur , ſi ejus injurias , quod credere non poſſumus , Rex negligeret . De eadem autem re ſcripſimus ad dilectum Filium , Didacum Spinoſam Regii conſilii Præſidem , cum quo loqui poteris . Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Januarii 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo .

LXIV. Dùm hæc autem juſto commotus zelo Pius ſcriberet , Regii reſponſi expectatione angebatur ; verùm , vel quia Rex, antequàm ad Pontificem reſcriberet , rem diù maturandam cenſeret , vel alia de cauſa ; reſponſum eatenùs dilatum eſt, ut moræ impatiens Pius , nullo pacto dignitati, atque authoritati ſuæ illatam injuriam ferre ulteriùs poſſe pronunciaverit . Poſthabita igitur (ut Catena , & Gabutius referunt) diſputatione de generali Regiæ ipſius facultatis vi , rem faciliori conditione tranſigendam putavit , illud edicens (*Quòd Pontifici , qui caput , & Princeps eſt Epiſcoporum, omnium Diœceſes inviſere multò magis liceret , quàm propriis Epiſcopis , qui alioqui Diœceſes ſuas, abſque hujuſmodi exequendi conceſſione , viſitare conſueviſſent .*) Itaque Strogolienſium Epiſcopo , ut viſitationem proſequeretur, Pius imperavit .

LXV. Abſque Regia ulla facultate Calabrenſes , Hydruntinæ , Barienſes, ac cœteræ adiacentes Eccleſiæ ab Apoſtolico Viſitatore perluſtratæ ſunt; imò in primis Neapolitana ipſa Civitas, in qua, non ſolùm Eccleſias, ac ſacratos homines , Archiepiſcopo ſubjectos; ſed etiam qui ipſi Proregi a ſacris erant , immunitatem licèt obiicientes , & recognoſcendos , & reformandos Pontifex curavit . Quæ res , inquit Gabutius, magno, tùm publico, tùm privato bono fuere ; atque inde, his in regionibus , quæ antea plurimùm imminuta fuerat , Apoſtolicæ Sedis authoritas , ac reverentia reſtituta eſt. (*Et ſanè mirum eſt,* ejuſdem Gabutii ſunt verba , *quocumque pergeret Viſitator , magnum populorum ſpectare concurſum, omnibus omnium ætatum, ſexuum , atque ordinum hominibus, ad eum ſuſcipiendum , ac venerandum certatim confluentibus ; coràm eoque in genua procumbentibus , ut , vel unâ, illos, Pontificali benedictione dignaretur, utpotè miſſus à Pontifice , cujus Sanctitatis ſic increbuerat fama , ut ab omnibus culta concelebraretur .*) Sic ille .

Interim tamen Proregi, ab eodem Strongolienſium Epiſcopo (ut Mombritus Roſeus in Sua Neapolitana hiſtoria refert) in excommunicationes, cœteraſque Eccleſiaſticas Cenſuras , in Bulla Cœnæ Domini contentas , incurriſſe denunciatur , quod Apoſtolicarum literarum executionem impedire contenderit. Cujus rei veritatem, cùm perſpectam habere vellet Prorex , ſuo , ut vocant , Cappellano majori , qui tunc Antonius Laurus erat , Vulturni Epiſcopus , juſſit , Theologorum plurimorum coram ſe cogere cætum , eoſque ſuper hac re de ſententia rogare ; hac tamen conditione adiecta , nè inter eos Dominicani Ordinis aliquis exiſteret , qui nempè, cùm eamdem cum Pontifice Religionem profiteretur , ejuſdem defendendis ſententiis nimis addictus, meritò reputari poſſet. Selectis igitur , è diverſis Religioſorum Ordinum , Theologis decem , inter quos fuerunt Salmeronus Societatis Jeſu, ac Magiſter Filocalus Carmelita ; uno ore omnes , Proregem cenſuras incurriſſe pronunciarunt , quòd Apoſtolicis literis obſtitiſſet : quapropter ſe à communione Fidelium ſejungere , donec abſolveretur , Prorex coactus fuit . Cùm igitur omnia , ex ſententia , Pio eveniſſent, eum abſolvendi, poteſtatem fecit Epiſcopo Puteolano , qui ex eodem ſuo S. Dominici Ordine extiterat , eumque ut adiret Proregi, juſſit; ac ſi ludens ei ipſum ſubjiceret, ex cujus Ordine quemlibet audire contempſerat . Quod ille ſtatim præſtitit , ac Puteolos contendit , licèt conſulendæ eo in loco propriæ corporis ſaluti , ſe illùc contuliſſe evulgaverit : ſincerè autem , vel fictè facti pœnituerit , quæ ſubſecuta ſunt monſtrabunt; veriſimile tamen cenſendum eſt , hanc à Pio veniam minimè petiiſſe , niſi poſtquàm diù expectata à Rege reſponſa receperit , quæ ejuſmodi fuerunt . LXVI.

[*Rex*

Digitized by Google

Ex M.S.S. Cod. Vallicellano.

A (Rex. Illuſtris Dux Conſobrine noſter, Prorex, ac Locumtenens &c. *Epiſcopus Aſculanus, qui hìc Sanctitatis Suæ Nuncius advenit, ejuſdem nomine nobis expoſuit, quòd inter alia, quæ agenda animadvertit, ad incolumes ſervandas, non Provincias modò, ac Regiones, quæ adhùc ab hæreſis contagione immunes ſunt, ſed etiam, quæ eadem labe, vel ipſius ſuſpicione infectæ ſunt, illud in primis curandum eſt, ut Eccleſiaſtica Jurisdictio in ſuo primævo robore ſuſtineatur, nec à quovis* B *Principe præjudicium ei inferri, ac uſurpari permittatur. Ad quod obtinendum, cùm non parùm obſtent, quæ in iſto Regno circa eamdem Jurisdictionem aguntur, noſtrumque ſit, (uti adeò Catholici Principis, filiique obedientis Apoſtolicæ Sedis) aptum malo adhibere remedium; quamvis huic petitioni ſatisfacere volentes id ei reſponſum dederimus, (cujus exemplum ab infraſcripto noſtro à ſecretis ſubſcriptum cum his noſtris literis ad te mitti-* C *mus) ut Sanctitati Suæ gratum animum noſtrum, uti decet, fore confidamus: nihilominùs, ut ampliùs operationes noſtras apud eam purgare poſſimus, eò magis quòd noſcis, cujusnam ſit illa ingenii; viſum eſt, ut tandem huic rei finis aliquandò imponatur, & tranquillo animo eſſe poſſimus, nec negligentiæ alicujus errore, Cenſuris in Bulla Cœnæ Domini contentis irretiri contingat, ad te hæc ſcribere, ſummo-* D *perè tibi commendantes, ut ſpeciali ſtudio Eccleſiaſticæ Jurisdictioni auxilia ſuppeditare, neque ei impedimento, dummodò Regali præeminentiæ non adverſetur, eſſe velis. Et inſupèr ad noſtram conſcientiam exonerandam, & ut plenè compertum ſit nobis quidquid in eo Regno obſervatur; præcipimus tibi, atque mandamus, ut undique, viris, doctrina, experientia, ac probitate præclaris adſcitis, ab iis ediſcas, & deinde ad nos, juxta quæ pronuncia-* E *verint, ſcribas, an verè contra præfatam juriſdictionem, vel in aliquibus ad ipſam ſpectantibus, juxta morem, vel antiquam Regni conſuetudinem, aliquid offendatur, quod eidem Jurisdictioni repugnet. Quæ nempè omnia à te ſtatim diſtinctè noſcere volumus, unà cum tua de hoc ſententia audire cupientes, ut tandem ea ratione, quæ melior occurret, quave rerum ſtatus uti per-* A *miſerit (id licèt fuerit ſpeciali Indulto à Sanctitate Sua poſtulando, cum apertè nempè agnoſcatur, preterito tempore abuſus irrepſiſſe) malo remedium aptetur.* Matriti 24. Martii 1567.

Licèt verò erga res Eccleſiaſticas tàm pius eſſet Philippi animus; non ideò tamen eiſdem detrahere, quavis poſſent ratione, Hiſpani Miniſtri deſtiterunr; & licèt, ab anno 1564. publico vulgato diplomate, executioni mandari, & obſervari ubique loco- B rum Hiſpanicæ ditionis, Tridentinum Concilium Rex idem præcepiſſet, [ut omnes illius temporis Scriptores uno ore fatenrur; & quæ de Belgicis tumultibus ſupra diximus, abundè teſtantur); eò tamen quorumdam pervicacia pervenit, (quod ſuis locis dicendum erit)]ut in Neapolitano Regno, & alibi, Concilium idem, jubente Rege, receptum minimè fuiſſe contenderint: ex quo, in Cauſis mixtis, nullum, etiam Epiſcopis, eas cogno- C ſcendi, jus competere, aſſerere auſi ſunt. Hinc eiſdem, concubinarios debitis pœnis afficere, non licere; & hinc demum violatæ Regiæ Juriſdictionis obtentu, contra Eccleſiaſticam Juriſdictionem innumera mollri præſumpſerunt. Datis autem à Rege præfatis literis Proregem, ac Collaterale, quod vocant, Conſilium, in hunc modum reſpondiſſe reperimus, ſub ultima Julii hujus anni. LXVII.

MSS. Vallicell. pag. 31. 2.

[Ut paream, uti debeo, his quæ D *mihi à Majeſtute Tua præcipiuntur, quoad primum caput epiſtolæ tuæ ad me miſſæ; dicam, ſummoperè mihi cordi fuiſſe, ut opitularer, defenderem, ac Eccleſiaſticæ Jnrisdictioni faverem in cunctis, quæ ad ipſam ſpectant; minime tamen permiſi, aut permittam, ex hoc Jur ſdictioni, aut Regiæ præeminentiæ tuæ præjudicium aliquod inferri, ut Majeſtas Tua in prædicta epiſtola tua das mihi in mandatis.*

Quo autem ad Bullum, de qua in E *ipſa mentio ſit, caput adeſt ſequentis tenoris, videlicet: [Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alium, ſeu alias quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, vel ſæculares ad dictam Curiam, ſuper eorum cauſis, & negotiis revertentes, illaque in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, Advocatos, Procuratores ipſorum, ſeu,*

eorum

eorum Auditores, Judites, ſuper dictis A
Cauſis, vel negotiis deputatos, occaſio-
ne Cauſarum, vel negotiorum hujuſmo-
di, verberant, mutilant, vel occidunt,
ſeu bonis ſpoliant, ac illos, qui nè ali-
quas literas Apoſtolicas, etiam in for-
ma Brevis, tàm gratiam, quàm juſti-
tiam concernentes, & etiam citationes,
Monitoria, & exequutoriales, quæ à
Sede Apoſtolica emanarunt, & pro
tempore emanabunt, ſine eorum bene-
placito, & examine, executioni deman- B
dari inbibent, ac notorios executores,
vel ſubexecutores Literarum Conſiſto-
rialium, & citationum, ac exequuto-
rialium hujuſmodi cæperint, & incar-
cerant, & detinent, vel capi carcera-
ri, & detineri faciunt; necnon qui, nè
Literis, & mandatis Sedis Apoſtolicæ,
& Legatorum, & Nunciorum, ac Ju-
dicum Legatorum ejuſdem, ſimilitèr
gratiam, & juſtitiam concernentibus,
cæteriſque ſuper illis, & rebus judica-
tis, decretis, proceſſibus, & exe- C
quutorialibus, non niſi habito eorum
priùs beneplacito, & conſenſu, per eo-
rum literas exequutoriales, vel aliàs
nuncupatas, & certo pretio ſoluto pa-
reatur: nevè Tabelliones, & Notarii,
ſuper hujuſmodi Literarum, & pro-
ceſſuum exequutione, inſtrumenta, vel
acta conficere, aut confecta, parti, cujùs
intereſt, tradere debeant; quivè, ſub
quibusvis pœnis, quibuſcumque perſo-
nis in genere, vel in ſpecie, nè pro qui-
busvis eorum negotiis proſequendis, ſeu D
gratiis impetrandis, ad Romanam Cu-
riam accedant, aut recurſum habeant,
ſeu gratias ipſas, ab ipſa Sede impe-
trent, ſeu impetratis utantur, directè,
vel indirectè, ſub aliquibus pœnis, pro-
hibere, ſtatuere, ſeu mandare; quivè,
in animarum eorumdem periculum, ſe
à noſtra, & Rom. Pontif. pro tempore
exiſtentium obedientia, pertinacitèr
ſubtrahere, ſeu quomodolibet recidere
præſumunt). Quod etiam altero in
capite, quod incipit, Item excommu- E
nicamus, & anathematizamus omnes,
& ſingulos Cancellarios &c. reverà
diſponitur.

At caput iſtud maximi eſt ponde-
ris, quia in hoc Regno mos eſt, & ab
immemorabili viguit conſuetudo, nul-
lum prorſùs ab Urbe egreſſum manda-
tum, tàm juſtitiæ, quàm gratiæ, exe-
cutioni mandari, abſque eo quòd priùs
à Collaterali Conſilio videatur; quod
nempè Conſilium, Apoſtolicis conſidera-
tis Literis, cùm in iis nil contineri
proſpexerit, quod Regali Majeſtatis
Tuæ preæminentiæ præjudicium ali-
quod inferre poſſit, ſtatim eas exequi
permittit; ſi vero, circa eas, aliqua
dubitatio occurrat, res ad Cappellanum
majorem referri mandatur; ut, ea in-
ſpecta, eidem deindè Conſilio ſenten-
tiam ſuam dicat, quam nempè, conſu-
lente quodam, qui ſemper ex numera
Conſiliariorum Majeſtatis Tuæ exiſtit,
promit; cùmque nil in Apoſtolicis Lite-
ris offenderit, quod Tuæ regali Juriſ-
dictioni præjudicet, earum exècutionem
permitti poſſe aſſerit. Conſuetudo ve-
rò hæc neceſſario tuenda eſt, nè Maje-
ſtatis Tuæ authoritas minuatur, nè vel
Romam in Judicium vocentur laici, in
caſibus ad Eccleſiaſticam Juriſdictio-
nem minimè pertinentibus, nec Benefi-
cia, vel Antiſtitum dignitates, quarum,
vel præſentatio, vel collatio ad Maje-
ſtatem tuam ſpectat; vel illi, quos Ba-
rones obtinent, Juriſpatronatus, inju-
ſtè conferantur, vel quavis alia ratio-
ne, auctoritati, Patrimonio, ac Maje-
ſtatis Tuæ redditibus præjudicium fiat.
Apoſtolicarum ſiquidem Literarum exe-
quutio nunquàm prohibita fuit, ubi in
eis nil deprehendere contigit, quod Ju-
riſdictionem, auctoritatem, ac Rega-
lem tuam præeminentiam læderet. At
modò, ſi immemorabilis iſta conſuetudo
ſervabitur, Eccleſiaſticis cenſuris, &
Majeſtatem Tuam, & Tui Miniſtros
neceſſe eſt irretiri, vel eàdem Bullà ac
cenſuris eamdem conſuetudinem penitùs
aboleri, undque cum ea Regalem tuam
præeminentiam; ex cujus jactura innu-
mera penè damna orirentur. Experi-
mento ſiquidem compertum eſt, Romā
veniſſe mandata, quibus in judicium
in Cauſis, ad Eccleſiaſticam Juriſdi-
ctionem minimè pertinentibus, laici
vocabantur; & alia inſuper ad Bene-
ficiorum, & Antiſtitum dignitatum
collationem ſpectantia, quæ Tuæ Ma-
jeſtatis juris erant. Et quia aliquandò
contigit, ut nonnulli, hujuſmodi Apo-
ſtolicas Literas, abſque Regio exequa-
tur vulgaverint, vel id ſubreptitiè im-
petraſſe deprehenſi ſunt, hujuſmodi
vel carceribus, vel pœnis aliis afflicti,
patrati facinoris pœnas luere coacti ſunt
vel earumdem Literarum Apoſtolica-
rum revocationem curare, vi ſunt com-
pulſi. Hinc animadvertat Majeſtas Tua
tali-

Digitized by Google

talibus remediis, vi præfati capitis, nullatenùs deinceps uti licitum; quia videlicèt eo quis adhibendo, in cenſuras incidit, in præfata Bulla contentas. Quapropter ſummoperè neceſſarium videtur, ut ipſius Bullæ caput reformetur, ac juſtè in eo præcipiatur, in præfatas cenſuras eum tantùm incurrere, qui executionem Apoſtolicarum Literarum, Brevium &c. impediret, ex quibus nullum prorsùs præjudicium Regali tuæ juriſdictioni, & authoritati adduceretur, nec ad Beneficia pertinerent, quorum præſentatio, ac collatio, vel ad te, vel ad Baronum Juriſpatronatus ſpectaret; Quòd ſi huic malo non occurratur, vel reviſio Apoſtolicorum mandatorum prætermittenda eſt, ac probibitio, qua nullatenùs, priuſquàm videantur; & non niſi de Majeſtatis tuæ, vel tuorum miniſtrorum licentia, exequi poſſe jubetur, revocanda eſt (quod pernicioſum nimis Juriſdictioni, authoritati, ac Regali tuæ præeminentiæ eſſet, nec ullo modo permitti debet) vel certè de earumdem cenſurarum validitate, quibus injuſtè auctoritati, Juriſdictioni, & tuæ Majeſtatis præeminentiæ jus ſuum detrahere contenditur, differendum erit. Alligare ſiquidem eas nullatenùs poſſe dicendum eſt, utpotè notoriè injuſtas; juſtum enim non eſt, nec rationi conveniens, cenſuris aliena rapere, ac Juriſdictionem, præeminentiam, ac authoritatem, qua juſtè in tuo Regno potiris, decerpere velle.

Et quia in eodem capite Bullæ in Cœna Domini hæc leguntur: [*non niſi habito priùs eorum beneplacito, & conſenſu, per eorum literas exequutoriales, vel aliàs nuncapatas, & certo pretio ſoluto*] *viſa eſt mihi Majeſtas tua admonenda de ſolutione pretii, quod pro præfata expeditione perſolvitur, & hujuſmodi eſt. Pro expeditione Memorialis in Cancellaria, regalia duo. Eorum autem, quæ ad majorem Cappellanum remittuntur, pro qualibet relatione, Actuum Magiſtro Curiæ ejuſdem Cappellani, caroleni quinque perſolvuntur, quorum quatuor ad ipſum Cappellanum, unus verò ad Magiſtrum Actuum pertinet. Cùm verò Cappellani Majoris, ejuſque Conſultoris relatio, quæ in ſcriptis fit, apponiturque ipſi Memoriali, in Collaterale Conſilium deducitur, aſſeriturque:* Exequatur

A concedi poſſe; *tunc ab ipſo Collaterali Conſilio eidem relacioni hæc verba apponuntur.* Exequatur, *juxta formam retroſcriptæ relationis; & pro eodem decreto ſimiliter, alii carolini duo perſolvuntur. Quando autem, poſt relationem, executoria, in forma Cancellariæ expedtri debet, ut in Epiſcopatibus, eodem, quo prædictum eſt, modo, Caroleni quinque perſolvuntur, & ulteriùs præfato majori Cappellano, cùm primùm exequutoria in forma Cancellariæ*

B *expeditur, pro poſſeſſione præfatorum Epiſcopatuum capienda, caroleni decem & ſeptem numerantur, idque ab antiquiſſimo tempore obſervatum aſſerunt.*

Ex his Majeſtas tua cognoſcet modum, ac formam, quæ ab immemorabili ſervata eſt in literis, ac mandatis hùc Romæ transmiſſis, de qua in libello Majeſtati tuæ exhibito Aſculanus Epiſcopus, Sanctitatis ſuæ nomine, conqueſtus eſt.

C *Et quia maximi ponderis eſt id negotium, uti Majeſtas tua animadvertere poteſt, optimum videtur omnem movere lapidem, ut ei finis amicabilitèr imponatur; quod difficile nequaquam erit, ſi Sanctitas ſua illud cognoſcere voluerit & rationi aures præbere, ut facturam eſſe confidimus, utpotè eximiæ Sanctitatis Principem, Sanctiſſimæ vitæ exemplo, & optimæ intentionis laude inſignem. Idcircò, ſi Majeſtati tuæ placuerit, expedire videtur, ut hinc ad*

D *Sanctitatem ſuam mittatur aliquis ex Doctoribus Conſilii Majeſtatis tuæ, auctoritate, literis, prudentia, dexteritate præditum, Pragmaticarum, Capitulorum, ac obſervantiarum hujus Regni inſtructum, qui unà cum Illuſtri Oratore tuo, Romæ commemorante, de iis eum Sanctitate ſua agat, edoceatque eam, præfatis omnibus neceſſariò remedium eſſe apponendum. Quòd ſi Majeſtas tua id probaverit, interim ad Sanctitatem ſuam ſcribere poterit,*

E *te hinc miſſurum hominem, his negotiis inſtructum, qui de iis, unà cum Oratore ſuo eam ipſa aget. Interim de iis omnibus admonita Majeſtate tua, quæcumque uult imperet, quod regali tuo commodo conveniat; & Deus &c.* Neapoli, die ultima Julii 1567.

V. R. C. M.

Humillimus Subditus, ac Servus, qui Regales tuas manus deoſculatur.

Don Paraſran.
Franciſcus Antonius Villanus.
Franciſcus de Revertera.
Lobera Proſecretarius.)

In Codice pervetuſto Vallicelliano, undè hæc excerpſimus, additur hæc ſignatura (*In Curia Secretor. primo fol. 216.*

LXVIII. Potuiſſet quidem Philippus, ſumma, qua prædîtus erat, prudentia, aſſentatorio zelo, quo ipſius authoritati, ac dominandi cupiditati blandiri volebant, agnoſcere hæc à Prorege, & Miniſtris ad ſe ſcripta fuiſſe; & debuiſſet quidem deprehendere, abuſus, nunquam uſus, ac conſuetudines eſſe nuncupandas, ſed erroris potiùs vetuſtatem, cui temporis diuturna ratio idcircò minimè ſuffragatur; nec non, ad tuendum abuſum eum, inepta plura, at calumnioſa fuiſſe prolata. Perſpicere ſiquidem tenebatur, *Exequatur* illud, cujus neceſſitas tàm multipliciter commendabatur, Apoſtolicis mandatis, ac Literis, in quibus nil contra aſſertam Regiam Juriſdictionem reperire erat, ſuperfluò apponi; ac ſuperfluum etiam iis fuiſſe, in quibus laica juriſdictio apertè,ac indebitè violaretur, cùm ab ipſo Eccleſiaſtico jure nullius prorsùs valoris, ac irritæ penitùs redderentur. In dubiis verò ineptiſſimè, contra omnè jus, ac juris formam, ſuper Pontificem, ac Regem, Majorem Cappellanum, Judicem conſtitutum ab ipſis aſſeri, qui hac ratione, & judicati, & Judicis ſibi partes vindicabant. At calumnioſum ſanè deindè erat, ipſius *Exequatur* neceſſitatem ex eo urgere, nè videlicet Beneficia Jurispatronatus, ac Eccleſiaſticæ aliæ Dignitates, quarum collatio ad Regem pertineret, conferrentur, atque hac ratione redditibus, ac Regiæ authoritati præjudicium fieret; quaſi ſublatum hujuſmodi *Exequatur* Pius voluiſſet, ut Regios redditus, ac Beneficia uſurparet; vel, ſi ipſis Eccleſiaſticis legibus id diſtrictè admodùm (ut innuimus) prohibitum non eſſet, vel novam aliquam Pontifex tuliſſet Legem, qua ſibi aliena rapère licere conſtituiſſet, ut evidentiſſimè in his, quæ addunt, innuere voluiſſe agnoſcuntur; cùm nullas nempè, ac notoriè injuſtas habendas eſſe Cenſuras eſſe dixerunt, quarum medio aliena rapi contenditur. Animadvertere ſi quidem eorum erat, Cenſuris hujuſmodi, non alienis rapiendis Pium inhiaſſe; ſed ſuis potiùs juſtè repetendis ab his, qui ſacrilegè rapuerant, animum intendiſſe. Quàm violenter autem, quàm nefariè, quàm impiè, Apoſtolicæ Sedis jura, eo in Regno, à laicis direpta, ac ſublata fuerint, quiſquis cognoſcere exoptat, præteritorum temporum monumenta revolvat, nàm hic noſtrum non eſt lectoris animum fatigare

LXIX. Poterat, & debebat inſuper Rex, ex ſordida mercatura, quæ, hujus *Exequatur* prætextu, exercebatur, quaque (ut ipſi fatebantur) non modica pecuniarum ſumma colligebatur, de eorum adeò affectato zelo meritò ſuſpicari, ut non tàm Regali ſuæ præeminentiæ, hac ratione, quàm propriæ utilitati, immodicæque cupiditati eos conſulere, in animo haberent. Nihilominùs, quæ dilatandæ juriſdictionis, ac authoritatis conſilia propoſita fuerunt, inepta licèt, apud Regem, alioqui piiſſimum ac religioſiſſimum, plus æquo prævaluerunt, ut ſequenti anno dicetur.

LXX. Hoc verò anno, in quodam ipſius Neapolitani Regni Oppido, Libonate nuncupato, quod ad Epiſcopum Buxenſem pertinet, pluiſſe ſanguinem narrant Bulengerius, ac Natalis Comes; magnamque fuiſſe eam Solis Ecclypſim, quæ à meridie, duarum horarum ſpatio, perſeveravit, & ex duodecim ejuſdem Solis partibus, decem contexit, ſcribit Mombrinus Roſeus; additque, nonnullas etiam in Cælo Stellas viſas fuiſſe. Cùm verò Calabriæ, Siciliæque littora à navigiis prædatoriis vexarentur, Hiſpani, qui Drepani morabantur in præſidiis, quibuſdam civibus accitis, ampliora navigia & ipſi conſtruxerunt, quibus hoſtes aggreſſi ſunt, ac poſt diuturnam dimicationem, eorum pluribus cæſis, aliiſque captis, cœteros in fugam egerunt.

[*Natal Com. Hiſtor. lib. 19. pag. 404 Bulenger. lib. 3. pag. 106.*]

[*Mombrin. Deſeſſioror Neapol. par. 3. lib. primo pag. 21.*]

LXXI. At Mediolani, hoc eodem tempore, certamen, præterito anno, inter Carolum Cardinalem Borromæum, & Gubernatorem, Senatumque Mediolanenſem, (ut illud Neapolis,) Eccleſiaſticæ Juriſdictionis cauſa, cæptum, minimè deſerbuit. Miſſus ſiquidem fuerat Romam, ut diximus, ob

A ob eam rem Senator, Jo: Paulus ab Eccleſia, vir ſpectatæ virtutis, qui deinde inter S. R. E. Cardinales adſcriptus fuit. Cùm igitur is Romam perveniſſet, à Pontifice, cauſæ cognitionem certis Cardinalibus, doctiſque viris mandari obtinuit. At, cùm ibi interim poſſeſſionem ſuam tueri, Carolo juſſum eſſe primùm intellexiſſet; ac deinde eorum ſententiam, qui de controverſia conſultabant, Eccleſiæ Mediolanenſi favere conſpexiſſet; Roma diſceſſit. B Ad Gubernatorem autem Pius humaniſſimas literas dedit, quibus, ad Eccleſiaſticum Jus tuendum, pro perſpecta ſua pietate, dùm cauſa rectè, maturèque Romæ cognoſcebatur, admonuit. Epiſtolæ ejuſmodi fuerunt.

(Dilecto Filio, Nobili viro, Gabrieli à Cueva, Duci Alburquerque, Status Mediolanenſis Gubernatori.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili, nobilis Vir, Salutem, & Apoſtolicam &c.

Apud Goubu. piſt. lib. 1. Epiſt. 17.

EX literis tuis, die 21. Septembris datis, perſpeximus, quantoperè nobilitas tua laboret, nè quod præjudicium inferatur Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Regi Catholico, in controverſia, quæ eſt inter dilectos filios Cardinalem Boromæum & Senatum Mediolanenſem. D *Cæterum, ſicut nobilitati tuæ curæ eſſe videmus, ut jus temporale ipſius Regis defendas; ità Nos, pro loco, quem, licèt immeriti, obtinemus, curare convenit, & oportet, ut Regis Regum honorem præ oculis habentes, jura Eccleſiaſtica tueamur. In quo ipſis Principibus conſulere non immeritò Nos putamus, cùm, ſuo Eccleſiarum Præſulibus jure reſervato, etiam jus temporale Principum ſtabiliatur.* E *Atque eam cauſam quidem, quod ad petitorium attinet, cognoſcendam, æquis Judicibus mandavimus, qui quæcumque Procurator Fiſci Mediolanenſis, ſuper ea re proponenda duxerit, diligenter audient, eamque, prout juſtum fuerit, judicabunt. Ipſum Cardinalem interim in poſſeſſione, à qua deturbatus fuit, redintegrari, & quoad cauſa ipſa deciſa ſit, in ea permanere æquum eſſe* A *cenſemus.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Octobris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.)

Ejuſdem tenoris videtur alia, quæ ſequitur, eodem die ſcripta, quamque ad ipſum Gubernatorem detuliſſe videtur, Roma decedens, ac Mediolanum reverſus, præfatus Jo: Paulus ab Eccleſia: dicit enim. LXXII.

(Dilecto Filio &c.)

B PIUS PAPA V.

*FIdelis, ac diligentis operæ Joannis Pauli ab Eccleſia, Senatoris, in agendo negotio, de quo eum ad Nos miſiſti, probè conſcii, faciendum Nobis duximus, ut ejus ad te reditum debito hoc laudis teſtimonio proſequamur. Non potuit igitur is eam rem accuratiùs gerere, nec meliùs: quæ quominùs confecta ſit, cùm ipſius rei vis ſuam præſeferat difficultatem, nihil attinet cauſas exponere: quam tamen controver*C*ſiam, ubi primùm poterit, perſpectis & explicatis omnibus, quæ utramque in partem neceſſariò allata fuerint, & cauſæ veritate, dirimendam curabimus. Excellentiam quidem tuam, non quia neceſſe ſit, in cujus animo, & actionibus cum prudentis Principis officio, pium curæ Sacerdotalis affectum libentèr agnoſcimus, & collaudamus, paternæ in te charitatis abundantia commoti, vehementiùs hortamur in Domino, ut Paſtores, reſque Eccleſiaſticas illius* D *Urbis, ac Provinciæ, ſingulari ſtudio. ac defenſione complectaris. Nàm, præter illam neceſſitatem, quam Principes à Deo impoſitam ſuſtinent, ut iis honorem habeant, qui ad curam piorum gregum delecti ſunt ab eo, cujus patrocinio, & munere dominantur; eâ præterea pietate confirmant Regna, populos in officio obedientes continent. Hanc authoritatem, quæ debetur Eccleſiaſticæ Jioriſdictioni, ſi multi, quorum, pro communi Paſtoris, ac Parentis officio,* E *& temporarias calamitates, & æterna ſupplicia ſæpiſſimè lugemus, non ademiſſent, cùm præſenti rerum proſperitate, tùm cæleſtis beatitudinis expectatione florerent. Quorum enim dexteræ Principum promptæ ſunt ad tuenda, & amplificanda Jura Eccleſiarum, eorum imperia, ac Status, perpetua Dei dextera defenduntur; ac liberè illi, & quietè ſua ditione perfrui*

ſolent, qui libertatem, & quietem Eccleſiaſticam, ſalvam, & rectam conſervare ſtudent. Quorum præſidio freti Epiſcopi, ſui officii munus vigilantiùs exequentes, in gregis curam, quem Deus ſuo ſanguine acquiſivit, vehementiùs incumbunt. Provexit orationem noſtram longiùs, perſpecta Nobis religio, ac pietas tua; cui ſalutem precantes, ſacrum Apoſtolicæ benedictiones munus impertimur. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Octobris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

LXXIII. Dùm autem Romæ, ex Pii mandato, hæc Juriſdictionis cauſa cognoſcitur, utraque contendentium pars Mediolani, juris ſui, quod obtendebat, poſſeſſionem tueri conatur; at laica tamen acriùs, ideòque primarium Eccleſiaſtici fori lictorem, quòd cum armis, regio Edicto prohibitis deprehenſus fuiſſet, tortum ad triremes damnat. Carolus è contra, ad vindicandam Eccleſiaſtico Juri illatam injuriam, nonnullos è Regiis Miniſtris, qui facti auctores extiterant, anathemate ferit, ejuſque rei ſcriptum publicè proponi voluit. Præſidem, omnemque Senatum, ſcriptis item in judicium vocavit; deinde rem Pontifici detulit, qui, pro illata Eccleſiæ injuria, Ducem ſatisfacere admonuit, ac Præſidem, duoſque Senatores, conſilii, ac facti authores præcipuos, triginta dierum ſpatio Romæ coràm ſe adeſſe præcepit, reliquos verò, jam anathemate irretitos, Romam etiam vocari juſſit, ac Septembris menſis hujus anni initio, ad id, curſorem cum literis ad Ducem miſit. Erga Pontificia hæc decreta, magna Ducis, ac magni Cancellarii reverentia, & obſequium; at ex his varius rumor, pro ſuo quiſque ingenio, Mediolani, Romæ, in Hiſpania cunctis obloquentibus. Regiæ poteſtatis invaſorem Carolum aliqui dicebant, ideòque vi comprimendum, & ex urbe, totaque ditione pellendum; extollebant tamen alii Caroli pietatem; inter has autem, vel detrahentium, vel laudantium linguarum procellas, Caroli imperturbatus animus, ac mira prorsùs tranquillitas obſervabatur.

LXXIV. Interea Serlavii Marchio ex Hiſpania mittitur, qui Cardinalem primùm Mediolani convenit, blanditiis

A ſimul ac minis, deinde Romam profectus, ac Pontificem alloquutus, poſt varias demùm contentiones, negotio finis, hac ratione impoſitus fuit: ut Regii illi adminiſtri, ad quos ea magis cauſa ſpectabat, Pio indulgente, à Cardinali, ſtatâ cæremonia, in Eccleſiæ gratiam reciperentur, uti effectum eſt, meritas piaculis pœnitentias publicè iiſdem ſubeuntibus, ſpectaculo, præ foribus majoris Eccleſiæ, coram omni populo, exhibito. Archiepiſcopalibus miniſtris

B erepta arma ſunt reſtituta, & qui abſtulerant, nihil unquàm tale ſe facinus ſunt polliciti patraturos Nihilominùs, qui ipſius participes fuerunt, ferè omnes vario immaturæ mortis genere, (ut ejuſdem temporis Scriptores tradunt,) conſumpti ſunt: relicto (inquit Ripamontius) poſteris exemplo, nè quid audeant, in Eccleſiam temerè moliri; ſed eam potiùs, ut pios homines decet, tueantur, ac protegant. Ex epiſtola autem, à Ca-

C rolo, precibus Serlavii Marchionis, ad Pium ſcripta, Non. Kal. Februarii anno 1568. quam apud Carolum à Baſilica Petri offendes, Serlavii Marchionem, non niſi eo anno Romam petiiſſe, & eum Pontifice, de his, quæ prædiximus, egiſſe cognoſcitur; undè in eumdem annum cætera quoque, quæ ſunt ſubſecuta, reiicienda deprehenduntur, licèt hic ea adnotare veriti minimè fuerimus, ut narrationem, longo ab aliis dictamine datam, brevi

D compendio coarctaremus.

Carol. a Baſilic. Petri Vita S. Caroli lib. 2. pag. 51.

Difficiliorem verò, hoc anno, in Humiliatorum reformatione, provinciam Carolus ſuſcepit, ut Giuſſanus, Ripamontius, & à Baſilica Petri tradunt, contra Hadriani, ac Campanæ ſententiam, qui egregium hoc facinus, præterito anno aggreſſum fuiſſe ſcribunt. Illud autem, jubente Pio, Carolus idem adoritur, quòd nimis à veteribus inſtitutis Ordo ille defeciſſet.

Baſilic. Petri lib. 2. pag. 55. Giuſſan. 2. lib. cap. 14. Ripamon. lib. 3. par. 137.

E Prima ejus fundamenta jecerant Mediolanenſes cives nonnulli, quia, cùm Conradus Imperator eorum plurimos cœpiſſet, ac in Germaniam deportaſſet, primarios eorum interimi juſſerat; quorum commoti diſcrimine, qui ſuperſtites relicti fuerunt, ubi primùm, Conrado è vivis ſublato, ab Henrico, qui ei ſuffectus eſt, Mediolanum reverti poſſe impetrarunt, monaſticam diſciplinam, cum S. Benedicti inſtitu-

tis,

tis, album ſimul amictum, ac Humiliatorum nomen ſuſceperunt. In captivitatem autem hujuſmodi ductos fuiſſe, non à Conrado, ſed à Friderico Ænobarbo, à pluribus auctoribus aſſeri, ſcribit Giuſſanus.

Erat Ordinis Carolus Patronus, ac Judex, jamque à temporibus Pii IV. avunculi ſui, ut idem Giuſſanus, & à Baſilica Petri tradunt, Ormanetum, illum reformare contenderat. Eo igitur mortuo, Pium V. de neceſſitate hujus reformationis admonuit, & hinc, eo impellente, corruptelis innumeris, quæ irrepſerant, tollendis incumbens, generali, ac præcipuis ejuſdem Ordinis Præpoſitis adſcitis, de divino cultu reſtituendo, de recipiendis, & educandis Ordinis alumnis, de morum emendatione, de obedientia, caſtitate, & paupertate, de vita communi, multa, unà cum eis, prudentèr ſtatuta edixerat.

Verùm, cùm ii, propriæ ſalutis obliti, contra regulam, ac inſtituta, magnam partem reddituum ſibi vindicare, in ampliſſimis ædibus ſumptuosè exornandis, in conviviis, in copioſo famulitio ſæculari, aliiſque hujuſmodi voluptatibus ſcandaloſè diſperdere conſueviſſent; hinc nullus, aut rarus fructus, ex conſtitutis à Borromæo conſequutus eſt; quapropter Pius, de his edoctus, eidem præſcripſit, ut preſſiùs, & attentiùs reformationi inſudaret; & hinc, ſequenti edito Diplomate, ad rectè, & religioſè vivendum adigere voluit.

(PIUS EPISCOPUS,

Servus &c.

Extat in Bull. parvo pag. 262.

QUantum utilitatis Reipublicæ Chriſtianæ afferunt benè inſtitutæ, & inſtitutis ſuis convenienter viventes, Religioſorum Congregationes, tantum illa detrimenti, & offenſionis capere videtur ex his, cùm, quos aliis in ſæculo viventibus honeſtate morum, & Sanctimonia excellere, ſalutiſque æternæ viam præire oportebat, ipſimet ab optimis diſciplinis deſciſcentes, in cupiditates, & vitia provolvuntur. Hæc conſiderantes, ex quo Nos Divina Majeſtas ad hujus præexcelſæ dignitatis faſtigium evexit, omnia, quantum in Nobis eſt, ſuperno auxilio freti, facere conamur, ut illæ quidem Sodalitates, quæ in obſervatione inſtitutorum ſuorum religiosè perſiſtunt, magis quotidiè in illo ſancto propoſito confirmentur: illæ autem, quæ, relicta veteri diſciplina, in deterius lapſæ ſunt, opportuna animadverſione adhibita, ad honeſtum vitæ genus feliciter revocentur. Cùm igitur inter eas Religiones, quas gravi cum noſtra ſollicitudine à veteribus inſtitutis defeciſſe videmus, Fratrum Humiliatorum relaxata jampridem diſciplina, non animo tantùm, ſed noſtris etiam oculis obverſetur; ratio poſtulat, ut ad illam quamprimùm emendandam præcipua noſtra ſtudia conferamus. Horum etenim Regula, pluribus jam ſæculis, ab humilibus quidem, ſed maximè piis, & devotis profecta initiis, inde optima illius diſciplina in immenſum augeſcente, ſic ſenſim coaluiſſe fertur, ut radices ſuas longè, latèque feliciter propagarit. Sed humani generis hoſtis, qui bonis ſemper operibus adverſatur, captato, inter affluentes opes, tempore, frugiferam hanc plantam, ſævis adeò turbinibus agitavit, ut plerique Præpoſiti & alii dicti Ordinis, quos par erat jejuniis & orationibus, ſacræ lectioni in Clauſtro, ſine intermiſſione incumbere, credito ſibi gregi, docendo, monendo, & increpando invigilare; propriæ ſalutis obliti, contra Regulam, & inſtituta prædicta, proprium ſibi vendicantes, bonam, magnamque partem reddituum dictæ Religionis, quorum privatus uſus, ne ipſis quidem Præpoſitis, ex inſtituto permittitur, in ampliſſimis ædibus ſumptuosè exornandis, in conviviis, in copioſo famulitio ſæculari, & aliis hujuſmodi voluptatibus mundanis, temerè diſperdant; hinc Fidelibus ſcandalum obiicitur, hinc hæreticis maledicendi ſuppeditatur occaſio; hinc multi infirmi, & incauti in Diaboli laqueos incidunt, dum, quorum mores integros non vident, eorum nè doctrinam quidem integram opinantur. Quibus malis dilectus Filius noſter Carolus, Tit. S. Praxedis, Præsbyt. Cardinalis Borromæus nuncupatus, dicti Ordinis Protector, & Apoſtolicæ Sedis Delegatus, nuper mederi cupiens, adhibitis Generali, & aliquot aliis Præpoſitis dicti Ordinis, multa utilia, de ratione cultus Divini, de modo excipiendorum & educandorum Religioſorum, de correctione morum

A rum, de obedientia, caſt.tate, pau-
pertate & vita, ut antea, communi,
benè, & providenter condidit. Ve-
rumtamen, quia propter improbas mul-
torum Præpoſitorum, & aliorum præ-
dictorum cupiditates, nullus hucuſque,
vel certè rarus indè fructus conſequitur;
& ſicut ex diverſis Literis Apoſtolicis,
ac etiam ipſiusmet Ordinis Conſtitutio-
nibus compertum habemus, prædictus
Ordo Regulæ D. Benedicti, proprium
cuique expreſsè prohibenti, adſtringi-
B tur: ac illius Præpoſiti, ſivè Prælati
nullos ex ſua adminiſtratione proventus,
cùm nulli ibi, niſi communes ſint, per-
cipere poſſunt, ſed in communi, quem-
admodum cæteri fratres, vivere debent:
Viſitatores verò, inter cætera, fideli-
tèr inquirere tenentur, nùm Præpoſiti
cum cæteris Fratribus comedant, nùm
aliqui proprietarii in ulla domo repe-
riantur, & an ratiocinia facultatum,
atque expenſarum domus inter Præpoſi-
tos, & Officiales ſuos habeantur. De-
C nique procurare, ut numerus Fratrum,
in ſingulis Præpoſituris, pro ratione fa-
cultatum augeatur. Præsered, ex eiſdem
Conſtitutionibus etiam deprehendimus,
quòd Præpoſiti prædicti, olim annales,
interdum biennales, pro nutu Præpoſiti
Generalis, & ad electionem ſuorum Con-
ventuum aſſumi debeant. Nos, ſupradi-
cta diſcrimina, ex perpetua rerum admi-
niſtrandarum facultate, quam dicti Præ-
poſiti habere noſcuntur, in primis pro-
venire rati, prædictis periculis, vali-
D diore manu, occurrere volentes, Motu
proprio, & ex certa ſcientia noſtra,
deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,
omnes, & quaſcumque, tàm Apoſtolicas,
quàm ordinarias collationes, proviſio-
nes, commendas, & alias diſpoſitiones,
de Generalibus, Provincialibus, Con-
ventualibus, & aliis Præpoſituris, nec-
non Prioratibus, cæteriſque Beneficiis
Eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura
dicti Ordinis, & etiam ſuper illorum
fructibus, quarumcumque penſionum
E annuarum, aut aliarum rerum, vel etiam
ipſorum fructuum, vel partis eorum re-
ſervationes, fratribus ſupradictis perpe-
tuò, ſivè ad certum, & qualecumque
tempus, necnon omnia, & quæcumque
regreſſus, acceſſus, & ingreſſus, &
regrediendi, accedendi, & ingrediendi
facultates, & indulta. Coadiutorum
quoque deputationes ad illas, iſtos, &
illa, etiam de conſenſu, ac ex reſigna-
tionis, ſeu ceſſionis juris, ac etiam litis,
& cauſæ, aut concordiæ, Apoſtolica au-
thoritate confirmata, aliave cauſa,
quantumcumque oneroſa, & conſidera-
bili, tàm eiſdem Fratribus, quàm qui-
buſcumque aliis, etiam S. R. E. Cardi-
nalibus, per quoſcumque Romanos Pon-
tifices predeceſſores noſtros, ac Nos, &
Sedem prædictam, etiam more, ſcientia,
& poteſtatis plenitudine ſimilibus, nec-
non conſideratione, intuitu, contempla-
tione, vel ad inſtantiam Imperatoris,
Regum, Ducum, aliorumque Princi-
pum facta, & conceſſa, quibuſcumque
concepta formulis, ac etiam reſtitutivis,
præſervatis &c. annullamus, ac volu-
mus, illa omnia vires, & effectum de
cætero non habere. Et nihilominùs om-
nes, & ſingulos Præpoſitos, & cæte-
ros fratres, illas, illos, & illa obti-
nentes, prædictos etiam quantumcum-
que longiſſimo tempore poſſeſſores, eiſ-
dem omnibus ex nunc privamus, & ab
illorum poſſeſſione amovemus, amotoſ-
que denunciamus. Mandantes Univer-
ſis, & ſingulis, ut, quamprimùm præ-
ſentes illis intimatæ fuerint, ab omni-
moda adminiſtratione abſtineant, ac poſ-
ſeſſionem hujuſmodi vacuam realitèr
dimittant. Quòd ſi horum quiſquam
ſecùs quoquomodo contenderit, illum
talem excommunicationis ſententia in-
nodamus, ac dignitatibus, adminiſtra-
tionibus, & Officiis d. Ordinis perpetuò
indignum decernimus eo ipſo; Ipſi ta-
men ſic dimittentes titulum nomen,
& inſignia omnia Præpoſiti ita reti-
neant, ut quoad vixerint, & in
unitate Fidei, atque obedientia &
obſervatione præſentium perſtiterint,
nec quicquam, quod eos meritò reddat
indignos, admiſerint, vocem, & ſuffra-
gium, activè, & paſſivè, etiam quo ad
electionem Præpoſiti Generalis habeant,
& tàm in proximo, quàm cæteris dein-
ceps capitulis generalibus, ad curam,
& regimen aliarum Præpoſiturarum
& Prioratuum, tertio quoque anno
commutentur, & ad tempus dumtaxat
eligi debeant. Firmitèr autem pollice-
mur, Præpoſituras, Prioratus, & cæ-
tera Beneficia dicti Ordinis, quæ nunc
aliis extra illum collata, ſeu commenda-
ta reperiuntur, cùm vacabunt, ad eum-
dem ſtatum reducturos: ſi interim eos,
quos ex præſenti noſtra reformatione
futuros ſperamus fructus, verè noveri-
mus proveniſſe. Cæterùm ex his, quæ
pro

pro ſalubri dictæ Religionis ſtatu, & felici directione, alioquì inſtituta, hucuſque reperiuntur, quæque, nec præſentibus contraria ſunt, nec effectum earumdem impediunt, nihil omninò detrahere, ſed illa omnia immota cuſtodiri. Rurſùs ea, quæ ad perfectæ regulæ diſciplinam, vel deeſſe, vel obeſſe poſſunt præſenti pagina ſupplere, vel emendare intendentes, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine prædictis, ſtatuimus, & ordinamus; quòd, futuris temporibus in perpetuum, Præpoſitus Generalis dicti Ordinis, tertio quoque anno in Capitulo Generali, ſingulis trienniis celebrando, per ſuffragia ſecreta, juxtà Concilii Tridentini diſpoſitionem, & aliàs, ſecundùm Regulariu dicti Ordinis inſtituta, laudabileſque conſuetudines eligatur; ſed hoc Officio, lapſo triennio, illi deinceps nequeat prorogari. Simili quoque modo prædicti, cæterique omnes Præpoſiturarum, domorum, & locorum omnium dicti Ordinis Præpoſiti, & Priores, quocumque nomine vocati, & ad triennium, & in ipſo Capitulo generali dumtaxàt inſtituantur, qui debitam in ſuis Præpoſituris, domibus, & locis reſidentiam faciant. Et, ſi horum quempiam; eo durante triennio, decedere, vel privari contigerit, prædictus Præpoſitus Generalis Vicarium ex eadem illa idoneùm, ſin autem ex alia, Præpoſitura, Domo, ſive Conventu, in demortui, vel privati locum, pro reliquo triennii tempore, uſque ad futurum generale Capitulum ſubrogabit. Cæterùm hujuſmodi Præpoſiti, & Priores futuri, ſuo ritè defuncti Officio triennali, rurſùs poterunt in futuro Capitulo generali ibidem, ut antea, Præpoſiti, & Priores, in aliis Præpoſituris, & domibus dicti Ordinis, ſi rurſùs idonei judicati fuerint, ad alium triennium, & ſic deinceps deputari. Ad hæc, nullus omnino Præpoſitorum, ſeu Priorum curam aut adminiſtrationem bonorum, & aliarum rerum temporalium, diſpenſationemque reddituum ſuæ Præpoſituræ, ſeu domus, etiam nomine ſui Conventus, habere, ſive exercere, vel ſeſe in iis interponere poſſit, ſed univerſum id onus tribus Religioſis, in unoquoque Capitulo Generali, ità demandetur, ut primus rerum, & bonorum menſæ, tàm Præpoſiti, quàm Præpoſituræ, ſeù domus inferendorum in eam reddituum, curam habeat. Alter, tamquàm Depo-

A ſitarius, pecunias, & cætera ab illo importata fideliter aſſervet. Reliquus de pecuniis, & rebus à Depoſitario captis, Præpoſito, Priori, fratribus, & domui univerſæ, de neceſſariis, veluti diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi invicem confuſione penitùs interdicta. Sed hi tres, tàm accepti, quàm impenſi, ſingulis menſibus, Præpoſito ſuo, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus ejuſdem Præpoſituræ, ſeù domus probatioribus, rerumque uſu peritis: B deindè ipſimet rurſùs, præſentibus ipſis Præpoſito, & peritis, Præpoſito Generali, vel Viſitatoribus, quotieſcumque Viſitationis officium fecerint: denique Generalis Præpoſitus, ſemper in proximè ſequenti Capitulo Generali, & coram tribus Judicibus, ab ipſo Capitulo deputatis, ſuæ adminiſtrationis rationem reddere teneantur. Omnes verò Præpoſiti, & Priores vitam cum ſuis Fratribus communem ducant; nec proprium quidquam habeant. Omni- C bus Divinis officiis, diurnis, & nocturnis, in Eccleſia, & choro ſemper adeſſe debeant. In refectorio ſemper comedant, ubi ſilentium perpetuum agatur, & lectura ſacra, ab initio ad finem de more habeatur; Ædes ſeparatas, neque in Clauſtris, neque alibi uſquàm habeant, ſed unica Cella, aut, ſi neceſſitas poſtulaverit, dumtaxàt duabus, eiſdemque cum cæteris aliorum fratribus conjunctis, ac omninò ſine ornatu, velis, aulæis, aut tapetis ſed nudo pa- D riete, ac lectulo, & menſa humilibus, ſicuti Religioſos humiles decet, utque ſignum humilitatis non differat à ſignato, contenti eſſe debeant. Pari quoque ratione cæteri fratres, nihil ſibi proprii vendicantes, neceſſarium victum, & veſtitum à ſuo quiſque Conventu, ſive domo, ac per ejus miniſtros, prout cuique opus erit, capiant, pecuniæ uſu, veluti olim ad libitum abutebantur, deinceps omnibus penitùs interdicto. Eam tamen diligentiam Præpoſitus adhibere E debebit, ut ſingulorum, maximè infirmorum & ſenum neceſſitatibus, juxta cujuſque exigentiam conſulatur. Veſtitus etiam omnis, omninò conformis, nulla exquiſita arte elaboratus, ſed purus, & honeſtus in univerſum habeatur; uſu tamen bireti, cæteriſque Præpoſitorum, & Prælatorum inſignibus, à reliquis fratribus huc uſque diſtinctis, minimè propterea ſublatis. Nullus inſuper, ſive Præ-

Præpoſitus, ſivè ſimplex Religioſus, intra A *ſepta domus ſuæ, neque omninò alibi, mulieres quantumcumque provectas, ſeu Matres, ſeu Sorores, ſeu alias propinquas, etiam infirmitatis tempore, admittat, neque famulos laicos, etiam tamquàm communes, habeat; Sed Præpoſitum fratres aſſectentur. Fratres verò, etiam equitantes, unà bini ſemper incedant, ubi tamen communis Præpoſituræ, ſeu domus neceſſitas uſum equorum poſtulaverit, famulus laicus, honeſto tamen habitu indutus, ad curationem* B *illorum, nec non aſſociationem Præpoſiti, & fratrum equitantium, equique cuſtodiam, dumtaxàt poterit adhiberi. Poſtremò, ut in Præpoſituris, & domibus prædictis, juſtus miniſtrorum numerus perpetuò conſtet, nunquàm pauciores, quàm duodecim fratres, in ſingulis educentur, illæ verò, in quibus tot commode ali nequiverint, aliis Præpoſituris, ſive domibus ejuſdem* Ordinis, *per dictum* Capitulum *Generale, ſeu, ſi id commodè tunc fieri nequiverit, à di-* C *cto Carolo Cardinali, & Protectore, unà cum Præpoſito Generali, & Promotoribus, ſeu Diffinitoribus perpetuò uniantur; ſeu de opulentiorum Præpoſiturarum, & Locorum redditibus, cæteris anguſtioris proventus Præpoſituris, & locis, commodis rationibus proſpiciatur; ità tamen, quòd Præpoſiti Præpoſiturarum, & locorum ſic uniendorum, deinceps earum Præpoſiturarum, quibus uniones hujuſmodi fient Priores, ſeu Vicarii deputentur, ac decedentibus* D *aliis Præpoſitis, antehàc perpetuis, ſi ſint idonei, omnium primi poſt eos Præpoſiti in eiſdem Capitulis Generalibus, ordine præſcripto ſervato, eligantur. Diſtrictiùs inhibentes in virtute S. Obedientiæ, quibuſcumque Collatoribus, & etiam jus eligendi, aut præſentandi habentibus, nè de Præpoſituris, Prioratibus, & Beneficiis, ſub ipſa revocatione noſtra comprehenſis, prædictis, diſponere, aut aliquem, vel aliquos ad illas præſentare, vel* E *eligere, ſeu inſtituere audeant quoquomodò, vel præſumant. Ac decernentes ex nunc, quaſcunque hujuſmodi præſentationes, electiones, collationes, proviſiones, Commendas, & alias diſpoſitiones &c. tamquàm in læſionem, & detrimentum reformatæ Religionis, ſurreptas, & extortas, nullius prorsùs momenti fore, nec per eas jus aliquod cuiquam acquiri. Rursùs nullum ex his, quorum collationes, proviſiones, & Commendæ Præpoſiturarum, Prioratum, & Beneficiorum prædictorum, penſionum, cæteræque reſervationes, necnon regreſſus, acceſſus, ingreſſus, & Coadiutorum deputationes ad illa, revocata ſunt, ut præfertur, quocumque tempore, quavis cauſa, quantumlibet rationabili, reſtitutionem in integrum, reductionem ad terminos Juris, aut aliud quodvis gratiæ, aut juſtitiæ remedium impetrare, vel etiam ab alio, vel aliis impetrato, aut Motu ſimili conceſſo, uti, nec præſentes literas, ſub ullis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, ſimilium, vel diſſimilium ordinationum, ab ipſa Sede, quandocumque, & quomodocumque emanandis, comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validum ſtatum reſtitutas, & plenariè redintegratas eſſe, & cenſeri, ſicque, per quoſcumque Judices* Ordinarios, *& delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis alitèr interpretandi, & judicandi facultate, & auctoritate, ubique interpretari, judicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, quidquid ſecùs, ſuper his, à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.*

Inſuper prædicto Carolo, Cardinali Protectori præcipimus, ut ipſe eaſdem præſentes, & quidquid, eo præſidente, in proximo generali Capitulo, ritè ordinabitur, vel etiam pro præmiſſorum omnium, & ſingulorum obſervatione, ab eo, extra dictum Capitulum, etiam ſine interventu alicujus dicti Ordinis, *ſtatuetur, in omnibus Præpoſituris Conventibus, & Locis, ac ab omnibus, & ſingulis Præpoſitis, & fratribus prædictis, inviolatè faciat, per ſe, vel alium, ſeu alios obſervari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam Præpoſiturarum, dignitatum, & adminiſtrationum privatorias, cæteraque Juris, & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Quin etiam contendentes prædictos in cenſuras, & pœnas ſupradictas incidiſſe, declarando,*

in-

invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Et nihilominùs uſquequaque, quantum in Nobis eſt, præcavere volentes, nè quiſquam ab inſtituto declinet, Ordinariis locorum diſtrictiùs injungimus, ut quoscumque Præpoſitos, & Fratres vagantes, aut quidquam contra præſcriptam regulam extra clauſtrum admittentes; illos, rejecto quocumque exemptionis privilegio, adhibito etiam brachio prædicto, ſi neceſſitas id poſtulet, cohibeant, & pro gravitate delicti in carcerem coniiciant, aliaſque in eos, juxtà Canonicas ſanctiones, & Regulæ diſciplinam, ſeverè animadvertere procurent; ſi Divinam, dictæque Sedis ultionem voluerint evitare. Non obſtantibus noſtra &c. Datum Romæ, apud S Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Kal. Maii. Pontificatus noſtri anno ſecundo.)

Hæc à Pio rectè, prudenterque ſancita, à Carolo Cardinali Borromæo obſervanda propoſita ſunt Humiliatorum generali Capitulo, Cremonæ, ejuſdem Caroli juſſu, coacto, cui, & ipſe præfuit. Cùm autem haud pauci, diſciplinam indignè repellentes, ut novarum legum jugum impoſitum excuterent, id per Viros Principes, à Pontifice obtinere conniterentur; eorum artes comperiens Pius, nec ullis precibus acquieuit, nec à reformationis, ob id, firmo propoſito abſtinuit, conſtitutiſque rebus parendum eſſe omninò edixit, ac Ordini univerſo Aloyſium a Baſilica Petri, Præpoſitum Generalem præfecit.

LXXIX. His verò immorans Carolus, non idcircò cæterorum, quæ ad paſtoralem ejus ſollicitudinem ſpectabant, obliviſci potuit; nàm hoc eodem anno, ſub Helvetiorum dominio conſtitutas, ſuæ Diœceſis valles, Levantinam, Brenniam, & Ripariam viſitans, earumdem corruptos Cleri mores reformavit, & populum ſanctiſſimis ſuis monitis, ad rectè vivendi formam revocavit. In Beſotio autem Caſtro, S. Nici Eremitæ corpus, quod ignobili traditum erat ſepulchro, ſub Ara maxima, in ejus honorem dicatæ Eccleſiæ, honorificentiùs condidit, & debitæ venerationi reſtituit.

LXXXI. Tollendis etiam, qui irrepſerant, abuſibus, nedùm à Regularibus, ſed à Militaribus etiam Ordinibus Pontifex incumbens, præter ſancita in S. Lazari militiam, ut diximus; nonnulla quoque in Militia Hieroſolymitana corrigere ſtatuit. Ad id autem eum impulit metus, nè rursùs, ſequenti anno [hoc enim, ut ſcribit Hadrianus, nil ſunt commoliti] Melitæ obſidionem Turcæ aggrederentur; ut ipſemet fatetur in Brevi, ad ipſos, die duodecima Decembris hujus anni, ſcripto, cujus ſunt hujuſmodi verba: (*Cùm multis, & multorum hominum fide dignorum literis, & crebris nunciis ad Nos quotidiè afferatur, immaniſſimum Turcarum tyrannum, validiorem, quàm unquàm anteà, ab ullo Chriſtiani nominis hoſte factum eſt, claſſem comparare, quà ille ſtato tempore genuinam feritatem ſuam in perniciem Reipublicæ Chriſtianæ exerceat, veſtræque potiſſimùm Inſulæ, unde ab hinc ferè triennio claſſis alia Turcica, maxima cum ignominia, graviſſimaque jactura, Dei Omnipotentis in primis auxilio, veſtraque virtute repulſa fuit, ferociſſimè minitari nonnulli afferant: Idcircò cupientes ſecuritati veſtræ, Inſulæque veſtræ, quæ omnium prima, tamquàm Chriſtianorum propugnaculum, illius conatibus obiicitur, omnibus, quibus poſſumus, rationibus conſulere &c.*) Hadrian. Hiſt. lib. 19. pag. 1346. Extat in Bull. parvo pag. 237.

Cùm igitur comperiſſet, Ordinis nonnulos Fratres, vel propriis domibus otio torpentes, vel confictis aliis prætextibus, vel Apoſtolicorum etiam Indultorum vi, nil Melitæ periculum cordi habere; infra tres menſes, cum armis, condignoque comitatu, ad Inſulæ defenſionem, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, Commendarum privatione, necnon ipſius equeſtris habitus amiſſionis pœnis, ſeſe omninò conferre præcepit. Eadem quoque interminatus iis, qui ipſiuſmet Ordinis bona, fructus, vel ex illis penſiones percipientes, ad ejuſdem Inſulæ præſidium contribuere tenebantur; nàm, tùm iſtos, tùm alios, communis ærarii debitores, infra prædictum temporis ſpatium, ut communi diſcrimini conſuleretur, quod debebant perſolvere juſſit.

Cùm verò, tanto hoſti repellendo, imparem viribus, his etiam adhibitis remediis, Ordinem ipſum agnoſceret; eidem undique ſibi ſubſidia comparandi ampliſſimam facultatem feciſſe, quæ ſequuntur, ab eo data Diplomata oſtendunt. LXXX.

[PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Ex Archiv. Vatic. ut ſupra.

Cùm, ſicut exploratum ſatis, & compertum eſt, novus Turcarum Tyrannus Selymus, Chriſtiani nominis hoſtis communis, & præcipuè dilect. Fil. Ordinis S. Joannis Hjeroſolymitani, in Melita Inſula conſiſtentium, infeſtus, infenſusque, bellum, à Patre ſuo illi Ordini, atque Inſulæ illatum, continuare decreverit, ejuſque belli cauſa, ingentem, & multò majorem exercitum, ac majores aliarum rerum, bello neceſſariarum, copias, ſumma cura comparet, ut in ſequenti anno illam Inſulam invadat; cùmque, tanto bello imminente, dilecti Filii, Jo. de Valletta, & Conventus ejus Ordinis, propter damna, priore illo bello, & atrociſſima, & obſtinatiſſima obſidione, accepta, exhauſto jam ærario, ut perficere, ante Turcarum adventum, cœptam novæ Urbis ædificationem poſſint, pecuniam uſque ad ſummam quinquaginta millium ſcutorum auri, mutuo, vel alia ratione invenire cupiant, ac neceſſè habeant: Nos attendentes, totius populi Chriſtiani intereſſe, ut Ordo, ità de Criſtiana Republica meritus, incolumis maneat, & Inſula, adeò Siciliæ, & Italiæ imminens, ac propinqua, quam propter ejus opportunitatem, hoſtis in poteſtatem ſuam redigere vehementèr cupit, defendatur: Dilectis Filiis Petro Juſtiniano, Meſſanæ, Petro de Monte, Capuæ, Prioratuum ejus Ordinis Prioribus. Ioſepho Cambiano, apud Nos ipſius Magiſtri, & Conventus Oratori, & Cæſari de Clericatis, Commendarum ejuſdem Ordinis de Foſſano, & Molfetta Commendutariis, ipſis, & unicuique eorum, ad accipiendam eam pecuniam, Procuratoribus, ab eodem Magiſtro, & Conventu conſtitutis, ſicuti ex publicis inſtrumentis ſuper ea re confectis patet; Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, iis, à quibus eam pecuniam mutuo, ſeu ſub cenſu, vel penſione annua, vel alio pacto, licito tamen, acceperint, obligandi, hypotecandi, atque etiam vendendi, & alienandi, cum pacto tamen, intra certum tempus redimendi, bona quæcumque ſtabilia, mobilia, ſeu ſemoventia, Prioratuum, Baliatuum. Commmendarum ejus Ordinis, & alia quæcumque, ad eum pertinentia,

A *in Italia, Gallia ſeu Hiſpania poſita, licentiam, & facultatem damus, atque concedimus. Non obſtantibus Coſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, indultiſque, & privilegiis ei Ordini conceſſis &c.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, X. Decembris 1567. Pontificatus noſtri Anno 2.)

Ejuſdem exempli, ac tenoris alia quoque diplomata in Vaticano Regeſto offenduntur, ad Petrum, videlicet,
B de Gioveris, Ordinis Mareſcalcum, Jacobum de Aquenbroch, & Philibertum Suillice ejuſdem Ordinis Milites, ac Præceptores, ſub die XVIII. Decembris. Ad Antonium de Toleto, Prioratus Legionis Priorem. Ad Petrum de Mendoza Præceptoriæ de Geneves Preceptorem. Ad Petrum Boninſignium, ipſius Magiſtri, & Conventus apud Regem Catholicum Oratorem. Ad Ferdinandum de Zunica, ejuſdem Ordinis Præceptorem. Et hæc quidem, ſub die
C 13. Decembris hujuſmet anni. LXXXII.

His vero, cùm ſatis ſuo muneri non ſatisfeciſſe Pius cenſeret, præter ea, quæ munificentiſſimè eidem ſuppeditavit, pro ipſo ad Hiſpaniarum, & Galliarum Reges, nec non ad Reipublicæ Venetæ Ducem hujuſmodi ab eo datæ literæ reperiuntur.

Ad Regem Hiſpaniarum

(Chariſſimo in Chriſto Filio.
D Philippo Hiſpaniarum
Regi &c.

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto Fili &c.

Apud Gent. Epiſt. lib. 1. Epiſt. 18.

Satis exploratum atque compertum eſt, potentiſſimum hoſtem noſtrum, Turcarum tyrannum, ingentem claſſem, quantam nemo unquàm Majorum ſuorum habuit, &
E *navalem exercitum maximum, ac cæteras res neceſſarias intenſiſſima cura comparare, eo conſilio, ut proximo vere traiiciat in Inſulam Melitam, ad Ordinem Militum S. Joannis delendum, ſibi maximè inviſum, & ad Inſulam illam ſubigendam, cujus potiundæ cupidiſſimus eſſe dicitur, tùm propter maximam ejus opportunitatem, tùm propter ignominiam ſuperiore bello acceptam. Cujus viribus*

cùm

A *cùm Ordo ipſe nequaquam reſiſtere poſſit, cogitur Dilectus Filius Joannes de Valletta, ejus Ordinis Magiſter, Chriſtianorum Principum, adverſùs communem Chriſtiani nominis hoſtem, auxilium implorare. Cujus rei cauſa ad Nos Oratorem miſit, itemque alterum propriè ad Majeſtatem tuam mittit, Dilectum hunc Filium, ſtrenuum virum, Petrum de Mendoza ejus Ordinis Militem, & Præceptorem de Geneves. Quia* B *verò, & Ordo is, propter ſingularem virtutem ſuam, veteraque & recentia in Chriſtianam Rempublicam merita, digniſſimus eſt, quem opibus ſuis omnes Chriſtiani Principes, tanto imminente bello, tueantur, & cum ejus periculo totius Chriſtiani populi periculum conjunctum futurum eſt: propensè Nos quidem, & pecuniam illi, ad muniendam Inſulam ſuppeditavimus, quantam potuimus, & aliquantum etiam præſidium peditum mittere in animo habemus.* C *Sed nequaquàm eæ noſtræ facultates ſunt, ut tantæ ejus neceſſitati ſoli ſubvenire poſſimus. Proindè æquum eſt, cùm alios Principes, tùm in primis Majeſtatem tuam, cui Deus tot Regna & tantas opes conceſſit, ut ipſa potiſſimùm populum ſuum, ac Religionem Chriſtianam ab impio, & immaniſſimo hoſte defendat, enixè eum Ordinem, tàm neceſſario tempore juvare. Quod quidem, etiam ſine proprio rerum ſuarum periculo eam ſtudioſè facturam eſſe, pro ſua virtute, ac pietate confidimus.* D *Eò autem propenſiùs ei auxilium miſſuram eſſe non dubitamus, quia ipſius maximè intereſt, Inſulam, adeò Siciliæ, Italiæque finitimam, in poteſtatem hoſtium non venire. Quod verò Majeſtatem tuam ſpontè facturam eſſe certum habemus; ut, pro Sedis Apoſtolicæ reverentia etiam promptiùs, prolixiùs, liberaliùs faciat, ipſum Ordinem, quanto poſſumus animi ſtudio Majeſtati tuæ commendamus: confiſi planè in Domino,* E *ſi abs te, prout opus eſt, adjutus fuerit, fore ut pari, ac ſuperiore bello fecit, virtute, & gloria barbarorum impetum ſuſtineat, at repellat. Cujus laudis, & meriti magna pars ad Majeſtatem tuam perveniet.* Datum Romæ, apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Decembris 1567. Pontif. noſt. anno Secundo.)

Ad Regem Galliæ.

[Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Carolo, Francorum Regi &c.

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto &c.

Dilectus Filius Joannes de Valletta, Militum Ordinis S. Joannis Hyeroſolymitani Magiſter, cùm ſatis compertum & exploratum habeat, novum Turcarum tyrannum ingentem claſſem, quantam nemo Majorum ſuorum ad hoc tempus habuit, & copias maximas ſumma diligentia comparare, ut vere proximo Melitam Inſulam, priore bello fruſtrà tentatam, majore vi aggrediatur: & quia afflictis ſuperiori bello ejus Ordinis rebus, eas ipſe non habet vires, ut tàm potenti hoſti poſſit reſiſtere; idcircò adverſùs communem Chriſtiani nominis hoſtem implorandum ſibi eſſe, jure, ac meritò duxit auxilium Chriſtianorum Principum. Quod ad Nos attinet, ei deeſſe nolumus; ſicuti ad condendam quoque novam urbem ei juvimus. Sed eas ipſi facultates nequaquàm habemus, ut ſoli ſubvenire poſſimus. Cùm igitur, ſicut miſit ad Nos, & ad alios, ita miſerit ad tuam quoque Majeſtatem, auxilii petendi cauſa, ſtrenuum uirum, Petrum de Giou, ejus Orddinis Mareſcallum; præterire non potuimus, quin Ordinem, ità de Chriſtiana Republica omni tempore meritum, ac merentem, qui tantum pro Chriſtiana Religione ſanguinis fudit, ac fundere paratus eſt, niſi à Chriſtianis Principibus deſtituatur, tàm neceſſario tempore, Majeſtati tuæ, & aliis Principibus commendaremus. Etſi enim unius pluſquàm alterius, intereſſe videtur, illam Inſulam defendi; tamen rès haud dubiè agitur omnium Principum Chriſtianorum, & totius Chriſtiani populi ſalus. Nimis jam diù, nimis auctæ fuerunt hoſtium noſtrorum vires, ſuperiorum Principum negligentia: non eſt committendum, ut magis augeantur. Si [quod Deus avertat,] Inſula, tàm opportuna, in hoſtium poteſtatem venerit, maximum Chriſtianæ Reipublicæ præſidium amittetur: ſerò poſteà ſentiremus, quantum detrimen-

Ut ſuprà Epiſt. 29.

tum eſſet. Sed damnum, non modò reſtitui, ac reparari non poſſet, ſed alia ex aliis deinceps damna, & graviores impoſterùm calamitates populo Chriſtiano eſſent inferendæ. Novimus etiam, Chriſtianiſſime Fili, tuas quoque neceſſitates; ſed quibus rebus juvari abs te is Ordo poſſit, hoc tempore, ipſe Orator Majeſtati tuæ exponet. Ex quo, ubi deſideria Magiſtri, & Conventus Melitenſis cognoveris, ut præclariſſimi cognominis tui memor, eis ſatisfacere velis, ſicuti pro tua virtute, ac pietate te facturam eſſe confidunt, Majeſtatem tuam in Domino hortamur, & rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XII. Decembris 1567. Pontif. noſt. anno ſecundo.

Ad Venetiarum Ducem.

[Dilecto Filio, nobili Viro, Petro Lauredano, Duci Venetiarum &c.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

QUantoperè res Militum Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani afflictæ fuerint illo tempore, quo Turcæ in Inſula Melita, terra, marique eos per multos menſes pertinaciſſimè, ſummis viribus oppugnarunt, omnes noviſſe certum habemus. Ad eos, vere proximo, iterum, & acriùs oppugnandos, atque illam Inſulam invadendam, multò major, quàm antea, navium omnis generis multitudo, multòque majores terreſtres, navaleſque copiæ, ſumma diligentia, à novo Turcarum tyranno comparari dicuntur. Itaque tàm neceſſario tempore, ad opem, & auxilium omnium Chriſtianorum Principum confugere coguntur, cùm animis magis, quàm facultatibus parati ſint ad tàm potentis, & infeſti hoſtis impetus excipiendos, & ſuſtinendos. Nemo eſt autem, qui non intelligat, ac cernat, commune hoc eſſe omnium Chriſtianorum periculum, cùm illa Inſula, adeò Siciliæ imminens, Italiæque finitima, & ad occupandas inferi maris Inſulas opportuna tamquàm Arx quædam ſit habenda totius populi Chriſtiani, quæ, ſi (quod Deus avertat,) in hoſtium poteſtatem, Chriſtianis Principibus torpentibus, veniret, ſerò poſtea, nullo pœnitentiæ loco relicto, omnes ſenſuri eſſent, quantum Chriſtiani nominis præſidium, ac propugnaculum amiſſum fuiſſet. Quia igitur omnium intereſt, Ordinem adeò de Chriſtiana Republica benemeritum defendi, &, nè illa Inſula in poteſtatem hoſtium redigatur, provideri: æquum eſt ac neceſſarium, ut Nos & omnes alii, quo quiſque noſtrum poteſt, eum Ordinem auxilio juvemus. Et ſanè Nos deeſſe nolumus, licèt multos alios ſumptus facere cogamur: Sed ejus neceſſitates ſoli ſublevare non poſſumus; omnes oportet, qui has Reipublicæ Chriſtianæ reliquias ſalvas volunt, communis ſalutis, ac Religionis periculum, communi auxilio propulſare. Ad quod, inter cæteros Principes, Nobilitatem quoque tuam hortandam duximus, ut Principem valdè Catholicum, & ut Reipublicæ Principem, quæ pro Religione Chriſtiana multa præclariſſima geſſit, ac de ea benemereri conſuevit. Novimus ſanè, te, & Senatum iſtum, veſtris rebus etiam injuriam timere, ac maximas cogi impenſas facere: ſed quid abs te hic Ordo deſiderat, ex Dilecto filio, Petro Juſtiniano, Priore Prioratus Meſſanæ, cive tuo, & ipſius Ordinis fortiſſimo milite cognoſces. Nos, nè longiores ſimus, ejus Ordinis, cùm pro noſtra erga eum benevolentia, tùm Chriſtianæ Reipublicæ cauſa, Nobilitati tuæ tanto ſtudio commendamus, quantum, etiam tacentibus Nobis, & virtus ac merita eorum Militum poſtulant, & magnitudo periculi, Chriſtiano populo impendentis, efflagitat. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XIX. Decembris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

LXXXIII. Quàm efficaces fuerint hæ Pii preces, & monita, quæ ſubſequuta ſunt comprobarunt, ut ſuis locis dicendum erit, & illuſtris, qui de immaniſſimo hoſte actus eſt triumphus, palàm oſtendit. Militum autem generalis Magiſter, non ſolùm, miſſis ad Chriſtanos Principes (ut ex Pii Epiſtolis audiſti) Oratoribus, Melitæ ſecuritati proſpexit; ſed univerſas quoque auri argentique cælaturas in pecuniam inprimendam tradidit, ut narrat Natalis Comes; qui etiam refert, Romagaſium, Melitenſis ejuſdem Ordinis Equitem, ad Eplam Inſulam duabus Triremibus, duos Turcicos dicrotos aggreſſum

Natal. Com. Hiſt. lib. 18. pag. 387.

greſſum eſſe, commiſſoque prælio, (A) utrinque permultis vulneratis, ac cœſis, inter alios ipſo Romagaſio in facie à ſagitta vulnerato; poſt diuturnum nihilominùs certamen, alterum hoſtium dicrotum, cum centum, & triginta Turcis ab ipſo fuiſſe captum, alterum verò, quod ad Eplam impegerat, à Turcis iiſdem relictum.

LXXXIV. Veneta verò Reſpublica, Pii monitis, ac conſiliis minimè in Turcas impelli egebat, cùm proprio ſibi cavendum eſſe periculo ritè intelligeret, (B) dum illi, non tàm Melitæ, quàm Cypri expugnationi inhiare cognoſcerentur, occaſionemque quærere, ut pacem infringerent. A Selymo ſiquidem, novo Turcarum tyranno, Venetias Legato miſſo, cùm multa is, de Ottomanorum ſuorum Principum potentia, ac viribus, ex more jactaſſet, adiecit, Selymum, Alphonſi, Ferrariæ Ducis injuriam haud inultè relicturum, & quod Maximiliano Imperatori, hoſti ſuo, opem ſubminiſtraſſet, vi, & armis vindicare decreviſſet. (C) Finitimam idcircò eidem Duci Rempublicam, an ei auxilium contra ſe præſtitura eſſet, ſcire velle edixit. His plures de Uſchochis querelas addidit, & enixè ab eis damna ac clades illatas Turcis amplificavit, quas, niſi Reſpublica prohibere ſtuduiſſet, meritis de prædonibus ſumptis pœnis; Selymum, propria immiſſa in Adriaticum claſſe, id effecturum. (D) Hac ſiquidem ratione oſtendere demùm connixus eſt, pacis conditiones à Venetis violatas.

LXXXV. Objectas criminationes de facili Senatus propulſat: & licèt à Marino Caballo, Bizantii Legato ſuo, iiſdem conditionibus, quibus pax ſtatuta fuerat cum Solymano, firmatam ipſam quoque intellexiſſet à Selymo; nihilominùs barbaræ fidei non credendum æquiùs cenſuit; quapropter Duces in Illyricum, Epirum, Cretam mittere (E) ſtatuit, eorumdemque loca communiri mandavit. Cùm verò accepiſſet, Selymum, inter cœteras Reipublicæ ditiones, Ciprii Regni (ut innuimus) occupationi inhiare, nihilque, ad ipſum tuendum, ac ad quoſvis hoſtium impetus repellendos opportunius videretur, quàm Leucoſiæ, in medio ferè Inſulæ ſitæ, communitio; illam Senatus idem præcipit, eidemque incipiendæ ac perficiendæ tanto ſtudio Cyprii incubuerunt, ut brevi, ſicut Maurocenus narrat, conſumatum priùs, quàm cœptum opus, viſum ſit. Uſchochos etiam, quos diximus, nefarios piratas Reſpublica acerrimè inſequi juſſit; & à Carolo, Archiduce Auſtriæ, Cœſaris fratre, qui ad Stiriam, Carinthiam, Carniolam, ac alias ſuas Italiæ proximas ditiones inviſendas venerat, enixè petiit, ut efferam eam gentem, vel in alias terras amandaret, vel debitis ſuppliciis eorum flagitia coerceret.

Haud modicum, hoc eodem tempore, damnum eadem Reſpublica, Veronæ, Vincentiæ, Patavii, ab irruentibus fluminibus perpeſſa eſt; adeò ſiquidem hæc intumuere, ut magna pars agri, & urbes, eluvione omnia inundante, ſub aquis latuerint. Et Atheſis, (ut Maurocenus, & Bulengerius referunt) qui Alpibus Tridentinis ortus, Veronam mediam ſecat, & per agrum Ateſtinum, lataſque Eridani paludes ad Brundulum in mare ſe proiicit; immenſo impetu, prorupto ponte, ſtrage obſtantis molis refuſus, duo millia hominum, greges complures, & armenta obruit, & merſit; prætoria, & Villas funditùs evertit, annonam corrupit. LXXXVI.

Sed & alia Italiæ Reſpublica Januæ ab omni prorsùs perturbatione minimè expers fuit; nàm, cùm Jo: Baptiſta Lercarius, qui Ducis ejuſdem munere perfunctus fuerat, obtinere haud potuiſſet, ut Procuratoris dignitate, (uti mos plerumque ferebat,) ad vitam ornaretur; Auguſtino Pinelli, & Lucæ Spinulæ Senatoribus, qui peracti officii ab eo rationem expetere juſſi ſunt, id factum invidia, Joannes Stephanus, Lercarii filius credidit; ideòque Patris injuriam ulſciſcendam ſuum eſſe exiſtimavit. Sub veſperum igitur, Palatio redeuntes, duos Senatores, per ſuos ſicarios aggreditur, quorum manu Pinellus interficitur, Spinula graviter vulneratur. Hoc facinore univerſa urbe commota, toti Reipublicæ gravem perniciem intuliſſet, ni detecto quamprimùm ſceleris auctore, Joanne Stephano, debitâ pœnâ (fruſtrà pro eo, Pontifice, ac Catholico Rege intercedentibus) fuiſſet affectus. Pater tamen, quo inſcio, crimen commiſſum fuerat, liber abire permittitur, & ſic LXXXVII.

Reſ-

Reſpublica priſtinæ tranquillitati reſtituitur. A

LXXXVIII Terminatum quoque, maximo ejuſdem Reipublicæ bono, eſt, hoc anno, in Corſica bellum, quod per triennium jam eam Inſulam divexaverat. Ejuſdem auctor extiterat Sampetrus quidam, vir ſtrenuus, bellicarumque rerum non ignarus; qui bello inter Burgundos, & Gallos, Galliæ Regi inſerviens interfuerat, quo abſoluto in patriam ſe eam Inſulam receperat, utpotè qui quod reliquum ſibi vitæ ſupererat, in tranquillitate, & pace ibidem degere decreviſſet. Hic ingentis Palatii machinam, ad munitionis formam, evehere cœperat, itaut adversùs omnium quorumcumque incurſus, tutiſſimum jam eſſe præſidium conſpiceretur. Quod iniquo animo ferens Genuenſis Senatus, à fabrica abſtinere juſſit. At ille, qui ingentem pecuniæ vim, ea in conſtructione, conſumpſerat, parere ſe quidem paratum dixit; verumtamen, quòd ſerò id ſibi imperatum fuiſſet, & penè ædificio abſoluto, impenſam pecuniam ſibi, ex publico ærario reſtitui poſtulavit; quod cùm facere Reſpublica recuſaret, exaſperatus Sanpetrus, ad defectionem Inſulanos alios concitat, & ex improviſo Genuenſes omnes trucidat.

LXXXIX. Toto triennio, ut diximus, varia fortuna, deindè res armis acta eſt, ac tandem, Sanpetri morte, hoc anno, victores Genuenſes evaſere, priſtinæque obedientiæ, ac ſubiectioni, rebellionis Duce cœſo, Inſula redditur. Sampetri Filium, qui audito Patris obitu, ſe in fugam dederat, rursùs in Inſula res novas commoliri ſtuduiſſe, & Coſmi, Etruriæ Ducis, præſidium imploraſſe, ſcribit Hadrianus; at ex ſententia nil ei ſucceſſiſſe affirmat, quòd nec ea inter Inſulanos, & exteros auctoritate, nec ea virtute, qua Pater, polleret.

XC. At Pius, non modò, ex ſedata hac tempeſtate, ingentis lætitiæ, edidit ſigna, ſed, nè quovis prætextu denuò excitari contingeret, ſollicitus fuit; omneque illud idcircò liberaliſſimè præſtitit, quo ſincera, ſtabiliſque tranquillitas firmari poſſet. Id ex Epiſtola ad Ducem, & Rempublicam ipſam ſcripta, dilucidè apparet: hujuſmodi ſiquidem fuit.

(Dilectis Filiis, nobilibus uiris, Duci, ac Gubernatoribus Reipublicæ Genuen.

PIUS PAPA V.

Ex Archiv. Vatic. ut ſupra.

Dilecti Filii &c.

Sicuti antea dolebamus laboribus veſtris, quibus, ob defectionem Corſorum, per tot annos fatigati eſtis; ità res veſtras in ea Inſula proſperiùs, Deo favente, ſuccedere cæpiſſe, ex veſtris literis, & ex Dilectis Filiis, Cardinalibus, civibus veſtris libentèr admodùm cognovimus. Clementiam verò, qua Præfecti veſtri, erga eos, qui ad obedientiam redierunt, uſi ſunt, majorem in modum laudamus. Quod autem ad alios recipiendos non parùm vobis profuturum eſſe ſperatis, ſi à præteritorum annorum decimis, quæ Epiſcopis illius Inſulæ debitæ, ab ejus defectionis authore extortæ fuerunt, authoritate Apoſtolica abſolvantur: Nos, cùm propter animarum lucrum, quantaecumque rerum temporalium damna ſpernenda, ac pro nihilo habenda ſint, ad ſanitatem redire volentes, eo impedimento retardari nequaquàm volumus. Itaque veſtris precibus annuentes, omnes & ſingulos, qui ad veſtræ Reipublicæ obedientiam reverſi ſunt, vel revertentur, à prædictorum annorum decimis, Epiſcopis, aut Clero debitis, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium abſolvimus, ac liberamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, die 14. Novembris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XCI. Caſalenſium quoque ſeditiones, vix exortæ, hoc tempore finem acceperunt; in Ducem ſiquidem Mantuanum, dominum ſuum ii conſpiraverant, quòd ægrè ferrent ſuorum quorumdam privilegiorum jacturam. Ea de re in judicium, ante Maximilianum Imperatorem, Ducem ipſum vocaverant; at, cùm iſte cauſam obtinuiſſet, & Marchio renunciatus eſſet, Mola, & Capellius Caſalenſes, juriſconſulti, quod judicio aſſequi non potuerant, armis extorquere conati ſunt, armatiſque duobus militum millibus, noctu vim Duci inferre voluerunt. At is, inſidiarum ab Epiſcopo Civitatis admonitus, ſe in arcem recepit; & coacto deindè milite, rebellantes compreſſit.

Coſ-

XCII. Coſmus autem, Etruriæ Dux, qui, ut mox diximus, Sanpetri promiſſis, & obteſtationibus aures minimè præbuerat, ut contra Genuenſes ſibi auxilio eſſe vellet; Marchionum tamen Malaſpinarum, qui Luniacenſi Valli dominabantur, patrocinium ſuſcepit, eoſque ab Hiſpanorum militum vexatione, ac tranſitu, hac ratione redemit. Quod, & Principum æmulorum, (inquit Thuanus) & ipſius Philippi Hiſpaniarum Regis animum pupugit; quod ſenſim, nempè hac ratione, Coſmi augere Principatum ac authoritatem agnoſceret.

XCIII. Major tamen, inter Mediceos, ac Farneſios orta eſt diſceptatio, ob mortem Franciſci Urſini, Nicolai, & Orſi fratrum parentis, ac Pitiliani, & Sorani Comitis. Orſum ſiquidem, Franciſcus Etruriæ Princeps tuebatur. Nicolai verò partes Farneſii fovebant, ſpe concepta, Pitiliani, ſi penès Nicolaum remanſiſſet, potiundi; & jure quidem, uti Primogenito id ei deberi videbatur, & hinc Pater, morti proximus, injuriarum, à Nicolao filio acceptarum depoſito ſenſu, ſuadente (ut ſcribit Hadrianus) Cardinali Farneſio, novo condito teſtamento, prioreque abrogato, quo eum, ut ingratum exhæredaverat, atque Orſum ad hæreditatem vocaverat, tamquàm natu majorem, hæredem inſtituit. Pitilianenſes tamen Nicolai Principatum conſtanter reieciſſe idem Hadrianus teſtatur, & quòd ipſum crudelem experti fuiſſent, & quòd non rectè de Religione ſentientem animadvertiſſent; quapropter, eodem hoc anno, tùm Hadrianus ipſe, tùm Natalis Comes, & alii, præcipiente Pio, Romam vocatum, ac in carcerem truſum, coram Cardinalibus Sacræ Inquiſitionis, pravas, quibus imbutus fuerat, opiniones abjurare compulſum fuiſſe teſtantur.

I. At, cùm per Allobroges, hoc ipſo tempore, Hiſpanorum exercitus, ſub Albæ Duce pertranſiret, in Belgium trajecturus; magnus idcircò metus, ac ſuſpicio Helvetios, & Genevenſes, (& hos præcipuè ob inſitum, cauſa Religionis, odium) nè quid contra eos moliretur, inceſſit. Ut igitur ſibi conſulerent, tùm ad Helvetios Sectarios, tùm ad Condæum, & Andelottum legationes decernunt, ip- A ſoſque communis periculi admonitos, ad arma capeſſenda hortantur, opemque eorum implorant. Interim ipſi intra mænia armati conſiſtunt, omnibuſque rebus ad defenſionem neceſſariis, egregiè ſe inſtruunt. Reliquos omnes Helvetios, jam ſumptis ubique armis, palàm profeſſos fuiſſe ſe velle Geneuam defendere, neque ullo pacto ſe ejus urbis expugnationem paſſuros edixiſſe, ſcribit Natalis Comes. At, cùm Helvetios Catholicos in hanc ſenten- B tiam defendendæ Genevæ deſcendiſſe nefas ſit credere; hinc probabilius apparet, quod Hadrianus refert, ſolam, nempè Berniam, ut eidem urbi auxilio eſſet, arma ſumpſiſſe.

II. Et quidem eam, omnium hæreſum fœdiſſimam ſentinam, Albanum aggredi, ac de medio tollere Pius exoptaſſet; verùm feſtinato greſſu ipſam pertranſiit, ac in Belgium deſcendit: ſuſcipere enim Philippus Rex bellum noluit, ex quo utilitatis parùm, dam- C ni plurimùm certè percipere potuiſſet.

III. Diù autem, ut Haræus aliique ſcribunt, anxius fuerat Rex ipſe, quamnam Belgicorum tumultuum morbo commodam medicinam adhiberet; ſed tandem, ſub finem menſis Martii præſentis anni, procerum Hiſpaniæ generali Concilio coacto, ſtatuiſſe in Belgas rebelles, ſe dixit ex eorum numero, cum copiis unum mittere, qui eoſdem cohiberet. Ad id aptos, Proceres duos nominavit, Ferdinandum, D nempè Alvareſium Albæ Ducem, & Medinæceli Ducem, alterum; itaut, pro cujuſque ingenio, diù in Concilio diſceptatum fuerit, quiſnam eorum eſſet alteri præferendus. Major autem inter Regium Confeſſarium, ac Sacræ Inquiſitionis Præfectum,) vel, ut nonnulli contendunt, inter Albæ Ducem, cujus ſententiæ, licèt abſens, favebat etiam Cardinalis Granvellanus, & Feriæ Ducem & Ruigum Gomez) acta eſt diſceptatio; contendente Confeſſario, E Feriæ Duce, ac Gomez, benignitate, ac clementia Belgas in officio eſſe continendos: oppoſitam rigoris, ac ſeveritatis ſententiam accerrimè Inquiſitionis Præfecto, ac Albano tuente; & in hanc demùm major pars Procerum deſcendit, vel quòd verè meliorem cenſeret, vel quòd ſeveriori Regis ingenio, qui eidem adhæſiſſe cognoſcebatur, hac ratione blandiri exiſtimaret;

ret; & hinc, Medinæceli Duce rejecto, aptiſſimus ſeveritatis miniſter, Dux Albanus eligitur, eique Belgii Præfectura defertur.

IV. Quonam verò modo munus ſubierit, ex Mendoſa Hiſpano, hujus expeditionis ſocio, exſcripſit his penè verbis Haræus (*Albanus &c. ut valedicat Regi, qui tunc Acanicuzæ erat, die decimoquinto Aprilis, anni ſexageſimi ſeptimi ſupra ſeſquimilleſimum, Madridio diſcedit, manſitque cum Rege, uſque ad diem ejus menſis decimum ſeptimum, quo profectus eſt, uti Carthagine Hiſpaniæ claſſem conſcenderet. Præſtolabatur eum Joannes Andreas Doria, ſeu Auria cum triginta ſeptem triremibus, in quas, impoſitis ſeptemdecim Hiſpanorum peditum ſignis, (erant ea recens conſcripta, uti in Sicilia, Sardinia, Longobardia, Neapoli, undè veterani ad expeditionem Belgicam erant aſſumendi, tantiſper forent in præſidiis.) Albanus, die decima Maii cum Claſſe Carthagine ſolvit, ſeptimoque poſt die, Genuam in Italia appulit: indè delectu indicto, in Alpes Retias, loco* à S. Ambroſio *cognominato, cenſuit veteranos pedites ad octo milia ſeptingentos, & octoginta: Equites, cùm Hiſpanos, tùm li aios mille ducentos. Moverunt ſe copiæ decimoquintò Junii, eo ſemper per Alpes ſervato ordine, uti quo loco* prima *acies hac nocte conſtitiſſet, ibi nocte ſequenti*, ſecunda *quieſceret; ſuccederetque eadem ratione* tertia. *Albanus ipſe primam ducebat aciem. Ejus filius, Ferdinandus Toletanus, Magnus S. Jo: Prior mediam, Chiappinus Vitellius, Marchio Chetovæ, Dux veteranus, & celebris poſtremam. Ubi in Burgundiam ventum eſt, junctis quadringentis equitibus, ibi conſcriptis, deinceps univerſus exercitus ſimul ſe movebat, finitimis omnibus, Francis, Geneuenſibus, Suiſeris, pro finibus ſuis, diligentèr in armis excubantibus. Duodecim dierum itinere Burgundiam emenſus eſt, duodecim aliis Lotharingiam. Circa Theovillam, Ducatus Lutzemburgici urbem, diſcit Albanus de mille ducentis Equitibus Germanis, qui circa Bergeliam (ubi, & diu poſtea hæſerunt) ejus imperium expectabant: itemque de duodecim Germanorum peditum ſignis, Duce Alvarico Lodronio, ſimiliter Regi Sacramento addictis &c*, Hæc ille, quæ nos hic ideò recenſere duximus, ut appareat, quanto religionis zelo, quot expenſis, quot viribus, Rex verè Catholicus Catholicæ Fidei, & Inquiſitionis defenſionem, ac omnimodam Tridentini Concilii acceptationem apud Belgas ſuſceperit; licèt uno, eodemque tempore, Neapoli, ac Mediolani, ut diximus, quibus in locis, nec proceres, nec populi illud recipere recuſaverant, ipſius Miniſtri contra ejuſdem Concilii decreta, tam aſperum bellum commoviſſent.

V. Armis autem, nondùm ab Albano in Belgium traducto exercitu, Religionis rem Parmenſis etiam, & quidem felici, proſperoque eventu, egerat. Megemus enim cum milite Ultrajectum ingreſſus, ineunte hujus anni Januario menſe, non modò Novatorum contubernia diſturbaverat, verùm, & metu Bredenrodium Viana depulerat; Qua de re ad Cardinalem Alexandrinum memoratus aliàs Joannes Stractmanus ita ſcripſit. *Iſtis diebus ex Antuerpia ſtipendiarii milites hæretici confugerunt ad Oppidum quoddam Domini Bredenrodii (qui omnium malignantium cernitur eſſe Dux, Capitaneus ac Aſylus) dictum Viana, in Comitatu Hollandiæ, ubi ipſe Bredenrodius cum ſuis hæreticis obſidetur, & cinctus eſt, juſſu Illuſtriſſimæ noſtræ Gubernatricis, à Comite de Mega, viro ſtrenuo, & ſibi adjunctis. Det Dominus gratiam, ut ſperatam victoriam obtinere valeamus; Ndm ex ea hæreticorum effrænata temeritas plurimùm confringeretur.*] Additque ſtatim (*Hic Bredenrodius, elapſo menſe, miſit libellum ſupplicem mirabilem Illuſtriſſimæ Duciſſæ, & quem, unà cum reſponſione impreſſum V. J. D. tranſmitto, in lingua gallica, prout, ſolummodò extat, ſperans citiſſimè ad manum habituram quempiam, qui V. I. D. interpretetur*. Bruxellæ ſecunda Martii. 1567.)

VI. Bredenrodius tamen, paulò poſt, Viana elapſus, contempto Parmenſis præcepto, de militibus, niſi ſuo imperio, conſcribendis, Antuerpiæ, per certos iſthinc homines, milites legit: His tamen navigio decedere ab ea urbe coactis, plures ſe addiderunt in itinere, quo Hollandiam petere vulgarunt, Zelandiam licèt cogitarent. Novæ hujus militiæ Dux erat Thouloſius quidam, qui è loco repulſus, quò appulerat, retrò, undè venerat, conſcenſo flu-

flumine, Antuerpiam contendit, ac A propè illam ſe vallo communire decrevit. At rei admonita Parmenſis, Benoirio, Bruxellenſi præſidio cum aliis celerrimè miſſo, tertio Idus Martii, ab his Thoulouſius cæditur, ejuſque milites ferè cuncti, vel, in quas ſe receperant, ædibus igne conſumpti, vel merſi flumine, vel pugnando enecati. Trecenti in captivitatem redacti, etiam omnes jugulati, Antuerpienſibus hæreticis, è Civitatis mœnibus ſuorum excidium contemplantibus, at- B que ægerrimè ferentibus, qui, ſi in Catholicos, ut dicebatur, inſurgere voluiſſent, auxilio eſſe potuiſſent. Et quidem magna, ex his, Antuerpiæ exorta eſt ſeditio quindecim millium novatorum Calviniſtarum, qui furentes, per Eccleſias, Monaſteriaque diſcurrere cœperunt, & Præsbyteris, ac Monachis è ſuis ædibus profligatis, urbem totam conturbarunt. Verùm à majori Catholicorum ſimul, ac Sectariorum confeſſionis Auguſtanæ multi- C tudine, invita licèt, Calviniſtarum audacia eſt compreſſa.

VII. Cæſo autem Thoulouſio, Valencenas etiam, jamdiù obſeſſa, à Noircamio in Regis poteſtatem redigitur; ac extremo ſupplicio, ſeditionum, ac hæreſis miniſtri afficiuntur, decim. Kal. Aprilis; & hinc nono Kalend. ejuſdem menſis ab eodem Noircamio Cameracenſium Civitas, proprio Epiſcopo rebellis, ſolo Noircamii nomine audito, fugientibus Calviniſtis, eidem Epiſco- D po reſtituitur. Erat is Maximilianus à Bergis, qui Pii monitis excitatus, ſacri Tridentini Concilii decreta in morem induci totis niſibus voluiſſet. At Eccleſiaſticorum reformationi, ab ipſo initæ, Capitulum, ac Canonici Cameracenſes, exemptionis quoddam indultum, ab ipſomet juratum obiecerant, quo illius zeli conatus irriti reddebantur. Ea de re Maximilianus, pluribus literis commonendum Pontificem duxit, qui, habita locorum, temporum- E que ratione, hoc ei reſponſum dedit.

(Ven. Fratri, Maximiliano, Archiepiſcopo Cameracenſi.

PIUS PAPA V.

Ven. Frater &c.

EX pluribus Fraternitatis tuæ literis perſpectum deſiderium exequendi Sacri Concilii Tridentini decreta, magnis, ut debemus, in Domino laudibus proſequimur. Id ipſum Nos, pro commiſſa Nobis Eccleſiarum omnium ſollicitudine, quantoperè cupiamus, re ipſa ab omnibus jam cognitum fuiſſe putamus. Fruſtrà certè tot, & tàm ſalubria decreta facta fuiſſent, niſi ea in uſum, & conſuetudinem per Nos, & te, atque alios Fratres noſtros adducerentur. Sed poſtulatione tua, à Nobis unà cum Ven. Noſtr. Fratribus, Cardinalibus Congregationis Sacri Concilii, maturè conſiderata, atque perpenſa, exiſtimavimus, Fraternitatem tuam eo contentam eſſe in præſenti debere, ſi, non obſtante indulto exemptionis dilect. Filior. Capituli Cameracenſis, & concordia cum Prædeceſſoribus tuis inita, & abs te jurata, vices noſtras tibi in his, quæ ad correctionem morum pertinent, delegaremus. Non parvam ſanè, ſi diligenter attendas, facultatem tibi impertitam eſſe cognoſces, exprimendi pium zelum tuum. Latè patet correctio morum: ad eos corrigendos Fraternitas tua ſedulò, & diligentèr, unà cum ſuis Suffraganeis incumbat. Cleri corrupti, & depravati mores, ſicuti hæreſum initium attulerunt; ita ſi correcti fuerint, primum id, & præcipuum remedium erit extirpandarum hæreſum. Hac in re, ubi cum grege tibi commiſſo officium tuum præſtiteris, ad ea, quæ reſtabunt perficienda viam tibi munies, ac patefacies. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Januarii 1567. Pontific. noſtr. ann. ſecundo.

Ex Archiv. Vatic. ut ſupra.

Hæc Pius: At, ſicuti, ut diximus, Non. Kalen. Aprilis Cameracum proprio Epiſcopo, Calvinianis fuga elapſis, reſtitutum eſt; ſic paritèr Kalendis ejuſdem menſis, Trajectum, Regium militem in urbem admiſit; id, quod tandem Antuerpiam etiam, ac Buſiducis facere compulſi ſunt.

IX. Bredenrodius verò multorum Geuſiorum comitatu ſtipatus, Amſterodami morabatur, qua urbe excedere tamen adactus fuit; ideoque, nave conſcenſa, in Orientalem Friſiam profectus eſt, ſociis, ut ſe ſequerentur, commonitis. At, cùm illis Megemus, Arembergiuſque, qui ſe Noicarmio addiderant, imminerent, in fugam ſe conjecerunt; eùmque fugientes Megemus inſequeretur centum in lictore deprehenſos occidit. Alii, qui adhùc in urbe remanſerant, nec Bredenrodium ſecuti fuerant, navim conſcendunt, ſed à nauclero proditi, Narlingam navi adducta, in carcerem coniecti, ac variis deinde locis, ad cœterorum exemplum, extremo ſupplicio ſunt affecti; atque, hac ratione Amſterodami, præſidiario Regis milite recepto, res compoſitæ ſunt. Nec tantùm ea urbs, ſed tota etiam Hollandia, Zelandiaque, immò Belgium univerſum, Religioni reſtituta, ac Regi, hæreticis ubique, vel profligatis, vel dilapſis, ſummâ Parmenſis vigilantiâ, ac prudentiâ, viſa ſunt. Inter eos verò, qui propriæ incolumitati fugâ conſuluere, computari etiam poſſe Orangium, cognoſcitur; is enim, circà Aprilis initium, Hellegatæ, cùm multos Proceres coëgiſſet, ac cum eis egiſſet de modo, labantibus rebellium cæterorum rebus ſubveniendi; plurimoſque eorum nutantes, ac vulgi cœteri incoſtantiam, ſolerti, quo pollebat, ingenio intellexiſſet; tertio Idus Aprilis Antuerpia Bredam ſe contulit, ac negotia ſibi magna ſe præſtolari in Germania ſimulans, quia ſibi metuebat à Duce Albano, qui illi à multis annis offenſus erat, illùc paulò poſt, eſt profectus, omnibus ſibi ſpecialibus patria cedere ſuadens. Cum eo ſimul Belgio egreſſi ſunt, frater ejus Ludovicus, ac Comes Hoſtratus: Agamontius verò, nulla prorsùs ratione in ſententiam, patriam deſerendi trahi potuit ab Orangio; qui tandem diſceſſum ei ſuadere nullatenùs poſſe cognoſcens, ſic ei dixiſſe fertur: Aures mihi minimè adhibuiſſe te pœnitebit, ſed ſerò nimis: his verbis ei prædicens luctuoſa infortunia illa, in quæ paulò poſt incidiſſe dicetur.

Bentivol. lib. 1. pag. 77.

X. Inter hæc antem, quæ uſque adhue retulimus, plura quædam aſſuetæ ſevitiæ patrare hæretici veriti non ſunt; nàm, ipſis Kalendis Januarii hujus anni, Trajecti, (quam urbem diximus, Regium deindè militem recipere coactam fuiſſe) Hermannus quidam, homo ad ſeditionem natus, & turbarum Antuerpienſium auctor præcipuus, tales ibi turbas concitavit, ut ea die in Templa, Monaſteriaque furibundi Calviniſtæ debaccharentur. Sacrilegum exemplum Maſeica & Haſſaletum, Leodienſis Epiſcopi Oppida, ſequuta ſunt, eodem Hermanno inſtigante; qui quidem, cùm apud Haſſaletum, unà cum aliis Iconoclaſtis, media nocte, Crucifixi imaginem impiè deturbaret; ecce ſemel atque iterum, ut narrat Surius, quòd, nullo vento flante, cerei, & faces omnes extinguuntur. Miraculo tamèn, nec perterritus, nec converſus Hermannus, ſodales, facinoris participes, ſeſe jurejurando obſtringere voluit, priuſquàm loco cederent, nulli ſe hominum illud indicaturos. Haſſaletum tamen, admotis caſtris, mœnibuſque dejectis, deditione; Maſſeicam verò, obſidionis metu, in poteſtatem ſuam, paulò poſt, Epiſcopus recepit. Hermannus fuga elapſus, & in curru, ut ſcribit ab Iſſelt, fœno onuſto latens, ſupplicium evaſit.

Ultima etiam Junii miraculum aliud, ad confundendam Calviniſtarum perfidiam, patrare Deus voluit; nam, cùm ea die, apud Harlinghen, Friſiæ caſtrum, in captivos eos, quos ſupra diximus, in navi una, a Comite Arembergio comprehenſos, mortis lata ſententia fuiſſet; patibulo ſeptem addicti ſunt, ex quorum numero unus ad Catholicam Fidem reverſus, peccata ſua cuidam, Franciſcani Ordinis Sacerdoti confeſſus eſt, & in Miſſa Sacra Euchariſtia ſumpta, cum aliis deindè ſuſpenſus. Verùm, cùm ſpiritum exhalaſſe crederetur, adhùc eum vivere Præfectus agnovit. Lictori idcircò mandavit, ut uno adhuc ſaltu illi mortem accelleraret, quod cùm ille tentaret, funis abrumpitur. Collapſus igitur in terram patiens, paulò poſt, tùm à Deo, tùm à Præfecto, ore titubante veniam petere auditur, qui, rei novitate permotus, veniam concedit, & ſanandum Chirurgo tradit. Miraculum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, paulò ante, ſumptæ tribuitur, & eo plurimos incitatos, ad Catholicam veritatem reverſos fuiſſe, narrat Surius, XI.

rius, adduntque alii, non modò Judices, ſed Parmenſem ipſam, ut rem perſpicuè agnoſceret, ſunem conſiderare voluiſſe, quæ cùm eadem eſſet, ac illa, qua alii ſuſpenſi fuerant, præter naturam factum admirata eſt.

XII. Et, ut præcipua ferè omnia falſorum dogmatum capita, prodigiis etiam evertere Omnipotens Deus agnoſceretur; ut idem Surius narrat, Gandavi pridie ſolemnitatis Petri, & Pauli, Romanæ Eccleſiæ Fundatorum, ac Patrum, cùm rumor ſparſus fuiſſet, poſtridiè hæreticam concionem futuram, & Magiſtratus eum, qui id vulgaverat in vincula conieciſſet; Ipſo Apoſtolorum die, non verbis, nec concione, ſed facto, & miraculo, orthodoxam veritatem prædicari Deus voluit; nàm ad reliquias S. Livini in templum S. Bavonis delatas, clauda mulier de repentè ſanata eſt.

XIII. Veræ igitur Religioni, ſic prodigiis è Cœlo, & armis adhibitis, Belgarum pluribus reſtitutis, accidit, quòd de Baptiſmate infantibus ab hæreticis collato, juxta Spondanum, dubium exoriretur, de quo, hæc ipſe: [*Quod verò qui hæc deſcribunt, addunt etiam, infantes ab Hæreticis baptizatos, rebaptizatos fuiſſe à Catholicis, cùm certum ſit, Eccleſiam non reiicere Baptiſmum Lutheranorum, & Calviniſtarum, quoniam veram formam Sacramenti adhibent, dum baptizant, atque inſuper, non ſolùm à laicis Chriſtianis utriuſque ſexus, verùm etiam ab infidelibus, formam ſervantibus, collatum approbare; denique ſemper horruiſſe rebaptizationem infantium, ritè baptizatorum: debuit id* [*ſi quidem factum eſt, & non in contumeliam Religionis Catholicæ ab Hæreticis objectum*,) *à muliereulis peti, ſicuti etiam Natalis tradit: ſcrupulo fortè ductis, quòd, aut non forma adhibita fuiſſet, vel pro aqua pura, quæ materia eſt neceſſaria Baptiſmi, adhibita roſacea, quemadmodùm ſcimus uſu receptum fuiſſe alicubi, aut alio liquore mixta* (*ex doctrina videlicet, tùm aliorum Hæreticorum, tùm diſertim Bezæ, qui ad Thomam filium ſcribens, ſe, ſi deeſſet aqua, & tamèn Baptiſmum alicujus differre cum ædificatione non poſſet, quovis alio liquore, non minùs ritè, quàm aqua, baptizaturum*:) *vel intelligi de Cæremoniis, circa Baptiſmum*

A *ab Eccleſia ordinatis, quæ, uti non neceſſariæ ſunt ad eſſentiam Baptiſmi, ità valdè utiles exiſtunt & ſolent à multis, qui ab hæreſi converſi ſunt ad Fidem, peti, nè quid habeant minùs ab aliis Catholicis. Quod, ſi fortè verè aliqui Sacerdotes ritè collatum, iterùm, abſque conditione dubii prioris collationis, reiteraverint, certum eſt, illos graviter peccaſſe, & contra ſenſum Eccleſiæ feciſſe.*] Sic ille:

B At, quorſum hæc omnia? cùm Scriptores, qui rem magis perſpectam habere potuerunt, non ob reiterationem Baptiſmatis, ſed ob ſuppletionem tantùm cæremoniarum turbas quodammodo fuiſſe excitatas patentèr aſſerant? Audi hujus temporis auctorem, Laurentium Surium) *Inſulenſes Matronæ, die quadam in unum coeuntes, Infantes ſuos ab Hæreticis baptizatos, vi ablatos in Templum apportarunt, ut quæ omiſſa erant, ritu Catholico ſupplerentur. Idem in infantes*
C *ruſticorum fieri curavit Dominus Raſſemgemius.*] Non negamus tamen, præter iſta ad baptiſmi cœremonias pertinentia, in Conventu Cameracenſi, hoc anno habito, de aliis quoque ad Sacramentum idem, & inſuper ad violatores Templorum, Imaginum, & Reliquiarum, & ad Matrimonii Sacramentum aliud ſpectantibus, actum fuiſſe; ſi tamen ſit fides iis, quæ inter opera Baii offenduntur, & Coloniæ ſub anno 1696. edita, perhibentur.

VIX. Sur. Comm. pag. 906.

II.

XV. D Sed, ut ad ordinem redeamus; ſic Belgicæ res fuerant compoſitæ, (uti narrat Comes) quòd Margarita literas ad Regem daret, ſignificantes, non opus eſſe novis auxiliis; & ad Albanum, ut in Italia moraretur, donec Rex literas recentiores miſiſſet. At, cùm Rex in tanta rerum, quam audierat, perturbatione, jam muliebri ingenio diffidiſſet, ac reſcripſiſſet, res frigidis remediis minimè indigere, ſe ſcire, ideòque velle Alba-
E num accedere; Albanus idcircò cum exercitu, ut diximus, jam Belgium trajecerat. Quæ poſt hæc evenerunt, habes ab Haræo, qui à fide dignis monumentis iſta excerpſiſſe teſtatur.

[*Cum Fines Lutzemburgicos*) *Dux Albanus*) *attigiſſet, etſi jam intellexiſſet Parmenſis ex Regiis literis, expeditionem illam Albano eſſe concreditam, miſit tamen ad eum ſalutandum illuc* Haræ. in Annal. pag. 78

illùc uſque obvios Barlaimontium, & Noircamium, ſimul quoque, uti Procerum omnium, totiuſque Belgii nomine, de poteſtate à Rege commiſſa Albanus edocere vellet. Quam, cùm iiſdem Proceribus Albanus exhibuiſſet de ſuprema belli authoritate, (de reliqua poſteà) præmiſit Lodronium cum ſua duodecim ſignorum legione, cum Imperio Antuerpiæ uti in præſidio eſſet. Ita ſexdecim peditum ſigna, & præſidiarii Galli, qui eam hactenùs in officio continebant, exauthorati ſunt, omneſque ſimul copiæ novæ Belgicæ, retentis tantùm ordinariis limitum præſidiariis. Nec multò poſt Albanus cum univerſis copiis Theonuilla Bruxellam verſùs, [per Lutzemburgum Thenas, & Lovanium,) ubi Parmenſis erat, eâdem qua priùs, militiæ diſciplina, & celeritate contendit, venitque illùc, die 22. Auguſti. Undecimo Kal. Septembris Bruxellam ingreſſus, per urbem diſponit decem ſignorum legionem Siculam. Gandauum mittit Neapolitanam legionem ſignorum novendecim. Angiam, non longè à Bruxella decem ſigna legionis Sardinicæ. Decem Lombardica Liram, equitatuſque majorem partem Diſtemium. Et quia plures avebant ſcire, quanta Albano à Rege in Belgas eſſet data poteſtas, cùm Parmenſis adhuc Gubernatrix præſideret, prætèr patentes regias, quas Proceribus à Parmenſi nuper miſſis oſtenderat, alias præterea tradidit Parmenſi, quibus ſignificabat Rex, mittere ſe Albanum ſui Locum tenentem Generalem in Belgio, velleque, dictus Dux ad omnia advigilaret, tractaretque militaria omnia relicta Parmenſi rerum earum cura quæ gubernationem, ſeu gubernaculum, veluti Reipublicæ ordinem concernerent.

Pergit auctor Hiſpanus) de Mendoza, quem ſupra memoravit, loquitur), *Et quia oriri in hoc difficultas poſſit, diſcernendi, quæ belli eſſent, quæ Reipubilicæ, ſeu Gubernaculi, declarare ſuam Majeſtatem, ſuæ voluntatis, mentiſquæ eſſe, quatenùs ipſe Albanus hujus rei Judex ſit, pronuncietque, quæ ad bellum, quæ ad rationem gubernaculi pertineant, habebatque cum patentibus illis Locum-tenentis generalis Regii amplám poteſtatem omnium negotiorum, quæ Religionem concernerent, ab eaque dependerent, tàm ad apprehendendas perſonas, cujuſcumque qua-*

A *litatis, quam ad eaſdem caſtigandas, vel in gratiam recipiendas, cum facultate privandi officiis, & bonis, vel gratiam faciendi, uti de patrimonio Regio. Ad hoc Epiſtolam Parmenſi Albanus tradit, propria Regis manu ſcriptam, qua declarabat Rex, juſſiſſe ſe Albano certa negotia, quæ loco & tempore Parmenſi aperiret: Ubi, cùm Parmenſis interogaret, quæ nàm ea eſſent negocia, reſpondit Albanus, non ſatis nunc ſe eorum recordari, poſtea, ubi pleniùs oc-*
B *curiſſent, ſe ea Parmenſi declaraturum.*

Albanus, copiis, quas adduxerat, ea ratione, qua oſtendimus, diſtributis, uti una noctæ, ſi opus foret, in unum contrahi poſſent, differebat tamen adhùc (quod conſtitutum habebat] Egmondanum, & Hornanum apprehendere. Etenim, & ſi Egmondanum ſibi Thenas uſque gratulatum occurrentem, ſed mox Bruxellam reverſum, ſimiliterque Hornanum Lovanii cum ſalutan-
C *tem, atque indè domum ſuam Wertcam abeuntem, ſeorſim capere potuiſſet; diſtulit tamen, ne altero capto, alter forſan elaberetur; volebatque ſimul, ut Conſiliarii eorum præcipui, Caſenbrotius, Backerſelii Dominus, & Eſtrada, Hornani Secretarius, quò omnia manifeſtiora evaderent, eadem opera comprehendi poſſent. Itaque, cum Hornanus Bruxellam paulò poſt veniſſet, diligenterque per exploratores de dictis Conſiliariis, ubi conſiſterent, Albanus eſſet*
D *edoctus, die nono menſis Septembris, Comites Egmondanum, & Hornanum, cæteroſque Conſilii Status Senatores, à meridie ad ſe vocat, quibus Curiam ingreſſis, Sanchius Londognius, Comeſque Lodronius, ad comprehendendum Eſtradam celeritèr proficiſcuntur, quem inter Mechliniam, & Antuerpiam invenerunt; eodemque tempore Salazarius, & Spuchius, intrà ipſam Bruxellenſium urbem, Caſenbrotio, Backerſelii Domino, manus iniiciunt, ducente tan-*
E *tiſper Albano conſiliorum tempus, dum de iis edoceretur. Tùm dimittit Senatum. Porrò dederat negotium, uti Egmondanus, & Hornanus à domeſticis ſuis nobilibus, diverſis januis, per diverſas aulas, honoris ſpecie, educerentur. In una erat Sanchius Davila, qui Egmondanum; in altera Salines, qui Hornanum, captivos ſiſterent: quod ea ratione eſt confectum, utì ſine tumultu,*

neu-

Digitized by Google

*neutro de alterius captivitate edocto, A
uterque captivus maneret. Mox Barlai-
monsius, & Mansfeldius pater, ab Al-
bano ad Parmenſem miſſi ſunt, hujus
rei nuntii, hocque negotium, unum eo-
rum eſſe, quæ Rex, ſupra commemo-
ratis literis, indicare voluiſſet; feciſſe
autem ſe, ea inconſulta, nè plebs in
eam fureret.*

*Nocte proxima jubet Albanus Eg-
mondano, ſcribat Caſtellano ſuo Gan-
davenſi, ſymbolumque certum mittat,
quatenùs Caſtrum, Regis juſſu, Al- B
phonſo Vlæ tradat: quo illud ingre-
diente, cum duabus Hiſpanorum coborti-
bus, præſidiarii veteres diſcedunt, &
non multò poſt, eò ducti ſunt dicti duo
Comites captivi, ſervatique, donec de
reis conſtitueretur. Cæterùm, ad co-
gnoſcendam eorum cauſam, rebellioniſ-
què univerſa neg: tia judicanda, inſti-
tuit Albanus novum Conſilium juſtitiæ,
ſeu criminum, ultra Conſilia conſue-
ta &c. ipſeque Dux erat novi Conſilii
caput, eaque ratione idem, brevi, rem C
eò perduxit, uti jam de profectione ſua
in Belgium, tanquàm parùm neceſſa-
ria, Rex cogitationem deponeret; ma-
ximè cùm eam quoque retardaret capti-
vitas Principis Caroli filii ſui, ſecuta-
que ejus mors, cum triſti ſimul funere
Iſabellæ Franciſcæ, dilectæ conjugis;
ad hæc Maurorum in Regno Granadæ,
ſeditiones, rebellioneſque &c.) Hæc
Mendoſa Hiſpanus, & ſi poſteriora,
non niſi anno ſequenti acciderint, uti
tunc dicemus. Alius ſic narrat. (Al- D
banus de rebus publicis, præſidiiſque
diſponendis prætextu, omnes Status Con-
ſiliarios in Conſilium vocat, quinto Idus
Septembris. Erat autem Curia, Palatium
nempe Culemburgicum, (quò ſe Albanus
continebat, relicto Parmenſi, Palatio pri-
mario.) Interea, dùm Proceres con-
ſultant, militibus ſeptum. Conſilio
dimiſſo, confeſtim Comitem Egmunda-
num, abire meditantem, gladium,
armaque deponere, & in carcerem de-
duci, regio nomine imperat: quod qui- E
dem ægrè difficulterque patitur Egmon-
dius: Comes etiam Hornanus alio cœna-
culo exiens apprehenditur, uterque
cuſtodiis Hiſpanicis traditur; capti ſunt
quoque Dominus Backerſelæ, & Secre-
tarius Hornani, pluresque alii. Comes
Carolus Mansfeldius, militum Gallo-
rum (Antuerpiæ anteà præſidiariorum
Tribunus, in ipſa tunc Curia præſens,
ocyùs, patre innuente, dejecdit cum
aliquot aliis. Comes etiam Hoochſtra-
tanus Egmondani, & ſenioris Mansfel-
dii [qui Hornunum eò illexerant] verbis
inductus, Bruxellam tendebat, verùm
vulnere fortuitò præpeditus, non ven .
Circa id quoque tempus Dominus Anto-
nius Stralius, Conſul Antuerpienſis cum
aliis aliquot capitur, quorum bona
omnia ſtatim ſunt deſcripta. Lo-
vanio item, quarto Idus Septem-
bris, Albani juſſu, in Hiſpaniam ab-
ductus eſt Philippus Buranus, Orangii
filius, quatuordecim annos natus. Hinc
rurſùs tremor, terrorque permultis,
tam nobilibus, quam plebæis; quorum
magna pars fugam ineunt, itaut Ooſt-
landia, Clivia, Emba, Germania uni-
verſa, Francia, Anglia, Belgis exu-
libus abundet.*

*Statim poſt Albani ex Hiſpaniis
diſceſſum, undecimo Kalend. Junii,
Marchio Bergenſis, quem, cum Monti-
gneo dudùm ad Regem à Parmenſi miſ-
ſum diximus, in Hiſpaniis obiit, mæ-
rore, tædioque confectus. Montigneus
quoque, ineunte Menſe Octobri hujus
ejuſdem anni, quòd liberiùs in Albani
ſeveritatem loqueretur, in Caſtro Se-
gobienſi, adhibitis cuſtodibus, ſerva-
tus eſt, ac demùm anno ſeptuageſimo
hujus Sæculi, item menſe Octobri ex
hac vita diſceſſit, non ſine ſuſpicione
mortis violentæ.*

*Intereà Albanus ad urbem Antuer-
pienſem, vico kilio ad Scaldim, meri-
diem verſùs Arcem metatur, nec mo-
ra, Sexto Kalend. Novembris, funda-
mentis jactis, urbem ex oppoſito Arcis
perviam, apertamque, mœnibus diru-
tis, foſſiſque repletis, reddit, operique
bis mille operariis adhibitis, brevi for-
tiſſimum, maximum, lateribus coctis,
aliiſque lapidum generibus, Caſtrum
conſtruit, quinque propugnaculis, ap-
tiſſime munitum, hiſce nominibus.* El
Duque Fernando, Toledo Alva, &
quinto Paciotto *à Machinario, operiſ-
que Præfecto, Paciotto Sabaudo, ſic co-
gnominato. Ad Caſtrum conſtruendum,
Civitatem quadraginta florenorum mil-
lia conferre oportuit, centeſimi, &
decimi nummi ratione, pro facultatibus
capitatim colligenda: quæ quidem tunc
non omninò illibentèr, ob eam cauſam
ſoluta ſunt, quòd hac ratione urbem
præſidiariis militibus liberam fore, civi-
bus perſuaderetur, quamvis id tardiùs
ſit*

ſit conſecutum. Arci aliquouſque perfectæ mox Hiſpani, ac Germani aliquot præſidiarii impoſiti ſunt, quibus cives lectos, & quæ eò pertinent, ſuppeditare multo tempore cogebantur. Tormenta bellica oppidi eo illata. Arci primò Garielem Cerbellionem, poſtea ſancium Davillam, ex milite gregario, virtute bellica, ad ſummas dignitates provectum, Albanus præfecit.

Poſteà, decimo quarto Kalendas Januarii Boiſii, publici, Regiique Actoris, ſeu Procuratoris poſtulatione, Principem Orangium, Comitem Ludovicum Naſſovium ejus fratrem, Comitem Noochſtratanum, Burgenſem, Culenburgium, Dominum Bredenrodium, pluresque alios, in jus vocari, & coràm adeſſe, intra ter quatuordecim dies Albanus jubet. Horum nonnulli, inter quos præcipui, Orangius, & Nooeſtratanus, apologiis ſcriptis, præloque excuſis, cauſam ſuam tutantur, allegantque, ſe neque legittimè, neque coram Judice competente citatos; debuiſſe enim, utpotè aurei velleris torquatos Proceres, à Sodalibus, fratribuſque torquati Ordinis Equitibus judicari. Hæc, pluraque alia privilegia citant, & ſe judicia coram Imperatore, aut aliis Principibus Judicibus, non præoccupatis, libentèr adfuturos offerunt, uti latiùs in apologiis, Typographorum opera editis, videre licet.]

XVI. Verùm, quod Orangius, Naſſovius, ac alii in jus vocati ſunt; non hoc anno, ſed ſequentis dumtaxàt initio, factum fuiſſe plures aſſerunt, noſque ſuo loco dicemus. Iſta autem ex Haræo meritò hic fuſiùs apponenda duximus, quòd ex iis agnoſcatur, jam penè, Parmenſis dexteritate, ſeditionum Belgicarum extinctum ignem, rurſùs excitatum eſſe, quo immenſo, ac inextinguibili incendio, univerſa poſtea, non Religionis minùs, quàm Regis detrimento, ea regio conflagraverit.

XVII. Et quidem vel unum, demandati Albano muneris, verbum, ad Belgas perlatum, conſopitos ignes ſuſcitare viſum eſſe, disertè ſcripſit ad Cardinalem Alexandrinum, ſub die 9. Junii hujus anni Stractmannus, & ea quidem mente, ut mutato conſilio, ſuadente Pontifice, Rex ipſe Belgicum iter ſuſciperet: En ejus verba: *Cùm, ob certa negotia, hoc menſe Maii elapſo, profectus eſſem in Flandriam, & pertranſiſſem Allodium, Gandauum, Brugas & alia Flandriæ loca, & veniſſem Antuerpium, Mechliniam, demùm Bruxellas, quæ ſunt Civitates Ducatus Barbantiæ; in itinere exiſtens, diverſis vicibus Catholicos audivi, non ſatis eſſe contentos, [taceo Hæreticos) quòd* Dux *Albanus (quem patriæ noſtræ exiſtimant non ſatis affectum, ſed potiùs adverſantem) magno cum exercitu properet in patriam noſtram, metuuntque plurimùm, nè, quod noſtra Illuſtriſſima Gubernatrix, maxima cum prudentia, infracto animo conſtruxit; ipſe Dux Albanus deſtruat, & quas ſuperatas, atque diffcillimas hujus patriæ tempeſtates noſtra Gubernatrix conſtanti pectore, non partens corpori, neque vitæ, ſedata eſt, ac mitigavit, nè per Ducis Albani adventum cum tanto exercitu, talique poteſiate, atque commiſſione interturbentur, fiatque noviſſimus error pejor priore. Sed veniat (ajunt) Rex noſter, qui, ſi quid reſtas, perficiat; nàm pericula ſublata ſunt, ſuæque Majeſtati Cotholicæ pacificus cum toto ſuo Comitatu, ſive milites ſint, ſive nobiles, in Patriam patebit ingreſſus; ſed & multò plura Illuſtriſſime Domine, à diverſis audivi murmurari, ac dici, quæ, ob bonum patriæ noſtræ, vellem ſecretò ſuæ Sanctitati referri, ut de remedio ſua Sanctitas provideat opportuno; ſtimulando videlicet Regiam Majeſtatem, ut huc ociùs in propria veniat perſona.*

Ex Archiv. Card. Alexandr. ut ſup.

Et certè meliùs ſuiſſet, uti exitus comprobavit, vel Albano eam provinciam non demandaſſe, vel Regem ipſum in Belgium ſe contuliſſe; nàm coràm, rerum ſtatu perſpecto, eam fortè ſententiam mutaſſet; quòd nimirum rebellionis præteritæ, jamque compreſſæ radices funditùs, violenlerque eſſent eradicandæ, jamque penè obductas cicatrices, ferro, & igne refricare æquum minimè duxiſſet; vel, pro temporis demùm opportunitate, plura diſſimulanda agnoviſſet. Et hoc quidem prudens fuerat Pontificis conſilium, uti anno præterito non ſemel diximus, diùque idcircò, ante perlatas ad ſe Belgarum preces, ac vota, Philippo eidem propoſitum, ut præterea ex epiſtolis patet ad eumdem Regem, ab ipſo Pio, ineunte anno etiam datis, quæ hujuſmodi ſunt. XVIII.

Cha-

(Chariſſimo In Chriſto Filio noſtro, Pilippo, Hiſpaniarum Regi Catholico.

PIUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter &c.

Arup. Go. ab. Epiſt. 5. lib. 1.

COgit Nos & commiſſum Nobis à Deo officium, & paternus erga te amor, ea de re cum Majeſtate tua agere, de B *qua ſæpiùs jam egimus, & quò pejore in dies loco res Flamdriæ eſſe audimus, eò impenſiùs hortari, monere, & inſtare, ut ſinè longiore cunctatione, ad eos ſedandos tumultus, ſeſe coferat. Poteſt etiam nunc Majeſtas tua, ſi illùc jerit, aùt ſaltem in Italiam prima quoque tempore veneris, & eò firmum exercitum præmiſerit, ſaluti ejus Provinciæ providere; ſed ſi ſegniùs egerit, tùm cupiet illis rebus ſuccurrere, cùm* C *minimè poterit. Creſcit in dies ſtudioſis novarum rerum hominibus animus, quòd nondùm Majeſtatem tuam te iſthinc commovere audiunt: è contrario autem debilitautur, & franguntur Catholicorum animi, quòd nondùm certum ullum nuncium acceperunt, te ex Hiſpania diſceſſurum. Proindè hortamur te, & rogamus, ac per Redemptorem uoſtrum obteſtamur, Chariſſime Fili, ut, cùm primùm veniendi facultatem nactus fueris, omni mora omiſ-* D *ſa, in Italiam venias. Quò cùm veneris, de eundo in Flandriam commodiùs deliberare poteris. Fama ipſa interim tui iu Italiam adventus, ſi modò maturè, ac cum maguis copiis veneris, non parùm eorum, qui in fide, & devotione maneut, animos confirmabit, & rebelles, ac ſeditioſos deterrebit. Plurimùm autem Majeſtati tuæ expedire cenſemus, favorem tibi iu hoc bello adiungere Chriſtianiſſimi Francorum Regis, affinis tui, quem tibi propensè affuturum* E *eſſe confidere debes, ſicut Nos quoquè intelligere cœpimus: propterea quòd ipſi quoque uon parùm expedit, cùm Reguum pleuum Hæreticis, & ſeditioſis hominibus habeat, qui eſſent cum hæreticis Flandriæ ſocietatem inituri, incendium illud abſte extingui, nè latiùs ſerpat, & ad ipſum quopue traiiciat. Utinam perſpicere planè poſſet Majeſtas tua curam, & angorem noſtrum, cùm,* A *tamquàm ea, quæ oculis aſpiciuntur, cernamus ruinam, quæ imminet, niſi tanto periculo per te obviam eatur. Itaque non contenti his literis, hac eadem de re cum Majeſtate tua, quàm diligentiſſimè agere voluimus Venerabilem Fratrem noſtrum, Archiepiſcopum Roſſanenſem, Nuncium noſtrum, avidiſſimè aliquem certum nuncium de te in Italiam venturo expectantes.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Januarii 1567. Pontific. B noſtri aan. Secundo.)

Et huic ſanè prudentiſſimo Pontificis conſilio acquieturum tandem Philippum cenſendum eſt, etſi non in Belgium, in Italiam ſaltem nunc traiiciendi, niſi domeſticæ, quæ hoc anno jam adoleverant, curæ prohibuiſſent. Verùm, cùm his diſtractus, Hiſpaniam linquere nequit, ac per Albanum Belgii morbo mederi exiſtimat, per illum ampliùs exacerbat; nàm, cùm C is, ut diximus, mitioribus omninò remediis poſthabitis, ſeverioriſque ingenii ſui conſiliis, non modò ea ſe moderatione, qua uſque adhùc in officio Belgios continuerat Parmenſis, ſeſe non gerit, ſed inſuper omni ſævitiei, ac tyrannidis genere, æquè Catholicos, ac hæreticos, vexatque ipſe, & ab exercitu ſuo impunè concuti, vel jubet, vel permittit; nolentes etiam, Belgas propè ad defectionem compulit; quod totum elicies ex Epiſtola ad Car- D dinalem Alexandrinum his verbis à Sſtractmanno ſcripta. XIX.

[*Supereſt* [inquit] *ut me conferam ad milites Hiſpanos, qui, dùm Patriam noſtram ingreſſi fuiſſent, uullam uon in ruſticos noſtros, eorumque uxores, & filias exercuerunt crudelitatem, & inhumanitatem, ſtuprando, violando, & nihil majorum ſcelerum omittendo, tàm in Catholicos, quàm hæreticos, quorum numerus admodùm eſt diminutus, quia anteà, induſtria ſuæ* E *Celſitudinis, noſtræ Gubernatricis, Illuſtriſſimæ Duciſſæ Parmenſis, maxima Hæreticorum pars patria exceſſerat. Iidem milites Hiſpani nuſquàm, non tàm Catholicos, quam alios, publicè, privatimque obiiciunt, omnes noſtræ regionis incolas eſſe Hæreticos, tàm Bruxellæ, quàm alibi, eorumque mobilia, à Regia Majeſtate ipſis adſcripta, antequàm crederent ex Hiſpania & Italia; immobilia verò ad Regiam* Ibid. ut ſup.

Ma-

Majeſtatem deuolta eſſe. Quæ jactacio maxima eſt malorum apud Nos occaſio, præſertim intor Hiſpanos, & Catbolicos, & à paucis diebus obortus fuit Bruxellæ tumultus, in quo Hiſpani occiderunc aliquot bonos, & boneſtos & Cacbolicos cives, nil tale opinantes; ſed tandem res ſedata fuit. Die verò nona menſis præſentis, juſſu, ac mandato Illuſtriſſimi Ducis Albani, fuere in ipſius palatio detenti captivi Comites de Egmond, & de Horne, & quidam alius Dominus, dictus Caſembrodius, Dominus de Beerckeſelæ, Comitis Egmondani præcipuus Secretarius, & in aliis Civitatibus eodem tempore diverſi, inter quos extrà Antuerpiam captus fuit Dominus de Eſtrada, Reliquorum nomina necdùm audivi. Et hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi; nàm anno elapſo, hoc tempore erat ſua Celſitudo, noſtra Gubernatrix, Eccleſiaſtici etiam viri, ac omnes Catholici in maximo mærere, ac luctu, & anguſtiis plurimis. Cæteri verò, & nonnulli, (ut audio) qui nunc ſunt captivi, in lætitia, & exultatione. Sed juſtus Dominus, & juſtitiam diligens, qui nullum bonum relinquit irremuneratum, & nullum malum inultum. Ut avertatur indignatio, & furor ejus, ob blaſphæmias, & contumelias ab hæreticis, ſuæ Divinæ Majeſtati, ac pretioſo corpori Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Domini noſtri, Sanctis, Sacris, ac Sanctis Dei, ac imaginibus, & quibuſvis aliis, ad Divinum cultum pertinentibus, irrogatis, à patria noſtra pluribus, & ſanguineis lacbrimis eſt deprecandum, ut, ſedatis tumultibus, & exploſis erroribus, Eccleſiæ Catbolicæ ſanctam pacem elargiri dignetur. Bruxellæ 14. Septembris 1567.) Sic Epiſtola.

XX. Duciſſa autem Parmenſis, cùm poſt Albani adventum, à regimine ſe penitùs amotam agnoſceret, à Rege veniam petiit, è Belgio demum in Italiam ſe conferendi, nec difficultèr impetravit; & licèt tunc apud Regem cauſaretur, non modicè rebellium auſibus aditum præbuiſſe mitem ejus gubernandi rationem; tamèn culpa tunc diſſimulata, à futuris eventibus penitùs deindè delenda: & honorariis, regalibuſque muneribus, magna videlicèt pecuniarum ſumma, & annuis aliquot redditibus decorata, in Italiam rediit, magno ſui, Belgis omnibus relicto deſiderio, quos, priuſquàm abiret, iterum, atque iterum, ut ad Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, ac Regis obedientiam redire, vel in ea perſiſtere vellent, enixè deprecata eſt,

Quæ ad Cardinalem Alexandrinum Stractmanus ſcripſit, iſta confirmant (*Cæterùm*, ejuſdem ſunt verba) *Illuſtriſſime Domine, quod in preſentiarum ſcribam non occurrit, niſi quòd, ex diſceſſu ſuæ Celſitudinis tota noſtra inferior Patria, nobiles, ac ignobiles, à maximo uſque ad minimum, omnes maximo confecti ſunt mærore, venerantes Divinam in ipſa ſapientiam, qua horridas noſtræ patriæ, ac regionis tempeſtates priſtinæ reſticuerat tranquillitati. Sed plurimùm conſolatur ſuam Celſitudinem, quòd poſt, tanto deſiderio, impetratam a Catbolica Majeſtate licentiam (quam juſtis de cauſis mota tàm ferventer, ac inſtanter efflagitavit) relinquas noſtram regionem, etiam per aliquot menſes, ante Illuſtriſſimi Ducis Albani adventum, in priſtina Religionis obſervantia, ac Catbolicæ Majeſtatis obedientia. Rogo autem Altiſſimum, ut quæ, mediante ſua Celſitudine, optimè, ac felicitèr, in Dei laudem, ac fidei favorem, erant conſumata, in melius ſemper proficiant &c.* Bruxellæ 25. Novembris 1567.

Ibid. ut ſup.

Interim haud prætermittendum, quòd, cùm Parmenſis ipſa adhuc in Belgio ſubſiſteret, ac armorum vi, nobiles, quos recenſuimus, de Hæreticis triumphos reportaſſet; horum nuncium ad Pium delatum, ineffabili quadam ipſum lætitia affecerat, ideòque, ut habemus ex authentico M.SS. Codice celebris Chriſtianæ Bibliothecæ, ad debitas Deo, pro inſigni collato beneficio, gratias perſolvendas, die decima quarta Januarii hujus anni (poſtridiè nempè poſt nuncium acceptum) ſenex licèt, & viribus fractus, nil hyemis veritus intemperiem, ſeptem Eccleſiarum Urbis iter conficere voluit. Nec muneri ſuo defuit, quin undique exurgentes in Belgio nefarias hæreſes, cùm armis temporalibus decertabatur, ſpirituali quoque ac Apoſtolico mucrone feriret; nàm Kal. Octobris hujuſmet anni Conſtitutionem edidit, quæ hujuſmodi eſt; XXI.

(Pius

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Extat inſerta in alia Bulla Urb. VIII. Conſt. 284. In eminenti.

EX omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino conſtituti, tàm luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Chriſtiana, tantis jam pridem turbinibus agitata, novis, quotidie propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus, antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios, atque alios errores paſſim, & promiſcuè deferatur.

Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illi, ſimulatque proſiliunt, penitùs opprimantur; Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, ſpectatæ alioquin probitatis, & doctrinæ, in varias ſententias, offenſionis, & periculi plenas, tùm verbo, tùm ſcriptis, prorumpunt, deque eis, etiam in Scholis invicem controverſantur, cujuſmodi ſunt ſequentes. Nec Angeli, nec primi hominis adhùc integri merita, rectè vocantur gratia. Sicut opus malum, ex natura ſua eſt mortis eternæ meritorium, ſic bonum opus, ex natura ſua, eſt vitæ æternæ meritorium. Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ab ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia. Vita æterna homini integro & Angelo promiſſa fuit, intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad conſequendam illam per ſe ſufficiunt. In promiſſione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, quâ pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut, ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxtà modum loquendi Scripturæ Sacræ, non rectè vocantur gratiæ, quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari. In redemptio per gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum. Dona conceſſa homini integro, & Angelo, forſitan non improbanda ratione poſſunt dici gratia;

A ſed quia ſecundùm uſum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jeſum Chriſtum malè merentibus, & indignis conferuntur; ideò neque merita, nec merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimiſſo, ſæpè remanet, & corporis reſurrectio propriè nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt. Quod piè, & juſtè in hac vita mortali uſque in finem converſati, vitam conſequimur

B æternam; id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali, ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto Dei judicio deputandum eſt. Neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua, lege naturali inſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. Pelagii ſententia eſt opus bonum citrà gratiam adoptionis factum, non eſt Regni Cæleſtis merito-

C rium. Opera bona, à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantùm ex eo, quòd ſunt conformia legi, quòdque per ea præſtatur obedientia legi. Opera bona juſtorum non accipient, in die judicii extremi, ampliorem mercedem, quàm juſto Dei judicio mereantur accipere. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quòd qui benè operatur, habeat gratiam, & inha-

D bitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolùm, quòd obedit Divinæ legi. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine Charitate. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia, ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi priùs præcedentium delictorum impedi-

E menta tollantur. Opera juſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis, non traxerunt majorem valorem. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proindè naturalis dicenda eſt, & non

ſupernaturalis. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom, 2. Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr quæ legis ſunt faciunt, *intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſuper conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe & Charitate Deum ſupernaturalitèr coleret. A vanis, & otioſis hominibus, ſecundùm inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum reiicienda eſt, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona, naturæ ſuperaddita, fuerit, largitate Conditoris, ſublimatus, & in Dei filium adoptatus. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio. Liberum arbitrium, ſine gratiæ Dei adiutorio, nonniſi ad peccandum valet. Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. Non ſoli, fures ii ſunt, & latrones, qui Chriſtum, Viam, & Oſtium veritatis, & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliundè, quàm per ipſum in viam juſtitiæ, (hoc eſt ad aliquam juſtitiam,) conſcendi poſſe docent. Aut tentationi ulli, ſine gratiæ ipſius adiutorio, reſiſtere hominem poſſe, ſic, ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur. Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tàm in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum. Catechumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demùm percipitur. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicèt, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut Beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum Sacris Literis, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata. Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia,*

A *per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur. Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat,* B *liberè tamen fit. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati. Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis, ſed ſolùm nomen libertatis à peccato. Juſtitia, qua juſtificatur per Fidem impius, conſiſtit formalitèr in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua, animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ* C *naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire poſſit. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum abſolutionis, & Catechumenis ante Baptiſmum, eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen à remiſſione peccatorum. Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt, ſolùm ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſti-* D *nere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientiæ, & vera legis juſtitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum. Sacrificium Miſſæ, non alia ratione eſt Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut, Sancta ſocietate Deo homo inhæreat. Ad rationem, & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium, nec diffinitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ, & originis, utrùm omne peccatum debeat eſſe voluntarium. Undè peccatum* E *originis verè habet rationem peccati, ſinè ulla relatione, ac reſpectu ad voluntatem, à qua originem habuit. Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualitèr dominatur parvulo, eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus, diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſum rationis conſecutus*

cutus

A erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet. Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: Non concupiſces. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia. Omne ſcelus ejus eſt conditionis, ut ſuum authorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio. Quantum eſt B ex vi traſgreſſionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quàm qui cum majoribus. Diffinisiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit. Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur. In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſivè obligatio ad pœnam. Undè in Sacramento Baptiſmi, C aut Sacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati dumtaxàt tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolùm liberat à reatu. Peccator pœnitens, non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificas eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolùm reatus tollitur. Quandò per eleemoſynas, aliaque pietatis opera Deo ſatisfacimus, pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris D offerimus, ſicut quidam errantes autumant; (nàm alioqui eſſemus, ſaltem aliqua ex parte, redemptores,) ſed aliquid facimus, cujus intuitu, Chiſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur. Per paſſiones Sanctorum, in Indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem Charitatis, nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti à pœnis, pro peccatis debitis, liberemur. Illa Docto- E rum diſtinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm, altero, quantùm ad certum quemdam modum, videlicèt ſecundùm quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, (hoc eſt ad modum meritorum,) commentitia eſt, & explodenda. Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariàm bonum; vel quia

A ex objecto, & omnibus circumſtantiis rectum eſt, & bonum, (quod moraliter bonum appellari conſuevit,) vel quia eſt meritorium Regni æterni, eo quòd ſit à vivo Chriſti membro, per ſpiritum Charitatis; reiicienda eſt. Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ; alterius, quæ ſit per ſpiritum Charitatis inhabitantem; alterius, quæ ſit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondùm cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua B Divinæ legis juſtificatio impleatur, ſimiliter reiicitur. Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dùm ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur; alterius qua vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in Vite Chriſto efficitur, paritèr commentisia, eſt, & Scripturis minimè congruens. Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſivè non C malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabilitèr, in eo, quod neceſſariò facit. Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt. Juſtificatio impii ſit formalitèr per obedientiam legis; non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos ſaciat implere legem. Homo exiſtens in pecca- D to mortali, ſivè in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram Charitatem, & Charitas, etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum ſtatu æternæ damnationis. Per contritionem, etiam cum Charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut Martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti. Omnes omninò Juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum; undè Job, & Mar- E tyres, quæ paſſi ſunt, proptèr peccata ſua paſſi ſunt. Nemo, præter Chriſtum, eſt abſque peccato originali; hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. Concupiſcentia in renatis, relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum eſt,

ſicut & alii habitus pravi. Motus pravi concupiſcentiæ, ſunt pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto: Non concupiſces; *unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum*, Non concupiſces, *quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur. Quamdiù aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio. Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali.*

Quas quidem Sententias, ſtricto coràm Nobis examine ponderatas, quamquàm nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu, ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectivè, ac quæcumque ſuper iis, verbo, ſcriptoque emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus: deque iiſdem, & ſimilibus poſthàc, quoquo pacto loquendi, ſcribendi & diſputandi, facultatem quibuſcumque interdicimus. Qui ſecùs fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus; vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus, à quo nullus, Romano Pontifice inferior, valeat ipſos, excepto mortis articulo, liberare.

Cæterùm, ut jam commoti, his de rebus, tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi poſſint, ſimulque animarum ſaluti pleniùs conſulatur, Dilecto Filio noſtro, Antonio, Tit, S. Bartolomæi in Inſula Presbytero Cardinali, Granvellano nuncupato, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ipſe quid, ad perpetuam dictarum ſententiarum, & [illegible]pturarum abolitionem, quid, ad [illegible]enda hujuſmodi proloquia, & diſputationes, quid denique, ad unionem, & pacem, cum communi omnium, & Eccleſiæ Catholicæ ſatisfactione, componendam, facto opus ſit, in primis diligenter expendat; deindè in his omnibus, quæ, pro communi ſalute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, ſalva ſempèr Eccleſiæ prædictæ unitate, etiam per alium, ſivè alios, fide, doctrina, & religione præſtantes, ocyùs exequatur, faciatque quidquid decreverit inviolatè ab omnibus obſervari. Contradictores quoſlibet, per cenſuras & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus, quòd forſitan aliquibus ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & Literis Apoſtolicis, ſpecialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totalitèr non inſerta, effectus præſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, circumſcriptionis, abilitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1567. Kal. Octobr. Pontif. noſtri anno ſecundo.)

Toto orbe celeberrima hæc Bulla eſt, quam uſque adhùc, miris modis, impetere, calumniari, ac dejicere Janſeniſtæ connituntur, Minoritarumque, ac Jeſuitarum fraudibus à Pio, non ſe ſatis à malevolentibus ſuſurronibus præcavente, extortam edicunt. XXII.

Ortum autem ſuum tantorum errorum mala ſoboles iſta habuerat, in Univerſitate Lovanienſi, circa annum 1551. ex duobus potiſſimum infœlicibus Progenitoribus, Michaele nimirum Bajo, & Joanne Haſſellio, qui aliàs Joannes Lovanii dictus fuit, ſeu à Lovanio; viris ſanè, ut concors eſt

eſt omnium Scriptorum aſſertio, & Bulla ipſa innuit, doctis, & ſaltem, in ſpecie, apprimè piis; quique in Sanctorum Patrum, & præcipuè Auguſtini doctrinâ ità ſe verſatos jactarent; ut communem Scholaſticorum ſentiendi & loquendi modum paſſim ſpernerent, ac pro nihilo ducerent. Porrò iſta, & alia, ad idem ſpectantia, ex verbis ipſis viri undequaque eximii, harumque rerum ſui temporis peritiſſimi (utpotè qui in Univerſitate eadem Lovanienſi, iiſdemque temporibus, diù fuerat commoratus) Doctoris Andreæ Fabritii, Protonotarii Apoſtolici, & Ducis Bavariæ Romæ, apud Apoſtolicam Sedem Oratoris, pleniùs diſcere juvabit. Hic ſiquidem, de menſe Januarii 1580. proximè ab Urbe diſceſſurus, dùm per ſacram Romanam Inquiſitionem, Gregorii XIII. juſſu, Proceſſus contra Bajum fabricaretur, coràm Cardinali Sanctæ Severinæ, Generali Inquiſitore, & Notario conſtitutus eſſet; tria folia, à ſe dictata, ſuaque propriâ manu ſubſcripta, exhibuit, juramentoque delato teſtatus eſt in illis contenta vera eſſe, ſeque pro veritate dixiſſe, ex cauſa ſcientiæ, & publica in ea Univerſitate famâ; quæ hic proferimus.

Ex Proceſſu Origi nali pag. 189. *Anno 1551. Michael Bajus, Theologiæ Magiſter, und cum Joanne Heſſels; quo tempore præcipui Theologi Academiæ Lovanienſis ad ſecundam Congregationem Concilii Tridentini profecti erant, cœperunt invulgus ſpargere nova Religionis Dogmata, & abſtruſas quaſdam opiniones, quibus Lutheranorum ſecta plurimùm adjuvari videtur. Undè, non tantùm in Lovanienſi Academia; verùm & aliis in locis grave ſcandalum fuit commotum. Quæ res Pariſienſes Theologos, utpotè Belgio viciniores, excitavit, ut cenſoriam notam interponerent, & in multis capitibus illam innovationem condemnarent. Procedente verò tempore, cùm flammæ ſequaces longiùs procederent, anno 1566. Salmanticenſis, & Complutenſis Academiæ, libris præfati Michaelis diligentiùs excuſſis, plurima etiam annotarunt, quæ manifeſtam hæreſim ſapiunt. Neque multò poſt, Sanctiſſimæ memoriæ Pius V. adhibitis doctiſſimorum virorum in Italia judiciis, adverſùs eamdem innovationem gravem Bullam edidit. Tantis autem judiciis percuſſus Mihael Bajus, non ſolùm ſuos errores non correxit, verùm etiam longiùs progreſſus, in articulo Juſtificationis, Concilii Tridentini doctrinam arrodere, & convellere non dubitavit. Cujus equidem rei graviſſimus teſtis eſt Reverendus vir, Jodocus Tiletanus, qui, uſque ad exitum vitæ, pro Catholica, & Concilii Tridentini doctrina, contra innovationem Michaelis Baii fortiſſimè depugnavit, magnamque laudem, dum præſens Concilio Tridentino adfuit, ob inſignem doctrinam, & pietatem conſecutus eſt. Illius igitur vidi quaſdam chartas, propria ejuſdem manu deſcriptas, & inter cætera, quæ, de perverſa, & ſcandaloſa Michaelis Baii doctrina ibidem annotabantur, hæc, quæ ſequuntur, ad verbum deſcripta fuerunt.*

Anno 1566. menſe Novembris nova altercatio orta eſt ſuper Decreto VIII. ſeſſ. 6. Concilii Tridentini, in quo decernitur, quòd nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſivè fides, ſivè opera, ipſam Juſtificationis gratiam promerentur. Dicere enim Michael non erubuit in publica diſputatione, hoc Decretum eſſe indiſcretè, & incircumſpectè factum, & Auctores Decreti non ſatis animadvertiſſe doctrinam B. Auguſtini in Epiſtola 106. in qua dicit, Auguſtinum, dum tradit juſtificationem eſſe gratuitam, intellexiſſe totam juſtitiam; non autem partem aliquam juſtitiæ, utpotè remiſſionem peccatorum; vel juſtitiam, quæ cum remiſſione peccatorum donatur, non dari propter aliquod præcedens meritum. Nam dicit Auguſtinus, quòd remiſſio peccati non eſt ſine aliquo merito fidei, vel orationis; ſed non advertit bonus vir, potiùs Auguſtinum tam tenuem rationem meriti ibi agnoſcere, ut diſertè dicat, illi merito non reſpondere aliquam mercedem. Et certè hoc meritum, quod agnoſcit in fide, reſpectu remiſſionis peccatorum, mox Auguſtinus interpretatur eſſe impetrationem, cui nullum reſpondet propriè dictum debitum, ut manifeſtum eſt. Eodem tempore illud quoque addidit, augmentum juſtitiæ non cadere ſub meritum propriè dictum, contra expreſſiſſimum canonem in eadem ſeſſ. 32., & ſententiam Jacobi: Abraham ex operibus juſtificatus eſt; dicebat, non inſinuare incrementum juſtitiæ ex operibus comparatum; ſed dicebat, ſenſum Jacobi eſſe, Abra-

A *Abrabam eſſe à Deo habitum, declaratum, & pronunciatum juſtum, ex operibus; contra expreſſam doctrinam Decreti 10. in eadem ſeſſ. homines juſtificatos in juſtitia accepta, cooperante fide, bonis operibus, creſcere, & magis juſtificari, ſecundùm illud Jacobi, videlicet: Quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Et Jacobus palàm dicit, ſuppletam eſſe Abrahæ priorem juſtitiam per opera ejus. Ex operibus, inquit, Fides conſumata eſt, & impleta eſt Scriptura, quæ dicit:* B *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Vide, obſecro, quàm ſint hæc incircumſcriptè dicta, & conſideretur, obſecro, quid ſcriptum ſit procemio ſextæ Seſſionis: Diſtrictiùs inhibemus, nè deinceps audeat quiſquam aliter credere, aut docere, quàm præſenti decreto ſtatuitur, ac declaratur. Et in can. 32. Anathema ei dicitur, qui de merito Incrementi juſtitiæ aliter ſentit, quàm Canon habet.

C *Vide quoque ſeſſ. 25. cap. ſecundum, ubi præcipitur omnibus Univerſitatibus, ut Canones, & Decreta Sanctæ Synodi integrè recipiant, ad eorumque normam Magiſtri, Doctores, & alii, ea, quæ Catholicæ Fidei ſunt doceant, & interpretentur, & ad hoc ſolemni juramento ſe obſtringant. Hactenùs D. Tiletanus in ſuis illis chartis, de quibus ſupra.*

Retulit pratera mihi Reverendus Epiſcopus Ruremundenſis, Guilelmus Lin- D *danus, quòd hucuſque progreſſa ſit illa Michaelis innovatio, ut inter ejus complices, & diſcipulos, non ita pridem, in quæſtionem cœperit revocari. Utrum Summus Pontifex ſit Univerſalis Eccleſiæ Paſtor.*

Qualis verò fructus ex hoc impietatis ſeminario, per totos viginti octo annos, ſuccreverint, quilibet facilè æſtimaverit. Multi certè pii, & graves viri, hac de re eam induerunt perſuaſionem, ut affirmare non dubitent, E *hanc non eſſe poſtremam cauſam, ob quam Deus permiſerit, tot flagella in Provinciis Belgicis, Regi Catholico ſubjectis, inundare. Tantam verò Theologorum Lovanienſium Schola, jampridem per univerſum Belgium obtinuerat auctoritatem, ut ex hac propemodùm ſola, undique cooptarentur Eccleſiis Paſtores. Iſti igitur novo illo doctrinæ fermento à ſuis Magiſtris imbuti, quid aliud efficere potuerunt, quàm ut corrumperetur totum?*

Cùm verò Pius V. huic rei remedium, Bulla quadam deſuper edita, conſtituiſſet, præclaram ſanè navavit operam Illuſtriſſimus Cardinalis Granvellanus, tamquam illius Loci Ordinarius, cujus etiam ſtudio factum eſt, ut Bulla illa Pii V. publicè in Scholis legeretur, ipſo Michaele Bajo præſente, primario ſententiarum illarum Auctore; ſed minùs efficax fuit iſtud remedium, præſertim authoritate docendi eidem relicta. Ita enim ipſo temporis progreſſu faciliùs ſe rurſum inſinuare, & ſua inventa tegere potuit. Neque hic ignavos habuit diſcipulos, qui paſſim dictitarent, injuriam Magiſtro fuiſſe factam. Imperitos etiam fuiſſe Monachos, [his enim Bullam Pontificiam aſcribebant] quàm ut aſſequerentur mentem ſui præceptoris. In ſumma, variis calumniis, non tantùm aliquot Univerſitatum; verùm etiam Summi Pontificis, adeò cluſa eſt auctoritas, ut, deficientibus veteris doctrinæ propugnatoribus, ille novorum dogmatum fabricator, ſolus propemodùm triumphare videatur. Hanc etiam mercedem ſuæ operæ conſecutus, ut titulo Cancellarii exornetur, & primam dignitatem in ea Univerſitate obtineat. Cæterùm, morbo ex indiciis utcumque perſpecto, Sedi Apoſtolicæ minùs difficile fuerit, de opportunis remediis deliberationem ſuſcipere.

Ego Andreas Fabritius, Protonotarius Apoſtolicus manu propria ſubſcripſi.

XXIII. In eodem proceſſu relatio alia non abſimilis P. Roberti Bellarmini, Societatis Jeſu Doctoris, Lovanii, olim, tunc Romæ in Collegio Societatis ejuſdem Sac. Theol. profeſſoris, deindè ſub Clemente Octavo S. R. E. Cardinalis, legitur, cujus initium hujuſmodi eſt: *Ante annos circiter 30. cœpit Lovanii nova quædam doctrina, de Gratia, Juſtificatione, Meritis operum, aliiſque id genus argumentis. Auctor primus fuit Doctor Michael Baij, qui etiam hodieupereſt. Is adiunxit ſibi Jo: à Lovanio, qui novam illam doctrinam mirabiliter auxit. Eos ſecuti ſunt Thomas Gozæus, alique nonnulli ex novis Magiſtris; ex quibus unus tantùm cum ipſo Michaele, quantum arbitror, vivit. Is appellatur Joannes Lenſæus Belle-*

Ex impreſſ. Cod. pag. 77.

Belleolaus, Theologiæ profeſſor in eadem Academia. Oppoſuerunt ſe novis illis opinionibus D. Quuardus Tapper, Decanus, quem audio circa mortem valdè doluiſſe, quòd Joannem à Lovanio ad Magiſterium promoviſſet, Jodocus Tilecanur, Cunerus Petri, nunc Epiſcopus in Friſia, Frater Euthychius Leodius Franciſcanus, & ſi qui ſunt alii. Et quidem Tiletanus articulos illos collegit ex libris Michaelis, quos Pius V. Pontifex poſtea damnavit. Cunerus adverſùs eoſdem articulos Librum conſcripſit, quem ego legi, ſed non edidit. Frater Eutychius articulos eoſdem in Hiſpaniam primùm, deinde etiam Romam detulit, ni fallor. Pariſienſes quoque, articulos 15. vel 12. ejuſdem Michaelis damnaverunt, ad quos ipſe Apologiam ſcripſit, quam ego legi.

Cætera quæ in eodem originali ſubduntur, cùm ad annos ſequentes pertineant, ſuis locis danda erunt. Minimè hic tamen pretermittenda, quæ propè finem ejuſdem relationis adiiciuntur, quòd Michaelis Baii qualitem, & indolem plenè exhibeant. *Vir eſt*, inquit, *prædictus Michael, magno ingenio præditus, & in D. Auguſtini lectione maximè verſatus. Ad hæc prudentiam, pietatem, & humilitatem ſingularem præſefert.*) At de his inferiùs

Ibid.

XXIV. Ex recenſitis duobus proſcriptarum opinionum Præceptoribus, alter, nempè Joannes Haſſelius, jam vivere delierat, antequàm Pii Bulla ederetur; miſſus enim Tridentum, (non quidem anno 1551. in ſecunda convocatione Concilii, ut falſò aſſerit Aubertus Miræus, in ſuo Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 49. à Carolo V. ſed anno 1563. à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, in tertia, & ultima ejuſdem Concilii Congregatione) ibi immatura morte præventus, Concilii finem videre non potuit. Ad unius proindè Michaelis Baii temeritatem coercendam directa Pii Bulla viſa eſt. Porrò Bajum, ob percuſſam Apoſtolico hoc fulmine ſuam doctrinam, non ſtatim ab ea receſſiſſe, nec fuiſſe territum; quinimò in ea vindicanda perſtitiſſe, [ut innuimus] manifeſtè oſtendent, quæ annis ſequentibus proferemus, & ejus præſertim Epiſtola ad Pium ipſum, anno 1569., unà cum Apologia, tranſmiſſa, in qua, præter alia, ſuis locis adducenda, opiniones illas non ſatis fuiſſe diſcuſſas, antequàm damnarentur, aſſerere audaciſſimè non erubuit. Quod quidem impudens aſſertum, calumnioſæ falſitatis manifeſtè redarguunt, in primis ipſius ſummi Poncificis verba illa, in Bulla appoſita, & à nobis ſupra recitata, videlicet: *Quas quidem ſententias ſtrictò coràm Nobis examine ponderatas*. Deinde Pariſienſis, Complutenſis, Salmanticenſis Accademiarum cenſuræ. Juridicum etiam, quod paulò ante protulimus, Fabritii teſtimonium, quo videlicet confirmatur, non niſi (*adhibitis doctiſſimorum Virorum in Italia judiciis.*) à Pontifice ſententias ipſas damnatas. Ac Cardinalis demum Granvellanus, Epiſcopus Mechlinienſis, cui Bullæ executio à ſummo Pontifice, cum facultate ſubdelegandi, commiſſa fuit, ut in eadem Bulla legitur. In Epiſtola ſiquidem ad Maximilianum Morillonum, ſub die 13. Novembris hujuſmet anni 1567. data, qua ſuam illi facultatem ſubdelegat, inter alia, ex idiomate gallico in latinum fideliter reddita, hæc ſcribit. *Opera (Baii) examinata fuere à viris doctis multarum Nationum, qui unanimiter cenſurarunt plures propoſitiones in illis repertas, eâ formâ, quam perſpicies in ipſa Bulla Summi Pontificis, quam tibi mitto.*

In Operibus Baii par. 2. pag. 62.

XXV. Haud me latet, Gabrielem Gerberonum, celebrem, & proſtitutum Janſeniſtam, adeoque Bajanum, noviſſimis his temporibus, videlicèt anno 1696. Baii opera prædicta, jampridem ſepulta, aliis additis hactenùs ineditis, è latebris, ſuo ſtudio, & conatu, eruiſſe, & fictis typis Colonienſibus, in Hollandia, ubi è Gallia profugus & apoſtata deliteſcebat, Petri Coddè Epiſcopi Sebaſteni, tunc illarum Miſſionum Vicarii Apoſtolici, eodemque furfure non leviter aſperſi [ob id poſteà à Clemente XI. eo munere, adhuc vivens deturbatus, & demum in iniquitate pertinaciter mortuus, Eccleſiæ ſuffragiis, Eccleſiaſticaque ſepultura declaratus indignus] chariſſimum contubernalem, publicæ luci iterùm dediſſe. Unà autem cum Operibus ipſis, Pontificum Bullas, aliaque, ad Baii ejuſdem cauſam ſpectantia, pariter edidit, ſuaſque in illis adnotationes & animadverſiones, ſuo verè ſchiſmatico ſpiritu, ad nauſeam uſque refertas in-

inſeruit. Inter eas autem, poſt- A quàm pag. 62. ſecundæ partis, præfatam Cardinalis Granvellani Epiſtolam retulit, ad illa verba: *A viris doctis multarum nationum*, pro adnotatione, inſigni ac graviter plectenda temeritate, hæc ad marginem ponit: *Docti, qui Scripturæ, ac Patrum ſententias non noverunt*. Quod ſanè, ſi ſuperis placeat, retuliſſe ſolùm, abundè confutaſſe eſt. Gerberonum enim, nec nomen quidem perſpectum habere potuiſſe, vel unius ex illis plurium Nationum Do- B ctoribus, quibus examinanda Bajana doctrina tradita eſt; quis ambigere valet? Qua igitur ratione, Scripturam, ac Patres ignoraſſe aſſerere audet, ſi adeò ignoravit quid ſcirent, ut etiam quinam eſſent, neſciret? Vocat deindè doctos; at quomodo in re, de qua agebatur, docti, ſi Scripturam, Patreſque neſciebant, quos maximè ſcire debuiſſent, & ex quorum dumtaxat ſcientia, inter doctos recenſeri poterant? Noviſſe, è contra, & omnes, C & ſingulos, quos doctos dixerunt, Pontificem Summum, Granvellanum, eoſque demum omnes, quibus Bajana doctrina cribranda tradita eſt; Gerberonus certe diffiteri non poterit. Qua igitur ratione, poſthabitis, omni exceptione majoribus, teſtibus illis, qui quæ viderunt, manibuſque propemodùm contractarunt, loquuti ſunt: credendum Gerberono uni erit, qui quæcumque ignoravit, blaſphæmavit? Et revera, quis ad indignationem non mo- D veatur, tales audiens ſycophantas, ſic de ſe magnificè ſentientes, ut quoſque alios, impiis ſuis dogmatibus adverſantes, velùt ex tripode, indoctos, ſacræque Scripturæ & Patrum ſententias ignorantes proclament? Contumeliæ ſiquidem illæ, non ſolos Theologos illos, qui Baii doctrinæ Cenſores fuere Pii V. tempore, impetere dignoſcuntur; ſed alios quoque, qui anno 1564. ſub Pio IV. illius Præ- E deceſſore, eandem doctrinam accuratè examinaverant, quos inter, cùm fuerit, ut alios ſtudio prætereamus, Franciſcus Toletus, celeberrimus Societatis Jeſu Theologus, ad ſacram purpuram à Clemente VIII. deinde evectus, ut ipſemet apertè, dum eſſet Lovanii, anno 1580. coràm tota illa Univerſitate. teſtatus eſt) audebit Gerberonus Scripturæ, ac Patrum penitùs illum dicere ignarum? Calumniam eandem, ab impudentiſſimo homine, non tam Italicis Sapientibus, quàm præcipuis etiam, ut innuimus, Chriſtiani Orbis Academiis & Univerſitatibus illatam, Pariſienſi videlicet, Sorbonicæ, Salmanticenſi, & Complutenſi; quarum prima de anno 1560. reliquæ duæ anno 1566. Baii doctrinam atro calamo; & quidem acriùs, quam deindè, hoc anno 1567. Pius V. eam damnaverit, ſugillaverant, nemo non videt; adeò ut in illis neminem reperire fuerit, juxta Gerberonum, qui Patres, Scripturamque calluerit. Verùm, quis patienter feret tantam audaciam? Cui bilem tam effrons, impudenſque calumnia non movebit, cùm præcipuè præfatarum Academiarum cenſuræ, apud infandum ipſum Gerberonii opus, in quo per extenſum ſimul exibentur, videri poſſint?

XXVI. Alia præterea neceſſariò, circa Bajum & Pianam, de qua agimus. Bullam, hic explananda noſcuntur; ex quibus primum eſt illud, ſententias in ea proſcriptas, nec in prima ejuſdem Bullæ editione, tempore ipſius Pii, exarata, nec in ſecunda, cùm videlicèt Gregorius XIII. eam confirmans, in alia ſua inſeruit; nec tandem in tertia, quandò Urbanus VIII. damnans Janſenii librum, eandem rursùs, ad verbum pariter in ſua altera, quæ incipit: In eminenti: [ex qua illa à nobis fideliter extracta fuit, quam ſuperiùs poſuimus] inſertam voluit. In omnibus (inquam) editionibus his, propoſitiones præfatas, nullis numeris certum eſt fuiſſe diſtinctas, vel notatas. Quòd igitur paſſim, omnes & ſingulæ ſuis obſignatæ numeris offendantur, peculiare privatorum Doctorum inventum fuit, qui, nimirum, vèl propriæ, vel aliorum commoditati conſulentes, ea pro libitu diviſerunt; unde effectum eſt, quòd ab aliis vero ſeptuaginta ſex; ab aliis verò ſeptuaginta novem, & quidem frequentiùs, recenſeantur.

XXVII. Majoris autem ponderis eſt illa quæ Catholicos inter, ac Janſeniſtes, ob interpunctionem, poſt illam Bullæ clauſulam apponendam, videlicet. *Quamquàm nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, ante ſubſequentia illa verba, *In rigore & poprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*, lis agitatur. Cuncta ſiquidem verba hæc ita

ita conjungi debere, ut nullum prorsùs interponendum ſit comma, Bajani contendunt; ita ſiquidem primum, & originale Bullæ exemplar, ab initio exaratum, Lovanium miſſum ſe habere: ibidemque religioſè adhùc ſervatum, aſſerunt. Quibus poſitis, omnium prorsùs propoſitionum in Bulla contentarum proſcriptionem, ac damnationem eludere, eos connixos eſſe, quis non videt? Dato enim, quòd ex eis nonnullæ defendi poſſint, *in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*, nonnè ſequitur, eas nulla omninò notari poſſe cenſura? Quis enim tam audax erit, ut cenſurâ aliquâ dignam exſtimet ſententiam illam, quæ ab ipſo Summo Pontifice, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento defendi poſſe declaratur? Admiſſo autem, quòd earum nonnullæ, cenſuræ cujuslibet ſint expertes, & hæ quidem, nullo à cœteris internoſcantur, ac indicentur ſigno, ut reverà nonn indicantur; quis, has & illas à cœteris ſegregatas, nulli cenſuræ ſubiacere; alias verò damnationis ſententia ritè percuſſas, pronunciare audebit? In tanta igitur rerum caliginæ, quæ innocentes ſimul, ac criminoſas ſententias involvit, ne fortè injuſta innocentibus inuratur pœna: nonnè tutius erit à criminalium damnatione abſtinere? vel ſaltem omnes ab omni cenſura immunes, in rigore, & proprio verborum ſenſu, ab aſſertoribus intento, eſſe judicare; & ad ſummum eſſe aliqua cenſura dignas, *in ſenſu dumtaxat, non rigoroſo, nec proprio, ac nullatenùs ab Auctoribus intento*? Quæ quàm inſulſa ſint, ne dicam fatua, nemo, niſi Bajanus, & impudentiſſimus Janſeniſta, in ſimilibus næniis, ludicriſque, nedùm Pontificiarum Bullarum, ſed Sacræ quoque Scripturæ, Conciliorum, & Patrum expoſitionibus jam aſſuetus, non videt. Quemvis, ut verum fateamur, nec ipſos, qui ſic loquuntur, & ſcribunt, ſic etiam ſentire putamus; tùm quia non adeò ſtolidos credimus, quos quàmmaximè callidos, & ad fallendum vaferrimos experimur; tùm etiam quia, ſi ita reverà ſentirent, ut ſentiret; ſe ſimulant, quæ, quæſo cauſa foret, ut totis niterentur viribus ſuadere, Pium, in Bulla efformanda, fuiſſe à Baii adverſariis circumventum,

A eamque, omninò præter ſuam intentionem, & voluntatem, edidiſſe? Qui verò malis adeò artibus Pium circumvenire, ut Bullam ederet, potuerunt, & quidem, ut Bajanam doctrinam dejicerent; qua ratione hebetes adeò, ignavique fuerunt, ut à Pii ſententia intactam ipſam, nulloque modo percuſſam non intelligerent? At non intellexerint; & Bajani tantum, & Janſeniſtæ, quod revera eſt, à Pii Bulla, nimirum non percuſſas Baji opiniones,

B intelligant. Si ita ſeſe res habet; cur quæſo igitur, Bullæ ipſi ſic iraſcuntur, ex eoque iraſcuntur, quod Baji ſententias damnaverit, ſi ſententias ipſas minimè læſit?

Dicant prærerea, in unica periodo, nullo prorsùs interjecto commate, quomodo valeant hæc verba. XXVIII.
(*Quamquàm aliquo pacto*) cum verbis illis (*In rigore, & propria verborum ſenſu, ab aſſertoribus intento*) cohærere? Norunt profectò Grammatici,

C prima periodi verba adverſativa eſſe; habere debent igitur, cui adverſentur. Quid verò in ea periodo, extat, cui adverſari valeant, niſi, quæ immediatè ſubduntur verba? Conſequens ergo eſt, ut id, quod aſſeritur, poſſe aliquo pacto defendi, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento defendi nequeat: nè dicere cogamur, penitùs ineptam eſſe periodum illam, nullumque rectum reddere poſſe ſenſum.

D Quò verò ad Bullæ originale, ſine controverſo commate, in Lovanienſis Univerſitatis Archivo ſervatum; aſ- XXIX.
ferre ea ſufficiet, quæ ſubtiliter, & intimè à Belgis ipſis explorata, habet Ripalda, quæque totidem ejuſdem verbis hic duximus apponenda. Ait ergo: *Quoniam de interpunctione nobis lis eſt cum Bajanis, a qua ſenſus verborum horum totus dependet: quamvis & Bullæ Gregorianæ auctoritate, cujus extant etiamnùm exemplaria,* Ripald. to. 3. l. 2. ſect. 2. n. 11.

E *& ipſo tenore, verbiſque Bullæ jam ſatis ſint convicti; operæ pretium tamen viſum fuit, huius commatis hiſtoriam, ut è Belgio eam accepi, hìc ab ovo recenſere. Exemplar Bullæ, quod Roma primùm miſſum fuit ad Michaelem Bajum, manuſcriptum erat, nullaſque, ut mos eſt Curiæ Romanæ, cum aliquid manu deſcribitur, habebat interpunctionum notas. Undè occaſionem ſumpſit*

Bajus in ſuum tommodum ſit verba Bullæ interpretandi, ut ſententiæ damnatæ aliquæ, in rigore & proprio verborum ſenſu diterentur veræ: quem Magiſtri ſui ſenſum, ut clariùs exprimerent ejus diſcipuli, à quibus Lovanii tunc paſſim Bulla iſta deſcribebatur, ſit eam, verbis tranſpoſitis, aut addita parentheſi, corruperunt, ut chartæ illæ antiquæ, ad quas à Bajanis provocamur, oſtendunt. Cùm verò, non ex illo manuſcripto, ſed ex altero, Romæ, auctoritate Pontificia, excuſo exemplari, eandem Bullam legiſſent Suarez, Vaſquez, Poſſevinus, aliique Scriptores, in quo manifeſtum erat comma, poſt verba illa, ſuſtineri poſſent; *tum eo etiam Bullam in ſuos commentarios tranſtulerunt. Quod indignè ferens Jacobus Janſenius, Doctor Lovanienſis, Baii primùm diſcipulus, deinde Collega, anno 1618. in ſcholis publicis, tum vehementi querela exclamavit, adulteratam eſſe Bullam Pontificis ab iis, qui comma illud adiecisſent, eo quòd in originali Bulla, quam tenebat manu, [tenebat autem illam ipſam manuſtriptam, miſſam ad Bajum, in qua nulla erat diſtinctionis nota] nullum ejus veſtigium cerneretur. Quod, qua fide factum ſit, non diſcutio; nàm, ſi tota Bulla nullam habebat interpunctionem; tur arguendi erant, qui inter tæteras, etiam hant, quam ſenſus manifeſtè requirebat, appoſuiſſent? Hæt eſt illa originalis Bulla, quam proferunt tontra nos Bajani, & ex qua comma iſtud ſubreptitium eſſe clamant. Sed iam ſpero, deſinent id jactare, cùm rei veritatem Apoſtolicæ Sedis auctoritas declaravit. Cùm enim Bullam hanc Pii & Gregorii confirmaret Urbanus VIII. eamque ſuæ Conſtitutioni totam insereret, factum eſt caſu, ut comma illud tanti momenti à Typographo omitteretur: quod, tùm in exemplaribus in Belgio, deindè & Coloniæ excuſis, fuiſſet reſtitutum, hinc orta tontentione, Baii fautores totam Urbani VIII. Bullam in controverſiam vocaverunt, Romamque, nomine Atademiæ Lovanienſis, ea de re, Commiſſarios ad Sanctam Sedem miſerunt; qui tùm quèrerentur, Conſtitutionem ſuæ Sanctitatis fuiſſe vitiatam, ejuſdem Pontificis Urbani & Officii S. Inquiſitionis juſſu, ex Archivo Sancti Offitii, & ex Matrice Actorum, quæ in eodem Archivo conſervantur, exemplar præfatæ Bullæ Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. tranſtriptum, diligentiſſimè collatum, atque ita impreſſum, Commiſſariis Lovanienſibus in manus conſignatum fuit, tum mandato Apoſtolico, ut eidem exemplari ſic conſignato fides adhiberetur, in quo comma illud adeò diſputatum, ſuo loco eſt reſtitutum, adeò ut dubitari, hac in re, de mente Pontificis jam ampliùs non poſſit. Quòd ſi ad originalem Bullam libet reſpicere, teſtatus eſt Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo 2. Octobris* 1644. *vidiſſe primum autographum originale Bullæ Pii V. non in Regeſto, in quo à ſcriptoribus Apoſtolicis Bullæ deſcribuntur, in quo nullæ ſolent interpunctiones apponi, ſed in ipſomet autographo illius Cardinalis, qui juſſu ejuſdem Pii Bullam concepit & extendit, ſecundùm mentem Pontificis; & inſpexiſſe diligenter, quomodò ſe haberent interpunctiones in tontextu ipſius tenſuræ; at deprehendiſſe, quòd, poſt illa verba:* Quamquàm nonnullæ earum aliquo pacto ſuſtineri poſſent; *ante illa, quæ immediatè ſequuntur;* in rigore & proprio verbotum ſenſu, *interpoſitum erat tomma, ſeu virgula disjunctiva eorumdem verborum.* Hucuſque Ripalda.

XXX. Gerberonus in ſæpèdicto malè ſano Cauſæ Bajanæ opere, parte 2. pag. 236. præfatum Cardinalis de Lugo teſtimonium unà refert, reiicereque contendit; Janſeniſtico verò more, in relatione mendacem, ac infidelem, in reſponſo autem temerarium, ac impudentem ſe prodit. Scribit ſiquidem, Cardinalem de Lugo, in ipſo Franciſci Tolcti autographo, comma, poſt verbum, *poſſent*, ſe vidiſſe teſtatum eſſe, cùm tamen de Lugo, in authographo Cardinalis illius, qui Pii V. juſſu Bullam concepit, & extendit, ſe vidiſſe tantùm teſtatus fuerit. Et quidem, cui, niſi ſtolido, ac inerti ſuadere Gerberonus poterit, Cardinalem eum, cui exarandi Bullam ſub anno 1567. à Pio editam, provincia demandata eſt, Franciſcum Toletum eſſe potuiſſe, qui poſt annos tantùm viginti ſex, à Clemente VIII. ſub anno 1593. inter Cardinales adſcriptus fuit? His incondita, ac falſa alia plura Gerberonus addit, quæ cùm noſtrum non ſit hic ſingillatìm reiicere, aliis idcircò refutanda relinquimus.

Præ-

XXXI. Præterire tamen, nec poſſumus, nec debemus, non omnes reverà in Pii Bulla relatas, damnataſque ſententias in Operibus Baii *editis* reperiri, ſed eorum aliquas ipſis Operibus ab illo inſertas; aliquas ſolùm ab eo in ſcholis fuiſſe dictatas; aliquas demùm fortè ore dumtaxàt prolatas; quod quidem, non ut alii uſque adhùc, conjectura tantùm, eruimus, ſed expreſſis verbis notatum reperimus in ipſo Originali Proceſſu, contra eundem Michaelem Bajum, Gregorii XIII. juſſu, ſub anno 1580. ut diximus, confecto, cui hujuſmodi titulus eſt. *Proceſſus contra Michaelem Baii, Decanum Lovanienſem, & ejus Sectatores, ſuper quibuſdam novis opinionibus, per ipſum Machaelem, tàm in publicis diſputationibus, quàm ſuis libris, & ſcriptis editis, aſſertis.*

XXXII. Quod ad ipſos Bajanos attinet, ex quibus noſtri temporis Janſeniſtæ, ab ipſo propemodùm ortu ſuo, eò, ut diximus, ſumma illorum impudentia pervenit; ut referente Ruremundenſi Lindano, & Fabricio teſte, Baii Diſcipuli, in quæſtionem vocare contenderint: *An ſummus Pontifex Univerſalis Eccleſiæ ſit Paſtor? ex* quo deinde elicitum illud, ut *primi* tantùm *Epiſcopi* nomine, ac prærogativa præditum ornatumque eundem Romanum Pontificem velint; ita ut *primus* tantùm inter pares, ac æquales, jus in cœterarum Eccleſiarum regimine nullum obtineat, ac in meſſem alienam manum extendere propemodùm judicandus ſit, ſi, vel inſcio, vel invito, Diœceſis alicujus Epiſcopo, paſtoris munus aliquod obire voluerit. Quæ, quantùm à Catholica veritate ſint aliena, etiam ſi cœtera deeſſent, & dicta, & Catholicorum ſcripta; imo ipſorum, hoc ferme tempore, tàm in Anglia, quàm in Belgio, pro ea aſſerenda, effuſus ſanguis, abundè demonſtrant; ut ex noſtris, ac prædeceſſorum noſtrorum Annalibus manifeſtiſſimè patet. Quis enim adeò vecors, inſanuſque erit, ut exiſtimet, innumeros eos Martyres, qui, noviſſimis hiſce temporibus, pro vero dogmate Primatus S. Petri occiſi ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt [etiam ſi oris confeſſione palàm id profeſſi non fuiſſent] innumera ea pertuliſſe tormenta, vitamque dediſſe, ut *primum* tantùm *inter pares* Pontificem Summum aſſererent; Primatuque (inquam) iſto cæremoniali tantùm

A honeſtarent? Ut verum tamen fateamur, cùm Bajani iſta effutire cœperunt, licèt multò deteriores in Apoſtolicam Sedem blaſphemias Lutherani, Calviniſtæ, Zuiglianique evomuiſſent; inter ipſas nihilominùs, *hæc quoque* erat; ut ex paulò ante relatis Carneſechii erroribus manifeſtum evadit; qua forte utebantur, qui inter impudentiſſimos hujuſmodi Hæreticos minùs internoſci, modeſtioreſque videri affectarent; cùm tamen reverà, præter B nomen, (ſi tamen, vero primatu ablegato, *primi* nomen aliquid cenſeri valeat) Romano Pontifici nihil relinquentes, horrendo ſcelere, everſa Eccleſiaſtica Hierarchia, detractoque verè Monarchico, à Chriſto Domino inſtituto, Eccleſiæ regimine (de quo in Definitione Dogmatica Concilii Florentini) aliud ei, neſcio quid, neque Ariſtocraticum, nec Democraticum ſubſtituere, temerè præſumerent: ac Eccleſiæ corpus, quo nomine ſæpè ſæ- C piùs eam Apoſtolus nuncupare conſuevit, ſine unico veri nominis Capite conſtituere vellent.

XXXIII. Nec tamen, ob id, hujus inventi, blaſphemique vocabuli, quo, *primum inter pares Epiſcopum*, Pontificem Romanum nuncupandum cenſent, univerſæque Eccleſiæ regimen ab eo auferunt, præfatos hæreticos Lutheranos, Calviniſtas, Zuvinglianos, primos edixerim conditores. Conſtat enim à Græcis id mutuatum Schiſmaticis, qui D diù ante, ſed poſt Photium præcipuè, à Romana Eccleſia ſejuncti, nil intentatum reliquerunt, quo ejuſdem dignitati ac Juriſdictioni detrahere poſſent. Qui proximè tamen, præfatorum Hæreticorum temporibus, nefariam eam loquendi rationem, vel invenit, vel à majoribus Schiſmaticis jam inventam, acceptamque uſurpavit, uſurpandique anſam Hæreticis ipſis dedit, nonniſi Nilum Archiepiſcopum Teſſalonicenſem fuiſſe putamus: *Qui* (Sub. anno. 1355. pag. 740.) E (inquit Spondanus) *ſcripſiſſe reperitur duos tractatulos contra Primatum Romani Pontificis, quos Hæretici exoſculantur: quaſi verò aliud à Græcis, ex quo ab Eccleſia Catholica receſſerunt, quàm fœdifragia, mendacia, ſchiſmata, & hæreſes expectare liceat.* In præmemorato Florentino Concilio, Nili hujus Opuſcula, tum hæc, tùm alia, in quibus de Spiritus Sancti proceſſione agitur, damnata fuiſſe, his ver-

bis teſtatur Spondanus ipſe: *Ejuſdem Nili blaſphemias, de proceſſione Spiritus Sancti, aliaſque, exploſit poſtea Synodus Oecumenica Florentina*. Et præter hæc, contra Romani Pontificis primatum ab eo prolatos errores refutat Bellarminus, qui etiam animadvertit, ab impiiſſimo hæretico Flavio Illyrico, de eodem Primatu Papæ, græcè conſcripta, præfata Nili Opuſcula, in Latinum translata, mirè fuiſſe corrupta. Peculiari etiam Opere Pariſiis anno 1626. edito, à Joanne Caryophyllo, Archiepiſcopo Iconienſi rejecta ſunt. Sed quod planè, hæretico, & ſchiſmatico Nilo, præter Lutheranos, Calviniſtas, Zuinglianos, multò deteriores hodiernos Janſeniſtas, & Bajanos oſtendit, qui ſtatim, ac eruperunt (ut innuimus) adhæſiſſe blaſphemiæ Nili ſententiæ viſi ſunt, illud profectò eſt, quòd ritè Spondanus, cùm de ipſo Nilo loquitur, obſervat. *Et tamen talis ille*, inquit *quid de hoc ſenſerit* (nimirum de univerſali Romani Pontificis primatu) *tandem in fine poſterioris tractatus declarans, ita breviter concludit -- Quamdiù Papa ordinem ſervaverit, & veritati adhæſerit, à primario, & ſummo principatu non eſſe removendum; ſed, ut caput Eccleſiæ, & Summum Pontificem, ac Petri ſucceſſorem agnoſcendum, omneſque ei obedire debere.*] Poſt quæ Spondanus: *An his* (inquit) *ſubſcribent noſtri Hæretici?* dicamus nos, *Noſtri Bajaniſtæ, & Janſeniſtæ?* Numquid cùm *primum inter pares* dicunt, ampliſſimam, quam verè habet, ei tribuunt poteſtatem? An fruſtrà proprio blandientes errori, ſatis ſuperque Apoſtolicæ Sedi, ſe tribuere arbitrantur, cùm *primum* tantùm, Pontificem Summum *inter Epiſcopos* dicunt? An verò, pro hujuſmodi tantùm inter æquales primatu, tot Martyres ſanguinem profudiſſe, glorioſèque occubuiſſe, ut diximus, ſtolido alicui ſuadere volunt? At hæc obiter.

De Rom. Pont. lib. 2. Cap. 17.

Ibid. ut ſupra.

XXXIV. Cœterum, in ipſa Conſtitutione, pravarum ſententiarum Auctorum, ſeu Auctoris nomen reticetur. quòd in eum; (ut dicebamus) remiſſiùs, quàm poſſet, Pontifex agere voluerit; nè infamia ea videlicet notatus, exaſperaretur, & pro eo quòd errores abjiceret, iiſdem ſuſtinendis, ac defendendis, uti uſu paſſim eveniſſe compertum fuerat, pertinaciùs incumberet. Qua etiam de cauſa, uni Carpinali Granvellano, vel alii, quem ipſe idoneum exiſtimaſſet, ejuſdem executionem demandavit. In hanc tamen, adeò mitem agendi rationem ſponte ſua Pium deſcendiſſe, minimè credimus, ſed Hiſpanis præcipuè conſulentibus, atque adnitentibus, [qui jam exortis propter Religionem in Belgio diſſidiis, iſta quoque ſuperadderę pertimuerunt.] in ipſam, Pontificem ſe trahi paſſum, vel invitum cenſemus; nàm quod hic egit, nulla tenùs rationi ei cohærere cognoſcitur, qua cum Hæreticis aliis ſe gerere conſuevit; cùm, videlicèt, vel latitantes in latebris, in quas ſe receperant, diligentiſſimè ubique inquiſivit, & ab ipſis prodire coegit; vel publica, ſeveraque juſtitia, vulgatis ubique eorum erroribus, ac nominibus, in ipſos animadvertit; ut potè qui compertum haberet, monſtra hujuſmodi, vel rarò, vel nunquàm lenitate manſueſcere conſueviſſe, & ideò vi omninò coercenda eſſe, & durè increpanda; & hæreſim, cancrum eſſe, cui, niſi ferro, & igne (omninò lenioribus remediis aliis poſthabitis) occurratur, *latiùs ſemper magis*, inquit Anſelmus) *& magis occupat, & devorat, ac maculat mentes, in quibus radicare cęperit, ſicut morbus, qui dicitu, cancer, latiùs ſemper occupat, conſędat, ac illam partem, in qua naſcitur, devorat; vel, ſicut piſcis, qui dicitur Cancer, qui non in unte, ſed retrò tendit*. Quod quidem, ſi unquàm aliàs, modò accidiſſe fatendum eſt, cùm hujuſmodi lenitate, qua æquè ac Pius, qui ei ſucceſſit, Gregorius uſi ſunt; nil aliud profectò effectum fuerit (præter ipſorum utique voluntatem, & contra ſpem) niſi ut latiùs perditiſſimorum errorum virus dilataretur, in malitia magis, magiſque eorum auctoribus obfirmatis. innumeriſque ab iiſdem præterea ipſorum pernicie corruptis: adeòut in immenſum ſuccreſcente flamma, tota penè Catholica Eccleſia conflagraſſe viſa ſit: undè uſurpari iure poſſe Jacobi illud cenſeatur: *Ecce quantus ignis, quàm magnam Sylvam incendit*. XXXII.

In 2. ad Timoth. cap. 2.

Jacob. 3. v. 5.

Eò magis idcircò, quòd è vivis ſublato, ut diximus, Joanne Haſſelio, altero errorum inventore, unus dumtaxat Bajus damnatarum ſententiarum, uti auctor, ſic aſſertor remanſerat; minùs ab eo (ut pote quem, quandocumque XXXV.

que

que vellent, in ſua poteſtate haberent) Hiſpani ſibi metuere potuerant: & Pius,conſueto zelo acriùs cohibere potuiſſet; ea cum illo comitate ſe geſſiſſe, minimè probandum videtur. Excuſationem aliquam nihilominùs promerentur, quòd res eis fuerit cum homine omnium vaferrimo, qui pietatis ſemper, ac Religionis obducta ſpecie, dùm intùs impietatem, ac hæreſes pervicaciſſimè fovit, foris Pontifici Maximo verbis obedientiam ſemper exhibuit: & ut ſupra, ex autentica relatione retulimus, *Prudentiam, pietatem, & humilitatem ſingularem prætulit*; licèt intùs omni malitia, & dolo ſic plenus eſſet, ut eam poteſtatem negaret, cui ſeſe ſubiicere mentiebatur. Qua quidem arte & aſſeclæ illius impunè inter Catholichos ſincerè Apoſtolicæ Sedi adhærentes, colluſione ea *primatis* in *primi*, ita verſantur; ut ubi alii, ob negatum hoc dogma, ab Eccleſiæ ſinu projecti ſunt; hi, quamvis eo crimine obnoxii, verbi ludificantis beneficio, peſtilentèr in ea permaneant.

XXXVI. Mirandum ideò non eſt, ſi Pius, ut potè ea charitate flagrans, quæ omnia ſperat, omnia ſuſtinet, facilè credidit fallacibus Baii verbis, putavitque, ad cor verè rediiſſe, vel rediturum ſperavit; ferendumque tandem exiſtimavit, quem verè correctum, converſumque cenſuit; ut pote qui ipſe etiam peccatoris mortem nollet, ſed magis ut converteretur, & viveret. Multò autem magis mirandum eſſe, non immeritò cenſebit Lector, alios, poſt Pium Pontifices Summos, ubi ab eodem Pio lenitatis medicinam morbo adhibitam nil prorsùs profeciſſe, tot experimentis didiciſſent, alteram, priorique oppoſitam adhibere non coraſſe; quamvis in deteriora ſemper ægrotum prolapſum cognoſcerent, & eò uſque prolapſum, ut juxta Prophetam, inſanabilis evaderet fractura ejus, peſſima plaga ejus fieret.

XXXVII. Verùm (ut innuimus) cùm improbam hanc hæreditatem [hypocriſis, videlicet, mendacii, ac falſitatis] à Bajo, & poſt Bajum à Janſenio, qui illos ſecuti ſunt, pleniſſimè acceperint, ac præ cunctis Hæreticis, qui unquàm fuerunt, dolis concinnandis, tergiverſationibus, ſimulationibus incubuerint; ita ut haud facilè à Catho-

A licis internoſci poſſent; hinc prudentem Summorum Patrumfamilias cautelam perſæpè proceſſiſſe putandum eſt, nè dum zizania colligerentur, unà cum eis eradicaretur & triticum. Noſtra tamen ætate, ſuperbia eorum, tùm numero, tùm viribus ſic crevit, ut meſſem præſtolari neceſſe non fuerit, ad ea in faſciculos aliganda, ut comburerentur igni; cui ipſimet, (cum nempè adeò inſolentèr ſe extulere, ac prodidere) jure ſeſe tradendos exhi-

B buerunt; uti re ipſa à Pontificibus Summis reiteratis vicibus, factum vidimus. Et nihilominùs, hoc ipſo tempore, ex eadem Secta innumeri penè ſunt, qui, in veſtibus ovium incedentes, intrinſecùs ſunt lupi rapaces; & haud raro, ſimulata ſpecie, veras Chriſti oves diripiunt: a qnibus ſanè inſidiatoribus occultis, majus periculum, quàm ab apertis hoſtibus Eccleſiæ Dei imminere, experimento docti dolemus; ut propterea, ex cor-

C de, & humiliter, Summi Dominici Gregis Paſtores exorandi cenſeantur, ut à talibus caveant; & eò magis, quò hi ad tantam demùm doloſam pervenerunt perfidiam, ut eos etiam acerbiſſimè impetere haud raro ſimulent, cum quibus eo ipſo tempore impiiſſima neceſſitudine juncti eſſe deprehenduntur: *Colligata eſt* (inquit Oſeas) *iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus*. Oſe XIII. 12.

XXXVIII.

D Cœterum Bullæ contra Bajum editæ executio, à Pio, ut diximus, Cardinali Granvellano demandata eſt; is autem eam ad Maximilianum Morillonium, Eccleſiæ Divi Petri Arienſis Præpoſitum, ſuumque in Eccleſia Mechlinienſi Generalem Vicarium tranſmiſit: qui illam, tùm omni Academiæ Lovanienſi, tùm ipſi Michaeli Bajo, ſub die vigeſima nona menſis Decembris hujuſmet anni denuncivit. Summa animi, in ſpeciem, ut innuimus,

E demiſſione, Apoſtolicæ ſeſe cenſuræ Bajus ſubjecit; at quo animo ſeſe verè ſubjecerit, quæ ſunt ſubſecuta patenter oſtendunt. Majori alacritate, ac reverentia Summi Pontificis mandata, toto Chriſtiano Orbe præclara, Academia Lovanienſis ſuſcepit, ut propterea meritò cenſendum videretur, abdicatis undequaque ſimultatibus, quæ inconditis illis ſententiis excitatæ fuerant, pacem, ac tranquillitatem

litatem deinceps in ea futuram. Sed quia in ipſa contumax, ac pervicax anathema perſtitit Bajus; ideò abſconditus potiùs eſt ignis, quàm extinctus; imò illum perpetuò foventibus, tùm Bajo eodem, tùm Sectatoribus ejus, in illud tandem incendium erupit, quod ſuis locis nobis dicendum erit.

XXXIX. Enim verò Pontificem minimè latuiſſe Morillonum, cui diximus, Conſtitutionis executionem, à Cardinali Gravellano fuiſſe demandatam; imò eximiam ipſius virtutem, ac Catholicæ Religionis zelum, optimè perſpectum habuiſſe; (undè ritè quoque putandum ſit, nonniſi Pio authore, id ei munus commiſſum fuiſſe) ex eo intelligi poſſe cognoſcitur, quòd cùm Pius in Belgium Surrentinum Archiepiſcopum (ut toties diximus) ſuum Nuncium miſit, ab ipſo Apoſtolicas quoque literas ad Morillonum deferri voluit.

XL. Magis verò, quàm Bajo, ac Bajanis, Pii lenitatem, ac clementiam, Hæreticis aliis, qui in Belgio morabantur, hoc ipſo tempore cenſendum eſt profuiſſe. Quâ autem ratione, ex Epiſtolis a Joanne Straſtmano, aliàs memorato, hoc anno, ad Cardinalem, Alexandrinum datis, intelliges; Eas, ex proprio originali exſcriptas, hìc integras damus, utpote quòd in ipſis nonnulla etiam habeantur, quæ ſuperiùs à nobis relata confirmant: ſuntque hujuſmodi.

Illuſtriſſime Domine, & Reverendiſſime in Chriſto Pater.

Nihil ſerium, aut particulare, quod tuæ Illuſtriſſimæ Dominationi ſcribam, in præſentiarum adeſt, præter quod, diligentiâ, ſapientia atque animi conſtantia Illuſtriſſimæ noſtræ Gubernatricis, Duciſſæ Parmenſis, & poſt devictos inimicos Crucis Chriſti, non procul à Civitate Tornacenſi, Fidei, ac Chriſtianæ Religioni, in noſtris regionibus, Dei, qui iraſcitur, & propitius eſt, & peccata hominum in tribulatione dimittit, inexauſta Clementia, meliorem habitura exitum ſperantur. Velut enim mare, ex turbido ſerenum, Cœlum, ex nubilo hilari aſpectu reſumitur, & in ſignum principatus clementiæ, Regem apum natura privavit aculeo; ſic multò ampliùs ipſe

A *formator rerum omnium, humanæ miſeriæ ſponte ſubivit aculeos, ut divinos, & juſtos humanitas evitaret, cum quibus, ſi quandoque eam pro demeritis percutit, non utique ambitioſa velut ultione, mortificat, ſed mortificat & vivificat; vulnerat, & medetur. Et quoniam quidem toti (proh dolor) jam conſtat mundo notorium, qualitèr, peccatis noſtris demerentibus, æquiſſimè à Deo derelicta noſtra Patria (præſertim à tempore, quo inſidiantes urſi, & tortuoſi ſerpentes pe-* B *ſtifera rabiei ſuæ venena ſpargere cœperunt) ab infectione lepræ hæreſeos, & in ſeipſa quàm incuratè marceſcens, in odium ſui ipſius infecta ciderit; ac quomodò populus, & commune, ſemper amans rerum novarum, vulgus, ab hæreticis quàm miſerè illuſus ſit. Quia tamèn (laus Deo in æternum) certa experientia cognoſcere incipimus, quamplurimos eſſe, qui ultrò fatentur, ſe infeliciſſimè illuſos, ab hæreticis falsò perſuaſos, atque ob id deſiderare ex cor-* C *de, omni hæreſi abjecta, velle reconciliari Eccleſiæ, Fidemque amplecti veram, & Chriſtianam: Ideò, ut miſerè decepti ab hæreticis, viri, ac mulieres, Senes, ac Juvenes, qua decet reverentia, atque ſanctitate, ad Dei gloriam, ipſorumque ſalutem, omnium peccatorum ac cenſurarum abſolutione percepta, proximum mereantur, ac valeant celebrare Paſcha Reſurrectionis Dominicæ; humillimè deprecor, ac ſupplex oro, nomine R. P. Provincialis no-*
D *ſtri, Provinciæ Germaniæ inferioris, ut veſtra Illuſtriſſima Dominatio impetrare dignetur à Sanctiſſimo Domino, pro communi ſalute animarum, quatenus ſua Sanctitas, cujus vices gerit in terris, clementiam imitando, vivæ vocis oraculo eidem noſtro Provinciali, & illis Fratribus ſuæ Provinciæ, quos ad hoc idoneos judicaverit, [è quorum numero ego unus cupio haberi, ſi ad hoc quoquomodò aptus judicatus fuero] concedat facultatem abſolvendi, in foro*
E *conſcientiæ dumtaxàt, reſipiſcentes quoſcumque hæreticos, & erimus obligati omnes, orare pro incolumitate V. Illuſtriſſimæ Dominationis, ac felici ſucceſſu Suæ Sanctitatis, cujus humillimè Sanctiſſimos exoſculor pedes.* Bruxellæ 6. Februarii 1567.

Veſtræ Illmæ Dominationis Rmæ
Fr. Joannes Straſtmanus
humilis Servus.

Nil

XLI. Nil erat, quod magis optaret Pius, quàm ut prævaricatores ad cor redirent, & ab hæreſi deperditæ oves ad Eccleſiæ ovile reverterentur: Nihilominùs ſic clementiæ temperanda officia exiſtimavit, ut tamen diſciplinæ vigorem omninò non ablegaret. Quapropter præfatis Dominicanorum Provinciali, ac Joanni Stractmano, quam petebant, hæreticos in foro conſcientiæ abſolvendi facultatem conceſſit; ea tamen appoſita conditione, ut qui abſolutionis beneficium obtinere voluiſſent, hæreſis complices fateri, aperireque tenerentur. Verùm eò, tunc in Belgio Religionis res perductas fuiſſe, ut ex exhibito á Pontifice optimo remedio, nil propè utilitatis ſperandum eſſet, (quòd ſalubre temperamentum æger quiſque, nec quidem ſummis labiis guſtaturus eſſet) Epiſtolam ad eundem Cardinalem Alexandrinum, ab ipſo Joanne Stractmano ſcripta declarat, eſtque hujuſmodi.

[Illuſtriſſime Domine, & Reyerendiſſime in Chriſto Pater.

Debito manuum oſtulo præmiſſo, tum humillima ſemper mei tommendatione nequeo V. Illuſtriſſimæ Dominationi ſufficientes referre gratias, quòd noſtro Reverendo Patri Provinciali, & mibi miſerit litentiam a Sanctiſſimo Domino Noſtro reconciliandi S. Matri Eccleſiæ Catbolicæ reſipiſcentes pettatores, ae eoſdem in foro conſcientiæ abſolvendi, ea tamen lege, ut conſcios, ac complices ſuos indicent: Quæ quidem conditionalis, (ſit quæſo dictum venia V. Illuſtriſſimæ Dominationis) ſi intelligitur, quòd indicent Judici ſæculari, aut nobis extrà confeſſionem, ut nos auc Iudici ſæculari, aut Inquiſitori bereticæ pravitatis indicemus, videtur factu difficillima, quia neminem, aut rariſſimum, ſcio certò, qui ad bot (ea eſt temporum calamitas) induti poterit. Nec etiam quælibet Civitates præſentem babent Inquiſitorem; imò nec ipſa Bruxella, *ubi Aula eſt Regia, ſed pauciſſimi Inquiſitores multis ac diverſis præſunt Civitatibus, & Oppidis. Addam & aliud verbum, confiſus de benignitate Veſtræ Illuſtriſſimæ Dominationis. Exiſtentibus rebus, ut nunc ſunt, in noſtris regionibus, bæt conditionalis non videtur, modo ſupradicto, obſervatu netesſaria; nàm in omnibus Civitatibus, Oppidis, ac Locis per totam noſtram Patriam [prob facinus indignum! ab audaciam atque præſumptionem inauditam, ac deteſtabilem) qui veram, atque Catbolitam oderunt Fidem, omni timore ſubluto, (etiam in noſtra Civitate Bruxellenſi, ubi non moditus bæretitorum fuis, & eſt numerus) non pudeat eos fateri ſe eſſe bujus farinæ bomines; imò ultrà minas, ac injurias, quibus Ettleſiaſticos proſequuti ſunt, ſe tales gloriati ſunt. Non itaque opus eſſe videtur, complices indicare, qui ſeipſos toti Mundo palàm fecerunt. Verùm, ſi ſuæ Sanctitati placeret, at conſultum videretur, contedere nobis licentiam abſolvendi bæreticos reſipiſcentes in foro conſcientiæ tantùm, eà lege ut nobis, quibus confitebuntur, aut Paſtoribus propriis ſecretò indicent ſuos complices, quatenùs per nos, aut per Paſtores poſſent reduei ad veram Catbolicam Fidem; non dubitarem, quin ea tonditio fatilitèr, & cum animarum fructu poſſet obſervari. Supplex itaque rogo V. Illuſtriſſimam Dominationem, ut bæc tum aliis, quæ modò referam, tompellente me ad bot propria conſeientia, in bonum (ut æſtimo) Reipublitæ noſtræ, ſuæ Sanctitati in animarum ſalutem referre, atque proponere dignetur.* Bruxellæ 6. Junii &c.]

Cùm verò, vel multiplicibus aliis (ut accidere iis ſolet, qui publicis muneribus defunguntur] diſtractuſque negotiis, Cardinalis Alexandrinus, his Stractmani literis reſpondere diſtuliſſet; vel Pontifex rem magis maturandam cenſeret, eam novis idcircò literis urgere Stractmanus idem decrevit; quæ ejuſmodi fuere.

(Illuſtriſſime Domine, & Reverendiſſime in Chriſto Pater.

Debito Saerarum manuum oſculo præmiſſo. Quamquàm, Illuſtriſſime Domine, pro comperto babeam V. I. D. magis arduis, at prægnantioribus otcupatam negotiis, quàm ut meis ſtriptis attendere poſſit; attamen movet me animarum zelus, urgetque ſecundò ſermonem facere. Elapſis itaque diebus, per literas V. J. D. maximas egi gratias, eò quòd miſiſſet precibus meis Reverendo Patri Provintiali, eiſqae, quos idoneos juditaret, at mibi licentiam Ex prop. Original.

A *tiant, à Sanctiſſimo Domino Noſtro, reconciliandi S. Matri Eccleſiæ reſipiſcentes hæreticos, ac eoſdem in foro conſcientiæ abſolvendi, ea lege, ut conſcios, & complices ſuos indicent. Sed quàm pauci adhuc ſint hæreticæ pravitatis Inquiſitores, quandoquidem etiam hæretici noſtræ Patriæ, omni timore ſublato, non fuere veriti profiteri, ſe eſſe hujus farinæ homines; qui verò ſe tales eſſe gloriati fuere, ſe ipſos toti Mundo palàm facientes; ideò ſupplex rogabam, ut modò rogo V. J. D. ut in* B *animarum ſalutem, ſuæ Sanctitati proponere dignetur, utrumnè ſufficeret ſecretò indicare nobis, quibus confitebuntur, ſuos complices, quatenùs per nos poſſent reduci ad veram Catholicam Fidem, aut ſi forent obſtinati, tunc denunciare oporteret iis, quibus ex officio incumbit, nè fœtentes hirci gregem Dominicum inficiant, quam humillimè deprecor V. J. D. ut, in conſolationem animarum, hæc ſuæ Sanctitati proponere dignetur, nè communis populus,* C *qui miſerè ab iſtis peſſimis hæreticis eſt ſeductus, pro quo Clementiſſimus Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuum pretioſiſſimum ſanguinem fudit, tanto beneficio ſacramentalis abſolutionis hæreat ſuſpenſus*. Bruxellæ 14. Septembris 1567.

XLIII. Ubi iſta plenè cognovit, ea ſtatim, quam appoſuerat, conditione ſubmota, ampliſſimam, quam petierant, abſolvendi hæreticos facultatem, Pium D Stractmano ac Sodalibus aliis Dominicanis conceſſiſſe, ac optimam prætereà normam præſcripſiſſe, qua cum hæreticis ſeſe gerere debuiſſent, ejuſdem Stractmani, quæ ſequuntur, literæ oſtendunt.

(Reverendiſſime atque Illuſtiſſime Domine.

Ex Originali. *DEbito &c. Quantum in dies magis, magiſque, ob innumera beneficia, à divina bonitate ſuſcepta, ſim obliga-* E *tus, Deoque debitor; infelix eſſem, niſi, ipſo dante, cognoſcerem, ac conarer, pro viribus, bonis operibus, ipſius ſancto auxilio, coràm ſua divina Majeſtate gratus inveniri; quod ut faciam, continuò, cum efficacia ſupplex orò Deum noſtrum, cujus largifluæ bonitati placuit, inter varia, & infinitæ beneficia, ut, medio Illuſtriſſimæ Veſtræ Dominationis, legerentur meæ literæ coràm Sanctiſſimo Domino noſtro, à cujus Sanctitate, tamquàm è Chriſti Vicario, dimanavit verbum veritatis, moduſque, quem obſervare debemus, in abſolvendis hæreticis, quorum (proh dolor!) magnus apud nos reperitur numerus: prout clariſſimè patet ex literis V. Illuſtriſſimæ Dominationis, quas ſummo cum gaudio, & cum debita reverentia recepi 22. Novembris. Etenim veriſſima, atque ſanctiſſima hæc ſuæ Sanctitatis declaratio, & me plurimùm, & omnes timoratas conſcientias conſolabitur; Quam gratiam nobis à Sanctiſſimo Noſtro, eo modo nobis gratiosè conceſſam, ut dignè, ad Dei gloriam, animarumque ſalutem, valeam exequi, atque meæ orationes, pro hoc ſtatu turbulento, coràm Deo ſint acceptæ, ſupplex genibus provolutus, ex intimo corde, & cum magna reverentia, ac devotione cupio, Sanctiſſimi Domini noſtri ſuſcipere ſanctam Benedictionem; confiſus, quòd, iſta mediante, mihi Dominus Deus gratiam præſtabit faciendi quæ ei placita ſunt ſemper*. Bruxellæ 25. Novembris. 1567.

Æquali autèm, vel Fidei, vel animarum zelo, ac Stractmanus, in Belgio pleroſque Religioſos, atque Eccleſiaſticos alios viros ſe non geſſiſſe, utpotè qui, diſciplina penè omni abjecta, deliciis, ac hujus ſæculi voluptatibus, hoc tempore ſe tantùm dicaſſe videbantur; undè, juſto Dei Judicio, factum ſit, ut ſine ullo prosùs delectu, ab hæreticis in ipſos, præ aliis, ſævitum fuerit; quæ inferiùs ſuis locis dicenda erunt, manifeſtè monſtrabunt. XLIV.

Dùm hæc in Belgio agebantur; I.
hæreſumque, vel fautores, vel auctores, temporalibus, ac ſpiritualibus armis, Hiſpaniarum Rex, ac Pontifex inſequebantur; eorum periculo proximè adjacentes Galliarum Sectarii commoniti, ſibi ipſis metuentes, non tàm Chriſtianiſſimi Regis iram avertere, vel abs ſe propulſare, quàm ipſum etiam ultrò laceſſere, ac primi impetere, temerario conatu auſi ſunt. Sententia ſiquidem illa, in quam uterque Rex, ut præterito anno diximus, deſcenderat, vires ſeſe invicem miniſtrandi, ut communes hoſtes attererent; ſic latere eos minimè potuit, ut malum aliquid in ſe meditari, ſalten

tem non ſuſpicarentur ; quapropter ſi-
mulata , & occulta fortè in ſe conſtru-
cta damna , publico , & aperto facinore
deturbanda cenſuere .

II. Menſe Septembri hujus anni Rex,
ac Regina , Moncelli , haud longè à
Meldis Bononiæ Urbe , morabantur ,
ubi Solemnitatem S.Michaelis Archan-
geli , cum ejus Ordinis Militibus , ex
more cœterorum Francorum Regum
celebrare ſtatuerant . Optimam hanc
occaſionem Sectarii , tùm Catholico-
rum præcipuos , tùm univerſam Rega-
lem domum perdendi nactam exiſti-
marunt : ideòque qui inter eos primas
obtinebant, Condæus & Admiralius ,
Rozeum , parvum ejuſdem Provinciæ
oppidum convenire præceperant ſuo-
rum equites; cùm interim peditum co-
piæ præſtò eſſe tota fere Gallia juberen-
tur . Ex improviſo , quingentorum
equitum numero , aut Regem capere ,
aut interclusum obſidere ſtatuerant ,
& ex ſententia eveniſſet , ni conſpira-
tionis pluriès admonita Regina , tan-
dem fuga , Regi , ſibi , ac reliquis filiis
conſuluiſſet , primò Meldas , deindè
Lutetiam uſque noctu progreſſa .

III. Nullatenùs autem hoſtium manus
evaſiſſent , ſi ſex millia Helvetiorum ,
qui recens (tuendi , ab Albani Ducis
exercitu in Belgium traiiciente, Regni
confines, prætextu) conſcripti, eâdem
ferè horâ ad locum , ubi Regia Domus
morabatur , pervenerant , auxilio non
adfuiſſent . Hi enim è veſtigio fugien-
tem Meldas Regem ſubſequentes , cùm
Condæus, mane facto , ipſius fugam co-
gnoviſſet , eumque aggredi contende-
ret ; acie inſtructa , paſſiſque vexillis
procedentes , omnes illius conatus irri-
tos reddidere ; ita ut , vel eorum ge-
neroſitate perterritus , eos laceſſere au-
ſus non fuerit ; vel , quòd eò, expecta-
tæ Sectariorum ſuppetiæ non perveniſ-
ſent , ſe illis , viribus imparem agno-
ſcens , niſi per ſummam temeritatem ,
eos tandèm impetere poſſe intelle-
xerit .

IV. Sic dilapſum Regem , ac Lutetiæ
ſe receptum nullatenùs inſequi tamen
rebelles deſtitere ; idcircò eamdem
Urbem obſidere ſtatuentes , cunctis
circa eam locis occupatis , commeati-
buſque præcluſis , ad Sandioniſium ,
duabus tantùm gallicis leucis è Lute-
tia diſtans Oppidum, caſtrametati ſunt.
Ad eos tamèn, ſuadente Regina, (quæ
donec majores copias contraheret , Se-
ctariorum injuriam diſſimulandam du-
xit ,) Rex miſit , qui ad pacem hor-
tarentur . Sed , cùm à rebellibus,
acerbioribus , ac elatis reſponſis , nil
aliud , quàm majorem retuliſſet inju-
riam ; indignatus , fecialem , liliato pa-
ludamento armatum, ipſos adire juſſit,
ſuoque regio nomine obteſtari voluit ,
ut arma deponerent , ac coràm legiti-
mo ſuo judicio ſe ſiſterent . Verùm ,
A uti nec benignitate illecti , ita etiam
nec minis perterriti , ulla unquàm ra-
tione , ad defectionem cunctis ipſorum
ſtudiis converſis, ad ea quæ pacis erant
adduci potuerunt .

Armis igitur , ac vi rebelles Rex V.
plectere decrevit , ac eorum pervica-
ciam infringere ; ideòque Comeſtabi-
lem Memorantium , Ducem exercitus
(quem tribus millibus equitum, & ſex-
decim peditum conſtitiſſe dicunt ,)
aciem contra Condæum, & Admira-
B lium admovere imperavit . Non am-
pliùs , quàm mille quingentos equites,
& mille ducentos pedites , apud San-
dioniſium ipſi habuiſſe dicuntur . In
pervigilio igitur S. Martini , præcipui
Galliarum Regni Patroni , regiis co-
piis Hæreticorum exercitum aggre-
dientibus,magnum commiſſum eſt præ-
lium , in quo , licèt plurimi ex utraque
parte corruerint , & inter Catholicos
totius exercitus Dux Comeſtabilis,qui,
licèt octogenarius, ſtrenuè decertavit,
C ac poſtridie eſt defunctus; nihilomi-
nùs hi victores evaſere . Magnis , ju-
re , meritòque laudibus Scriptores
eumdem Comeſtabilem celebrant ,
quòd pro Religionis Catholicæ, & avi-
tæ , cujus ſemper obſervantiſſimum ſe
præbuerat defenſorem ; pro Regis ſui,
ac patriæ , quorum nominis , & ſalutis
nunquàm non ſtudioſiſſimus fuerat,tui-
tione ; adversùs âffines , & conſangui-
neos ſuos , religionis deſertores , Regi
rebelles , patriæ hoſtes , in oculis Re-
D gis ac patriæ , victor clariſſimus , mor-
tem oppetierit . Sed illud inter hæc in
primis memorandum nihilominùs vi-
detur , quod refert De Avila : [*Mor-
tuus eſt* (inquiens) *abſque ulla prorsùs
mentis perturbatione , eximiamque ani-
mi conſtantiam, ac firmitatem exhibens ;
ita ut , cùm ei , in quo jacebat , cubili ,
Religioſus quidam acceſſiſſet , ut eum
hortaretur ad mortem , piè , libenter-
que ſuſcipiendam ; ad ipſum ſereno ,*

tranquilloque vultu converſus, vehementer deprecatus fuerit, nè ſibi moleſtus exiſteret: [*Nimis enim* (inquit) *pudendum eſſet, octoginta annorum ſpatio laudabilem vitam vivere didiciſſe, ac deindè unius horæ quadranti mori ignoraſſe*.]

VI. Poſt Comeſtabilis mortem, Regii exercitus Dux, frater Regis, ſexdecim tantummodò annos natus, & Andegavenſium Dux renunciatur, totoque Regno Legatus creatur. Aumalius verò ad fines Germaniæ mittitur, ut hinc tria millia equitum, à Joanne Guilelmo, Saxoniæ Duce, & Carolo Marchione Badenſi, Regis nomine, Lanſaci ſollicitatione, conſcriptorum adduceret, ac, ſi valeret, adverſariorum copias, ex eadem regione, ſub Duce Joanne Caſimiro, Friderici Electoris Palatini filio, venientes prohiberet: quod ut fieret, ſummoperè curavit etiam Pontifex, qui hac de cauſa, & Nuncium, & literas ad Lotharingiæ Ducem, ut ex epiſtolis inferiùs ponendis conſtat, catholicæ Religionis zelo plenas, dedit. Verùm, cùm, poſt Sandionyſianum certamèn, à quotidiè confluentibus ad Regium exercitum novis auxiliis, Hæretici non leve ſibi obſidionis periculum imminere animadvertiſſent; vel ſaltem, nè cum præfatis copiis Palatini conjungi impedirentur: relicto loco, in quo eòuſque conſtiterant, obviam Germanis in Lotharingiam proceſſerunt. Hac tamèn ratione, nec eis ſe jungere potuiſſent, nec pericula in hoſtium manus incidendi evaſiſſent, ni ea quorumdam Conſiliariorum Ducis Andegavenſis conſilia avertiſſent; hujus enim exercitui cùm acceſſiſſet, miſſus ex Belgio ab Albano Duce, Joannes Lignius Barbanſonus, Arembergii Comes, præcipui nominis Dux cum mille quingentis equitibus, optimè inſtructis, & delecto comitatu, ac duobus tribuſvè peditum millibus; tot viribus, & inſequi, ac penitùs ferè deleri poſſe Admiralius, ac Condæus videbantur. Et quidem hæc erat Andegavenſis mens, qui quamcelerrimè inſequutus eſt eos, ut debiles, & ex longo itinere defatigatos, aggrederetur; verùm dum ſcrupuloſè nimis acies ad pugnam inſtruuntur, ac callidè certamen differtur; hoſtes fuga arrepta, in tutiora loca ſe recepere. Per ejuſdem Condæi ſocrum, ab Aula Regia

A miſſam, actum cum eo fuiſſe de pace ineunda, ferè eodem tempore, ſcribit De Avila; tamen ex induſtria factum id ipſemet aſſerit, ut faciliùs à ſupervenienti Andegavenſis exercitu Condæus ipſe deprehenderetur; neque enim hoc anno inter rebelles, ac Regem res compoſitæ fuerunt, ut plurimi, alioquin fide digni, Scriptores, exiſtimarunt, ſed ſequenti.

Quæ autem, & quanta fuerint ſcelera, ab Hæreticis, hujus belli occaſione, cunctis in Locis, Oppidis, ac præcipuis etiam Urbibus, quas armis, vel dolo ſubegerunt, hoc anno patrata; paucis complexi ſunt Natalis Comes, ac Michael ab Hiſſelt [*Sævitum eſt* (inquit is) *in omne genus hominum, ac rerum ſacrarum, idque non ſolùm in Turonibus, ſed, & Lugduni, Aureliæ, & per omnem Pictonum regionem: fuerunt enim everſa, brevi tempore, ſoloque æquata, plura ſexcentis Cænobiis, ſuccenſa non pauca: inſolentia, impietaſque, qua uſi ſunt in Sacratiſſimam Euchariſtiam, nullo eſt unquàm audita ſæculo. Non modò aurea prætioſaque ſupellectilia Templorum direpta, ſed totæ urbes, ferro, ignique vaſtatæ. Multa millia nummuum ſeditiosè à populis extorta, Urbes Caſtellaque mœnibus nudata, aut, impoſitis diuturnis præſidiis, vexata, cives expulſi, aut in conſpectu uxorum, filiorumque miſerè jugulati, agri hoſtiliter devaſtati, coloni per ludibrium necati; ad quinque millia Sacerdotum, Eccleſiaſticorumque hominum, variis locis interfecta*.] Sic ille: Et hæc quidem talia, ac tanta Hæreticorum impiiſſima ſcelera, pravam eorumdem mentem abundè ſatis manifeſtarunt: neque enim ulla rationabilis cauſa prætendi valet, qua hujuſmodi, contra Deum, Regem, Religionem, ac univerſum Regnum, diabolica, ac feralis conjuratio excuſari potuerit, ut nonnullos contendere non puduit.

VII. *Ab Hiſſelt pag. 122. Natal. Com. Hiſt. ut ſupra.*

Goulier. Hiſt. Calvinian. lib. 2. pag. 85.

VIII. Regina intereà, de inſidiis ſibi, ac Regi inſtructis, Romam miſſo Annibale Auricellario, Pontificem admonuerat, enixè eum deprecans, ut in tali, ac tanta neceſſitate, tùm Regiæ Majeſtatis, tùm Catholicæ Religionis periculo occurreret. Verbis promi non poteſt, quàm eo Nuncio conſternatus, quàm anxio Pius fuerit timore correptus; illud, in primis, dolens, ex

ex nimia, quam toties redarguerat A cum Hæreticis comitate, extrema hæc mala derivaſſe. Zelo ſuccenſus manu ſua igitur ad eos Reges ſcripſit, haud diutiùs cum Hæreticis diſſimulandum; ſed potiùs tàm immane ſcelus armis vindicandum, ſeque ob id pecunias, & milites ſuppeditaturum; moxque ad Ludovicum Gonzagam Niverni Ducem, qui in Italiæ finibus morabatur, ut auxilio Regi eſſet quamprimùm, has literas dedit.

[Dilecto Filio, nobili Viro.
Ludovico Gonzagæ,
Duci Nivernenſi.

Dilecte Fili, nobilis vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Evaſiſſe Chriſtianiſſimum Regem impias hæreticorum manus maximoperè lætamur, & Deo, qui in tanto eum periculo protexit, gratias agimus. Te verò, quòd ad ferendum ei auxilium adjungaris, maxima laude proſequimur, C *& , ut quantam maximam potes celeritatem adhibeas, hortamur. Quòd hortatus es Nos, ad eum, tàm neceſſario tempore, pecunia juvandum, ſcito veniſſe ad Nos, ab ipſo Rege nuncium, cui eadem de re nobiſcum agenti polliciti ſumus, Nos Regi minimè defuturos,* dummodò Religionis cauſa ſeriò agatur, non, ut ante hoc tempus, acta fuit. *Sed cùm pecuniæ facultatem in præſentia non habeamus, quia quidquid habuimus abſumpſimus, juvando Imperatorem Electum, illo graviſſimo bello Tur-* D *carum, & Scotiæ Reginam, & S. Joannis Milites, ad Inſulam Melitam muniendam, multiſque aliis prætereà neceſſariis ſumptibus: cogimur aliquod onus populis noſtris, & S. R. E. ditionis imponere, omninò contra voluntatem, & inſtitutum noſtrum. Sed, quod ob noſtras ipſorum, & domus noſtræ neceſſitates, ut faceremus, in animum inducere non potuiſſemus; ſtatuimus id Majeſtatis ſuæ cauſa facere. Sed ut no-* E *ſtra pecunia hac via non ita citò expediri poteſt, tamen rationem inibimus, ejus quamcelerrimè fieri poterit exigendæ, & neceſſitati Regis, vel pecuniæ, vel militum auxilio, prout magis expedire viſum fuerit, etiam ſupra vires noſtras ſubveniemus. Superiores literæ tuæ, quas dilectus filius Adrianus Bollionus Nobis reddiderat, ſignificationem magnam habuerunt tuæ erga Nos, & hanc ſanctam Sedem obſervantiæ. Libenter ea quoque, quæ tuo ipſe nomine expoſuit audivimus. Gratum Nobis tale officium tuum fuit, perindè ac debuit: Planè oſtendis te, in hac Sancta Sede colenda, imitatorem eſſe majorum tuorum, ſicut ſemper de te ſenſimus. Nos quoque ea erga te voluntate ſumus, qua, ut ſimus, & virtus, pietas, & nobilitas tua meretur: ipſum quoque Adrianum, tua cauſa, liben-* B *tiùs vidimus.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Octobris 1567. Pontificatus noſtri ann. 2.]

Ideò verò ad Gonzagam ſcripſit Pius, ſe Regi opitulaturum, *dummodò cauſa Religionis ſeriò ageretur, & non ut anteà actum fuerat*: quòd Reginæ ſtudia, (quibus confiſa, Regi, ac Regno optimè ſe poſſe conſulere exiſtimabat; cum ſimulationibus videlicèt, lenitate, ut pluriès diximus, ac clementia potiùs, quàm armis Hæreticos ad debitam Regi obedientiam red.gendos, cenſebat) minimè approbaret. Perfecto ſiquidem odio, (ut habetur ex aliàs memorato Chiſiano codice) oderat ipſe Statiſtarum induſtrias; eo vocabulo eos indicans, qui humanæ tantùm, ac propriæ in rebus agendis prudentiæ inniti, juxtà ejuſdem regulas quælibet ſibi facienda præponerent, neque in Deo, uti debuiſſent, idcircò ſperantes, quæ juxta Deum ritè erant agenda, debitæ executioni demandabant; ac ſi ad Deum nulla humanarum rerum cura pertineret, & ad illum, qui dixit [*Per me Reges regnant*] Proverb. VIII. v. 15. nulla pars regiminis prorsùs ſpectaret. Et idcircò artium hujuſmodi infelicem, infauſtumque exitum prævidens, eà dumtaxàt conditione, quantam poſſet maximam pecuniarum vim, ubi Rex, ac Regina ſeriùs, quàm anteà, rem curare voluiſſent, ſe præſtiturum promiſit. IX.

Ad ipſum autem Niverni Ducem viginti millia nummorum aureorum in Italicos milites, è Subalpina regione collectos, impendenda, mox miſiſſe, tradit cum aliis Gabutius; eamdemque ſummam in ſingulos menſes, gallico bello gerendo, ſtatuiſſe ſcribunt; & inſuper redeunti in Galliam Caroli Cardinalis à Lotharingia nuncio, hoc tempore ad ſe miſſo, pecuniæ X.

cuniæ ſummam alteram tradidiſſe; ex inferiùs ponendis ejuſdem Pii Epiſtolis apparebit. Ut autem hos, & alios, de quibus infrà, ſupra vires ſumptus perferre poſſet, undequaque pecuniam cogere ſtuduit, impoſuitque, non (ut Catena, & Comes narrant) 100. ſed plus 200. m. nummum S. R. E. ſubditis omnibus tributum, quod charitativum appellavit: ubique, qui illud exigerent, Collectoribus inſtitutis, ad quos hæc, quæ ſequuntur, mandata dediſſe reperimus.

[Dilecto filio Magiſtro Monti Valenti, Sedis Apoſtolicæ Notario, & Provinciæ noſtræ Romandiolæ Præſidi.

Dilecte Fili &c.

Ex Archiv. Vatic.

ETſi ſtatueramus ab initio Pontificatus, nullis extraordinariis oneribus gravare populos, Nobis, & S. R. E. ſubiectos: tamen coacti fuimus, non ſine magna certè animi moleſtia, ac multis, & neceſſariis de cauſis, ab inſtituto noſtro, hoc tempore recedere. Cùm igitur de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardd. conſilio, & aſſenſu, & ex certa ſcientia, ac de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine impoſuerimus ſubſidium quartæ partis unius ducati de Camera, in ſingulos centum ducatos, ab eis, quorum bona ſtabilia patrimonialium valorem quingentorum ducatorum ſimilium nan excedant; dimidii vero ducati, in ſingulos centum ducatos, ab illis, quorum bona patrimonialia eam ſummam excedunt, Nobis, & Sedi Apoſtolicæ immediatè, mediatevè ſubiectis, tàm Baronibus, Domicellis, & Dominis, quàm aliis utriuſque ſexus perſonis, quocumque illi titulo talia bona poſſideant, exigendum: cujus impoſitionis modum idcircò potiſſimùm eligimus, quia non plùs eo onerantur pauperes, quàm divites. Nos fidem, induſtriam, & diligentiam tuam ſpectatam habentes: Te in Civitatibus, Oppidis, Caſtellis & Locis Provinciæ noſtræ Romandiolæ, cui præes, ipſius ſubſidii, juxta formam, quam diximus, exigendi, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, Collectorem, exactorem, ac receptorem generalem conſtituimus, & deputamus; mandantes, ut in ſingulis iſtius Provinciæ Civitatibus, Oppidis,

A *& Locis, certam, prout tibi viſum fuerit, diem, certumque locum, omnibus talium bonorum poſſeſſoribus, per te, vel per deputatos abs te, conſtituas; intrà quam diem, & quo loco profiteri, ac denunciare tibi, vel ipſis abs te deputatis ſingula ſua bona ſtabilia patrimonialia, & verum eorum valorem exprimere debeant: tibi, per te, vel alios deputandos, ipſius ſubſidii petendi, colligendi, recipiendi, & exigendi, in loco, & terminis abs te, vel ab iis, quos ipſe*
B *deputaveris, ſtatuendis, ac de receptis, & exactis, quietantiá abſolvendi, & liberandi: Nec non contradictores, & rebelles, & ſubſidium ſolvere recuſantes, aut ultrà ſtatutam diem differentes, ad id ſolvendum, per Excommunicationis latæ ſententiæ, & alias Eccleſiaſticas Cenſuras, & pœnas, etiam pecuniarias, arbitrio tuo moderandas, etiam per ſequeſtrationem fructuum, & alia opportuna juris, & facti remedia, etiam manu regia compeſcendi, co-*
C *gendi, & compellendi; ita ut, ſi intra diem ſibi præſtitutam, bona ſua integrè denunciare neglexerint, ipſo Jure, ea quæ occultaverint ad Cameram Apoſtolicam devoluta eſſe cenſeantur. Sin autem verum eorum valorem in denunciando non expreſſerint, tunc liberum ſit Cameræ Apoſtolicæ tantam pecuniam ipſis poſſeſſoribus, ſolùm pro bonis, quorum verus valor non expreſſus fuerit, quanta ipſi poſſeſſores ea bona in denunciando extimaverint; & præter valo-*
D *rem expreſſum, ducentis etiam ducatis ſolutis tibi, ipſa bona, quandocumque volueris, applicare. Atque ad præmiſſa omnia, & ſingula brachii ſæcularis auxilium invocandi, nec non eos, qui donec id ſubſidium exiges, ad cor reverſi, de iis quæ tenebantur debitè ſatisfecerint, à Cenſuris, & pœnis, in quas propterea incurrerint, abſolvendi. Quaſcumque præterea perſonas, quas tibi viſum fuerit, ad præmiſſa omnia, & ſingula, in toto, vel in parte pera-*
E *genda, loco tuî deputandas, & cum æquali, vel limitata poteſtate, ſubſtituendi, & quotieſcumque expedire cognoveris, eas amovendi, & alias in earum locum ſubrogandi, aliaque omnia in præmiſſis, & circa ea, neceſſaria, vel quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi, plenam, & liberam authoritatem dantes, & concedentes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinatio-*

nationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis &c. A

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, 28. Novembris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.]

XI. In Vaticano Regeſto ad eumdem Valentem; ejuſdem argumenti extat quoque alia Epiſtola; & inſuper eodem modo ſcriptum habetur, ad Joannem Baptiſtam Bracellum, pro Campania maritima, Latio, & Sabina. Ad Vincentium Porticum, pro Civitatibus Ancona, Fano, Firmo, Aſculo, & B Camerini Ducatu. Ad Alexandrum Pallenterium, pro Marchia Anconitana. Ad Carolum, Montisfaliſci Epiſcopum, pro Patrimonii & Umbriæ Provinciis, ac pro Civitate Peruſina, & Spoletano Ducatu. Hos ſiquidem omnes, ac ſingulos præfati ſubſidii à ſe impoſiti, in regionibus illis, Apoſtolicos ſuos Pius conſtituit Collectores.

XII. Hac occaſione ſummis laudibus à Pio ipſo pietas Senatus, Populique C Romani meruit commendari, qui, ut Catena, ac Natalis Comes referunt, centum millia nummûm aureorum, ad belli ſubſidium, prompto alacrique animo promiſerunt. Verùm, inquit Comes,] *ut exigerentur, quæ promiſſa fuerant Pontifici, ſingulis vaſis vini Romani tributum imponunt aureum nummum. Illud, ubi cognoviſſet Pontifex, in ſolos pauperes redundare: (nam vinum Romanum ſoli pauperes bibunt) non paſſus eſt, ut parum lauda-* D *bile: cum diceret, Principem oportere pauperum curam præcipuè ſuſcipere, ut debilioris partis Urbis, maximèque auxilii communis Patris indigentis.*] Hæc Comes.

Caten. Vit. Pii pag. 79. Natal. Com. Hiſt. lib. 18. pag. 397.

XIII. Romanorum tamen exemplo uſus eſt Pius, ut, quos fortè impoſiti præfati ſubſidii onus ægrè, privilegiorum obtentu, ſubituros Bononienſes putavit, ad ipſum cum Subditis aliis perſolvendum, faciliùs illos incitaret; quod quidem ex epiſtola, ab eodem Pio, ad E Petrum Donatum Cæſium Narnienſem Epiſcopum, quem illùc miſit, ſuumque in ea Civitate, ipſius tributi conſtituit Collectorem, manifeſtè intelligitur; nam hujuſmodi fuit.

[Ven. Fratri, Petro Donato, Epiſcopo Narnienſi.

PIUS PP. V.

Ven. Frater &c.

Cùm, propter maximas, & graviſſimas Apoſtolicæ Sedis, & Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitates, coacti fuerimus, contra voluntatem, & Pontificatus noſtri inſtitutum, de Ven. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, indicere noſtris, & S. R. E. Subjectis ſubſidium quartæ partis, & dimidiæ unius ducati de Camera, in ſingulos, centum ducatos hujuſmodi, juxtà æſtimationem bonorum ſtabilium patrimonialium, exigendum; fecit Dilectus Filius noſter Populus Romanus rem, ſanè præclaram, & ſe, & ſua erga Nos, & Sanctam Sedem Apoſtolicam, fide, pietate, & devotione valdè dignam. Etenim ſimul ac deſiderium noſtrum cognovit, Nobis centum millium aureorum ſubſidium ſponte ſua obtulit, cujus exemplum, reliquas ditionis noſtræ, & S. R. E. Civitates, ut imitari velint, ſicuti ſperare poſſe videmur, benevolè hortandas eſſe duximus. Itaque Fraternitatis tuæ compertam habentes fidem, integritatem, & in rebus gerendis dexteritatem: in Civitate noſtra Bononia, ejuſque diſtrictu, ipſius ſubſidii exigendi cauſa, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Commiſſarium, & Collectorem generalem conſtituimus, & deputavimus. Mandamus autem, ut Dilectis Filiis XXXX. Viris, & Communitati ejus Civitatis, tàm laudabile exemplum imitandum proponens, ſi paratos eos, uti ſperamus, ad ſubveniendum Nobis repereris, prout neceſſitates noſtræ requirunt, ac poſtulant, quam illam Civitatem, cum Populo Romano proportione, & rata ſua ſolvere convenit; nihil, niſi benevolè, & benignè agas. At, ſi qui, quod non putamus, difficiliores, & contumaciores fuerint, quos, neque tàm grave Sedis Apoſtolicæ, & Chriſtianæ Reipublicæ tempus, nec paterna noſtra erga Subditos noſtros voluntas, nec Populi Romani exemplum moveat: iis illicò edi abs te volumus alteras literas noſtras, ſub annulo Piſcatoris, ſuper ipſius exactione ſubſidii tibi datas, & juxta earum formam, ſubſidium

ſidium exigi; ſublata, poſtquàm id exigere cœperis, tranſigendi, & paciſcendi, ſine expreſſo conſenſu noſtro, facultate quacumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Novembris 1567. Pont. anno 2.]

XIV. Quas in his Pius memorat Epiſtolas alteras, in Vaticano Regeſto, ex quo hæc, ut diximus, accepimus, minimè reperire potuimus. At nec eas Senatui Bononienſi Narnienſem Epiſcopum exhibere fuiſſe coactum, ſuaſerat inprimis ſumma præclaræ illius Civitatis, erga Apoſtolicam Sedem, & Pium ipſum, veneratio, ac obſequium; at in hac ſententia omninò confirmavit, reperiſſe deindè, ſtatim Pontificis monitis, ac hortationibus ultrò acquieviſſe, ac ad ſexaginta millia nummûm in gallicanum bellum ſubminiſtraſſe.

XV. Ut autem, cùm onera gravia hæc ſuper humores Laicorum hominum Pius alligabat, Religioſi viri, quam potuiſſent, ipſi quoque ſarcinæ partem ferrent; edito, haud multò poſt, diplomate Apoſtolico, eos omnes, tàm videlicet Monachos, quàm Mendicantes, ad ſolutionem ſubſidii ejuſdem adegit. Illud ſic ſe habuiſſe reperimus.

[PIUS PP. V.

Ad futuram Rei memoriam.

Statutum quidem Nobis ac decretum jam inde ab initio Pontificatus fuerat, nullum, ſi fieri poſſet in Pontificatu noſtro onus, nec noſtris, & S. R. E. Subditis ſæcularibus, neque Eccleſiaſticis perſonis imponere, nulliſque eos extraordinariis exactionibus gravare. Verùm eas neceſſitates extitiſſe dolemus, tantaque pericula imminere, ut, niſi aliquo ſubſidio juvemur, officio noſtro minimè ſatisfacere poſſimus; nàm humani generis hoſtis, ſicut ubique vulgatum eſſe jam credimus, tot repentè, tantoſque tumultus in nobiliſſimo Francorum Regno, per miniſtros, & ſatellites ſuos, Hæreticos, excitavit, ut non ſine gemitu, & horrore referri poſſint crudelia, nefanda, impia, ac deteſtanda facinora, quæ in omnibus ferè partibus illis, in quibus plus ipſi Hæretici, quàm Catholici poſ- A *ſunt, perpetrata fuerunt, & aſſiduè perpetrantur; tanta illos invaſit rabies diripiendi Eccleſiaſticorum bona, profanandi, ac diruendi Sanctiſſimas Eccleſias, & Monaſteria, effundendi Eccleſiaſticarum perſonarum ſanguinem, per inaudita ſuppliciorum genera. Ex hoc autem, tàm propinquo incendio, nemo eſt qui non cernat, quantum Italiæ quoque periculum immineat: in quibus tantis illius Regni inclyti, & de Religione Chriſtiana, ſanctaque Se-* B *de optimè meriti, calamitatibus, tantoque, & tàm manifeſto Catholicæ Religionis diſcrimine, Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Francorum Regi Chiſtianiſſimo, auxilium noſtrum imploranti, & Religioni ſimul cum eo Catholicæ, pro qua ſanguinem etiam profundere parati eſſemus, deeſſe nequaquàm poſſumus, nec debemus. Auxilio verò, & defenſione noſtra etiam maximè indigere res noſtras, & S. R. E. peculiares, Avenionis Civitas, & Co-* C *mitatus Venaſſinus, Apoſtolicæ Sedis maximè fideles, in hoc univerſo Galliæ tumultu in maximo verſantes diſcrimine, ad eam Civitatem, & Comitatum occupandi, maximè inhiantibus Hæreticis. Jam verò auditum eſſe credimus, quantum periculi à novo Turcarum Tyranno, Chriſtiani nominis hoſte immaniſſimo impendeat; quem conſtat multò majorem, quàm quiſquam unquàm majorum ſuorum habuerit, claſſem, & cæteras res ad bellum maritimum ne-* D *ceſſarias, ſumma diligentia, ac ſtudio comparare, eo conſilio, ut in ſequenti anno Italiam, ſicuti crebrò minari dicitur, invadat; ad cujus tàm potentis hoſtis impetus propulſandos, munire neceſſè eſt, & validis firmare præſidiis, Oppida noſtra maritima, non ſine maximis ſumptibus. His tot, & tàm gravibus neceſſariiſque de cauſis, cùm de Ven. Fratrum, noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, ſubſidium ſæcularibus hominibus, Nobis, &* E *Apoſtalicæ Sedi immediatè, mediatèvè ſubjectis, pro modo bonorum ſtabilium patrimonialium, tàm in hac alma Urbe, quàm in reliquis omnibus Civitatibus, Oppidis, Vicis, & Locis S. R. E. ditionis, nuper impoſuerimus: æquiſſimum eſſe cenſuimus, à Religioſis quoque perſonis aliquod ſubſidium exigi, ut tot, & tàm neceſſarias impenſas facere poſſimus. Quocircà proprio motu, & ex*

& ex certa ſcientia noſtra , ac de A *Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine , univerſis , ac ſingulis Monaſteriis , intra Italiam conſtitutis , Ordinum , & Congregationum , Caſſinenſis , Carthuſienſis , Lateranenſis , Montis Oliveti , S. Georgis in Aiga Maris , Cæleſtinorum , Ciſtercienſis in Longobardia , S. Hieronymi , Cruciferorum , & Silveſtrinorum , alterum tantum , quantum ſubſidii nomine , quotannis , Cameræ Apoſtolicæ ſolvere conſueverunt , pro hac dumtaxat vice ſolvendum ; &* B *ſi qua dictarum Congregationum ſolvere tale ſubſidium non conſueverit ; ipſa quoque , exemplo aliarum , taxetur. Conventibus autem ſingulis cunctorum Ordinum Mendicantium , intra Italiam conſiſtentibus , unam fructuum , proventuum , & redditum ſuorum decimam , juxta taxam antiquam , tenore præſentium imponimus ; & impoſitam eſſe decernimus . Ipſarum autem Congregationum , quas diximus , ſubſidium , & Mendicantium decimam , à noſtro di-* C *lecto filio Vitellotio , S. Mariæ in Vialata Diacono Cardinali , & dilecto filio Bartholomeo Buſſotto , Theſaurario noſtro Generali , ſeu qui pro tempore Theſaurarius Generalis fuerit , quem cum dicto Camerario , & utroque eorum in ſolidum , earum pecuniarum collectorem , receptorem , & exactorem generalem , præſentium tenore , conſtituimus , & deputamus , intra tempus , quod ipſi , vel eorum alter conſtituerit , ſolvi . vel per perſonas ab eis deputandas exigi ,* D *& colligi volumus : dantes eidem Camerario , præter ordinariam ſui Camerariatus officii authoritatem , ac ipſo Theſaurario Generali , & illis , quos ipſi , eorumvè alter deputaverit , ſubſidium , ac decimam , quam diximus , reſpectivè à dictis Congregationibus , & Ordinibus Mendicantium , petendi , colligendi , recipiendi , & exigendi ; & de receptis liberandi , quietandi , & abſolvendi ; & , ſi qua dictarum Congregationum taxata non fuerit , eam , prout* E *aliæ taxatæ fuerunt , taxandi liberam poteſtatem. Contradictores quoslibet , ac rebelles , ſubſidium , & decimam hujuſmodi ſolvere recuſantes , ac differentes , ad ea ſolvenda , per excommunicationis latæ ſententiæ , & alias ſententias , cenſuras , & pœnas Eccleſiaſticas , ac etiam pecuniarias , ipſorum , vel ab eis deputandorum arbitrio , moderandas , aliaque opportuna remedia , etiam per ſequeſtrationem fructuum , ac privationem officiorum , aliaque omnia , & ſingula in præmiſſis , & circa ea neceſſaria , vel quomodolibet opportuna faciendi , & exequendi . Necnon eos , qui ad cor reverſi , de iis , ad quæ tenebantur , debitè ſatisfecerint , à ſententiis , & cenſuris , & pœnis , in quas propterea incurrerint , abſolvendi , & rehabilitandi : Necnon cum iis , qui ſententiis hujuſmodi irretiti , Miſſas , & alia Divina Officia , non tamen in contemptum Clavium , celebrando , aut aliàs ſe in illis commiſcendo , irregularitatem contraxerint , diſpenſando . Non obſtantibus &c.*

Datum Romæ , apud S. Petrum , ſub annulo Piſcatoris 3. Novembris 1567. Pontificat. noſtri ann. 2.]

XVI. Optandum profectò eſſet , ut hæc & alia , quæ ſuprà propoſuimus , vel obitèr , qui in Principum , vel Regum Aulis morantur , ac eorum , & Reipublicæ ſtudioſiſſimi videri affectant , inſpicere dignarentur ; non enim tàm frequenter , ſi iſta perpenderent , muſſitàre , imò infremere auderent contra Romanæ Eccleſiæ avaritiam , ipſiuſque cupiditatem coërcendam clamarent , qua undique , ex Principum eorumdem ditionibus , (ut eos dicere non pudet) vim pecuniarum , & auri corrodit , & exprimit . Studio prætermittamus , præter Apoſtolicum monitum , nil prætereà ab ea fieri , Divinoque ſimul , ac humano jure ei deberi , quod à Chriſtifidelibus , filiis ſuis , toto Orbe conſtitutis , ipſi impenditur . Sed quid tandèm eſt illud , quod meritò cum immenſa ea theſaurorum profuſione , conferri valeat , quam quotidie facit , vel , ut communes Chriſtianæ fidei hoſtes repellat , vel , ut Fidei præcones , in Hæreticorum , & Infidelium regiones immittat ? Quid , cum ingentibus ſumptibus , quibus , labantibus Regnis ſubvenit , calamitatibus oppreſſas Regiones adjuvit , Principes exteros , ac exules , unà charitatis ulnis complexa eſt , & excepit ? Quænam tàm diſſita Regio , quæ in opportunitatibus , ac tribulatinne præſens auxilium illius experta non ſit ? En Pius , pro Regni Gallici defenſione , pro Regis Chriſtianiſſimi ſalute , ſe ſuaque propè omnia abundè profundit , ac ſuperimpendit . Hoc ipſo tempore Scotorum

torum Reginæ pecuniam etiam ſubminiſtrat. Melitenſibus Equitibus pecuniam ſuppeditat. Maximiliano Imperatori pecuniâ opem fert. Et hæc quidem, ob publicum bonum, publicè impenſa; ſingulis verò, vel, ut è cœno hæreſum emergerent, vel, ut in illud non laberentur, innumeroſque præterea, ob Fidei, & charitatis ſtudia alia, à Pio in commodum cujuſvis nationis, ac linguæ, imò hominis cujuslibet, factos quotidiè ſumptus, quis recenſeat? Quod quidem, ſi Eccleſiaſticos, revo- B luas Annales, ubi de Catholicorum Regnorum, Regionum, ac Principum incolumitate, imò de ſingulorum Chriſtifidelium ſalute actum eſt, Romanos Pontifices ſemper præſtitiſſe reperies; ut propterea fateri compellaris, quòd, ſi aliquid ab ipſis Principibus ac Regionibus, ipſi, juſtis tot aliis nominibus, accipiunt; illud nihilominùs Pontifices ipſos, nonniſi uti depoſitum cuſtodire, ut reſtituant, imò aucto fœnore neceſſariori tempore reddant, ac ut guttatim C traditam ſibi pecuniam, in ſummam pleniſſimam, multiplicatam, & auctam, ſuis propemodùm fœneratoribus reponant.

XVII. Ceterùm Pius, nec his, quæ egiſſe uſque adhùc retulimus, ſatis ſuo muneri ſatisfeciſſe ſibi viſus eſt. Quapropter, quem memoravimus Narnienſem Epiſcopum, Ferrariæ, etiam Ducem adire voluit, & hæc ei, (prout in Vaticano Archivo accepimus) in mandatis dedit. D

Inſtructio data Reverendiſſ. D. Petro Donato Epiſcopo Narnienſi ad Illuſtriſſ. Ducem Ferrariæ deſtinato. Ex Archiv. Vaticano.

[*Ubi ad Illuſtrimum Ducem Ferrariæ perveneris, eique, Sanctis.* D. N. *verbis, ſalutem, & benedictionem Apoſtolicam nunciaveris, ac literas de fide orationi tuæ habenda reddideris, Sanctitatis ſuæ deſiderium ei diligentèr in hanc ſententiam exponere debebis.*

Primùm dices, ſcire in quanto diſcrimine verſetur ſalus Chriſtianiſſimi Francorum Regis, conſanguinei ſui, & illius inclyti Regni, propter tumultus, qui à ſeditioſis hominibus, Divinæ ſimul ac Regiæ Majeſtatis hoſtibus, & rebellibus excitati fuerunt. Audiſſe Excellentiam ſuam ea, quæ ſine horrore animi referri non poſſunt, de cædibus, incendiis, rapinis, ſacrilegiis, & aliis nefariis facinoribus, quæ in omnibus ferè Regni ejus partibus, incredibili quodam Hæreticorum furore, & rabie admittuntur. Ex quibus, il- E

A *lius tàm nobilis, & tàm florentis olim Regni, cladibus, & ex tanto periculo Chariſſimi Filii ſui, & Sedis Apoſtolicæ in primis devoti Regis, ac Religionis ſimul Catholicæ Sanctiſſimum Dominum noſtrum incredibili quodam dolore, & ſollicitudine affici, dieſque, ac noctes cogitare, quemadmodùm ſubvenire Regi ſimul, ac Catholicæ Religioni, & tot populorum ſaluti conſulere poſſit. Et quia duobus rebus præcipuè Rex eget, pecunia, & equitatu; ta-* B *metſi jam indè ab initio Pontificatus ſui ſtatuerat, & decreverat, nullis extraordinariis oneribus, & exactionibus gravare ſuos, & S. R. E. Subditos; tamen, propter fiſci Apoſtolici inopiam, ne in tanta neceſſitudine Regi deſit, quantum poſſit pecuniarum colligere, ut ea Regem juvare poſſit, ſtatuiſſe, etiam eos, quos, Cuſtodiæ ſuæ cauſa, habebat equites, & plures, ſi poterit, ad Regem mittere. Verùm illud dolere, quòd non ſatis magnum equitum nu-* C *merum poſſit mittere. Itaque cogi petere, ac requirere auxilium bonorum, ac devotorum ſuorum filiorum Italiæ Principum, & licèt alia aliorum cauſa ſit, tamen confidere ſe, neminem eorum ſibi defuturum, cùm Dei, & Redemptoris noſtri cauſa agatur, & Religionis Catholicæ, pro qua boni, & Catholici Principes, etiam ſanguinem, & vitam ipſam, ſi opus ſit, parati eſſe debent profundere: ſed eò fidentiùs illorum auxilium requirere, qui præter* D *officium, quod omnium Chriſtianorum Principum commune eſt, peculiares ſunt* S. R. E. *filii, & ut vocantur, Vaſſulli, & Feudatarii. Ex quibus, cum ipſe Dux ſit, confidere Sanctitatem ſuam, minimè illum animi ſtudio ceſſurum eſſe, ad ſatisfacendum deſiderio ſuo, tàm pio, & juſto, præſertim cùm ſubveniendum ſit Regi, qui, & propinquus ejus ſit; quin etiam, propter tantam neceſſitudinem, quæ inter ipſos intercedit, arbitrari Sanctitatem ſuam* E *& certum habere, hanc hortationem ſuam fore minimè neceſſariam; ſed tamen quod ſua ſponte eum facturum putet, faciet, etiam pro Sedis Apoſtolicæ reverentia promptiùs, ac ſtudioſiùs; utque ſciat, uno, eodemque officio obligaturum eum ſibi, non minùs Sanctitatem ſuam, quàm ipſum Regem. Ileircò hoc auxilium ſibi non minùs, quàm ipſi Regi ab eo petere ſtatuiſſe. Nul-*

lum

A *lum ab eo gratius indicium, & teſtimonium fidei, & devotionis, & obſervantiæ ipſius Ducis erga hanc S. Sedem habere poſſit, quàm ſi ſuo huic deſiderio ſatisfecerit. Illud verò etiam ipſum cogitare ſecum, & conſiderare debere, præterquam quòd agatur, ut dictum eſt, honor Dei, & cauſa Religionis Catholicæ, ſalus Regis conſanguinei, & Regni, omnium nobiliſſimi; agi etiam, ſicut pro ſua prudentia intelliget, rem ejus ipſius, & reliquorum Italiæ Principum, ac totius Italiæ.* B *Eos enim, qui tàm nefariè Regi ſuo rebellarunt, Hæreticos eſſe, hoc eſt communes omnium Catholicorum Principum hoſtes. Si tamen illi Hæretici nominandi ſunt, quorum nefanda, & inaudita ſcelera impiaque facinora declarant, omni penitùs eſſe, & Religionis, & humanitatis expertes. Qui Eccleſias ſpoliant, qui Sacra Altaria demoliuntur, qui Monaſterio diruunt, qui Dei Sacerdotes non modò occidunt, ſed inauditis etiam ſuppliciorum generibus afficiunt,* C *non modò Religionem Catholicam, & Sanctiſſima Sacramenta abolere, ſed jura, & leges, & judicia, & legitimam Principum poteſtatem, & Magiſtratus omnes abrogare conantur; ut impunè avaritiam ſuam explere, nefandas libidines ſatiare, atrociſſimaque ſcelera, ſine metu admittere poſſint. Cùm tantum incendium adeò Italiæ propinquum ſit, neceſsè eſſe o-* D *mnes, qui ſibi cavere, & rebus ſuis proſpicere cupiunt, communi auxilio, commune periculum propulſare quàmcelerrimè fieri poſſit, tantam flammam, antequàm latiùs ſerpat, & diffundatur, extinguere: quod non difficile erit, ſi unuſquiſque Italorum Principum Regem juvet, antequàm ejus hoſtibus ex Germania ſubmiſtrari, auxilia poſſint.* Dat. .... Novembris 1567 ann. 2.)

XIX. Qui feriò hæc Pii mandata perpendet, fateatur neceſſe erit, nil E proſsùs argumentorum prætériiſſe, quibus ad ſuppetias Galliarum Regi ſuppeditandas Ferrariæ Ducis animum movere poſſet: nullam enim, vel Divinarum vel, humanarum rationum prætermittit, quibus in ſuam illum ſententiam perducat; & tandem ut ipſius Regis rem efficaciùs agat, ſuam facit, atque in ſe collatum quidquid in eum contulerit, profitetur.

Nec putandum, cum uno Ferrariæ Duce, hoc, Pium, officio perfunctum eſſe, nàm ad alios quoque Italiæ Principes, eadem de cauſa, & Nuncios, & literas miſiſſe, ex inferiùs dandis ipſius Epiſtolis apparet, & Scriptores tradunt. En Epiſtolæ, quas, ſtatim ab accepto inſidiarum contra Regem Galliæ ab Hæreticis ſtructarum nuncio, ad Rempublicam Venetam dedit. XX.

(Dilecto Filio, Nobili Viro, Hieronymo Priolo, Duci Venetiarum.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Poſtquàm cognovimus, quanto in diſcrimine verſetur ſalus Apud Goub. Epiſt. 24. pag. 53. *Chriſtianiſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli, Francorum Regis, & illius incliti Regni, ſtatuimus, pro officio noſtro, ei ferre auxilium, quamcelerrimè poterimus, etiam ſuper vires noſtras, adversùs ejus rebelles, Divinæ ſimul, & Regiæ Majeſtatis hoſtes ſceleratiſſimos. Quia verò cum ejus periculo conjunctum quoque eſt Italiæ periculum, (etenim, ſi, quod Deus avertat, hoſtes ejus ſuperiores eſſent, incendium illud in Italiam quoque trajecturum eſſet) Nobilitatem tuam hortandum duximus, ut depellendi communis periculi cauſa, Regem illum, tàm neceſſario tempore, enixè juvet. Non latet nos quidem, quantoperè de rebus ſuis ipſa ſollicita ſit in hoc tempore: ſed adeò præſens, & ante oculos poſitum eſt hoc periculum, ut omnes, qui Religionem Catholicam ſalvam volunt, & communi utilitati conſultum cupiunt, communi auxilio communibus hoſtibus ſine mora ulla obſiſtere debeant. Id cùm Deo gratiſſimum erit, tùm iſti inclytæ Reipublicæ, quæ veræ gloriæ ſemper appetens fuit, amplum & glorioſum, tanto Regi, & Religioni Catholicæ ſimul, tali tempore, ſubveniſſe.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Die 18. Octobris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.)

Cùm idcircò Margarita Sabaudiæ Ducíſſa, Caroli Regis Nepotis ſui periculo perterrita, enixè pro eo Pontificis auxilium deprecata eſſet; Pius ei ſequentem Epiſtolam dedit, qua ſe XXI.

calcaribus, in hoc negotio, non indige- A re, quippe qui totis niſibus ei curando jampridem incubuiſſet, manifeſtè declarat.

(Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Margaritæ de Francia, Sabaudiæ Duciſſæ.

PIUS PAPA V.

Dilecta &c.

B

NOn dubitamus, Nobilitatem tuam, pro ſua, ergaChriſtianiſſimumRegem Nepotem ſuum, pietate, maximè de eo ſollicitam fuiſſe, atque anxiam hoc tempore. Sed hortamur, ut bonam ſpem habeas; confidere enim debes, Divinum auxilium illi Regno minimè defuturum, ſicut aliis quoque temporibus non defuit: præſertim, cùm qui hoſtes Regis ſunt, iidem Dei quoque inimici, ac rebelles ſint, & ipſis infidelibus pejores, & deteſtabiliores. C *Sed ne humana quidem auxilia illi deerunt. Nos quidem ſupra vires noſtras eum juvare decrevimus, & cæteros Principes, ad mittenda ei auxilia, hortari non deſiſtimus, tùm Religionis Catholicæ cauſa, tùm ipſius, quem, bis jam, maximo cum periculo, expertum perfidiam, & audaciam Hæreticorum, in defendenda acritèr adversùs eos ipſa Religione Catholica, Majorum ſuorum Chriſtianiſſimorum Regum ſimilem fore confidimus.* D *Nec verò quemquam eſſe putamus, qui Hæreticos ipſos jam ex eorum operibus non cognoſcat.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Novembris 1567. Pont. noſtr. anno 2.]

XXII. Et reverà, licèt nemo Principum eſſet, qui ex proximo Galliarum incendio ſibi magis metuere, quàm Sabaudiæ Dux, deberet; nihilominùs Pius, ipſius ſtudia, ſummo, quo fervebat, zelo, & literis, & miſſo, qui coràm cum eo ageret, prævivit. E Cùm enim Annibal Auricellarius, quem à Catharina Regina ad Pontificem miſſum diximus, per Sabaudiam ad Catholicum Regem in Hiſpaniam migraturus eſſet; huic Pius in mandatis ea dedit, de quibus, tùm cum ipſo Sabaudiæ Duce, tùm cum Hiſpaniæ Rege, ſuo etiam nomine, differere vellet, ut labanti Galliarum Regi, ac Regno, quomodo ſubveniri poſſet, cum iis rationem iniret, ad præfatum Regem his datis literis.

(Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo, Hiſpaniarum Regi Catholico.

PIUS PAPA V.

Chariſſime &c.

AD Majeſtatem tuam, minimè dubitamus allatum fuiſſe, de tumultu, qui in Regno Franciæ nuper excitatus fuit, Religionis Catholicæ cauſa, ac ſeditione potiùs rebellium Chriſtianiſſimi Francorum Regis, affinis tui. Non dubitamus autem, quin, etiam ſine hortatione noſtra, omni ſtudio M. T. illi Regi ſubventura ſit, vel propter commune periculum, vel Religionis, & veſtræ neceſſitudinis cauſa. Quare Nos, cum magna fiducia Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & cæteris omnibus id jam facturam eſſe confirmavimus, ſicuti Nos quoque, etiam ſupra vires noſtras, ei opitulari decrevimus. Ut tamen, quod de M. T. voluntate, & Nos expectamus, & aliis polliciti fuimus, cumulatè, & ſine mora ulla præſtare velit; eam, quanto maximo poſſumus animi ſtudio, hortandam, rogandam, & obteſtandam duximus. Qua de re cum M. T. pluribus verbis aget dilectus hic filius Annibal Auricellarius, qui Chriſtianiſſimi Regis mandato, & noſtro quoque advenit. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Octobris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.)

Ad Ducem verò Sabaudiæ ſic ſcripſit.

(Dilecto Filio, Nobili Viro, Emanueli Philiberto, Sabaudiæ Duci &c.

PIUS PAPA V.

Dilecte Filii &c.

QUanto in diſcrimine verſetur Chariſſimus Francorum Rex affinis tuus, & cum eo ſimul Catholica Religio, propter ſcelus, & audaciam impiorum hominum, Dei, & Regis ſui rebellium, nobilitas tua eò certiùs novit, quò propior eſt tanto incendio. Omninò te hortatione cujuſquam Apud Goub. Epiſt. lib. 1. Epiſt. 15.

quam non egere ſcimus, cùm tot, & tàm graves cauſas habeas, quæ te ad eum, tàm neceſſario tempore, enixè juvandum excitent, vel affinitatis veſtræ, vel Religionis Catholicæ, vel Tui, & rerum tuarum periculi. Quia tamen, quod tua ſponte facturus es, certum habemus, pro tua in Nos pietate, & erga Sedem Apoſtolicam reverentia, hortatu noſtro, te facturum eſſe etiam ſtudioſiùs, & libentiùs: Nobilitatem Tuam hortamur & rogamus, ut in tantis illius Regni tenebris, lumen oſtendas animi, virtutis, ac pietatis tuæ: qua ex re maximam à Deo gratiam, & ſummam ab hominibus laudem conſequeris; Nobis verò, qui ipſi quoque Regem juvare, etiam ſupra vires noſtras, ſtatuimus, adeò gratum facies, ut non minùs Nos tibi, quàm Regem ipſum tali officio obligaturus ſis. Hac autem de re dilectus hic filius Annibal Auricellarius pluribus verbis, noſtro nomine, tecum aget. [Datum Romæ, apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Octobris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.]

XXIII. Inter Sabaudiæ Ducem, & Auricellarium, Pii nomine, hæc conſilia agitata fuiſſe videntur, ut Pontifex ad Carolum Cardinalem à Lotharingia aliquam pecuniarum ſummam mitteret. Summa etiam aliqua, ab ipſo Pontifice ad eumdem Ducem Sabaudiæ mitteretur. Quòd Pontifex ipſe cum Lotharingiæ Duce ageret, ut auxiliis Hæreticorum, quæ ex Germania rebelles præſtolabantùr, ſeſe opponeret: atque ad ſnbſidia ſubminiſtranda, cæteros quoque Principes hortaretur, ac propemodùm hortationibus ſuis Pius compelleret. Quæ quidem conſilia, & avidiſſimè Pius arripuit, vel (ut ex mox dicendis & jam dictis apparet) ſtudioſiſſime executioni mandaverat. En quæ ad præfatum Ducem ſcripſit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci &c.

PIUS PAPA V.

Dilecte &c.

Ex Arch. Vatic.

PLacuerunt Nobis ea, quæ Secretarius tuus, mandato tuo diligenter Nobis *expoſuit: Cardinali Lotharingio aliquantam pecuniam, ſicut*

A *hortatus es, miſimus. Ad tuam quoque nobilitatem decem millia aureorum in præſentia mittimus, ut ea adjutus pecunia, commodiùs ferre auxilium poſſis Regi Chriſtianiſſimo, tàm gravi ejus, & Catholicæ Religionis tempore. Ad Lotharingiæ Ducem miſimus literas nupèr, & Nuncium, hortantes eum, ut ſeſe opponat, ſi qua ex Germania Hæreticorum auxilia, in Galliam tranſire conabuntur; Italiæ verò Principes, per literas, & Nuncios hortari, &* B *excitare ſtatuimus, ad mittenda Regi, quammaximu quis eorum poterit, auxilia. Nullum planè officium, tàm neceſſario tempore, Chriſtianiſſimo Regi a Nobis deerit, multò plura præſtituris, ſi majores opes, & facultates haberemus, cùm pro paterna erga eum charitate noſtra, tùm Divini obſequii cauſa. Te quoque hortatione non egere videmus, ut, & Deo, & Regi affini, & conſanguineo, officium præſtes. Tantùm hortamur, ut celeritatem quam-* C *maximam potes, adhibeas. Quod attinet ad Oppida, & Loca, quæ à Bernenſibus nuper tibi reddita fuerunt; ex Secretario tuo cognoſces ea, quæ nobilitati tuæ referendu mandavimus.* [Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Novembris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.]

Priuſquàm vero hæc ab Emanuele Philiberto, Sabaudiæ Duce intellexiſſet Pius, cum accepiſſet, Ducem eumdem, ut equitum (quorum maximè D Galliarum Regem eguiſſe, quæ ſuprà retulimus declarant) ſuppetias eidem Regi ſubminiſtraret, aliquem equitum numerum in Mediolanenſi ditione conſcribere deſideraſſe; ut id ei liceret, à Gubernatore Mediolanenſi obtinere Pontifex, his ad ipſum datis literis, ſtuduerat. XXIV.

(Dilecto Filio, nobili Viro, Gabrieli, Duci de Alburquerque, Status Mediolani Gibernatori.

E

PIUS PAPA V.

Dilecte &c.

IN tanto periculo, ut ſcis, verſatur in Regno Franciæ Catholica Religio, propter nefarium bellum; quod Hæretici, non minùs Dei, quàm Regis ſui hoſtes, ac rebelles, excitarunt;

ut quicumque Dei honorem diligunt, & ſalvam Catholicam Religionem volunt, quidquid poſſunt opis & auxilii, ſtudioſè ferre debeant, ad tantum incendium reſtinguendum, cui, niſi celeritèr occurratur, magnoperè verendum eſt, nè creſcat. Audivimus, Dilectum Filium nobilem Virum, Ducem Sabaudiæ, pro maxima neceſſitudine, quæ illi cum Chariſſimo Filio noſtro, Francorum Rege Chriſtianiſſimo intercedit, parare auxilium Equitum, quod tàm neceſſario tempore Regi mittat; eamque ob cauſam cupere, aliquam eorum partem in Ducatu iſto conſcribere. Id ei, ut abs te permittatur, Divini obſequii & Fidei Catholicæ cauſa, abs te ita petimus, ut ſtudioſiùs petere non poſſimus. Quod Chariſſimum quoque Regem Catholicum, pro ſuo in Catholicam Fidem ſtudio, vehementer probaturum eſſe, minimè dubitamus. Id autem te faciliùs conceſſurum eſſe confidimus, quòd, prætèr obſequium Dei, expedire, pro tua prudentia, vides, omnibus Principibus Catholicis, communi conſilio, Hæreticorum, & ſeditioſorum hominum perniciofiſſimis conatibus communi auxilio reſiſtere. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris VIII. Novembris 1567. Pontific. noſtr. an. 2.]

XXV. De pecunia etiam ad Cardinalem à Lotharingia miſſa, & alia inſuper Regi eidem ſubminiſtrata, teſtes habemus ad eumdem Cardinalem ſcriptas à Pontifice literas, quæ hujuſmodi fuerunt.

(Dilecto Filio noſtro, Carolo, Tit. S. Apollinaris Presbyt. Cardinali à Lotharingia vocato.

PIUS PAPA V.

Dilecte &c.

Ex Arch. Vatic.

Etſi certum habeamus, tali tempore, fore ut excaret ſtudium tuum inſigne, erga Chriſtianiſſimum Regem, & Religionem Catholicam, ſimul cum eo in extremum diſcrimen adductam; tamen, poſtquàm ex nuncio tuo cognovimus, quanto ſtudio incumbas, ad auxilia ei paranda, quibus Regem juves; virtutem tuam egregiam, atque præſtantem recognovimus, iſtumque præclarum conatum tuum vehementer laudavimus. Quod pecuniâ te

A *a nobis juvari deſideras; ſcito, ante nuncii tui adventum, veniſſe, eadem de cauſa, ad Nos Regis nuncium, cui ſpopondimus, paratos Nos eſſe, Regem, ſupra vires noſtras etiam, juvare. Itaque, & ſi jam indè à Pontificatus initio ſtatueramus, nullis extraordinariis exactionibus gravare noſtros, & S.R.E. ſubditos, quippè quos ſciebamus, propter ſuperiorum annorum onera, levatione potiùs indigere; tamèn in tanta neceſſitate, nec illis, nec Curiæ noſtræ*
B *Officialibus pepercimus, ut promiſſum auxilium Regi præſtare poſſimus. Cui, quoniam quidquid colligere potuimus pecuniæ, per mercatorum literas, ut mos eſt, Lugdini; & Lutetiæ ſolvendum curavimus; vix quidem potuimus deſiderio tuo Nos ſatisfacere. Sed tamèn, pro paterno erga te amore, pati non potuimus, ut nuncius tuus inanis rediret. Itaque, ſi non quantam & ipſe expectaſti, & Nos vellemus; pecuniam tibi quoque ſolvendam curavimus,*
C *ac miſimus, quantam potuimus, ſicuti nuncius tuus tibi referet. Omninò te currentem, ut dicitur, non egere ſcimus cohortatione cujuſquam, ſed tamen, pro officio noſtro, & paterna erga te charitate, prætereire non poſſumus, quin hortemur, ut quod tàm laudabilitèr aggreſſus es, forti animo, ut te, & tuo genere dignum eſt, agere perſeveres; cùm ob alias graviſſimas cauſas, tùm Divini honoris, & Religionis Catholicæ cauſa, pro qua paratos nos eſſe*
D *oportet, ſanguinem noſtrum indubitanter effundere.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Novembris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.

Quem demùm ad Carolum Lotharingiæ Ducem Pius ſuum Nuncium miſit, fuit Petrus Sanctus J. V. D. ſuuſque Familiaris, cui (uti ex Archivo Vaticano accepimus) iſta mandata dedit. XXVI.

Inſtructio D. Petro S. S.V.D. à S. D.N. Pio Papa V. ad Illuſtriſſimum Principem Carolum Ducem Lotharingiæ deſtinato.
Ex Arch. Vatic. Sub. anno 1567. pag. 740.

(Cum ad dilectum Filium, nobilem Virum, Ducem Lotharingiæ, Deo ju-
E *vante, perveneris, ipſum, & dilectas in Chriſto filias, nobiles Mulieres, Duciſſas, Matrem ejus, & Uxorem, nobilem quoque virum, Comitem de Valdemonte, Ducis Patruum, noſtris verbis diligentèr ſalutabis, ac benedictionem eis noſtram paternam nunciabis, literas, quas ad eos ſcribimus, reddes; deindè cum ipſo Duce in hanc ſententiam loqueris.*

Nos

Nos in tanto Chariſſimi filii noſtri. Chriſtianiſſimi Francorum Regis, affinis ejus, & Catholicæ Religionis periculo, pro paſtorali officio noſtro, & paterna erga illum Regem charitate, atque ipſius Religionis zelo, omnes curas, & cogitationes noſtras in eo defixas habere, ut Regi, adeò Sanctæ Sedi Apoſtolicæ devoto, cujus majorum merita erga ipſam S. Sedem, & Religionem Catholicam ſingularia fuerunt, ſubveniamus, omnibus viribus noſtris, ut Religionem Catholicam, in tantum diſcrimen adductam, ab hominibus perditiſſimis, Divinæ ſimul, & Regiæ Majeſtatis hoſtibus, ac rebellibus tueamur, ac defendamus. Itaque, ſicut juvare illum inſtituimus, etiam ſuper vires noſtras, eamque ob cauſam ſubditis noſtris, licèt propter ſuperiorum annorum onera, levatione indigentibus, contra inſtitutum noſtrum, gravare non pavimus; ità prætermittere nec poſſe nec debere, quin reliquos Principes Chriſtianos, ad eum itidem juvandum, & ſuſcipiendam Religionis Catholicæ defenſionem, paternis noſtris hortationibus excitemus.

Sed præter alios Principes, magnam in ipſo Duce ſpem Nos habere. Majores ejus, generoſiſſimos Principes, cùm quidam Heremita, qui Terram Sanctam, religionis cauſa, viſitaverat, reverſus indè retuliſſet, quàm gravi ſervitutis jugò, Chriſtiani in illis partibus, ab infidelibus oppreſſi tenerentur, eoſque ad liberandum ipſos Chriſtianos, & Terram Sanctam recuperandam hortatus eſſet; adeò illius unius Heremitæ adhortationibus fuiſſe commotos, atque inflammatos, ut tres fratres, illius Sanctiſſimæ expeditionis, qua nihil unquàm glorioſius fuit, Duces, Principes Auctores exiverint, & ſuſcepto vivificæ crucis ſigno, relictis rebus ſuis, & ultimis Occidentis partibus, ad Orientem profecti, bellum in Aſia cum Infidelibus geſſerint; non, tàm longinqui itineris laboribus, non, periculorum magnitudine deterriti, quominùs Chriſtianis oppreſſis auxilium ferrent, & Terram Sanctam ex infidelium manibus eriperent, ſicut, Deo juvante, cum immortali ſua laude, & gloria eripuerunt. Non eſſe illi tranſeundum mare, non domo diſcedendum, non tot ſubeundos labores, atque pericula, ut cum Infidelibus bellum, pro Catholica Religione, Redemptoris noſtri honore, obſequioque ſuſcipiat.

A *Hoſtes eſſe Eccleſiæ, Dei, Religioniſque Orthodoxæ Hæreticos, multò infeſtiores, & odio majore dignos, quàm ipſos infideles. Infideles enim nunquàm Catholicæ Fidei veritatem agnoverunt; iſti Fidem, quam ſuſceperunt, quamque in Baptiſmo profeſſi ſunt, ejecerunt, atque irritam fecerunt. Infideles, Chriſtianæ Religionis Catholicæ uſum non interdicunt, nec Sanctiſſimis Sacramentis illudunt, ſed dominandi cupiditate Chriſtianos imperio ſuo ſubiicere ſtudent, non Cælum nobis, ſed Terram eripere ſolent:*
B *Hæretici Catholicam Religionem delere, Sancta; & ſalutaria Eccleſiæ Sacramenta, Sanctorum venerationem tollere conantur, impio quodam furore, & rabie obcæcati, Divina omnia, & humana jura violunt, non externis, non civibus ſuis, non laicis, non Sacerdotibus parcunt, non profanis rebus, non ſacris abſtinent. Rapinis, ſacrilegiis, inceſtis, cædibus, incendiis aluntur; tunc exultant, tunc triumphant Filii Belial, cùm*
C *Eccleſias diripiunt, cùm Aras demoliuntur, cùm Monaſteria incendunt, cùm Deo dicatis Virginibus vim afferunt, cùm in Clericos ſæviunt, quos per inaudita ſuppliciorum genera trucidant. Nec vero illi minùs Principum, quàm Catholicorum privatorum hoſtes ſunt. Libertatis enim Evangelicæ, quam jactant, obtentu, & propter magnitudinem ſcelerum ſuorum, Leges, & Judicia, & Principum, & Magiſtratuum poteſtatem metuentes, rebus novis ſtudent,*
D *ſeditionibus, & diſcordiis gaudent, conjurationes inter ſe nefarias faciunt, ad tumultus, ad turbas, ad concitationes ſemper parati ſunt. Quò propior eſt Illuſtriſſimus Dux Regno Franciæ, meliùs hæc eſſe vera novit. Qui igitur magis infideles? qui ſæviores? qui acerbiores hoſtes, quàm iſti, qui vocantur Hæretici, cùm reverà omnis ſint Fidei, & Religionis expertes, nec male credant, ſed nihil penitùs credant? Pulchrum, igitur, erit, & glorioſum,*
E *& dignum Principe, ac illis Majoribus, ità de Fide Chriſtiana meritis, contra iſtos pia arma inducere: non eum mare traiicere neceſſe erit, ut Chriſtianæ Religionis hoſtibus bellum inferat; per fines ejus, aut certè non longè ab eis, Hæretici, è Germania in Galliam tranſire haud dubie conabuntur, ut Chriſtianiſſimum Regem affinem ſuum, Hæreticis Galliæ conjuncti oppugnent; eis ſeſe*

ſeſe opponere debebit, nè conjuncti cum A *aliis Hæreticis, eorum animos, & vires augeant. Non minorem ex hac re laudem, & gloriam meriturus, quàm Majores ejus ex Terræ Sanctæ recuperatione adepti ſint; exigua enim illa Terra fuit, præ magnitudine Regni Franciæ; Chriſtiani verò, qui illam incolebant, pauci erant, ſi cum populis, & gentibus Galliæ comparentur. Nec vero difficile admodùm fuerit, eos, quominùs pervenire in Galliam poſſint, prohibere, paratas modò habeat equitum, &* B *peditum copias, quantas cogere poterit, ut opportuno aliquo, atque idoneo loco conſiſtens, ex Caſtris, & Oppidis, quæ munita non extant, commeatus omnes in oppida munita tranſportari jubeat.*

Admonebis prætereà, ut diligentèr cogitet, periculum Chriſtianiſſimi Regis cum ipſius periculo eſſe conjunctum: hoſtes iſtos eſſe communes: ſi (quod Deus avertat) Regem Chriſtianiſſimum opprimere poſſent, illum eſſe finitimum, rem agi ſuam: tantum in- C *cendium communi eſſe auxilio extinguendum. Nihil perniciosius illi eſſe poſſe, quàm ſi hoſtium Regis vires, adjunctis Germanorum auxiliis, creſcant.*

Quod illi in primis glorioſum futurum eſt, quodque Deo gratiſſimum, cujus honor, cultus, Religioque defenditur; hoc non minùs eſſe ei utile, atque adeò neceſſarium.

Hortari Nos quoque Italiæ Principes, & excitare, ad mittenda Chriſtianiſſimo Regi auxilia; ſed, vel pro af- D *finitate, quæ ipſi cum Rege intercedit, vel pro periculi ſocietate, à nemine eum ſtudioſiùs, promptiùs, acriùs adjuvari, quàm ab ipſo Duce convenire, ſicuti eum facturum eſſe confidimus.*

Hæc autem eadem expones Dominæ Duciſſæ Matri Ducis, Principiſſæ, ſicuti novimus, magna virtute, & prudentia, nec minori pietate, & Catholicæ Religionis zelo præditæ; cui dices, quantoperè confidamus, Ducem ejus filium, ea hortante facturum eſſe quod E *deſideramus. Magnam quoque ſpem habemus in Domino de Vaudemonte, Ducis Patruo, de cujus virtute, prudentia, & probitate præclara admodùm teſtimonia habuimus. Itaque deſiderium hoc noſtrum illi quoque te exponere volumus; multùm enim, ipſius quoque authoritatem apud Nepotem ſuum valituram eſſe, certum habemus.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 8. Novembris 1567. Pontificat. noſtr. ann. 2.] XXVII.

Ad hæc, abs re non eſſe cenſuimus unam, & alteram inſerere Epiſtolam ex his, quas fidei vocant, à præfato Petro Sancto, Principibus Lotharingiis traditam, utpotè quibus allata magis confirmentur.

[Dilecto Filio, Nobili Viro, Co: de Vaudemont.

PIUS PP. V.

Dilecte &c.

Miſimus Petrum Sanctum Familiarem noſtrum I. V. D. hominem Nobis valdè probatum, qui has nobilitati tuæ literas reddet, ad Dilect. Filium, Nobilem Virum, Ducem, Nepotem tuum, acturum de re, ad obſequium Dei, & ipſius Ducis laudem, & rerum ejus ſecuritatem magnoperè pertinente, ſicuti agnoſces. Namquè, ut te ſalutet, & paternam benedictionem noſtram impertiat, ac tecum eádem de re loquatur, mandavimus. Quia verò ſcimus quantum authoritas tua apud ipſum Ducem habitura ſit ponderis: petimus abs te, & magnoperè in Domino requirimus, ut hortatione tua eum incites, ad ſatisfacendum deſiderio noſtro: quòd cùm facies, officio fungeris, tua virtute, pudentia, & pietate digno. Idque, & Deo, & Nobis erit gratiſſimum Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Die IX. Novembris 1567. Pontificat. noſtri anno 2.]

Ad Lotharingiæ Duciſſam.

(Dilectæ in Chriſto Filiæ nobili Mul. Claudiæ, Duciſſæ Lotharingiæ.

PIUS PP. V.

Dilecta &c.

Mandavimus dilecto huic filio, Petro Sancto, familiari noſtro, quem ad Nobilem Virum, Ducem, Conjugem tuum miſimus, ut nobilitatem tuam viſitet, & noſtris uerbis ſalutet. Cujus rei cauſa miſſus fuerit, ex eo cognoſces. Et quia, ſicut vide-

Digitized by Google

*videbis, laboramus pro chariſſimo Fi-
lio noſtro, Fratre tuo, Rege Chriſtia-
niſſimo, nè cum hoſtibus, Deique iiſ-
dem, & Catholicæ Religionis inimicis,
auxilia Hæreticorum, ex Germania
conjungi poſſint, quod non minùs rebus
conjugis tui, quam ipſi Regi periculo-
ſum foret; tuæ quoque partes erunt,
hortari eum, ad ſatisfaciendum deſide-
rio noſtro, ſicut, pro tua pietate, pru-
dentia, & Catholicæ Religionis zelo,
facturam eſſe confidimus.* Datum Ro-
mæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſca-
toris, die IX. Novembris 1567. Pon-
tificat. noſtri anno 2.]

XXVIII. In ipſius contra Hæreticos belli
commodum, dimidiam partem fru-
ctuum Eccleſiaſticorum, & Eccleſiarum
Galliæ, Pontificem quoque transfer-
Histor. lib. 19. pag. 410. re voluiſſe, tradit Hadrianus, & Lu-
tetiæ Pariſiorum Clerum, ducento-
rum ſcutorum millium munus Regi
obtuliſſe ſcribit Tarcagnotta, addit-
que Clerum ipſum, pecuniâ minimè
ſe ei defuturum pollicitum eſſe; dum-
modò tamen in ſententia, vi, & ar-
mis Hæreticos coërcendi Rex idem
perſiſteret. Verùm tùm illorum, tùm
præcipuè Pii, optimam mentem, aſſueta,
& Reginæ Catharinæ, & Aulæ Gallicæ
vafrities (qua multa centena millia,
ut Gabutius, & Hadrianus ſcribunt,
tanto incommodo, ac labore compa-
rata, è Pontificis manibus eripuerunt,
& prætereà ſubſidiorum conatus, un-
dequaque, tanto ſtudio, ut vidimus,
à Pio ipſo eis quæſitorum, paritèr elu-
ſit. Prætèr equitum enim copias, ad
ſex, vel ſeptem millia peditum, ut
narrat Hadrianus, Pius idem Regi ac
Reginæ obtulit; ſed illi oblatam qui-
dem pecuniam avidiſſimè arripuere;
cohortes verò, licèt ſtipendio affectas,
reſpuerunt; id ſuadentibus iis, (in-
Vit. Pii lib. 2. Cap. 6. quit Gabutius) qui, neque Regem,
neque Catholicam Fidem, ac Religio-
nem ſalvam eſſe cupiebant; ſed om-
nia vota ſua ad privata commoda, &
ad inſanas cupiditates impotentèr ex-
plèndas, (ut in Civilibus bellis fieri
conſuevit) furentes conferebant. Ex-
terorum militum auxilia accipere ab-
nuiſſe putat Hadrianus, quòd Rex
idem ac Regina, belli, & pacis fa-
ciendæ jus omne apud ſe manere vel-
lent. Quidquid fuerit, certum eſt præ-
ter ſpem, haud multò poſt, ut ſuo lo-
co dicetur, indignam prorsùs pacem

A perduellibus, & iniquis quidem con-
ditionibus, datam fuiſſe; bonis om-
nibus condolentibus, ac judicantibus
Regem, Pontificis ſuffultum auxiliis,
facilè, & honorificè, & bellum pro-
ſequi, & rebelles compeſcere, & pe-
ſtiferam hæreſum illarum radicem
prorsùs convellere, & Catholicæ ve-
ritatis cultum, in Regno lapſum, reſti-
tuere potuiſſe. Dedit Rex inquam pa-
cem, & quòd deterius, pecunia ab-
uſus eſt, quam á Pio fictis artibus ex-
B torſerat; eo tamen infauſto fine, quem
exitus comprobavit. Et hinc etiam
accidit, ut Hadrianus ſcribit, quòd
Chriſtianiſſimo Regno opitulari cupi-
entes, Pii ſuaſu, Principes alii, con-
ceptum animo optimum propoſitum
ferè dimiſerint. Cùm enim multotiès
vidiſſent, ex bene geſto bello, ac fe-
rè tuto triumpho, Regem, ac Regi-
nam ſtolidis iis ſuis artibus innixos,
nonniſi indecoras inducias elicuiſſe:
quod alias fecerant, iterum, ac ſem-
C per facturos meritò judicarunt; qua-
proptèr, ſpe omni felicis eventus penè
abjecta, nil prætereà curandum cen-
ſuere; licèt Gallici Regni cauſam, ut
communem habere coacti, illam omni-
nò poſthabere nequiverint.

Sed quod planè dictu horrendum, XXIX.
tantum Gallica Aula lucem conſilii pie-
tatis deſeruit, & in profunda verſutia
demerſa eſt, ut per ſummam, impro-
bamque calumniam, Orbe toto Ca-
tholico reclamante, impudentiamque
D ſtupente, ac mirante, dicere auſa ſit,
ſe cum Hæreticis pacem inire compul-
ſam, quòd remiſſiùs, quàm debuiſſet,
ad eorum propulſandos auſus, Pius
ei auxilia ſuppeditaverit. Diabolicam
propè hanc procacitatem, ac turpiſſi-
mam ingratitudinem, cùm abundè re-
jectam, ex ſuprà (& quidem ſtudio)
relatis, cenſeamus; eam hic ulteriùs
explodere ſuperfluum judicamus. Quid
enim ultrà facere potuit Pius, & non
fecit? At peſſimas artes, quibus eſt
E excogitata iſta impoſtura, Deus è ve-
ſtigio dejeciſſe viſus eſt, humiliato vi-
delicet calumniatore, qui in arctas,
haud multò poſt, injectus anguſtias, per-
ſecutionemque ab ipſis ſuis factis paſſus,
perfugium aliud non habuit, niſi ut
ad eum, vel invitus, confugeret verè
Pium Patrem, quem improbè adeò of-
fenderat.

Dùm tàm acri ſtudio contra Gal- XXX.
liæ

liæ Hæreticos, commune bellum Pius urget; ſingulos, qui ſibi innotuiſſent, ejuſdem farinæ perſidos homines inſequi non prætermittit. Hinc cùm audiſſet inter Burgundiæ, ac Lotharingiæ fines, Diœceſis Biſuntinæ, verſari Calviniſtam quemdam Miniſtrum, qui ſetalis doctrinæ venena impunè ſpargebat; eum ſtatim à Biſuntini Archiepiſcopi Miniſtris comprehendi juſſit, & ut eis ad rem, ex ſententia perficiendam, auxilio eſſe vellent, ad Lotharingiæ Ducem, & ad Senatum Dolanum has literas dedit:

[Nobili Viro, Dilecto filio, Carolo, Duci Lotharingiæ.

PIUS PP. V.

Dilecte Fili &c.

Ex Arch. Vatic. *NUnciatum eſt Nobis, verſari in Locis quibuſdam Ducatus tui Lotharingiæ, Biſuntinæ Diœceſis, in confinio Burgundiæ, Hæreticum quemdam, nomine Muretet, Sectæ Calvinianæ; eumque palàm, & publicè prædicare, ac docere, ubicumque poſſit, peſtiferæ ejus hæreſis dogmata. Ad eum apprehendendum, vehementèr abs te petimus, ut Archiepiſcopi Biſuntini miniſtris brachii tui ſæcularis auxilium, ſimul ac petitum fuerit, præſtes, & à Magiſtratibus tuis ſtatim præſtari jubeas, quocumque in loco Ducatus Tui comprehendi potuerit. Quod Tuæ Nobilitatis officium Nobis erit admodùm gratum, ac tuo Catholicæ Fidei ſtudio, & devotione erga S. Sedem Apoſtolicam magnoperè dignum.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XV. Decembris 1567. Pontificatus noſtri ann. 2.]

Ad Senatum Dolanum.

[Dilectis Filiis Senatui Dolano &c.

PIUS PP. V.

Dilect. &c.

Ex Arch. Vatic. *IN notitiam noſtram perlatum eſt, verſari in confinio Ducatus Lotharingiæ, & Comitatus Burgundiæ, in Locis Biſuntinæ Diœceſis, Hæreticum quemdam, nomine Muretet, Sectæ Calvinianæ, qui non deſiſtit venenum ſuorum peſtiferorum dogmatum ſpargere, & multos, præſertim ſimplices, corrumpere. Eum comprehendi vehementer cupimus: qua de re diligenter ſcripſimus ad Dilectum Filium, Nobilem virum, Ducem Lotharingæ. Vos autem ipſos quoque, ut viros Catholicos, hortandos duximus, ut unà cum Miniſtris Archiepiſcopi Biſuntini, operam detis, quamdiligentiſſimè poteritis, ut inveniatur, & capiatur hic Hæreticus, nè Patriam, ac Provinciam veſtram, quæ, Dei beneficio, ab hac labe, ad hoc uſque tempus integra manſit, veneno ſuarum hæreſum poſſit corrumpere. Quod officium veſtrum vobis dignum erit; Nobis verò ità gratum, ut nihil in hoc tempore à vobis accidere Nobis poſſit gratius.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Decembris 1567. Pontific. noſtri anno 2.]

XXXI. In Epiſtolis his, non Archiepiſcopum Biſuntinum, Claudium, ſed ipſius dumtaxàt miniſtros Pium memoraſſe, ex eo fortè proceſſit, quòd Archiepiſcopus idem à Diœceſi, & Eccleſia ſua adhùc abeſſet. Ægrè ſiquidem cùm tuliſſet Pius, uti anno præterito vidimus, eum nondùm Sacri Tridentini Concilii decreta recepiſſe, & alia prætereà multa, in paſtoralis regiminis cura omiſiſſe; eum literis primùm monuerat, deindè, ut ſe ad reddendam ſibi traditæ villicationis rationem, Romam conferret, præceperat: quod quidem, ſub hujus anni initium feciſſe, ex Epiſtola, ab ipſo Pontifice ad Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Biſuntinæ ſcripta cognoſcitur; dicit enim.

[Dilectis Filiis Cap. & Canonicis Eccleſiæ Biſuntinæ.

PIUS PP. V.

Dilect. &c.

Ex Arch. Vatic. *CUm Ven. Fratrem, Archiepiſcopum veſtrum ad Nos, quaſdam ob cauſas vocaverimus, providere cupientes, nè proptèr ejus abſentiam, Eccleſia ipſa interim detrimenti aliquid patiatur; hortamur vos, & mandamus, ut dùm is abeſt, literis ejus, ipſiuſque Officialibus, ſuper iis, quæ ad ipſius Eccleſiæ regimen pertinebunt, per-*

perindè ac ſi adeſſet, ſicut veſtrum officium poſtulat, pareatis. Illud quoque vos admonemus, ut ea, qua debetis, diligentia, Juriſdictionem Eccleſiaſticam inviolatam tueri curetis, in Civitate ipſa, ac Diœceſi. Dabimus autem Nos quoque operam, nè is diutiùs abſit, quàm Eccleſiæ ſuæ expediat. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Januarii 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.)

XXXII. At licèt Pontifex, quamcitiùs Archiepiſcopum Biſuntinum Romā diſcedere, ac ad propriam Eccleſiam redire curaſſe cenſendum ſit; cùm tamen, ut diximus, in allatis ejuſdem Pii literis, hoc anno dilabente ſcriptis, non Archiepiſcopus ipſe, ſed tantùm ejuſdem Officiales, quos, ut anteà, ac ſi Archiepiſcopus idem adeſſet, munere ſuo perfungi, præceperat, memorentur; hinc patet, nondùm hoc tempore, illum ad Eccleſiam ſuam redire permiſſum.

XXXIII. Præceperat etiam Pius Carolo Cardinali Borbonio, Avenionenſi Legato, ut Sabaterium quemdam, à Venaſyni Comitatus regimine; & alterum, Corteſonum nuncupatum, à Capitaneatus Palatii officio amoveret. Hi ſiquidem, tamquàm de hæreſi ſuſpecti ad Pium ipſum delati fuerant. At parere cùm Cardinalis diſtuliſſet; moræ impatiens Pius, cùm præſertim Gallia tota immenſo eo, quod deſcripſimus, incendio conflagraret, ac perfidæ labis, vel levis ſuſpicio meritò timenda eſſet: Venaſini Comitatus regimen, aliàs à nobis memorato, Paulo Sanſedonio, Carpentratenſi Epiſcopo detulit, & Capitaneatus munus, alteri, quem ipſe Cardinalis voluiſſet, dummodò verè Catholicus eſſet, demandari, his ad eum ſcriptis literis, imperavit.

(Dilecto Filio noſtro, Carolo, Tit. S. Gryſogoni Præsbit. Card. Borbonio, Legato Avenionenſi.

PIUS PP. V.

Dilecte Fili &c.

EX literis tibi, mandato noſtro ſcriptis, voluntatem noſtram ſatis cognoſcere potueras, de Sabaterio, & de Corteſono, ut illum à regimine Comitatus noſtri Venaſyni, hunc autem à Capitaneatus Palatii Officio removeres, cùm uterque Nobis ſuſpectus eſſet, ex hominum gravium, & fide dignorum teſtimonio, præſertim cùm his miſerrimis temporibus, vel levis ſuſpicio debeat formidari. In quibus removendis, quia, ſicuti expectavimus, voluntati noſtræ ſatisfactum abs te non fuit; ideireò Venerabilem Fratrem, Paulum Epiſcopum Carpentratenſem ipſi Comitatui, quoad de alio Rectore provideamus, præfecimus, prout etiam Prædeceſſores noſtri providere conſueverant; Capitaneum autem, in Corteſoni locum, abs te ſurrogari volumus, dummodò quamprimùm eum ſubroget, & virum eligat idoneum, omni hæreſis ſuſpicione carentem, atque adeò Catholicum, ut hæreticos, nè ſalutari quidem ſuſtineat. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Decembris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.)

At iniquè tuliſſe Borbonium hoc Pii factum, ſequenti anno dicetur.

Eodem autem tempore, quo hæreſis in Gallia perſpicaciores humanæ prudentiæ labores feſellit, luctuoſis, nimis, inſidiis, nimiam in Scotia, Reginæ Mariæ ſimplicitatem penitùs dejecit. Ex Epiſtolis, ab ea ad Pium, præterito anno, datis, in quibus ipſum de filio nuper ſibi nato certiorem fecerat, ſummam ejus pietatem, egregiamque in Catholica Religione conſtantiam cognoverat, atque vehementer admiratus Pontifex fuerat; ideòque laudis, ac amoris plenas, ſequentes, ſub iſtius anni initium ei literas reddidit. I.

[Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Mariæ, Scotorum Reginæ &c.

Chariſſima &c.

EX literis tuis, & à Nuncio tuo, de tua incolumitate optatiſſimum, & jucundiſſimum nuncium accepimus. Grata Serenitati Tuæ fuiſſe officia nonnulla erga te noſtra, gaudemus. Non tàm ex illis tamen, tamquàm ex meritis tuis metiri animum noſtrum debes; illa enim minora voluntate noſtra fuerunt. Tibi verò, pro virtute tua, pro conſtantia, pro pietate, & devotione erga hanc Sanctam Sedem,

dem, eximia, ac ſingulari, multò majora debentur. Quòd Nuncii noſtri, opportuno jam tempore, à Gallia ad te accerſiti, aduentum tibi gratum fore ſignificas, & ſtudium, atque auxilium tuum ei non defuturum eſſe polliceris, ad ea, quæ ad Dei honorem, & Regni tui tranquillitatem conſtituendam pertinebant; libenter admodùm id cognovimus, optamuſque, ut quàm-opportuniſſima tibi, Regnoque tuo ſit ejus præſentia. De Filio tibi nato ingentem lætitiam cæpimus, & cùm Serenitati Tuæ, de tanto Dei munere denuò gratulamur, tùm ex hoc initio reliqua, quæ ad ſalutem iſtius Regni pertinent, Nobis expectare poſſe videmur. Quòd eum baptizandum publicè curatura eras, laudamus in Domino pium ſtudium tuum, reducendi in uſum, & conſuetudinem ſanctos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in tanto Sacramento adminiſtrando. Faxit Miſericors Dominus, ut iſto exemplo ii, qui decepti, miſerandum in modum, ab Hæreticis fuerant, in vero, & ſalutari hujus, & aliorum Sacramentorum uſu, ad ea rectè, ritèque, & ſalubriter ſuſcipienda commoveantur, & rejectis eorum tenebris, Catholicæ veritatis lumen recipiant; Filio verò ipſi Tuo Deus gratiam, in ſacro Fonte ſuſcipiendam, perpetuò conſervet, tibique lætitiam ex eo conceptam, in dies magis augeat, atque aliis multis donis, & gratiis munus ſuum cumulet. Reliqua cognoſces ex Nuncio Tuo, quem deſideria tua Nobis exponentem, ea, qua decuit, benignitate audivimus, & ad te cum noſtra benedictione remiſimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima ſecunda Januarii 1567. Pontific. noſt. ann. 2.]

II. At hæc Pontificis vota, tùm eximia Reginæ deſideria, priuſquàm illa ipſius has Epiſtolas acciperet, inania reddidit immaniſſimo ſcelere Hæreticorum perfidia, cujus, & Auctores, & modum, tàm multiplici diverſitate Scriptores referunt, ut quibus credendum ſit, haud facilè deprehendi poſſit. Fuit autem Darlæo Regi atrociſſima illata mors, & quidem, ſi fides adhibenda eſſet corruptiſſimis Calvinianis Scriptoribus, Buchanano, hujuſque generis aliis, necnon etiam Thuano, & inſuper Triphonio, Natali Comiti, & Catholicis aliis, Re-A ginæ Mariæ opera; quòd illa inſano amore erga Bothvvellium ſuccenſa, ut eum in lecti ac Regni ſocietatem, liberè adſcire poſſet, legitimum Maritum, ac Regem, deteſtanda væſania, è medio tollere ſategerit. Si verò Catholicis, & veritatis amatoribus Scriptoribus, vel etiam Hæretico Camdeno credendum ſit, procerum plurimorum, ſed Moravii præcipuè, Regi-B næ fratris Nothi, inſidiis, quòd ejus potentiam apud Reginam, tàm ægris oculis Rex intuitus eſſet, ut de ipſo de medio tollendo cogitaſſet; ipſumque conſilium, præ impatientia cum aliis quoque imprudenter agitaſſet. Quod ubi Moravio innotuit, occultiores incauto juveni inſidias oppoſuit, qui iiſdem deprehenſus, crudeli, ut mox dicetur, morte necatus fuit.

Quia verò, impio, ac ſcelerato Notho, vel Regis morte, ejuſdem C in ſe conſtructa conſilia evertere ſat non erat, niſi hac eadem occaſione Reginæ exiſtimationem, apud proceres, & plebem etiam labefactaret; ac ſi poſſet, non Regnum modò, ſed & vitam ei eriperet, & denique ad ſe ſummam rerum attraheret; idcircò viſum eſt illi, (id conſulente Mortonio, tunc licèt, ob Rizzii mortem, abſente) in ſceleris ſocietatem adſciſcendum eſſe, quem diximus, Bothvvel-D lium, Virum nequam, & ambitioſum. Nec difficile fuit eum ſeducere, ſpe illectum divortii ab uxore, ac nuptiarum cùm Regina, ſimul ac eſſet vidua; quinimò ultrò ſe ad ſcelus patrandum obtulit, ac impiiſſimè perpetravit. Quod quidem pravis Nothi conſiliis opportuniſſimum accidit; nàm, cùm Bothvvellius magna apud Reginam gratia polleret; hinc fuit, quòd Regicidium, ipſa non authore, vel ſaltem neſciente, ab eo patratum fuiſſe, nemo E ſibi facilè ſuaſerit: ſuſpicionem deindè confirmantibus, inter eumdem Bothvvelium, ac ipſam Reginam ſubſequutis mox nuptiis. III.

Ut autem faciliùs Regis cædem, Reginæ incontinentiæ tribuendam eſſe ſuaderent; à præterito anno, ut audiſti, nefarii Scriptores, amoto à Regina Rege, omnia per unum Bothvvellium agi tradiderunt; nec à veritate alienum cenſendum eſt, ab impiæ commolitionis authoribus, hos quoque fuiſſe in plebe diſſeminatos ſermones, IV.

ut

A ut faciliùs etiam vitio daretur Reginæ
commiſſum flagitium , quod ſic pera-
ctum fuiſſe tradit Conæus , rem à prin-
cipiis ſuccinctè tamen exorſus .

V. Conæus Vita Mar. Stuard. pag. 80

*[Nothus , cùm nihil ſe apud Re-
ginam contra Darlæum proficere cerne-
ret , timeretque , nè is , jam nati Princi-
pis tutela validior , acerbius quidquam
in ſe moliretur , cogitationes omnes ad
ſcelus maturandum convertit . Sunt qui
propinatum initio Darlæo venenum aſ-
ſerant , nullo , præterquàm ex inſequen-
ti morbo petito indicio , quem gravem
valdè , & ſupra conſuetudinem violen-
tum , conſtans Medicorum fatebatur aſ-
ſenſus . Decumbentem Regina ſæpiùs ,
non ſine lacbrymis , repugnante Notho ,
inviſit , eaque omnia , quæ piam dece-
bant conjugem , ægroto adhibuit ſolatia ,
cujus rara cura , & diligentia , cuncta ,
quæ excogitari potuerunt , medicamina ,
quocumque pretio ſubminiſtrantis , no-
xia vi morbi depulſa , redire ſanitas cœ-
pit . Tùm Nothus , ad priſtinas conver-
ſus fraudes , Darlæum in Hamiltanio-
rum Palatio , quo ægrum Regem deduci
curaverat , reficiendis viribus ſtuden-
tem , maxima comitate accedit , deque
valetudine recuperata , non ſecùs , quàm
ſi intimus aliquis amicorum eſſet , ficta ,
fœtaque mendaciis oratione , ei gratu-
latur : ſuadet prætereà nil mali ſubeſſe
autumanti , ut ad Kirkofoldii cujuſdam ,
civis privati ædes ſalubrioris habitatio-
nis diverteret . Darlæus comitate pari ,
ſed meliori fide , omnia , quàm diceren-
tur , accepit , & in tecta brevi ſibi exi-
tium allatura , vix mora interpoſita ,
migravit . Cognita profectionis cauſa ,
authoreque , Regina Mariti benignita-
tem , & pietatem Nothi vehementer lau-
dare , rationeſque æternæ inter eos ami-
citiæ ſtabiliendæ inire . Sed nihil ad
efferatum Apoſtatæ animum emollien-
dum valuit , tantò à vera charitate re-
motiorem , quantò ad omnia ſingenda
promptior erat : die ſiquidem , quæ con-
jurationem præceſſit , Aula relicta , mi-
grationem ex urbe ſimulans , in Subur-
banam Villam profectus , ad Solis uſque
occaſum delituit . Ingruentibus tene-
bris , Bothuvellium , dicta hora , locoque
convenit , & nihil recuſantem , ad faci-
nus , cui ipſum quoque interfuiſſe , non-
nulli ferunt , maturè exequendum accen-
dit ; timere enim ſe , nè Regina Mari-
tum , valetudini , utcumque reſtitutum
in Regiam accerſat ; ibi ſi cædes fiat ,
majorem offenſioni , minorem ſecuritati
locum futurum ; nec exaſperandum tàm
crebris , coràm , funeribus , Principis
animum , nondùm mitigata necis , Riz-
zio nuper illatæ , invidia . Bothuvellius
itaque , aſſumptis parricidii ſociis , ad
Kirkofoldii domum , nocte intempeſta ,
progreditur ; ac ubi , ſingula luſtrando ,
armatos , opportunis locis , ad omnem
introitum , fugamque probibendam ,
diſpoſuiſſet , Darlæo ex compoſito nun-
tiari juſſit , eſſe in borto quoſdam ex no-*
B *bilitate , ipſum conveniendi , ob graviſ-
ſima negotia , percupidos , quique non
pœnitenda ferrent : hos orare , ut priuſ-
quàm dies clareſceret , ſui copiam facere
dignaretur , idque ſine arbitris , cum à
nullo , niſi ipſomet agnoſci cuperent , qui
venerant . Prorupit ex lecto juvenili te-
meritate , nil ultrà percunctatus Dar-
læus , nec ſumpta , ad veſtes ritè aptan-
das , mora , in bortum deſcendit . Venienti
obviam progreſſus Bothvvellius , ſalutem
precatur , cui ille , reddita vice : Soluſnè ,*
C *inquit , mi Comes , bìc venis ? moxque
ſecretò muſſitantes obambulant . Bo-
thvuellus interim dictis ſuis intentum
Darlæum , nec ſimile quidquam metuen-
tem , collo apprehendit , ac injecta gut-
turi faſcia ſerica , quam miſer humero
gerebat , ex vicino arboris ramo ſuſpen-
ſum enecavit . Cadaver , ut erat , in le-
ctum referri curat , & quò ſcelus faci-
liùs lateret , totam domum , ſuppoſitis
tormentario pulveri , qui eum in finem
erat diſpoſitus , candentibus prunis ,*
D *funditùs evertit . Hæc ex ipſius Bothvuel-
lis confeſſione , dùm in carcere poſteà ,
apud Daniæ Regem detineretur , &
mortem expectaret , innotuere .]* Sic
Conęus ; alii verò rem aliter referunt
accidiſſe , nàm Ræmundus , non quidem
ſtrangulatum Regem à Bothvuellio ;
ſed ędibus , in quibus ipſe morabatur ,
à ſuppoſito , & incenſo pulvere , con-
vulſis , miſero Principi ſic illatam mor-
tem refert . Natalis Comes verò , au-
ditis , prima nocte , à Rege , armatis ,
E etiam in palatio , diffugiſſe dicit è tha-
lamo , per viam occultiorem , ſe ſerva-
turum cum puero , in Cellam Vinariam ;
ex qua cùm deinde eumdem puerum
emiſiſſet , exploratum , an inimici diſ-
ceſſiſſent , captum ab iiſdem refert , ac
tormentis coactum indicare Regem ,
cum eo ſimul fuiſſe ſuffocatum , puero
pro pulvino eidem ſubiecto . Idem fe-
rè refert Campana . Tritonius verò

ſtrangulatum, unà cum famulo narrat, cùm, audito armorum ſtrepitu, in hortum proximum confugeret, moxque tormentario pulvere ædes fuiſſe dejectas; quòd exangue Regis corpus in horto repertum fuerit, nullo affectum vulnere, nigramque tantùm circa collum maculam habens. Quod etiam confirmat Camdenus, qui Regem ſtrangulatum, & in hortum projectum, ædibus pulvere ſulphureo ſubrutis, dicit. Quidquid fuerit, immaniſſimo ſcelere, altero, & vigeſimo ætatis anno, quod boni omnes deteſtati ſunt, die decima Februarii infelix Princeps conſumptus eſt.

VI. Percuſſit hæc nefandi criminis in dilectum Conjugem atrocitas, ut Conæus refert, tanto dolore, ſæpiùs jam petitam Reginæ conſtantiam, ut ad eam eodem efferendam funere, niſi Dei nutu ad majora fuiſſet reſervata, mœroris vehementia ſuffeciſſet. Corpus idcircò Mariti ruderibus erutum, (celebratis, ab unico Sacerdote Catholico, quem non ſine multorum indignatione retinebat, exequiis) Regio Majorum Sarcophago inferri juſſit. Proxima ei cura fuit de pœna, ſecundùm leges, conjuratis irroganda. Verùm, licèt rumor facinoris patrati latè per Brittaniam ſparſus, illud in Mortonium, Moravium, & confæderatos contuliſſet: illi tamen (inquit Camdenus) imbelli ſexui inſultantes, in Reginam tranſtulerunt. Ut illius expers haberetur Moravius, Aula relicta, ut diximus, migrationem ex urbe ſimulaverat; verùm, non ante patratum facinus; quàm vix quindecim horas, ſubſtiteratque in loco, ex quo, conjuratis, ſi opus fuiſſet, ſubvenire poſſet, ut ſuſpicio tota in Reginam caderet. Statim autem adfuit, ubi rem, ex ſententia accidiſſe intellexit, & ſpecie quidem, ut in tanta rerum perturbatione Reginam ſubveniret, revera tamen, ut ipſam penitùs perderet. Rei ſeriem accipe ex Candeno, qui innocenti Reginæ ſtructas inſidias detegit, eamque à calumniis, illi, non tantùm ab Hæreticorum malevolentia, verùm etiam à Catholicorum incuria, in rei veritate expiſcanda, multipliciter conflatis, cùm de Moravio ſermonem habet, ſic vindicat.

VII. Camden. Par. 1. Hiſt. Angl. ſub anno 1567. [*Simul, ac in Aulam redierat* (Moravius) *& Conjurati Bothuuellium, ex Familiæ ſplendore, opera contra Anglos fortitèr navata, fide ſpectata, ut ejus* (*Reginæ nempè*) *amore digniſſimum, in Maritum commendarunt. Suggeſſerunt, illam ſolam, & ſolitariam non poſſe tumultus excitatos compeſcere, inſidias antevenire, molemque Regni ſubſtinere; in ſocietatem igitur lecti, periculi, conſilii illum adſumeret, qui poſſit, velit, & audeat ſe opponere. Eoque adegerunt, ut mulier trepida, duabus, tàm tragicis, cædibus perculſa, & Bothvvellii erga ſe, & Matrem ſuam, fidei, & conſtantiæ memor, quæ quò confugeret, quàm ad Fratris fidem non habuit, aſſenſum præbuerit. His tamen legibus, ut tenelli Filii ſaluti, ante omnia, conſuleretur, deindè ut Bothvvellius, tàm à Regis cæde, quàm à prioris conjugii vinculo legitimè liberaretur.*

Quid de hac re ſtatim publicè proteſtati ſunt Georgius Comes Huntlejus & Comes Argathelius, inter Scotiæ Proceres facilè principes, libet hic ex authographo ad Eliſabetham, quod vidi, ſubnectere: [Quandoquidem Moravius, & alii, ad obvelandam rebellionem contra Reginam, cujus authoritatem ſibi arrogant, illam tamquàm cædis mariti conſciam, apertè calumniantur: Nos hæc publicè proteſtamur, & atteſtamur. Menſe Decembri MDLXVII. cùm Regina Cragmillariæ ageret, Moravius, & Lidingtonius coram nobis agnoverunt, Mortonium, Lindſerum, & Revenum, non alio conſilio Davidem Rizium trucidaſſe, quàm ut Moravii ſaluti conſulerent, qui, eodem ipſo tempore, erat proſcribendus. Ideò, nè malè grati viderentur, ſibi in votis eſſe, ut Mortonius, & reliqui, ob Davidis cædem exulantes, reducerentur. Hoc autem fieri non poſſe innuerunt, niſi Regina à Marito, divortio ſeparetur; quod ſe effecturos ſpoponderunt, modò nos aſſenſum præberemus. Poſted Moravius mihi Huntlejo promiſit, avitum patrimonium reſtituendum, & æternam gloriam apud exules ineundam, ſi divortio faverem. Itum deindè ad Bothvvellium, ut ille unà conſentiret. Poſtremò ad Reginam acceſſimus, & Lidigtonius, omnium nomine, majorem in modum oravit, ut exilium Mortonio Lindſejo, & Reveno remitteretur: Regis errata, & offenſiones in Reginam, & Regnum, verborum atrocita-

te

te exagravit, monſtravitque; & Reginæ, & Reipublicæ omninò intereſſe, ut divortium quamprimùm fieret; quandoquidem Rex, & Regina non poſſent ſimul eum ſecuritate in Scotia verſari. Illa reſpondit, ſe malle ad tempus in Galliam ſecedere, donec Maritus ætatis errata agnoſceret; nolle enim quidquam fieri, quod fraudi ſit filio, aut ſibi dehoneſtamento. Ad hæc Lindigtonius: Nos, qui tibi à conſilio ſumus, hæc cavebimus. At impero, (inquit illa) nequid faciatis, quod vel honori meo, vel conſcientiæ maculam inurat. Res ſit in integro, donec Deus deſuper medeatur, quod Vos mihi bonum futurum exiſtimatis, nè in malum cedat. Cui Lindigtonius: Rem nobis committas, & nihil videbis, niſi quod bonum, & Parlamentaria authoritate comprobandum. Hinc, cùm, poſt pauculos dies, Rex nefaria cæde fuerit extinctus, nos ex interno conſcientiæ teſtimonio pro certiſſimo habemus, Moravium, & Lindigtonium fuiſſe authores machinatores, & ſuaſores hujus Regicidii, quicumque fuerint Regicidæ.] Hæc ille; ſequitur Camdenus:

[*Confœderati jam toti in hoc erant, ut Bothvvellius Regicidii abſolveretur. Protinus igitur Parlamentaria Comitia, nulla alia de cauſa, indicuntur, & Edicta prodeunt, ut Regicidii ſuſpecti apprehenderentur. Cùmque Lenoxius, Regis cæſi Pater, Bothvvellium, ut Regicidam accuſaret, vehementiùſque inſtaret, ut, priuſquàm Ordinum Conventus haberetur, ille judicio ſiſteretur; hoc etiam conceſſum eſt; juſſuſque Lenoxius, ut intra vigeſimum diem ſe contra ſiſteret. Quo die, cùm nihil ab Angliæ Regina intelligeret, & in urbe, hoſtium plena, adeſſe, ſine vitæ periculo non poſſet; Bothvvellius pro tribunali ſiſtitur, & Mortonio cauſam ejus ſuſtinente, Judicum ſententiis abſolvitur.*

Hoc negotio confecto, Conjurati effecerunt, ut plurimi è nobilitate nuptiis aſſentirent, chirographis ſcripto appoſitis, nè ille promiſſis nuptiis excluſus, eos ut totius ſceleris architectos inſimularet. Ex his nuptiis cum Bothvvellio (qui Orcadum Dux creatus) ſuſpicio, Reginam cædis fuiſſe conſciam, apud omnes invaluit; quam conjurati, miſſis literis, paſſim auxerunt, & occultis coitionibus Dunkeldiæ in Reginæ abdicationem, & Bothvvellii exitium ſtatim conſpirarunt.] Hucuſque Camdenus.

A At, licèt hoc nuptiarum Reginæ cum Bothvvellio conſilium, tantorum votis exoptatum, ab ipſa ultrò quæſitatum non fuiſſe, ad explendam incontinentiæ cupiditatem, (uti, non modò Hetherodoxi, ſed etiam Natalis Comes, Tritonius, aliique inter Catholicos Scriptores ſomniarunt, inconſultas corrupti vulgi opiniones, ac vociferationes ſecuti) quæ huc uſque dicta ſunt facilè oſtendant; libuit tamen hic addere, quæ Conæus, de eodem VIII.
B agens, monumentis tradidit, his verbis:

[*Dum anxia rei exitum præſtolatur Regina, veniunt è Senatu, qui eam, ut finem mærori ponat, hortantur, ſuamque, in Bothvvellii cauſa cognoſcenda, fidem oſtendunt, innocentiſſimum communi judicio inventum affirmantes. Tùm Procerum nomine rogare, ut aliquem ex nobilitate in Regni adminiſtrandi ſubſidium, ſuæque viduitatis levamen aſſumat, id omnibus probari. Quare tolleret ocius rebus novis occaſio-*
C *nes, omnemque de extero Principe (cujus imperium ægerrimè laturi eſſent Scoti) adſciſcendo pelleret cogitationem. Eſſe Bothvvellium Comitem, tùm bellica laude, tùm animi, corporiſque dotibus, apud cunctos inſignem. Hujus vel nomini, ad ſubditos in officio continendos, momenti plurimùm ineſſe. Excanduit his auditis Regina, petiitque, num adulterinas nuptias approbarent? Sed illi divortium inter Comitem, & Uxorem factum aſſeverant. Qua lege,*
D *inquit Regina, ipſa viva Conjuge, licèt Uxorem ducere? Hæc nè deformati veſtri Evangelii dogmata? Sic infecta re dimiſſi, paucos poſt dies redeunt, mortuam Comitis Uxorem nunciantes: tùm illa, importunitate victa, deliberandi tempus rogavit.*

Sterlinum interìm ad Principem Jacobum inviſendum contendens, cum eodem, brevi ſpatio, morata eſt; ex quo neſcires, dolorem majorem, an lætitiam hauriret. Lætabatur quidem ex filii
E *aſpectu, quem unicè diligebat, ut par erat; ſed dùm viduitatem ſuam, puelli ætatem, ac miſerum Regni ſtatum conſiderat, ſe, infantemque in magnis conſtitutam periculis videt. Verùm hoc certum, plùs optimam matrem de filii incolumitate, quàm de propria fuiſſe ſollicitam. Sterlino redeunti Bothvvellius cum armata militum manu fit obviam, tabulaſque de ſuis cum ea nuptiis, Procerum*

cerum ſigillis munitas offert; has rogat, ut Princeps aſſenſu proprio ſtabilire dignetur, nec differendum ajebat, cùm non non ſine utriuſque ingenti diſerimine necti mora poſſent. Maria hoc ſtatu deprehenſa, quo, neque arma, neque artes, quibus reſiſteret, haberet ad manum, noſceretque impotentem Buthvvelli, ad quidvis audendum, ſi expectatione fruſtraretar, animum, aſſenſit: priùs tamen eum, ſolemni Sacramento, in Catholicorum verba, & fidei apud Scothos inſtaurandæ, ſocietatem adegit: Mox fidelitatis juſiurandum erga Reginam, & Filium Principem, nec rogatus, juravit. [Sic Conæus; ex quo, ut innuimus, facilè coniicies, quàm falsò Tritonius Reginæ ſimulationi tribuerit, vel quòd Bothvvellius armata manu eam circumvenerit, & ad nuptias compulerit, quòd ipſum perditè diligeret; & quàm improbè, neutiquam diuturnas, ac fauſtas eaſdem nuptias extitiſſe pronunciaverit, quas, non Matrimonii dignitas, ſed indigni facinoris ſocietas effeciſſet. Et quàm inconſultè Natalis Comes quoque., eiſdem mendaciis fidem adhibuiſſe, in his, quæ ſcripſit, meritò deprehendatur. Cùm verò hæc, & his ſimilia., præfati, alique Scriptores hauſiſſe agnoſcantur à calumnioſis Buchanani, Thuani, & his ſimilium Hæreticorum commentis, eaque, ut omninò falſa, Hæretici ipſi rejecerint, uti aliàs diximus, & damnaverint, hinc in eis refellendis diutiis immorandum non eſſe, meritò cenſemus.

IX. Quæ inſuper ſcripſit, de iiſdem nuptiis differens, ab Iſſelt; nullatenùs veritati cohærere poſſe videntur. *Bothvvellius* (inquit) *ad Almeonis pontem, cum ſexcentis equitibus profectus, Reginam opperitur: venientem vi rapit, & ſecum Dumbarum ducit; blanditiis, & variis officiis animum Juvenculæ expugnat, in ſui amorem pertrahit; pertractam, Edemburgum cum ea proficiſcitur, libertati eam reſtituit, nè, ſi captiva nuberet, pro vitiatis haberi poſſent nuptiæ. Hic ea, in conſeſſu Judicum, ſe liberam, & ſui Juris eſſe fatetur, & in matrimonium conſentit. Fiunt in Templis denunciationes, præmittuntur ſolitæ cæremoniæ, celebrantur nuptiæ, (ſi verum fateri velimus) nan ſatis honeſtæ, Reginâque indignæ, quibus, nec propinqui, nec Amici, nec ipſe Croeus Legatus Gallicus, nè ſua præſentia nuptias illas probare, & dignitatem Legationis ſuæ imminuere videretur, intereſſe voluerunt. Reges quoque Galliæ, & Angliæ, per Legatos eas nuptias averſabantur, quæ, & Guiſios omnes offendebant.*]

X. Iſta ab Iſſelt; at quis non videt, nullam ferè veritatis ſpeciem in his deprehendi? Quis enim crediderit, ſi tot procraſtinationibus dilatæ fuiſſent nuptiæ, (quas tanto furore, non conjurati modò, qui eas commoliti fuerant, ut Reginam hinc abiiciendi occaſionem ſumerent, ſed Scoti quoque omnes, ac exteri execrati ſunt) à Bothuvellio ad exitum perduci illas potuiſſe; & interim periculi, ac proditionis, ab aliquo Reginam, in libertate conſtitutam, non fuiſſe commonitam, ut iiſdem abſtineret? Deinde, undè ſomniavit ipſe, factas denunciationes in Templis, ſolitas Cæremonias Eccleſiæ præmiſſas, iiſdemque nuptias hujuſmodi celebratas, ac ſi Catholicos ritus publicè exercere licuiſſet, & Concilii Tridentini decreta in uſum recepta extitiſſent; cùm è contra certum ſit, ab Hæreticis & Templa cuncta, vel diruta, vel ſectariis ſuperſtitionibus coinquinata, & Reginæ vix unum Sacerdotem, qui clàm rem ſacram faceret, permiſſum? Verior igitur eorum ſententia habenda eſt, qui Reginam à Bothvvellio, ex improviſo circumventam, cùm neque arma, neque vires, quibus ei reſiſteret, ad manum haberet; à cunctis ſe derelictam agnoſcens, & peracta mariti crudeli nece perterritam, ideò nuptiis, quas Proceres, ad totius Regni commodum opportunas eſſe, ſcripto comprobaverant, aſſenſum præbuiſſe, referunt. Quod confirmari videtur ab his, quæ ipſe ab Iſſelt ſubdit; poſtquam enim narravit, Reges Galliæ, & Angliæ, per Legatos eas nuptias averſatos fuiſſe, & Guiſios offendiſſe, ſtatim addit. [*At illa prolixis literis, & in Bothvvellium, & in Proceres, à quibus ſe Bothvvellio proditam querebatur, eam rei indignitatem tranſtulit.*]

XI. Cùm verò, ex Conæi narratione appareat, Reginam ad Principem Jacobum filium ſuum inviſendum, Sterlinum contendiſſe; non prætereundum, quod tunc ipſi accidit, & à præfato etiam ab Iſſelt dicitur: [*Regina* (inquit) *de puero filio ſollicita, nè, aut ab ambi-*

Digitized by Google

*ambitioſis , aut regnandi cupidis inter-
ficeretur , aut in pernicioſiſſima hæreſi
educaretur , Regnoque , & Religioni
exitio aliquandò eſſet, Sterlinum profe-
cta, à Marriæ Comite repetit ; ille qui-
dem puerum Reginæ oſtendit , reddere
tamen recuſavit , omnia eſſe in ſua po-
teſtate affirmans . Regina , cùm ad vim
par non eſſet , retrò , undè venerat ,
fruſtrata , reverſa eſt .*) Sic ille : Alii
verò , ut Natalis Comes refert , quòd
cùm Regina ad viſendum puerum ,
cum quadraginta equitibus acceſſiſſet,
ut illum ſecum impoſterùm haberet ;
reſponſum tulit , Proceres velle ipſum
ſervare , quem , ſi vellet inviſere ,
ſibi facultatem conceſſum iri , ſi cum
duabus tantùm ancillis iſtud faceret .
Quo indignata Regina reſponſo , ne-
que viſo quidem puero , receſſiſſe ſcri-
XII. bit ; idemque Tarcagnotta confirmat .

Moravius autem , cui ex ſenten-
tia ſucceſſerat Regicidium , cujuſque
ſceleris , ut expers videretur, ab aula ,
ut diximus, receſſerat ; iiſdem artibus
commolitur Reginæ perniciem , & cri-
minis ſuſpicionem devitare contendit .
Eandem idcircò exoravit Reginam ,
licentiam in Galliam proficiſcendi, ut-
que omnem diffidentiam tolleret , res
ſuas univerſas in Scotia,Reginæ, & Bo-
thvvellii fidei commendavit . At vix
ille ex Anglia tranſierat , ut narrat
Camdenus ; ecce , qui Bothvvellium à
reatu cædis abſolverant , & chirogra-
phis in nuptias conſenſerant , in eum
arma ſumpſerunt , quaſi aprehenſuri ;
reverà ſubmonuerunt , ut ſibi fuga
conſuleret , non alio conſilio , ut mox
dicetur , quàm , nè aprehenſus totam
machinationem renudaret,utque ipſius
fugam in argumentum , ad Reginam
Regicidii accuſandam arriperent. Præ-
ter effrænem livorem , quo agitata Eli-
ſabetha Angla , fatale Reginæ Mariæ
exitium hac ratione paraverat ; ac in-
ſatiabilem dominandi libidinem , quæ
Moravii (cujus illa fraudibus uteba-
tur) diriſſimè , ac perpetuò animum
vexabat ; ferales in Mariam turbas ,
ſanctum ipſius in Catholica Religione
propoſitum excitaſſe,teſtatur ab Iſſelt,
his verbis :] *Proceres , qui Hæretico-
rum factioni ſtudebant , poſtulant , ut ,
quod Regina in cauſa Religionis pro-
miſerat , (ut ſcilicet Religionem Ca-
tholicam aboleret, & novis legibus, ſuæ
Eccleſiæ authoritatem ſtabiliret) jam
A tandem præſtaret . Negat Regina , ſe
id promiſiſſe , quòd ſi quæ in ſpeciem
promiſſa ſint , ea, & vi extorta, & me-
tu promiſſa , quæ cum impia ſint , &
ſinceræ Fidei ,pietatique contraria , ad
ea præſtanda ſe minimè teneri . Hæc
Reginæ reſponſio , Scotorum animos ma-
jori in eam odio accendit , ut jam nihil
magis , quàm quomodò ab ejus imperio
ſe ſolutos eſſe optarent :*) Hæc ille : XIII.

Ubi igitur intellexere Sectarii, ea
lege Bothvvellium Reginam duxiſſe
B uxorem , ut Catholicam Fidem ample-
cteretur , & ab ipſa Regina in ejuſdem
Fidei , apud Scotos inſtaurandæ ſocie-
tatem adactum ; conceptam rabiem ul-
teriùs diſſimulandam minimè cenſue-
re , plebemque (inquit Conæus) ad
conciones, & arma vocarunt . Bothvv-
ellium, qui , dùm Puritaniſmum ſimu-
labat, mortalium innocentiſſimus, cun-
ctorum ſuffragiis , declaratus fuit ; ad
Apoſtolicam veritatem converſum ,
apoſtatam , rebellem , ac Regiæ cædis
C authorem proclamant . Hinc exerci-
tum Dumbarum versùs,Ducibus Mor-
tono , & Ruveno movent , Reginam ,
ac Bothvvellium unà impetituri. Inopi-
nato furori repellendo hi impares, con-
greſſum ad præſens differunt ; at ubi ,
confluentibus Catholicis copiæ Regiæ
augeri cœperunt , propè Caberillum ,
ad ſe potiùs defendendos , quàm re-
belles offendendos , caſtra poſuere .
Cùm autem cognoviſſent Sectarii Re-
D ginæ exercitum , numero , ac viribus
ſuo ampliorem , quod vi minimè poſſe
agnoverunt , aſſuetis fraudibus obtine-
re connituntur . Mittunt idcircò , qui
Reginæ nunciet , non aliam ob cauſam
ſe arma ſumpſiſſe , quàm , ut illam Bo-
thvvellii Regicidæ, aliorumque Maje-
ſtatis criminum reorum , tyrannide li-
berarent . Iniquorum verbis illa aures
præbuit, quòd mitiſſimi animi Princeps
eſſet , & ſubditorum ſuorum ſanguini
parcere optaret; ideòque Bothvuellio
E ſibi fuga conſulere juſſit , donec rursùs
ipſius cauſa in judicium revocaretur .
Quantum potuit , mandato obtempe-
rare , precibus , ac rationibus ille re-
nuit , petiitque , ut ſibi innocentiam
ſuam , vel ſingulari certamine , proba-
re concederetur . Sed fruſtrà Regi-
nam à ſententia revocare contendit ,
cùm id illa expedire exiſtimaret , ut
publicæ ſe quietis amantem præberet .
Ipſe igitur fugam arripere compulſus .
ab-

abſque diligentiori inquiſitione aliquandiù in Scotia permanere permiſſus eſt; quidquid enim in eum inclamaretur, (ut diximus) nec ſanè immeritò, ut obſervat Spondanus, obtentus tamen cauſæ erat, non vera cauſa. Hæc ſiquidem in ſolam Reginam præcipuè collimabat, ideòque eum apprehendere noluerunt, à quo eorum fraudes detegi potuiſſent; nàm, cùm ille ſuas cum Regina nuptias, publicæ authoritatis ſpecie, honeſtari voluiſſet, ac ignari adhùc voluntatis Reginæ, rebelles Proceres ſubſcripſiſſent libello, quo nuptias illas cum Bothvvellio approbare, ac expetere ſignificabant; poſtridiè facti pœnitentes, ſcriptum repetierant, nè Reginam (inquit ab Iſſelt) prodidiſſe, & ad nuptias ab ipſiſmet, (ut conſtituerant) poſteà improbandas, compuliſſe, aliquandò convinci poſſent. At illud minime repoſcere valuerant à Bothuellio, qui ipſo uſus Chirographo, ad optatas tandem, (ut diximus) cum Regina nuptias pervenit. Juſto igitur timore perciti, nè hac ratione nefandæ eorum in innocentem Reginam commolitiones proderentur, ipſum liberum abire permittunt.

XIV. Verùm, cùm paulò poſt, ut dicetur, à Moravio, nonnullos ex ſuis famulis comprehenſos, ac ob Regicidium ultimò affectos ſupplicio intellexiſſet; conſcientiæ aculeis perculſus, periculum animadvertens, ad Orcadas primùm, indeque fugatus, in Daniam ſe recepit; At ibi agnitus, ac in carcerem conjectus, decimo ab hinc die moriens, coram Epiſcopo, ac Proceribus, qui interfuerunt, reum ſe ſceleris faſſus eſt, & proditionis auctoribus nominatis, Reginam culpâ penitùs immunem denunciavit. Hoc teſtimonio detectæ Sectariorum calumniæ, Reginæ innocentia manifeſtatur, ipſorumque impiiſſimæ machinationes, (uti jam metuerant) perpetuum eis dedecus, ac infamiam pepererunt. Ut eam igitur devitarent, emendicato mendacio altero veritatem repellere connixi ſunt, & Bothvvellium in amentiam incidiſſe, cùm hæc protulerat, impudentiſſimè vulgarunt. At hoc perfugium (ut ex ipſa Hæretici Camdeni narratione, inferiùs danda, apparet) Daniæ Regis authoritas, & teſtimonium eluſit; nàm, cùm intellexiſſet, hæc perperàm à Mariæ adverſariis ſparſa; ex men-

A te ſana proceſſiſſe, quæ Bothuellus conſeſſus fuerat, ſcriptis ad plures Principes, tùm ad ipſam Eliſabetham, Epiſtolis teſtatus eſt; ſicque penitùs falſitatis artibus dejectis, veritas, ac innocentia libera evaſit. Cùm aliàs tamen Bothuellius vir ſtrenuus eſſet, ac in præſenti diſcrimine unus ferè omnium, rebellium auſus deturbare valeret; ad id quoque eos proſpexiſſe, cùm à Regina dimitti curarunt, cenſendum eſt, ut ejus nempè deſtituta præſidio, illam B ſibi faciliùs ſubigere poſſent.

XV. At jam illa, ut diximus, bona fide, ac ſincero corde, à blandis hoſtium ſuaſionibus decepta, nè pacem cum ſubditis ſuis abnuere videretur, vel illis diffidere, ultrò ſeipſis tradere ſtatuerat. Et quidem in Sectariorum caſtra tranſiens, magnis clamoribus, ac plauſibus primùm excepta, deindè tamquàm in triumphum, Edimburgum deducta eſt. Verùm, quod ante illam protulerunt vexillum, in quo Darlæi C mortui depictum erat cadaver, ac pone Infantis Jacobi vindictam à Deo expoſcentis imago, jam tacitè Reginam cædis in maritum patratæ inſimulabant. Ubi autem Edimburgum perventum eſt, & non in Regiam de more, ſed in privatas ædes, quas cuſtodia munivere, comitati ſunt; patenter ſermonibus tamquàm ſceleris ream laceſſire non deſinunt, & ad luendas deindè delicti pœnas contumelioſiſſimè, D indignis modis, exagitatam, ac vili palla indutam, abreptis ipſi, dum veſtiebatur, injurioſiſſimè cunctis Regalibus indumentis, equoque impoſitam, in Carcerem ad Lacum Levinum mittunt, ubi contruſa ſub cuſtodia Matris Moravii, pellicis Jacobi quinti Scotorum Regis, à nefaria ea fœmina, quæ calamitatem incarceratæ Reginæ petulantiſſimè inſectata eſt, (utpote, quæ ſe legitimam fuiſſe Jacobi V. Uxorem, ac Moravium filium legitimam ex ea prolem, meretricia jactantia glo- E riaretur.) mira prorsùs, ac inaudita perpeſſa eſt.

XVI. Quid autem de illa ageretur, Conjurati neutiquàm inter ſe convenire poterant. Lindictonius, & pauculi alii (inquit Camdenus) in authoritatem reſtituendam cenſuerunt, his legibus, ut Regicidæ ex lege punirentur, Principis ſaluti proſpiceretur, Bothuellius divortio ſepararetur, & hæ-

hæretica Secta (quod potiſſimum omni- A
bus cordi erat) conſtabiliretur. Alii,
ut in Galliam, aut Angliam, perpetuo
relegaretur exilio, modò Rex Galliæ,
aut Regina Angliæ fidejuberent, quòd
illa omnem Regiam authoritatem in
filiolum, & quoſdam è proceribus, Re-
gno ejurato, transferret. Alii, ut ju-
dicio ſiſteretur, damnaretur, in per-
petuo carcere conderetur, & filius in
Regem inauguraretur. Alii deniquè,
ut Regia authoritate, & vita, extremo
nimirùm damnata ſupplicio, ſpoliare- B
tur. Et hoc Knoxus, & aliquot (in-
quit Camdenus, ſcelus tantum fateri,
& unà imminuere connixus) unà cum
eo Calviniani verbi Miniſtri è ſuggeſtis
intonarunt. Addit tamen, Nicolaum
Throcmortonum, ab Anglia, ad ſedan-
das Scotiæ turbas, miſſum, Sacrarum
Scripturarum authoritate, temerarias
iſtas, contra Reginam, ſententias revin-
cere ſtuduiſſe, ac multa pro illa, de
obſequio ſupereminentioribus poteſta-
tibus, gladium geſtantibus, propo- C
ſuiſſe; acriterque diſſeruiſſe, Regi-
nam oſtendens, nullius, preterquàm
Cæleſtis Judicis judicio ſubjacere; nul-
lius Tribunali in terris poſſe ſiſti,
nullam eſſe Magiſtratus authoritatem,
quæ à Reginæ authoritate non eſſet
delegata, & ab ipſa revocabilis. Qui-
bus quidem rationibus eos oppoſuiſſe,
dicit, & peculiare apud Scotos jus Re-
gni, & in extraordinariis cauſis, ex-
tra ordinem eſſe decernendum; argu-
menta, nimirùm, à Buchanano ac- D
cepta, qui tunc temporis, Moravio
ſuaſore, damnatum illum Dialogum *de
Jure Regni apud Scotos*, ſcripſerat,
quo, populo jus eſſe Reges creandi,
& abdicandi, contra Scoticæ hiſtoriæ
fidem aſtruxerat; ſubditque Camde-
nus, eumdem Throcmortonum, præ-
ter hæc, pro Regina reſtituenda, &
acceſſu ad illam, importunè, blandi-
tiis ſimul, ac monitis, unquàm inter-
pellare, fruſtrà licèt, non deſtitiſſe.

XVI. Verùm his, ac hujuſmodi aliis, E
fidem præbeat, qui vult. Nos enim,
neque Eliſabetham, neque ipſius Ora-
torem Throcmortonum, ab eorum ſen-
tentia diſceſſiſſe, quorum, circa Fidem,
doctrinam, potiſſimùm ſequebantur,
quamque ſolam ſtabilire conſtituerant,
ulla prorsùs ratione cenſere poſſumus;
& eò minùs commentis hujuſmodi fi-
dem ullatenùs adhibendam cognoſci-
mus, quò tàm ſanis, ac æquis ratio-
nibus, quæ ſubſecuta ſunt minimè con-
venerint. Nàm Regina, quam Throc-
mortonus dixit, nullius judicio, præ-
terquàm Cæleſtis Judicis ſubjacere;
nullius Tribunali in terris poſſe ſiſti; in
Anglia tamèn, ut ſuo loco dicendum erit
horrenda Eliſabethæ tyrannide, & ju-
dicata, & crudeli morte affecta viſa
eſt. Idcircò, quæ ad eam reſtituen-
dam Throcmortonum ipſum feciſſe dici-
tur, omninò etiam commentitium ha-
bendum eſt; cùm nil magis exoptaſſe
Eliſabetham, quàm omnimodam Ma-
riæ perniciem, ex ſuprà allatis, & his,
quæ poſtmodùm fecit, evidentiſſimè
cognoſcatur. Quod ſi nihilominùs pro
eà egiſſe, ac interpellaſſe fatendum ſit,
hoc certè in ſpeciem tantùm, ad eluden-
dos, nempè, aſſuetis artibus incau-
tos, ac ſimplices feciſſe putandum eſt.
Quo etiam ingenio ideò Throcmorto-
nus ad Mariam accedere prohibetur, nè
Galliæ nimirum Regis Orator idipſum
petere audeat, ut ei ſeriò opituletur,
nec de ſingulari conqueri poſſit injuria,
quam alteri quoque illatam intelligit.
Neque enim Anglo concedere æquum
erat, nec decorum, quod Gallo fue-
rat denegatum, nimiſque, hac ratio-
ne, è ſuis latebris ſimulatio emerſiſ-
ſet.

At id nil ad negotium Throcmor- XVII.
toni pro Eliſabetha, quod totum cum
rebellibus peragendum erat. Inter hos
autem, ut audiſti, maxima diſcepta-
tio. Moravius, cui nihil, aut facere,
aut dicere, niſi quod Eliſabetha vo-
luiſſet, mos erat, & ad devitandam
rerum, quarum ipſe auctor erat, infa-
miam, in Gallias, ut diximus, ſe re-
ceperat; licèt ibi magnum de Reginæ
captivitate, ac civilibus bellis, Gui-
ſiis Principibus monſtraret dolorem;
tamen Knoxi ſententiæ facilè accedens,
ſe nullatenùs in Scotiam, uti rogaba-
tur, redire velle ſignificavit, niſi Re-
gina è medio tolleretur. In quam ſen-
tentiam Hæreticorum colluviem ultrò
deſcendiſſe, teſtatur Conæus. Ut au-
tem nec viventi nec morienti, imò nec
mortuæ nomini, & famæ parcerent,
ea ratione horrendum facinus patrare
ſtatuerunt, ut laqueo gulam ejus fran-
gentes, vulgare poſſent, ultimæ tra-
ditam deſperationi, ſibi ipſi Mariam
manus violentas intuliſſe. Rem dila-
tam (inquit Spondanus) voluit Domi-

nus, diuturnoribus ærumnis, ad meritum ejus augendum, & nobiliori martyrio eam reſervans; nàm licèt æquè, ac illi, ac præ aliis omnibus Mariæ mortem Eliſabetha quæreret, ac optaret; tamen, quia, quidquid deinde vulgatum eſſet, in dubium vocari meritò poterat, nec ſceleris authores omninò, vel ab hujuſmodi ſuſpicione eximi poſſent; ideò mitiori conſilio, ſuo, eorumdemque nomini conſulere ſtuduit, ut ſcilicet Mariam ſe Regno abdicare, ac omne dominii jus in Jacobum Principem, filium ſuum transferre cogerent, quòd ſic longè ſecuriùs, abſque ulla violatæ Majeſtatis noxa, in privatam acturos, quàm ſi Regni titulum, dignitatemque retinuiſſet. Etſi enim, quæ Camdenus, a Throcmortono, pro Regia dignitate, ac officio prolata, mentitur, minimè vera fuerint, nec vera, vel ab ipſo, & Eliſabetha fuerint exiſtimata, tutiorque Buchanani, aliorumque videretur ſententia; tamen eam apertè ſectari, ipſis ſectatoribus turpe apparebat. At, cùm Regina Regali ſe authoritate abdicaſſet, effræniori conatu, omni prorsùs difficultate ſublata, ipſam conjuratos ſecuriùs abſque ullius invidia, poſſe perdere, Eliſabetha admonuit. Et hoc quidem Anglæ inventum cùm placuiſſet, rejectis ſententiis cœteris, eidem perficiendo, animo adhæſerunt.

XVIII. Quod deinceps actum fuerit, accipe ex eodem Camdeno. [*Reginam* (inquit) *in dies arctiori cuſtodia concluſerunt, etſi lachrymis oppleta, demiſſimis precibus obteſtaretur, ut mitiùs tum ea ageretur, ſi non ut Regina, tamen ut Regis filia, & Principis matre; quem, ut ſemel inviſeret, ſæpiùs fruſtrà ſupplicavit. Sed nè ſingillatim injurias in illam perſequar, tandèm blandè aggreſſi ſunt, ut Regno ſponte cederet, exeuſatione quæſita, vel ex adverſa valetudine, vel regnandi moleſtia, vel, quod alii ſubtiliùs monuerunt, ut ceſſione facta, illa negligentiùs cuſtodita faciliùs evaderet. Cùm hæc non ſuccederent, minitati ſunt illam publico Judicio ream peragere vitæ incontinentèr actæ, Regicidii, & Tyrannidis, hoc nomine, quòd leges, & patria jura violaſſet, nominatim, quæ Randanus & D. Oiſelius, Regis Galliarum, & ipſius nomine, confirmarant. Tandem mortis terrore injecto, eam inauditam compulerunt, tribus diplomatibus chirographum apponere, quorum primo Regnum ceſſit Filiolo, vix tredecim menſes nato; altero, Moravium Proregem conſtituit, dùm Filius in minori eſſet ætate. Tertio, ſi Moravius onus recuſaret, hos Rectores Filio nominavit: Jacobum Caſtri; Heraldi Ducem, Matthæum Lenoxiæ, Gileſpicum Argateliæ, Joannem Atholiæ, Jacobum Mortonii, Alexandrum Glencarniæ, & Joannem Marriæ Comites. Nec mora: illa Reginæ Angliæ per Throcmortonum ſignificavit, ſe coactam ceſſiſſe, & ceſſionis inſtrumento invitam ſubſcripſiſſe*, ex conſilio Throcmortoni, qui perſuaſerat ceſſionem in carcere, *qui juſtus eſt metus, extortam plane irritam eſſe*]

Ita Camdenus, qui licèt innumeris tergiverſationibus Eliſabethæ ac Oratoris illius contegere dolos contendat; tamen invitus eos prodere cogitur, nil ideò veritus, inter ſe pugnantia conſcribere. Cùm enim, ſuadente Throcmortono, Regno ceſſiſſe Mariam, ex ipſius Mariæ verbis aſſerat; non igitur æquè uti Gallis Oratoribus, acceſſus ei ad illam in carcerem prohibitus eſt. Quod ſi reſpondeat, primò quidem æquè Gallis ac Anglo prohibitum, ſed deindè, poſt omnium procerum congreſſum, noviſſimo huic conceſſum; ex his æquiſſimè educi poſſe cognoſcitur, ideò fuiſſe permiſſum Anglo, ut eam alloqueretur, ac cum ea ageret, quòd unà cum illis ipſius perniciem, ab Eliſabetha miſſus, commoliturus veniſſet. Gallis è contra Oratoribus id vetitum, quòd verè Reginæ opem ferre deſiderarent, ac res, ipſa ſalva, componere. Cur igitur Camdenus, cùm res ita ſeſe habuerint, priùs ſcripſit, deteſtatam ab Eliſabetha, ex animo hanc effrænem in Principem Sororem ſubditorum inſolentiam, quos perfidos, ingratos, rebelles, & crudeles appellaſſe dicit: miſiſſe Throcmortonum in Scotiam aſſerit, ut apud confœderatos, de hac in Reginam inſolentia expoſtularet, & rationem iniret, quomodò illa in priſtinam libertatem, & authoritatem reſtitueretur: ſi non modò libertati reſtituere minimè fecit, ſed Regia, è contra authoritate, ut ſpoliaretur, Miniſter, & author fuit? Si enim reſponderet, id Throcmortonum feciſſe, quòd res aliter componere non valeret; ineptiſſimam

ſimam excuſationem facilè illud repel-
leret, quòd, non modò nullum prorſùs commodum, ex conventione ab eo
inita, in Reginam derivavit; quin è contrà, ex ea proceſſerit, quòd penitùs
miſeriis, ac ærumnis conficeretur,
mortis namque ei inferendæ ſententiam, non tantùm hac ratione, tùm ipſe,
tùm Eliſabetha, tùm Conjurati ſublatam
voluere, quàm, ut Regia ſubtracta
dignitate, faciliùs exequi poſſent, cogitarunt. Uti verò zelotypia dominandi, Eliſabetha Matrem oppreſſit, ſic Filium quoque obruere unà
voluiſſet, omnìque ideò, (ut ex eodem
Camdeno habemus) conatu inſtitit,
ut non in Galliam Princeps tenellus
deportaretur, vel in Scotia, tot turbis
agitata, remaneret, ſed in Angliam, quò
ejus ſaluti ſecuriùs conſuleretur, deferri poſtulavit. Verùm irritas reddidit
vaferrimæ mulieris fraudes Scotorum
ſolertia, qua puerum ſæviſſimæ illius
Leænæ faucibus devorandum tradere
ſemper conſtantiſſimè recuſarunt.

XX. Per vim igitur abdicato à Maria
Regno, quinto poſt die, & ab ipſius
captivitate quadrageſimo quinto, quarto Kalend. Auguſti, Sterlingi Jacobum, Henrici, & Mariæ filium, in Regem rebelles inaugurarunt, ejus nominis Sextum; cæremoniam, ex præſcripta formula, operante (excepta tamen Miſſæ celebratione) Adamo Bodualo, Orcadum Epiſcopo, à rerum
Scoticarum Scriptoribus, ut narrat
Ræmundus, necromantiæ, & veneficii infamia aſperſo; eique Abbates
nonnulli aſtiterunt, Moravio cognatione juncti, moribus, ac conſiliis
conformes. Id muneris Archiepiſcopi
Santandreani, Regni Primatis, fuiſſet;
at nec ille, nec Epiſcoporum alter,
præter præfatum Orcadum pſeudoepiſcopum, id exequi voluit. Loco Miſſæ, ſacrilegam Knoxus concionem habuit, qua in Catholicam Religionem
acerrimè invectus, generoſa hæc proteſtantium ſectariorum facinora mirum in modum extulit. Humæus, ac
Mortonius, pro Rege juramentum preſtiterunt, ſe nimirum in timore Dei
Regnum, & pro viribus, introductam
recens colendi Dei formam ſervaturum, & papiſticæ Eccleſiæ ritus, ac
doctrinam, pro viribus evulſurum,
ac hoſtes habituros eos omnes, qui
eamdem poſthàc profeſſi fuiſſent. In

A hac inauguratione proteſtationem ab
Hamilitoniis interpolitam fuiſſe, nè videlicèt præjudicio eſſet Duci Caſtri
Heraldi in jure ſucceſſionis contra Familiam Lenoxiam, ſcribit Camdenus.
Verùm, non id tantùm, cùm generosè
Archiepiſcopus S. Andreæ, Joannes
Hamilitonius, præfati Ducis Caſtri
Heraldi germanus frater, & Dux ipſe,
nec non Comites Huntelius, Argatheliæ, aliique, cum præcipua nobilitatis parte, legitima interceſſione
B proteſtati fuerint, Conventiculum illud nullius eſſe virtutis, utpotè, ex
ſeditioſis, & rebellibus, nulla legitima authoritate convocatis, conflatum.

Addit imprudentiſſimus Auctor, XXI.
Eliſabetham, Throcmortonum cæremoniæ intereſſe prohibuiſſe, nè illa tàm
injuſtam Reginæ abdicationem, Legati ſui præſentia, approbare exiſtimaretur; at hæc minimè neceſſariò ſcribenda, cum id ad facinoris illius narrationem propè nihil ſpectare videre-
C tur, & è contrario, quod ſilentio præteriri impunè poterat, novum doloſitatis, ac proditionis Eliſabethæ crimen
oſtendat: nil enim erat, per Legatum
approbare perfidiam, quam per legatum ipſa patraverat; horrendum verò
eſt improbare monſtraſſe, quod verita
non fuerat perpetrare.

At de Moravio ſinceriorem ab eodem Scriptore narrationem audiamus: XXII.
[*Die vigeſima à ceſſione, Moravius,
ipſe in Scotiam è Gallia rediit: tertiâ*
D *poſt die, cum nonnullis è conjuratis,
Reginam aceeſſit, crimina plurima objecit, & tamquàm confeſſor Religioſus,
pluribus egit, ut vera pœnicentia ad
Deum ſe converteret, & illius miſericordiam imploraret. Illa de anteactæ
vitæ peccatis doluit, ex objectis alia agnovit, alia extenuavit, alia ex humana
fragilitate excuſavit, & plura prorsùs
denegavit. Illum obſecravit, ut gubernacula rerum pro Filio ſuſciperet, utque ſuæ æxiſtimationi, & vitæ parce-*
E *ret, iterum obteſtata eſt. Ille hoc ſibi
integrum eſſe negavit, ſed à Regni Ordinibus eſſe efflagitandum; ſi tamen
illa vitæ, & honori conſultum vellet,
hæc obſervanda præſcripſit: nè Regni,
& Regis tranquillitatem inturbaret,
nec è carcere ſe ſubduceret, nè Reginæ
Angliæ, aut Regem Galliæ excitaret
ad Scotiam, externo, vel interno bello infeſtandam, nè ampliùs Bothwellium*

ellium adamaret; aut ulciſcendis Bothuellii adverſariis cogitaret.

Jam Prorex, ſivè Regens declaratus, ſe, obſignatis tabulis, obligat, nil acturum, quod ad bellum, aut pacem, Regis perſonam, & matrimonium, aut Reginæ libertatem ſpectet, ſine Conjuratorum aſſenſu. Throncmortonum (en rursùs pudendæ Angli ſimul Legati, & infamis Nothi artes, & incauti Scriptoris, ultrò, non quæſitæ, contra eum, ad excuſandam Eliſabetham, querelæ) *per Lindigtonium monet, nè ampliùs pro Regina interpellet, ſe cæteros malle omnia perpeti, quàm pati, ut illa liberata Bothvuellium retineat, Filium in pericula, patriam in turbas conjiciat, & ipſos proſcribat. Novimus* (*inquit*) *quantum Vos Angli bello poſſitis, noſtros limites vaſtatis, & nos veſtros; certòque ſcimus, Gallos, pro antiquo inter nos fœdere, nos minimè derelicturos. Lingerollio tamèn Gallico Legato aditum ad Reginam denegat, donec Bothvuellius apprehenderetur, miſeramque Reginam aſperiùs, quàm pro meritis ergà eum, in dies tractat, contra quàm Regi Gallorum promiſerat*] *Hæc hactenùs*, inquit Camdenus, *ex Throncmortoni literis*. Et quidem, pro Eliſabetha, ad ſumma coarcevanda commenta, illud etiam deerat, ut Gallos contra eam Scotis rebellibus opitulaturos oſtenderet, ſi Throcmortonius pro Maria ampliùs interpellaret; & deinde Gallorum Legato (licèt certò Conjurati ſcirent, Gallos pro ſe ſtare) acceſſum ad Reginam prohibuiſſe; ac demùm, contra fidem datam Gallorum Regi, rebellium Protectori, cum eadem Regina Nothum duriùs egiſſe. Mirum eſt (inquam) pro illa mitiùs habenda, exoraſſe Gallos, qui (ut ipſe aſſerit) certò eos fovebant, qui eam malè habebant; & contra ſuſtinentes, & interpellantes pro illa Anglos, certiſſimè defenſuri erant.

Mox Moravius (ipſemet Scriptor proſequitur) *ſupplicium ſumit de Joanne Hepburno, Paride Gallo, Daglisbo, & aliis Bothuuelli famulis, qui Regis cædi intererant. Sed illi* (*quod minimè expectavit*) *ad patibulum coràm Deo, & Angelis proteſtati ſunt, ſe ex Bothuuellio intellexiſſe, Moravium & Mortonium Regicidii authores fuiſſe: Reginam ab omni ſuſpicione exemerunt. Et, ut ipſe Bothuuellius captivus in Dania, & vivens, & moriens, Reginam minimè conſciam fuiſſe, religioſa aſſeveratione ſæpènumerò conteſtatus eſt. Et decimo quarto poſt anno, cùm Morthonius extremum ſupplicium ſubiturus eſſet, faſſus eſt, Bothuuellium ſecum egiſſe, ut in Regicidium conſentiret: quod, cùm omninò abnueret, niſi Regina ſuo Chirographo mandaret: Bothuuellium reſpondiſſe, hoc neutiquàm fieri poſſe, at facinus, ipſa inconſulta, perpetrandum eſſe.*] Sic ille, de rebus Scoticis, hoc anno.

XXIII. Verùm plura reticet, hic neceſſariò apponenda, illudque in primis, conatu ſuo fruſtratum fuiſſe Moravium, quòd ipſe, non Regina modò, ſed Filio etiam è medio ſublatis, Rex inaugurari ambiret; cui ambitioſo objectum deſiderio eſſe cognoſcitur, ut tertio chirographo rebelles Mariam ſubſcribere compellerent, quo, ſi Proregis, Moravius onus recuſaſſet, alii tenello Regi ſtatuebantur Rectores. Inſatiabilem, & effrænem enim dominandi libidinem Conjurati animadvertentes in Notho, Proregis dignitate minimè expleri poſſe veriti, ejuſdemque è converſo tyrannidi ſeſe ſubiicere nolentes, hac ratione ſibi conſulendum exiſtimarunt. Ut autem ipſimet fauſtiora à puero Rege pararent, eumdem impiiſſimo, ac nefandiſſimo Buchanano educandum tradunt, ipſiuſque teneram ætatem à Catholicorum aſpectu, ut Conæus narrat, non minùs, quàm læthali peſte, tutati, cuncta ejus nomine, in Religionis odium geſſere, atque illud inter cœtera, ſtabilitum, ut nulla Catholicis in Scotia, ultrà vivendi, linqueretur facultas, quorum bonis in Fiſcum relatis, ipſi quoque exulare coacti ſunt: & ſic, (ut idem optimè obſervat) qui paulò priùs, Fidei cauſa, nullius conſcientiæ vim faciendam, ſed liberam Chriſtianis, pro arbitrio, credendi veniam, ſupplicibus libellis, expetierunt; viribus, numeroque ſuperiores, tollendam libertatem, ſolam hæreſis profeſſionem tolerandam, armis in Orthodoxos, adeòque in Reginam ipſam agendum, ſtatuerunt: ut hinc videant Politici, quàm benè Regibus, & Rebuspublicis conſulant, dùm tolerandam hæreticorum ſocietatem, ferendamque, ac pro tempore diſſimulandam potiùs, quàm caſtigandam, eorumdem pravitatem con-

Remund.

coi tendunt: quorum ſanè conſiliis, ſi non paruiſſet Maria, omnium, in quas incidit, moleſtiarum expers, vitam ad extremam ſenectutem, non minùs feliciter, quàm pacificè produxiſſet. Præ cunctis verò, qui Catholico nomini, ac Religioni impiiſſimè inſultarunt, fuiſſe Nothum, poſtquàm regiminis habenas ſuſcepit, quòd alia ratione dominandi cupiditatem plenè explere non poſſe cognoverit, teſtantur Auctores, qui, omni ſævitia, perfidum apoſtatam, fideles inſectatum eſſe, carceribus, ſpoliis, exiliis, narrant.

I. Interim, dùm flagitioſiſſimis ſuis fraudibus Mariam Eliſabetha opprimit, Maximiliano etiam Imperatori illudit; Comitem ſiquidem Stolbergenſem is in Angliam miſit, ut de nuptiis Caroli Fratris, Archiducis, cum ipſa Eliſabetha ageret; hæc verò, licèt nuptias deteſtaretur, Svexiæ nihilominùs Comitem, antè, ad Imperatorem miſerat, eamdem rem, ſpecie tamen dumtaxàt, curaturum. Leinceſtriæ Comitis, qui Regalibus hiſce nuptiis inhiabat, id animum pupugit; quamvis eas obtinendi ſpem penitùs non abjecerit, quòd multa, ultrò, citròque, inter Maximilianum, & Anglam, ſuper hoc negotio, agitata, plures licèt compoſitæ ſint difficultates; ubi ad rem Religionis nihilominùs ventum eſt, (ob intemeratam ſemper Auſtriacorum Principum in Catholica Fide conſtantiam) rationi iri non potuit, qua nuptiæ perficerentur. Hoc ſiquidem prætextu uſa eſt Angla, ut Maximilianum eluderet. Cum aliis verò, quibus Religionem obiicere non potuit, quin maritum minimè duceret; artes alteras excogitavit, quibus eos, quos matrimonii ſpe allexerat, deindè illectos repelleret. Neceſsè tamen exiſtimavit, ut Anglos ſuos quoque, ad nuptias eam impellentes, deciperet; idque, qua potuit, arte præſtitit, effecitque, Religionis ſpecie, qua Deum ipſum, licèt irrideri non poſſit, velle fallere viſa eſt; cùm homines, perpetuo agitatis, modò cum hoc, modò cum illo, rejectiſque connubii tractatibus, ſemper eluſerit. Toto ſeptennio (id de quo loquimur Maximiliani negotium) honorificis internunciis adoleverat, deindè ipſum illamet, ut Camdenus refert, extenuavit, ubi jam vigere ulteriùs, ſibi minime conducere, cenſuit. Addit tamen, quòd nihilo-

A minùs neceſſitudinis, & tanta mutuæ benevolentiæ inter Principes hos charitas permanſerit, ut Imperator Pontificis Romani in Eliſabetham molitioues ſemper impedierit. Quod quidem certè Maximilianum, palàm, nunquàm, vel præſtitiſſe, vel præſtare auſum reperimus, licèt à politico Maximiliani ingenio non videatur ſatis alienum. At ſimplici Camdeni teſtimonio ſtandum non eſſe cognoſcitur. Si tamen id verum ſit, uti à Deo pœnam, ſi ex his arti-
B bus nullum propè fructum ab Eliſabetha (præ illo, dolos, ac fraudes ſtruendi gnara) certum eſt Maximilianum aſſequutum eſſe.

Et ipſi quidem, hoc ipſo tempore, quo in faciem ei blandiebatur, inſidias, eandem Eliſabetham ſtruxiſſe colligitur, ex Thuano, qui rem nihilominùs, ut commentitiam aſſerat, incredibilibus exornatam circumſtantiis narrat, cùm alterius nimirum Hæretici impias commolitiones refert, his verbis (*Om-* II. *Thuan. Hiſtor. lib. 41.*
C *nium maximè memorabile fuit bellum Gothanum, quod, hoc anno in Germania, Imperii decreto, geſtum ſimul, ac confectum eſt, cujus origo hæc fuit. Gulielmus Grombachius, collectis Albertinæ proſcriptionis reliquiis, cùm, poſt occiſum immani perfidia, Epiſcopum Visburgenſem, & Herbipolim ipſam pari audacia captam, & direptam, ſollicitata inſuper ad defectionem, contra Imperii leges, nobilitate,*
D *quo res ſuas magis firmaret, & acceptum ſibi, ac ſociis, à Cæſare proſcriptis, pararet Joannem Fridericum, & Joannem Guillelmum Saxones, Joannis Friderici olim VII. Filios, clàm obteſtatur, urget, increpat, nobilitatem reſpicerent, quæ Epiſcoporum, & aliorum tyrannide oppreſſa, in ipſis, tamquàm unicis patriæ libertatis vindicibus, omnem ſpem reponant: quòd ſi minùs, commiſeratione aliorum tangantur, ſaltem privato periculo admoneantur. Id*
E *enim agi, ut oppreſſa nobilitate, ipſi, omni auxilio deſtituti opprimantur; nàm in ſpoliatione Patris, minimè ſcelus, diù ante cogitatum, ſtetiſſe, ſed gradu, ad majora contra eos audenda factum velint; non enim defuturos, qui eorum auſpicio tegerent; id juxtà honorificum, & fructuoſum Saxonicæ Domui fore, ut & eadem opera nobilitatis libertas aſſeratur, & quæ contra Jus, & æquum amiſerint, ju-*

ſtis

ſtis armis recuperent, ac priſtinæ dignitati reſtituantur. Prenſantem, ac ſpem minis miſcentem Grombachium averſatus eſt Jo. Guilielmus, ſeque in Imperii fide fore teſtatus, eum à ſe ſtatim repulit. Verùm Jo. Fridericus longè aliter his vocibus affectus eſt, quæ in pectus hominis, crudeli, & vana ambitione æſtuantis, altè deſcenderunt, ſtimulante eum ſemper paternæ injuriæ morſu: quo factum eſt, ut ille occaſionem ultionis oblatam minimè ſibi prætermittendam cenſuerit, nec penſitatis rei gerendæ rationibus, aut ſatis perpenſa Grombachii voluntate, & conſilio, ſe totum perditi Sicarii nutui, & arbitrio circumagendum mancipaverit.

Ille verò tanto Patrono fretus, cujus ingenium vana ſpe infatuatum, ad res, quas moliebatur, opportunum videbat, quò magis inflammmaret, inimicitias inter eum, & fratrem, ab ejus conſilio diſſidentem, ſerere cæpit, ipſoſque invicem committere. Ad hæc, odia inter eum, & Auguſtum Septemvirum exacerbare, & ut ſceleris magnitudine eum obligaret, in perniciem Auguſti conjurare, & Sicarios ſubornare.

Dùm hæc agerentur, ignaro adhùc Auguſto inſidiarum, quæ ſibi pararentur, antè triennium in Comitiis, Vormatienſibus, quæ ultima ſub Ferdinando Cæſare fuere, ad pacem publicam tuendam, decretum fuerat in 1500. Equites alendos ſtipendium, quorum Auguſto Septemviro; Vvillelmo Clivenſi, Juliacenſium Duci attributi ſunt; graſſante dein Conjuratorum audacia, Auguſtus per literas, ac Legatos orat patruelem, factionis ſeditioſæ Ducem cum ſatellitio univerſo à ſe dimittat &c.] Narrat deindè renovatam fuiſſe proſcriptionis in Conjuratos ſententiam, in Comitiis, præterito anno, Auguſtæ coactis, & paulò poſt patuiſſe inſidias, à Grombachio in Auguſtum Septemvirum ſtructas refert, quas tamen dicit diſſimulaſſe, donec ad bellum neceſſaria pararet: quo eodem tempore, cùm Julam, ac Zighetum in ſuam poteſtatem Turcæ redegiſſent, ideòque Imperii res eo caſu turbatas vidiſſent: inſolito quodam gaudio rebelles exultaſſe narrat, atque apertiùs pernicioſa conſilia renudaſſe; ſollicitata ad defectionem, contra Imperium, nobilitate, & auxiliis à Cæſare contra Turcas decretis, prohibitis, ac impeditis.

Quò autem tenderent impia hæc III.
iſtorum, Deo ſimul, ac hominibus rebellium, conſilia, ab ipſo habes [*Propoſitum* (inquit) *illis erat, ſi eventus conatibus reſponderet, ſub initio Veris* VIIICIↃ. *Equitum conſcribere, & quatuor Legiones, quarum duo in Veſtphalia ad Rhenum uſque, & duo in Vandalicis regionibus excubarent, Veſtphalicis dato negotio, ut per Epiſcoporum ditiones Franconiam, ac deinceps Turingiam latè graſſarentur; Molhuſium Mortuſiam, & Euſordiam, Saxonis Septemviri Urbes, grandi pecunia mulctarent. Vandalicis item, ut idem facerent, & Saxonis Septemviri totam ditionem, vi ac rapinis depopularentur, mandatum. Quo facto, Jo. Fridericus ad Vitembergam Septemvir crearetur, & ubi exercitus duo coiiſſent, idem ſalutaretur, more inter Romanos olim recepto, ab univerſo milite Imperator. Principes cæteri in ordinem cogerentur: qui recuſarent è medio tollerentur. Equeſtris Ordo, Imperio Principum ſubtracto, in libertatem aſſereretur, ſoli ſubiiceretur Imperatori, nova, ad extremum, Imperii forma inſtitueretur: quæ omnia evulgata poſteà, partim ex captivorum confeſſionibus, partim, ex chartis, in Arce Gothana repertis, comprobata ſunt; in quibus & hoc præſcriptum erat, Maximilianum Cæſarem, publicatione renovatæ præſcriptionis fidem, ac juſiurandi religionem violaſſe, hocque tàm inſigni periurio, ſemet Cæſarea Majeſtate exuiſſe, & de imperiali faſtigio dejeciſſe. Reperta & inter Commentarios Jo. Friderici denunciatio belli, ad Imperii Ordines directa, ipſius Jo. Friderici manu pleriſque locis notata, & correcta. Ipſe verò, ut ex eiſdem Commentariis cognitum eſt, ſtipendia Ducibus de ſuo decreverat, & præmia ampliſſima victori militi, ex præda, & Terris occupatis propoſuerat, inita & cum externis Principibus occulta fœdera, & præcipuè cum Henrico, Succiæ Rege, cujus turbidum ingenium, ad turbandam Germaniæ quietem peropportunum viſum eſt, miſſæ, & ad Regem literæ, graviſſimis, adversùs Cæſarem, & Imperii Ordines, querimoniis plenæ, quibus auxilia precabantur, facta poſtremò*

mò ſpes a Grombachio amicitiæ, & opum Anglicarum, ab Eliſabetha. Et quamquàm Jo. Fridericus Agnetem. Illeſſi filiam, & Mauritii, qui ipſius Patrem ſpoliaverat, viduam, in Matrimonio haberet; tamen perſuaſum ei tùm facilè uxorem repudiari poſſe, ut Eliſabetham ipſam duceret; quam ſtolidè ſanè Soceri, de adventu funeſto totiès vaticinantis, monita repudiaverat. In eam rem confictæ à Conjuratis, quaſi ab Eliſabetha literæ, notis arcanis exaratæ, quibus illa mirificè eum, ſola virtutis, & paternæ, & ſuæ famæ cognitum, amore deperire conteſtabatur.] Sic ille, qui,relatis de hac re pluribus aliis ineptiſſimis fabellis, ad illudendum vaniſſimo Joannis Friderici ingenio, à Grumbachio, magicis etiam artibus excogitatis, tamquàm Eliſabethæ immeritò attributis, eas refellere cognoſcitur.

IV. Verùm Grumbachius ipſe, qui Joannem Fridericum ejuſmodi ineptiis fallere noverat, ut ſuæ rebellioni faveret, ac ſibi auxilio eſſet; ac cum Sveciæ Rege fœdus inire curaverat, nullatenùs credendus eſt, Eliſabetham ſollicitare prætermiſiſſe,ut rebellionem foveret, ſibique opitularetur. Cùm enim illa adjutricem ſemper manum præſtiterit Hæreticorum conatibus, vel in Scotia, vel in Gallia, vel in Belgio, ut jam vidimus, & opportunis locis dicendum erit; (ut ea nempè ratione, non modò impiæ ſuorum Religioni conſuleret; ſed quòd etiam propriæ ſecuritati ſic cautum cenſeret, dùm Catholicos Principes, propriis in ditionibus, ac Regnis, ſedandis turbis occupatos, à ſententia ſibi moleſtiam inferendi retrahendos exiſtimaverit:) non eſt certè, unde illa, hæreticorum preces in Germania repuliſſe, credatur; aut quòd ab ea opem, vel deprecari, vel obtinere poſſe Grumbachius immeritò exiſtimaverit. Nec ab Eliſabethæ ingenio, nuptiarum ea aſſimulatio abeſſe etiam potuit, cùm, earum ſpe, uno, eodemque tempore plures, tàm exteros Principes, quàm ſui Regni Proceres, illectos habere contenderit; ut ſic hoſtes non pateretur,qui aliquandò maritos fore confidebant; & obedientes, ac devinctos ſemper haberet ſubditos, quos aliquandò regnandi ſecum expectatio deliniſſet.

Plebem etiam, ut Grumbachius eiſdem conjurationis laqueis irretitam teneret, concione ad Gothanum populum habita, bellum, Religionis abolendæ cauſa, conſpiratione inter Cæſarem, Septemvirum Saxonem, & Germaniæ Epiſcopos inita, ſuſceptum fuiſſe ſparſit.

V. At, tùm Grombachii, & Conjuratorum, tùm Jo: Friderici, Sueciæ Regis, & Anglæ commolitiones evertit Gothanus populus, in cujus urbe rebelles ſeſe receperant. Accepto ſiquidem ab Auguſto Septemviro, Maximiliani mandato, quo, ut executionem decreti Imperialis, quanta poſſet celeritate maturaret,juſſus fuerat; rem arcano, & feſtinato conſilio aggreſſus, repugnante licèt hyemis aſperitate, admotis, ad Gotham, ſuis, & Cæſariis copiis, eam obſidione cinxerat. Eâ pertæſi Gothani Cives, ac Conjuratorum tyrannide exacerbati, inter ſe ſecretò coëunt, ac rebelles eis tradere ſtatuunt, dummodò ſibi vita. fortunæ, & immunitates integræ remanerent. Placuit Auguſto Septemviró conſilium, & ſic urbem ſimul, ac rebelles obtinuit; in quo quidem facto minimè prætereundum eſt illud Divinæ ultionis miraculum,quo Principes præcipuè admonentur, Deum injurias Sacerdotibus ſuis illatas,minimè inultas eſſe,pati conſueviſſe;quod ipſum reticere Thuanus ipſe nequiverit.

Id actum (dicit igitur de Urbis dediti one,ac Rebellibus traditis agens) *Id. Aprilis, quo eodem die, Melchior Zoobelus Epiſcopus Virburgenſis, immani ſcelere, à perfidis Sicariis, à Grombachio ſubmiſſis, occiſus fuerat; utque Epiſcopo vitam, eadem, admirando Divinæ ultionis exemplo, ipſi Grombachio, in poteſtatem Cæſaris reducto, octo poſt annos, vitæ ſpem eriperet; annotatam hanc diem, in Dominica, quæ in Kalendario Eccleſiaſtico à Pſalmo,* Miſericordias Domini, *denominatur, incidiſſe. Qua eadem die, & penè hora, ante XX. annos,licèt illa tunc in Oct.Kal.Maii incurreret,Jo.Fridericus,Principis parens, apud Mulbergam à Carolo V.acie victus, & captus eſt. Itàque,& ipſe hanc diem, tamquàm fatalem deplorabat, ſubinde dictitans, ſibi malignitate aſtrorum, communem cum Patre fortunam fuiſſe; quaſi non potiùs vanitate, & crudelitate ſua, ac ſceleratis perditorum hominum*

num conſiliis, & vanis ariolum reſponſis deceptus, ſe in has inextricabiles labyrinthos calamitatum induxiſſet.] Debitis autem à Cæſare rebellium pœnis ſumptis, toti Imperio pax redditur, ac proterva deturbatur Hæreticorum væſania, inter quos Grumbachius, totius conjurationis Princeps, decimo quarto Kal. Maii in quatuor partes ſectus, immanium ſcelerum pœnas luit. Jo: autem Fridericus, ignominioſa pompa Viennam deductus, Neapolim deindè in cuſtodiam traditus B eſt.

VI. Nec modò, Hæreticorum pervicacia compreſſa, Catholicæ Religionis felix, fauſtusque hic annus in Germania viſus eſt; ſed etiam, quòd præcipui quidam inter Hæreticos, erroribus ejeratis, ad veram Eccleſiam redierint. Inter hos, ut narrat Surius, fuit Illuſtris, inter Germanos Principes, Comes ab Helfenſtein Ulricus, qui Lutheraniſſimo, ac Auguſtana confeſſione abdicatis, Catholicus factus eſt. C Inter alia plura, quæ illum ad Fidem revocarunt, illud in primis extitiſſe perhibetur, (ſicut ipſemet faſſus eſt,) quòd nullum, neque in doctrina, neque in cœremoniis Auguſtanæ confeſſionis, fundamentum, vel concordiam repererit. Illius exemplum ſectatus eſt Comes alter, ipſius frater, qui unà cum eo Cardinalem Auguſtanum adiit, atque apud illum ultrà tres hebdomadas manſit, profligatiſque è tota ſua ditione Hæreticis, D Catholicos Concionatores, ac Sacerdotes accivit.

VII. Facti novitatem vicinarum Civitatum plerique admirati ſunt, eximioque admoniti exemplo, pravas opiniones execrati, orthodoxis ſeſe addidere, ac præcipuus inter illos recenſetur D. Venerandus Gablerus, Medicinæ arte præſtantiſſimus. Petro Paulo Vergerio, infami Apoſtatæ, morienti is adfuerat, ac infeliciſſimo ejus è corpore exitu, mira quædam, ac horrenda E prorsùs animadverterat; teterrimos nempè exhalaſſe fœtores, ac bovis inſtar, horribiles emiſiſſe mugitus; ideòque terrore perculſus, eam vivens abjiciendam ſectam duxit, quæ morientibus periculo, ac damnationi eſſe videbatur. Tali verò tantoque fervore Catholicam Fidem amplexus eſt, ut non tantùm dogmatibus Orthodoxis, mente, A & animo; ſed etiam manu, & opere verè adhæſiſſe comprobaretur.

Hoc ipſo fermè tempore, accidit etiam, ut in Catholicæ Religionis gremium, doctrinâ, ac ſcientiâ præclarus, Gaſpar Francus reverteretur, tanto Fidei, ac pietatis ardore concepto, ut ad ſuæ, aliorumque utilitatem, ad ſacros Ordines promoveri vehementer cuperet; quod ut aſſequeretur, impedimentis illis, quibus ex Sacris Canonibus, qui hæretica pravitate fuere B imbuti, à ſuſcipiendis Sacris Ordinibus arcentur, exſolvi deſiderans, apud Pontificem, Albertum Bavariæ Ducem, præclarum Catholicæ veritatis aſſertorem, adhibuerat. Verùm Pius, ſacrarum legum ſtrenuus æmulator, Alberti precibus haud facilè acquieſcendum putavit; quòd hujuſmodi homines, Catholica Religione potiùs ſuperveſtiri, quàm tranſactis erroribus plenè expoliari, haud rarò contingat. C Quod ubi intellexit Albertus, qui plenè hominem noverat, Pontificem his literis urgere ſuum duxit. VIII.

[Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine, Domine Clementiſ.

*H*Umillima ſui commendatione, peduumque beatiſſimorum oſculis præmiſſis. Etsì me ſumma illa benignitas, qua reſipiſcentia Eccleſiæ membra colligit, & amplectitur S. V. in ſpem erigit minimè dubiam, Magi- D ſtrum Gaſparem Francum, id quod tantoperè, totque ſuſpiriis, ſibi deſiderat, & exoptat, abſolutionem videlicèt ab irregularitate, & reſtitutæ Eccleſiaſticæ pacis teſtimonium impetrare poſſe; tamen, quia ex literis Doctiſſimi viri, dilecti mihi, fidelis, Doctoris Joannis Pauli Caſtellinii, Agentis mei in Urbe jam intellexi, S. V. non cùm facilè ad tremenda iſta jugis Sacrificii myſteria admiſſuram eſſe, qui Eccleſiam, ejuſque ſacra diù fuiſſet perſequutus, niſi priùs E majores videret in Catholica pietate progreſſus, ac neceſſariam in ſuſcepta Religione conſtantiam; ideò hæc, quæ ad Beatiſſimas aures, meo nomine, perferantur, ſubjungere volui. Ex Original.

Et ſanè, non levi aliquo animi motu Catholicam Religionem is ingreſſus eſt, ſed cùm, recto judicio, & ingenio non vulgari, hæreſum, ſectarumque pugnantiſſima deliramenta rectiùs per-

penderet; eamque ad rem, Magiſtro uteretur commodiſſimo, Martino Eyſengrenio meo, de firma aliqua, Divinaque rerum ſcientiâ acquirenda totus cogitare cæpit. Quam, cùm alibi nuſpiam, quàm in Catholico conſenſu, & perpetua Eccleſiæ concordia pedem fixiſſe perſpiceret, iiſdem ſe adjunxit, per quos verus Scripturarum ſenſus, Orbi communicatus, ex veteribus Eccleſiæ Patribus, & Doctoribus. Vidit tùm demùm fraudes Hæreticorum, qui Patribus quoque, ad ſua omnia confirmanda, impudentiſſimè abutuntur. Vidit, quàm mutilatas præferant Sectarii Patrum ſententias, ut imperito vulgo, ad omnem novitatem facilè parato, imponant: atque ità, per Gratiam Dei, non tamen abſque ingenti Eſengreynii mei labore, totum ſeſe hæreſibus eripuit. At nè tranſitus quidem ille ſuut, ex tenebris in lucem, ex morte non incerta ad ſalutem, levis, ac clandeſtinus fuit. Convocatis namque, Ingloſtadii, celebrioribus, Academiæ noſtræ Profeſſoribus, Theologis præſertim; & Notario jurato, teſtibuſque neceſſariis præſentibus, longa & diſerta oratione, (uti valdè excellit eloquentia) hæreſum vanitates, fraudes, impoſturas, & mendacia deteſtatus, publicè profeſſus eſt, ſe non aliam, quàm Catholicam, & antiquam Eccleſiæ doctrinam agnoſcere, in qua & ſummum ejus caput, S. V. venerari, & colere: nec admiſſurum ſe quoque, ut impunè tot animarum myriades abripiant Hæretici, ſed ore, calamoque elaboraturum, ùt, apertis tandem oculis, omnes proſpiciant, veram æternæ ſalutis viam, omnibus Satanæ inſtrumentis, ubique præcluſam, ſolo Romanæ, & Univerſalis Fidei beneficio aperiri poſſe. His plura ſubjunxit alia, & ipſo inſtrumenti præſtiti Sacramento, conſtantiam ſuam promiſit. Quæ quidem omnia jam reddit illuſtriora, Fidei, ac Religionis Catholicæ profeſſione, quam typis excuſam toti mundo proponit, in qua non hoc ſolùm agit, ut quid ipſe ſentiat, alii quoque videant; ſed ut publicè conſtet, quàm errent toto Cœlo, qui fanaticorum hominum placita, & ſomnia, magis, quàm perpetuum illum Eccleſiæ conſenſum amplectuntur.

Poſſunt hæc S. V. cauſam, & occaſionem ſubminiſtrare, nè ſuſpectum

A *ampliùs maneat, mutatæ in melius ſententiæ judicium: nevè S. V. paternos amplexus, diutiùs, aut duriùs differat, quàm Evangelicus ille prodigi Filii Pater, qui ad omnem impii Filii malitiam, cùm de reſipiſcentia, & peccati dolore certus jam eſſet, nihil non pietatis, favoris, ac benevolentiæ exercuit. At profectò dignus eſt Magiſter Gaſparus, qui, poſt ſummum illud Dei beneficium, quo mortem, & perditionem animæ evaſit, Benigniſſimi Pontificis pietate,* B *quamprimùm confirmetur planè, & Eccleſiæ Catholicæ uſibus adhibeatur; pollet enim ingenio, valet memoria, eloquentia claret, & judicium habet, multarum rerum probè exeultum.*

Cæterum, ſi forſàn diuturniorem de admiſſo peccato condolentiam requirat S. V. antequàm redivivum illum filium divinis iſtis ſacris adhibeat: hoc viciſſim prudentiſſimè cogitabit, eâdem plures alios, non indoctos homines, ad frugem pertrahi poſſe, ſi tàm promptum C *& paratum ſibi videant pientiſſimæ Matris gremium, atque favorem. Illud inſuper pro certo habeat, omnem horam, omnemque diem hujus hominis uſum ſibi efflagitare: qui, niſi ſacris initietur, niſi publico, ad Altare Dei, exemplo confirmet, quod ſcriptis, vivaque voce aſſerit, tàm magnus eſſe nunquàm poterit. Faciat igitur Sanctitas Veſtra, ut quem ereptum ſibi Hæretici vehementèr oderint, firmiorem ſtatim habeant adverſarium, & is ad* D *ſubſequuturos continuos pugnandi, & reſiſtendi labores, characteris virtute, citiſſimè muniatur. Quòd ſi per menſem adhùc unum, & alterum, differre voluerit negotium Sanctitas Veſtra, id ſaltem impetratum maximoperè cupio, ut Minores quoſdam Ordines jam ſtatim ſuſcipere, & concionari valeat Magiſter Gaſparus, nè vel remiſſior in eo fiat ardor animi, vel Hæretici importuniùs inſultent ei, quem non neſciunt tota mente ad Sacerdotii dignita-* E *tem, & functionem aſpirare. Ac ſpes eſt ſumma, omnem Comitatus mei Hagenſis populum, ſub Comite quondam Ladiſlao, Hæreticorum clamoribus, è vero tramite ſeductum, hujus viri opera, reduci ad Eccleſiam poſſe; cùm illum omnes vehementer obſervent, & hunc ſalutis Magiſtrum unicè ſibi expetant, quem antea errorum præconem habuerunt. Non itaque deeſſe velit Benigniſ-ſimi*

ſimi Patris pietas, tàm populi, hoc medico ſanabilis ſtudio, quàm ipſius Magiſtri votis. Opus operabitur Sanctitas Veſtra, & ſua pietate dignum, & Eccleſiæ utiliſſimum, mihi quoque, qui ex talibus veræ Religionis incrementis, ſummam ſemper voluptatem capio, admodùm jucundum. Benè ac feliciter valeat S. V. cui me reverentèr commendo iterum, atque iterum. Datæ in Civitate mea Monachio XXVII. Novembris 1566.

S. Veſtræ,
Obſervantiſſimus Filius.
Albertus Dux Bavariæ)

IX. Quàm prompto, hilarique animo, piiſſimi Principis, adeò eximiæ exhibitioni, ac præclariſſimi teſtis interceſſioni Pius acquieverit; ex ejuſdem Epiſtolis, tùm ad ipſum Albertum Ducem, tùm ad aliàs memoratum Martinum Eyſengrenium, FriſingenſemCanonicum, (cujus potiſſimùm opera (ut audiſti) ejeratis erroribus, Gaſpar, ad Eccleſiæ gremium redierat) ſub die 27. Januarii ſequentis anni datis, ac à Nobis ſuo loco dandis, manifeſtè intelligitur; non modò enim ea ſuſtulit impedimenta, quibus, Ordinibus omninò initiari prohibebatur, ſed, ut ad Sacrum quoque Præsbyteratus Ordinem promoveri poſſet, indulgentiſſimè conceſſit.

X. Et reverà nil magis cordi Pium habuiſſe, quàm, ut operarios, qui ejuſmodi ſtudiis (quibus Francum diligentiſſimè, poſt Sacros Ordines ſuſceptos, ſe addicturum ſperabatur) ſe dediſſent, ut peccatores, nimirùm, ab errore viæ ſuæ converterent, ubicumque eſſent, protegeret, ac foveret; ea comprobant quæ hoc ipſo anno ad N. Leonſertitium, in Diœceſi Miſnenſi commorantem, ſcripſit. Cùm enim ab Apoſtolico ſuo Nuncio, in Aula Cæſarea commorante, intellexiſſet, virum hunc in Vinea Domini ſtrenuè laborantem; ad ipſum has, amoris ſenſu confertas, literas dedit, quibus, & ad tolerantiam paſſionum, quæ ſibi ex Hæreticorum inſidiis accidiſſent, roborat, & ad perſeverantiam hortatur; ac demùm, ut ab inconſultis quibuſdam petitionibus nonnullos avertat, qua ratione ſeſe gerere debeat, paternè docet, &, ut de his, quæ ſibi contigerint, certiorem reddat, ei imperat.

(Dilecto Filio Noſtro, Leonſertitio,
in Miſnenſi Diœceſi
commoranti.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

EX literis Nuncii noſtri, qui apud Sereniſſimum Imperatorem Electum reſidet, intelleximus, quanto cum ſtudio, ac diligentia indeſinenter elabores, ut Catholicorum reliquiæ, quæ in iſta Diœceſi adhùc, Dei benignitate, ſuperſunt, in Eccleſiæ gremio permaneant. Grata admodùm iſta tua officia Nobis ſunt, perindè ac debent, pietatemque ac ſedulitatem tuam valdè in Domino laudamus. Hortamur autem, ut, quò magis Satanæ miniſtri, pium tuum propoſitum, ſicùt audivimus, impedire conantur, eò tu conſtantiùs, & ferventiùs Dei honori, & animarum ſaluti inſervire, nullius periculi metu deterritus, perſeveres, cùm ſcias, non incipientibus, ſed uſquè in finem perſeverantibus, legitimèque certantibus, ſalutem, & gloriæ æternæ coronam eſſe propoſitam. Illud non ſine admiratione, ex ejuſdem Nuncii literis cognovimus, à nonnullis, qui Catholici habentur, deſiderari, ac peti, ut in Sacrificio Miſſæ, quæ, ex inſtituto Eccleſiæ Romanæ, recitari ſecretò à Sacerdotibus ſolent, alta voce, & vulgari ſermone recitentur. Eos, quòd tu, & quidam alii Religioſi Viri, ab ea mente, & poſtulatione deducere conamini, piè, & prudentèr admodùm facitis; non enim temerè mutanda ſunt ea, quæ Sancta hæc Eccleſia, Mater omnium fidelium, ac Magiſtra, tot per ſæcula ſervavit, & ſervat. Qui talia petunt, diligenter monendi ſunt, nè ſe ab Hæreticis, hac in re, decipi ſinant, qui, quò pluś ipſi, quàm tot Sancti Patres viderint, videre, ac ſapere videantur; aliquid ſemper immutare de ſanctiſſimis Eccleſiæ ritibus tentant, aditum ſibi, quacumque occaſione, patefacere molientes, ad homines ſimplices ſeducendos, ut eos in errores impellant deindè graviores. De omnibus verò, quæ iſtic aguntur, ſi Nos per tuas, vel Nuncii noſtri literas curaveris certiores facere, tale officium tuum Nobis magnoperè gratum erit. Datum Romæ, apud S. Pe-

S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 19. Novembris 1567. Pontific. noſtr. ann. 2.)

LI. Peſtifer interim præco ille Diaboli, & Filius Belial, Hermannus, [ex mox apponenda ſiquidem Epiſtola, non alium, quàm ipſum fuiſſe, haud obſcurè deprehenditur] turbarum Antuerpienſium Auctor, quemque diximus, Kal. Januarii hujus anni, Trajecti, turbas excitaſſe, ita ut, eo impellente, Templa plurima, ac Cœnobia, eâdem in Urbe Calviniſtæ impiè vaſtaverint, ac diripuerint; & Maſaicæ, ac Haſſeleti eadem ſcelera patrari curaverat; poſtquàm in curru, fœno onuſto, fuga, è Leodienſis Epiſcopi manibus elapſus eſſet, Coloniæ ſe receperat, ipſamet ibi, quæ in aliis locis, commoliturus. Verùm rei admonitus Colonienſis Senatus, Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimus, veternoſum eum colubrem loco conſidere minimè tulerat; ſed eo ſtatim faceſſere juſſo, hac ratione à venenatis ipſius inſidiis urbem eam exemerat. Ut factum audivit, ſummis laudibus proſecutus eſt incomparabilis Vir Staniſlaus Cardinalis Hoſius, data ad eumdem Senatum Epiſtola, quam, utpote digniſſimam, & ejus, qui ſcripſit, & eorum, ad quos ſcripta fuit, hic inſerere duximus: dicit igitur.

Inter Epiſt. Card. Oſii Epiſt. 100. pag. 255.

[*Reverſus ad nos iſthinc Eccleſiæ noſtræ Canonicus, Jacobus Zimermammus multa nobis narravit de ſingulari veſtra cura, & vigilantia, qua priſcam Fidem, & Religionem in Civitate veſtra tueri, & conſervare ſtudetis; tùm, quales vos geſſeritis, cùm ingreſſum in eam, qui redibat Antuerpia, quemdam Hæreticum cognoviſſetis, à quo meritò vobis metuendum exiſtimabatis, nè quod, cùm Antuerpiæ, tùm alibi factum audimus, & ingemiſcimus, apud vos quoque novi motus aliqui excitarentur. Credibile non eſt, quantam ex illius hoc ſermone voluptatem accepe*E*rimus. Etenim, quò majorem animo noſtro perturbationem attulit, horrenda calamitas illa, qua pridem Superiorem, nuper autem admodùm Inferiorem quoque Germaniam graviter afflictam eſſe renunciabatur; hoc magis recreati ſumus, & exhilarati, poſteaquàm, Dei primùm benignitate, veſtra deindè prudentia, diligentia, vigilantia perfectum eſſe cognovimus, ut is adhùc eſſet Civitatis veſtræ ſtatus, ut rectè de illa dici poſſit.* Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias. *Verè amica Dei Civitas, quæ non temerè ſanctam ſe vocari nuper adeò demonſtravit: nàm, cùm ſpinis, & vepribus Hæreticorum undique ſit circumſepta, nihil tamen eorum aculeis offenditur, nec de ſtatu ſuo dimovetur, & quamlibèt oppugnetur, non expugnatur tamen, quin fortior in dies, & robuſtior ſit, ac quo ſemel eſt imbuta recens odore Sancti Evangelii,* B *quod à D. Materno, D. Petri diſcipulo, qui primus vobis odorem notitiæ Chriſti manifeſtavit, ſibi per manus traditum accepit, mille jam quadringentis, & ampliùs annis retinet; & cùm vicinis ex omni parte veſtris Evangelium Chriſti, haud aliter, quàm florentium Vinearum odor, ſerpentibus factum ſit odor mortis in mortem; vobis nihilominùs, quoniam, quale fuit ab initio traditum, tale nunc etiam illud conſervatis, nec in aliud eujuſvis* C *potiùs, quàm Chriſti Evangelium transferimini; ſicut ab origine ſemper fuit, ſic & nunc eſt, odor vitæ in vitam. Sed nec Virginem temerè ſe veſtra Civitas eſſe gloriatur, quandoquidem, non illorum tantùm, qui ſub aſpectum cadunt; hoſtium armis oppreſſa nunquàm fuiſſe dicitur; ſed nec eorum eſt inſidiis expugnata, qui quantò ſunt hoſtes occultiores, minùs patent obtutibus hominum; tantò majus ab illis periculum impendere videtur, cùm præſertim con*D*tra Chriſtum, Chriſti Signum portent, & contra Evangelium de ipſo Evangelio, quod non intelligunt, glorientur. Reverà Vos eſtis illa Virgo caſta, quam, poſteaquàm uni viro deſpondit exhibere Chriſto, cujus paulò antè meminimus, Apoſtolus ille veſter, Petri Diſcipulus, Maternus, virginitatem veſtram integram, & incorruptam ſemper ſervaſtis: nec ab eo, cui ſemel ſpirituali conjugio per eum eſtis copulati, vos unquàm divelli ſuſtinuiſtis, quod ab initio didiciſtis, in eo conſtanter adhùc perma*E*neatis: in qua Fide vos ille Chriſto Virginem caſtam deſpondit, tàm integram in hunc uſque diem, & inviolatam conſervatis, ac ſumma cura providiſtis hactenùs, nè ſicut Evam, & ſicut hoc noſtro ſæculo, multos infelices Evæ filios, aſtutia ſua ſeduxit Serpens, ità corrumperentur veſtri quaque ſenſus, & exciderent à ſimplicitate, quæ eſt in Chri-*

Chriſta Jeſu : quæ ſimplicitas fuit in Sanctis majoribus veſtris , qui non manducarunt de ſenſu Scripturæ elato, quorum cor non fuit exaltatum , nec elati ſunt oculi eorum , nec ambulaverunt in magnis, & mirabilibus ſuper ſe : verùm Paulum dicentem audierunt : non plùs ſapere , quàm oportet , ſed ſapere , ad ſobrietatem : *eam ſimplicitatem vos hactenùs retinuiſtis , nec , ut exciderent ab ea ſenſus veſtri , deque ligno vetita ſcientiæ , quæ inflat , guſtaretis , unquam adduci , qualibet callidi ſerpentis aſtutiâ potuiſtis . Nunquàm doctiores , & ſapientiores , quàm Eccleſia ſit univerſa , videri voluiſtis , verùm illius judicio , quam in ſymbolo credere nos profitemur , quotquot Chriſtianorum appellatione gaudemus , quæ Mater eſt, & Magiſtra fidelium omnium , judicium veſtrum ſumma cum animorum veſtrarum ſubmiſſione ſemper ſubjeciſtis , & eam , qua par erat , pietate venerati , illi vos permiſiſtis , illam audiviſtis , illam , ſecundùm Deum ipſum reveriti : quandoquidem firmamentùm, & columna eſt veritatis, quæ de Divinis rebus credenda , quæ de humanis præſcriberet , facienda , quæ prohiberet , fugienda eſſe , ſine ulla dubitatione , tamquàm obedientes illius filii , ſemper cenſuiſtis . Et cùm ſciretis , quòd Regnum Dei non eſt in contentione ſermonis , ſed in ſimplicitate Fidei , de occultis Fidei myſteriis , non diſputandum , non ea diſcutienda , nec eſſe quærendum quomodo , judicaſtis : verùm ejus memores , quod ſcriptum eſt :* Juſtus ex fide vivit , *non ex argumentis , aut rationibus , celeſtibus miſteriis , quam ſanctiſſima noſtra Parens Eccleſia docuit, Fidem adhibendo , nec ea curioſiùs perſcrutanda : quandoquidem :* Scrutator Majeſtatis opprimetur à gloria ; *non alta ſapientes , verùm humilibus conſentientes, ad Fidei præmia perveniſtis , & eam eſtis in Orbe toto Chriſtiano laudem, & gloriam conſecuti , ut quod Philippenſibus dixit olim Apoſtolus , id nunc , non minùs verè vobis queat , quod in medio nationis pravæ, & perverſę lucentis ſicùt Luminaria in Mundo, verbum vitæ continentes . Quanto magis tetræ ſunt illæ tenebræ , quibus eſtis undequaque circumfuſi , quibus finitimas vobis , ex omni parte nationes graviter oppreſſas , non ſine magno dolore noſtro cernimus ; tantò clarior lucis veſtræ ſplendor effulget , ac ſicut Stellæ , quantò fuerit nox*
A *obſcurior , tantò ſplendidiores emicant ; ac tantum abeſt , ut earum ſplendori noctis caligo quicquam detrahat , magis etiam , ut illuſtres per eam reddantur ; ſic , & veſtræ Fidei , lux , quæ nunc annunciatur in univerſo mundo , tantò clarior fit , & illuſtrior , quantò lumen illius in his nationibus, quibus eſtis undequaque cincti , magis eſt obſcuratum , ut ſi minus lux mundi totius, certè lux , & Superioris , & Inferio-*
B *ris Germaniæ verè dici poſſitis . At , ſi quid adhùc supereſt luminis in Rheni Provincia , ſi plùs adhuc in ea , quàm ſeptem millia virorum à Deo relicta videre licet , quæ non curvarunt genua ante Baal , vel Iſlebienſiem , vel Tigurinum, vobis id acceptum ferri meritò debet . In vos enim oculos multi conjectos habent , ad vos, tamquàm ad Cynoſuram reſpiciunt , & quò magis hoc Luminare veſtrum , quo lucetis in medio nationis pravæ, & perverſæ, conſpi-*
C *cuum eſſe cernunt, hoc ab iſtis, tamquàm Cymmeriis tenebris, quibus vicinas nationes immerſas eſſe vident , magis abhorrent, & eas hoc ampliùs deteſtantur. Quàm eſt autem inſignis , per Deum immortalem , quàm vobis glorioſa lux hæc? Quamlibèt eam exoſam habeant Hæretici, nec fulgorem ejus, lippientes eorum oculi ferre queant ; quidam tamen ex ipſis , non poſtremi nominis , ingenti*
D *quadam admiratione ſtupefactus , tenere ſe non potuit , quin eam in Cœlum laudibus efferret . Nihil eſt neceſſe nomen illius ædere . Tenetis proculdubiò memoriâ , quis ille fuerit , qui , cùm Antuerpia , non ita pridèm , Religionis ergo , motus eſſe factos accepiſſet , occaſionem ſibi datam eſſe ratus , qua Lutheraniſmum , ſivè Sathaniſmum ſuum in ea Civitate propagare poſſet , eò profectus eſt , ubi , cùm aliquandiù commoratus , nullum operæ pretium feciſ-*
E *ſet ; nam neque cum Collega ſuo ſatis ei conveniebat , ad ſuos rediens, in Civitatem veſtram divertit , ac ad Magiſtratum venire juſſus , & per eum , quid haberet in Civitate negotii , rogatus , & qua de cauſa in eam ſe contuliſſet : cùm hoſpitem , & peregrinum ſe eſſe , reſpondiſſet , nec aliud , quàm ad ſuos reditum cogitare ; admonitus eſt , ut meminiſſet , eam eſſe Civitatem hanc , quam , cum ſemel deſpondiſſet , uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto D.*

Ma-

Maternus, D. *Petri Diſcipulus, nunquàm ſe fornicationibus ullis polluerit, ſed ſemel datam ſponſo ſuo Chriſto fidem, in hunc uſque diem integram ſemper, & illibatam conſervaverit. Quamobrem caveret ſibi diligenter, nè quarum in ea Civitate fornicationum eſſet Auctor, hoc eſt, nè quem, doctrinis variis, & peregrinis, à Sponſo ſuo Chriſto abduceret, & in aliud cujuſvis potiùs, quàm Chriſti Evangelium traduceret, ſed ex urbe, primo quoque tempore faceſſeret. Quod ſi, quid ſecùs ab eo factum Senatus comperiſſet, certò ſciret, id impunè ſe non eſſe laturum. Cui dubium eſſe poteſt, quin hic illi ſermo parum gratus acciderit? Intereà tamen ille (tanta fuit hujus veſtræ virtutis admiratio) facere non potuit, quin hanc veſtram, in priſca Fide Religioneque tuenda, & conſervanda, curam, & vigilantiam, pleno, quod ajunt, ore laudaret. Inter alia prorupiſſe dicitur in hanc vocem: Atque utinàm (inquit) par ſtudium in eadem cauſa cæteræ quoque Germaniæ Civitates adhibuiſſent, plurimùm nobis malorum effugere licuiſſet, nec unquàm patriam noſtram, tot, & tantis procellis, ac tempeſtatibus jactatam, & agitatam, tàmque gravibus iſtis calamitatibus, miſerandum in modum, affectam vidiſſemus. Deum immortalem! quanta eſt veritatis vis, ut etiam per hoſtium veritatis jugula nonnunquàm, vel invitis illis, erumpat? Quid enim dici potuit verius, quàm, quod ab hoc dictum eſt hoſte veritatis? Certè, ſi par cura, & ſollicitudo fuiſſet aliarum Germaniæ Civitatum in tuenda priſca Religione, quam à Chriſto, & Apoſtolis ejus, per longam ſucceſſionem Epiſcoporum, & Sacerdotum, per manus nobis traditam accepimus, nec ruſticus, contra ſuos Dominos, incredibili, non magis corporum, quàm animarum ſuarum jactura, ſeditionem excitantes, nec Principes, contra ſuum legitimum Imperatorem, Verbique Dei fortiſſimum propugnatorem, parricidialia arma ſumentes, nec Egyptios, contra Egyptios concurrentes, ipſoſque Principes mutuis vulneribus ſe concidentes, mutuis cædibus invicem conficientes, nec virum contra fratrem, & contra amicum ſuum pugnantem, nec tot infortuniis mactatam Germaniam vidiſſemus, ut, ſi quamlibèt potens, ac truculentus hoſtis, eam*

A *grandi cum exercitu pervaſiſſet, majorem ei cladem afferre non potuiſſet. Me verò factum hoc hominis hujus Heretici ſic affecit, ut quamvis a vobis longo locorum intervallo ſim diſjunctus, nulla tamen ratione tenere me potuerim, quin & ipſe, tantum hoc ſtudium veſtrum conſervandæ Religionis, tantumque zelum, & ardorem, quandoquidem coràm non licet, ſaltem abſens per literas, vobis gratularer. Macti igitur eſtote hac virtute veſtra, Viri clariſſimi,*
B *confirmet hoc Deus, quod operatus eſt in vobis. Fortem hunc, & conſtantem animum veſtrum, tantam curam, & providentiam, ac zelum, verè Chriſtianis viris dignum, ſera poſteritas, magna cum laude veſtra perpetuò celebrabit: nec unquàm eſt intermoritura veſtri nominis glorioſa memoria; nec erit injuſtus Deus, ut obliviſcatur hujus operis veſtri, tàm boni, qui, cùm in hoc ſæculo vos omni felicitatis genere cumulabit, tùm in futuro ea vobis præ-*
C *mia largietur, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Hortarer autem vos ad perſeverantiam, ut quemadmodùm cœpiſtis, ita deinceps, etiam pergatis, & memores illius, quod ſcriptum eſt:* Non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem ſalvus erit, *extrema, cum primis contexere ſtudeatis; niſi vererer, nè quis in eam partem id acciperet, quaſi virtute veſtra diffiderem. Currentibus, quod ajunt, calcar addere*
D *nihil eſt neceſſe, à quibus, & quàm levibus exordiis, quorſum progreſſa res, & cùm error, quo nihil eſt fæcundius, alius alium gigneret, ad quas horrendas abominationes ventum ſit ad extremum, obſcurum vobis procul dubio non eſt. Quod, ſuo ſæculo, quidam è SS. Patribus eveniſſe queritur, ut quiſque lingua eſſet ad maledicendum, & blaſphæmandum procaciſſimus, ita præ cæteris idoneum eſſe judicatum, qui Verbi miniſterio fungeretur: hoc nunc uſu veniſſe,*
E *magno cum animorum noſtrorum cruciatu, cernimus. An eſt ullum Religionis noſtræ dogma, quod à noſtri temporis Hæreticis convulſum, & labefactatum non ſit? Sacramenta ſublata, Sacerdotium, & Sacrificium abrogatum, & ita Deum in ordine coactum quodammodò eſſe videmus, dùm nullus ei cultus peculiaris tribuitur, qui non ſit cum eo communis, quem hominibus, aliqua digni-*

gnitate præcellentibus præſtare ſolemus. Jam in his etiam locis, quorum ego ſine lacrymis meminiſſe nequeo, Sanctiſſima Trinitas, non ſolùm impunè, verùm etiam, ingenti cum applauſu, blaſphæmatur: jam Chriſtus Deus eſſe, Deique Filius apertè negatur; jam eò nonnullorum proceſſit effrænata quædam audacia, atque amentia, ut dicat inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus: *Nàm & libellos editos vidimus, in quibus, nùm ſit Deus, & nùm ei res mortalium curæ ſint, per ſummum ſacrilegium, in dubium revocatur. Adeò autem non obſcurè ferunt impietatem ſuam homines audaces, ſibique placentes, ut non vereantur etiam gloriari, qui poſtremo loco ſunt à nobis recenſiti milites glorioſi, Lutherum tectum Papatus tantùm diruiſſe: Zuvinglium, parietes, & viciniora fundamento membra diſiecisse; ſe verò, pro ſua ſingulari animi magnitudine, ad ipſum fundamentum, quod intactum illi reliquerant, ſubruendum aggreſſos eſſe Fundamentum autem Papatus, hoc eſt Eccleſiæ Dei, vocant ſummum ſalutis noſtræ dogma, quo Deum, Trinum in Perſonis, Unum in eſſentia, colendum, & adorandum eſſe profitemur. Quod fundamentum eſſe noſtrum, libenter agnoſcimus. Quis autem unquàm extimaſſet, quæ tàm fuit initio modica ſcintilla, quòd ea tàm celeritèr in tantam eſſet flammam eruptura? Quamobrem laudo Vos, quod per omnia Materni veſtri, qui fuit Petri diſcipulus, memores eſtis, & ſicùt illi tradidit vobis ejus præcepta, tenetis, nec ea, vel in minimo, violari permittitis. Verùm quæ Petrus per Maternum, & per Succeſſores ejus legitimos, in hunc uſque diem credenda, & retinenda tradidit, omnia,* ſarta tecta, *quod ajunt, ſummo ſtudio conſervare ſtudetis, ac non ſolùm ab illis, qui parietes diſiectos, aut fundamentum ſubrutam cupiunt, verùm, & ab his, qui tectum Eccleſiæ Dei, quam ipſis Papatum vocare viſum eſt, demoliri conantur, vobis diligentèr cavetis, ac nè tegulam quidem unam, loco ſuo dimoveri, aut, quamlibèt exiguum, in tecto foramen fieri permittitis. Quamdiù lapides benè compacti ſunt, nec vacuum inter ſe locum habent ullum, firmum, & inconvulſum perſtat ædificium; ſin autem, vel foramen*

A *acus dumtaxàt, quod utrinque penetret, vel ſciſſuram, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit; diſſolvitur, non ita multò poſt, & corruit. Idem etiam de* Domo Dei *ſit, quam iſti Papatum vocant. Quamdiù benè compacti ſunt Eccleſiæ lapides, nihil eſt à Sathana periculi: ſimul ut verò, ſaltem in tecto, vel minimum foramen effecerit, haud aliter atque torrens aliquis toto impetu infunditur; ex quo fit, ut opinione citiùs domus tota corruat.*
B *Itaque rectè quidam ex Patribus admonuit, quod initiis tantùm opus eſt Diabolo; ſimul ut ille diſceſſionis initium opera ſua factum eſſe cognoverit, jam non dimidium habet facti, verùm rem totam confeciſſe videtur: nec enim conquieſcit, niſi compaginem lapidum diſſolutam viderit univerſam. Oculis id noſtris eveniſſe cernimus, hoc infelici ſæculo noſtro; non enim à tecto demoliendo, ſicùt iſti dicunt, exorſus eſt Sathanas, per Miniſtrum ſuum Lu-*
C *therum, ſed ut foramen tantùm in eo faceret, initio laboravit; cujus voti ſui ſimul ut compos factus eſt, non ſolum tectum, verùm et magnam parietum partem diruit, &, quod reliqui fuit, per Zuinglium, & Calvinum diſiecit. Per hos verò glorioſos milites Triadoclaſtas, Fidei noſtræ fundamentis radicitùs extirpatis, cum pulviſculo, (quod ajunt) quibuſdam in locis, omnia ſuſtulit, ut nè veſtigium quidem ullum doctrinæ, de adoranda Tri-*
D *nitate, ſupereſſe vellet. Non eſt quod quiſquam exiſtimet, facturum Sathanam, ut ſe ſtatim, qualis eſt, producat, ut cornua ſua proferat, ut quò collimat, id in ipſo ſtatim oſtendat initio. Nihil eſt hoc ſerpente callidor, qui non aliundè, quàm ex fraude, dolis, & fallaciis conſtare totus videtur. Itaque nunquàm is aperto Marte congreditur: verùm quibus cum illi res eſt, eos ex inſidiis adoritur. Plerumque ſe transfigurat in Angelum lucis, nihil minùs*
E *præſeferens, quàm quod animo clauſam gerit. Quare nunquàm ab his orditur, quæ ſcit eſſe magis abſurda, quàm ut Fidelium animis, non ſatis adhuc præparatis, facilè perſuaderi poſſint: verbi gratia Sacerdotium & Sacrificium, quæ propriè Deo debita ſervitus eſt, ut abrogetur: quod à Veritate dictum eſt;* Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus, *ut verum eſſe negetur;*

getur; adoranda Trinitas ut blaſphemetur: Chriſtus, ut non eſſe Deus credatur; & num ſit Deus, cui curæ ſint res mortalium, in dubium revocetur. Ab his calidiſſima beſtia nunquàm orditur, ſed paulatim in animos hominum irrepens, principio non aliud magis laborat, quàm, ut ſaltem in his, quæ natura ſua media, vel (ut Græci vocant) Adiaphora ſunt; poſtquàm autem Eccleſiæ præceptum acceſſit, eſſe media deſierunt, à communi ſenſu, & conſenſu, receptaque conſuetudine totius Eccleſiæ diſſenſionis initium aliquod fiat. Quod, ſimul ut perfecit, & foramen aliquod nactus eſt, vel rimam ſaltem, per quam influere poſſet; jam & in tecto diruendo, & in parietibus diſiiciendis, & in ipſo fundamento ſubvertendo, nullum eſt ei, vel perexiguum negotium. Quamobrem iterùm atque iterum laudo vos, quòd ab his aſtuti ſerpentis fraudibus, vobis tàm diligenter cavetis, nec ei quamvis veſtimentis ovium induto, ac ſpeciem Dei Verbi prætexenti, nec ſemel illud ingeminanti. Scriptum eſt enim, *fidei quidquam habetis, quin, quotiès novationem aliquam, & ut deorſum vos mittatis, hoc eſt, ut ex illius Civitatis, quæ ſupra montem poſita eſt, doctrina, & traditione vos deiici patiamini, perſuadere conatur, nec aures illi, nec animum adhibebitis; quin ipſis principiis ſtatim obſtatis, nec ejus obliti, quod ſcriptum eſt;* Qui modica ſpernit, paulatim decidit, *vel in minimo vos ab inſtitutis Eccleſiæ, Matris noſtræ, dimoveri patimini. Paradoxon id alicui videri poteſt, ſed affirmare tamen, quidam inſignis Eccleſiæ Doctor minimè dubitavit, non tanto ſtudio ſibi fugienda videri graviora peccata, quanto, quæ leviora cenſeri queant, quòd ab illis abhorret ipſa natura ſponte ſua; hæc verò, dùm contemnuntur, ex parvis maxima fiunt, noſtrâ deſidiâ. Nam gradatim ſemper aſcenditur ad magis enormia, donec eveniat illud;* Impius, cùm in profundum venerit, contemnet: *Quod (proh dolor!) multis in locis jam eveniſſe videmus. Idem in Cauſa Religionis obſervate, nec magis vobis ab illis cavendum exiſtimate, qui parietes diſiicere, vel ab ipſis fundamentis domum evertere conantur, quàm ab his, qui vel exiguum aliquod foramen in tecto facere*

A *moliuntur. Hæc eſt optima, tutiſſimaque ratio, qua Fidem veſtram, ſicut hactenùs, magna cum nominis veſtri gloria, fetiſtis, inviolatam Sponſo veſtro Chriſto conſervare, & ei perpetuò Vos, Virginem caſtam exhibere poſſitis. Quamobrem, ut vobis gratiam ſuam impertiat, Chriſtum precor, & ut vos omni felicitatis genere cumulet.* Datum ex Caſtro noſtro Heilſpergenſi, quinto Idus Junii anno 1567.

Ad hanc Hoſii Epiſtolam, haud XII.
B impari pietatis, ac fidei zelo, Colonienſis Senatus reſponſum remiſit: [*Se nempè diligentiſſimè curaturos, nè conceptam de ſe, in tuenda religione bonorum opinionem, ullo modo fefelliſſe cuipiam videri poſſit. Omnia ſe priùs, & facere, & pati paratos, quàm eam ſibi Fidem eripere ſinant, quam à ſuis Proavis, jam indè à D. Materno repetentes, inviolatam receperant; & cooperante, & præveniente Di-*
C *vina gratia proviſuros, nè,* [quò Cardinalis gratulationem, laudem, & conſilium ſpectare intellexerant] *non ſolùm parietes ædificii, domum à fundamentis everti, ſed nè omninò rimulam in tecto fieri paterentur. Quam quidem præſcriptam conſervandæ Religionis rationem, quam ſibi, majorum veſtigiis inſiſtentibus, præfixam habuerant, magis indè, adeò tunc, accedente Hoſii authoritate, confirmati, ſibi non mediocritèr gratulabantur;*
D *quòd & eorum & Patrum ſuorum judicium cum eo tàm magni Antiſtitis optimè congrueret.* [Data autem hæc Epiſtola recenſetur Kal. Aprilis ſequentis anni dumtaxàt, quòd nempè, propter mittendi opportunitatem, eam ſcribere ad illud uſque tempus diſtulerint, & inter alias Hoſii Epiſtolas centeſima nona numeratur.

In tàm felici agro nihilominùs, XIII.
E in quo Cæleſtis Pater ſemen bonum ſeminaverat, inimicus homo diſſidiorum zizania ſuperſeminare connixus eſt; eorum autem originem ab ovo, ut dicitur, nonnulli ſibi viſi ſunt deſcripſiſſe, dùm videlicet retulere, quòd conſtituta Coloniæ cùm eſſet nobiliſſima Academia, jam ab Urbano VI. iiſdem, ac Pariſienſis, decorata privilegiis, inter privilegia ipſa illud recenſebatur, nè quis jus Cathedræ obtinere poſſet, qui per gradus Philoſophicos, Theologicos, ac aliarum ſcien-

ſcientiarum, quibus ſedulò vacaſſet, ad eam pervenire valeret, ac per multa experimenta, doctrinam, ac probitatem ſuam, deſignatis ab eadem Academia Cenſoribus, minimè probaſſet; et docendi demùm munus ſuſcipere prohiberetur, ſi priùs teſtimonium Catholicæ Religionis, ejuſque profeſſionem, ex præſcripta formula non emiſiſſet. Hac ratione, (addunt) tamquam fœcundam Matrem plures ſemper enixam fuiſſe filios, religionis zelo, ac doctrina illuſtres, qui nempè, cùm orthodoxa ſemper ea docuiſſent, quæ à Majoribus didicerant, felici propagine, religioſum ſempèr, unà cùm iis protendiſſe videbantur Catholicum ſemen. Tantam igitur (inquiunt) religionis integritatem, validumque, contra pravas opiniones, propugnaculum, ſuſtinere haud valens antiquus hoſtis, quod aperta vi aggredi non eſt auſus, ejus occulta fraude potiri ſtuduit; cùm, ambitioſo, nimirum, in ea Academia docendi, deſiderio exteros plures incendit, qui ab Academiæ legibus pariter arcebantur. Hi igitur, cùm nullatenùs ab ipſa conſequi poſſe agnoviſſent, quod nemini illa concedebat, Principum, ac Maximiliani præcipuè ope, ac authoritate ſperarunt, quod propriis obtinere viribus non valebant; & ut faciliùs eum ſibi favorabilem, ac propitium redderent, authoritatis, ac Cæſarei ſui Juris eſſe id Academiæ præcipere, ac repugnantem etiam, quos ipſe elegiſſet, Magiſtros, ut reciperet, poſſe compellere, ſuggeſſerunt. Apoſtolicis, innixam ſuis privilegiis, Maximiliani mandatis Academiam viciſſim parere renuiſſe deindè narrant, Piumque admonuiſſe de vi ſibi illata, apud ipſum, de Cæſare conqueſtam referunt. Pontificem verò, utriuſque partis perpenſis rationibus, ſumma tandem æquitate, ac prudentia, nè quid Cæſari ac Imperiali dignitati, ſi quid juris eſſet detraheretur, curaſſe: & viciſſim, nè quis in Academia Cathedras, ac docendi munus obire valeret, ſi priùs Fidei profeſſione, ejuſdem omnibus patens, ac evidens teſtimonium non protuliſſet, ſanxiſſe referunt.

XIV. Hæc illi, qui certè nec acu quidem rem tetigere; jus ſiquidem, quod Maximilianus in medium protulit, A nec prava alicujus ſugeſtione promotum, nec ex aſtu uſurpandi, quæ Academiæ fuiſſent, derivatum, multòque minùs eâ mente productum, ut corruptæ doctrinæ Magiſtros ei imponeret, nec ullis demùm ex cauſis, quæ ipſi excogitarunt, proceſſiſſe, evidentiſſimè patet; cùm tantùm illud ſibi competere Maximilianus idem exiſtimaverit, quod ex Apoſtolico indulto traditum contenderit. Indulto eidem, uſus, *Primarum precum* nomen B indidit, quo Pontifices ſummi Imperatorem Electum, ſtatim, ac comprobarunt, confirmaruntque, exornare, pro Apoſtolica benignitate conſueverunt; quo videlicèt, facultas ei tribuitur, ut prima, poſt præfatam confirmationem, vacantia in Germania, Eccleſiaſtica Beneficia, ac Officia conferre valeat. Qua de re, haud prætereundum, quòd, proximis noſtris hiſce temporibus, inter Apoſtolicam Sedem, & Cæſaream aulam quæſtione commota. de ea utrinque diù, acriterque certatum fuiſſe; ſed de- C mùm, non modo Catholicos, ſed etiam Heterodoxos, qui plura, & verbo, & ſcripto oblatraverant, juſtitiæ, & veritatis vi cedere compulſos. Patuit ſiquidem, re diligenter examinata, atque perpenſa, tùm ex Canonico jure, tùm ex inclytæ Nationis Germanicæ concordatis, tùm ex Pontificiis Diplomatibus, tùm exemplis, ab Eccleſiaſtica hiſtoria petitis, innumeriſque præterea monumentis aliis, & perpetua conſuetudine, pre- D ces illas, ſine ſpeciali, quod diximus, Summi Pontificis privilegio dirigi à Cæſarea Majeſtate non poſſe. Quare cum Joſephus I. Electus Romanorum Imperator, præter vetuſtiſſimum Prædeceſſorum morem, Apoſtolica Sede inconſulta, neque anteà obtento, quod prædiximus, diplomate, ad quædam Germaniæ Capitula, nominationes ſuas direxiſſet, illaque obſtitiſſent: ubi tandèm admonitus fuit, & quod res erat, intellexit; ſumma, qua pollebat, pie- E tate, Apoſtolicum ipſum indultum, enixè petiit, & obtinuit, & deindè Beneficia, quæ intra tempus, ab eodem diplomate præſtitutum, vacantia fuerunt; nemine Eccleſiaſticorum, Eccleſiarumque Germanarum reluctante, more Majorum conferre liberrimè potuit.

In-

XV. Inter plura alia verò, quæ Summorum Pontificum habentur diplomata, illud etiam offenditur, quod Pius IV Maximiliano II. ſtarim ac in Romanorum Regem fuit electùs, atque ab Apoſtolica Sede confirmatus, conceſſit, datumque legitur, apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingentiſimo ſexageſimo quarto, quarto Idus Julii, Pontificatus anno quinto. Et quidem ex hoc, quod impertitum ſibi fuerat, indulto, Maximilianum in Academia Colonienſi, B quod præfati ſumus, jus ſibi ipſi competere contendiſse, ex illis, quas idem ſcripſit, epiſtolis, quaſvè nos originales habemus, ad Pium V. manifeſtè colligitur; hujuſmodi ſiquidem fuerunt.

[Beatiſſimo Patri, Domino Reverendiſſimo.

Ex Origin. *POſt officioſiſſimam commendationem, filialis obſervantiæ continuum* C *incrementum. Cùm præter expectationem noſtram, imò & contra omnem rationem, & æquitatem acciderit, quòd Rector, & Proviſores, ſeu Defenſores Univerſitatis, ſeu Studii generalis Colonienſis, accedente etiam, ut non obſcurè apparet, conſilio, favore, auxilio Civium, & Conſulum Imperialis noſtræ Civitatis Colonienſis, prætexu cujuſdam Apoſtolici Indulti, nobis ſeſe oppoſuerint, impedimentum inferre conati ſint, in præſentatione,* D *& executione* precum noſtrarum primariarum, *ſeu regalium, quas perſonis quibuſdam, gratis, & benemeritis, pro antiquiſſimo jure, à Divis Prædeceſſoribus noſtris, Romanorum Imperatoribus, ac Regibus devoluto, atque etiam poſt noſtram Romanam electionem, per Prædeceſſorem S.V Pium IV. felicis recordationis approbato, & confirmato, haud ità pridem contulimus ac dedimus; iidem Rector, & Proviſores, ut colorem aliquem haberent, quo faci-* E *liùs inobedientiam ſuam excuſarent, declarationem, & confirmationem ejuſmodi prætenſi indulti, ac privilegii ſui, à S.V. requirere, atque ut jus noſtrum iſthic in dubium, & controverſiam vocetur, operam dare perhibeatur. Id autem, cùm vergat in vilipendium authoritatis, & dignitatis noſtræ Cæſareæ, non immeritò ſingu-*

A *larem nobis moleſtiam attulerit, nulloque modo à nobis tolerari queat: ſicùt nec S.V. mentem eſſe credimus, quòd quiſquam, ſuis, & Apoſtolicæ Sedis indultis, ad labefactandam noſtram, & ſacri imperii authoritatem abutatur; prætermittere non potuimus, quin S.V. de hoc univerſo negotio, per Conſiliarium, & Oratorem noſtrum, magnificum, fidelem nobis, dilectum, Proſperum Comitem Archi, officiosè edoceremus. Quocircà nunc S.V. ſummo* B *ſtudio rogamus, ut non ſolùm Oratori ipſi benignè aures præbeat, verùm etiam ſupplicationem Rectoris, & Gymnaſii Colonienſis, ſi quid tale petierint, rejiciat, nullamque illis declarationem concedat, quæ nobis, & Sereniſſimis noſtris in Imperio Succeſſoribus, quidquam præjudicii afferat; ſed potiùs indultum ipſum, quo tantoperè niti videntur, prorſùs revocet, & abroget: adeòque cùm ſuæ propriæ, & Sedis Apoſtolicæ, & Sacri Imperii dignita-* C *ti, & authoritati, (Siquidem utraque hoc loco concurrit) paternè conſulere ſtudeat, ſicut ipſam, pro ſua pietate, integritate, ac paterno in nos amore, libenter facturam eſſe minimè ambigimus. Quod ſanè oliis plurimis S. V. in nos optimæ, & propenſiſſimæ voluntatis ſtudiis annumerabimus, mutuaque filiali noſtra obſervantia promereri contendemus.* Datum in Civitate noſtra Vienna 24. Decembris anno 1567. Regnorum noſtrorum, Ro- D mani ſexto, Hungarici quinto, Boëmiæ decimo nono.

S. V.

Obſequens Filius
Maximilianus]

Iſta Maximilianus: ex quibus liquidò apparet, non ſtudiosè, aut arte aliqua longè quæſitum jus illud in Academia Colonienſi, ipſum obtendiſſe; ſed ex Pontificio potiſſimùm indulto ſibi aſſerendum putaſſe. Suſpicari fortè liceret, ideò præfatam Aca- E demiam eidem parere detrectaſſe, quòd ſuas Cathedras, ac munia alia, minimè nomine Beneficiorum, aut cujuſvis alterius Eccleſiaſtici Officii, cujus diſpoſitio Imperatori, ex Apoſtolico Indulto tradita erat, comprehenſa contenderet. Verùm id cogitare, illæ ipſæ, quas attulimus, Maximiliani Epiſtolæ vetant; nàm in his diſſertè legitur, ex Apoſtolico Diplomate XVI.

mate altero, exemptionem ſuam contra Imperatorem Colonienſes aſſeruiſſe.

XVII. Ex hoc tamen multò minùs elicere fas eſt, Maximilianum, contra ejuſdem Academiæ leges, aliquos intrudere voluiſſe, qui ab iiſdem legibus arcebantur; vel (quod deterius) eos, qui mente, ac doctrina fortè corrupti eſſent, vel Catholicæ Religionis, ex præſcripta formula, profeſſionem emittere recuſaſſent. Sicùt enim Pium, audita Maximiliani de Apoſtolico Indulto, à Prædeceſſore ei conceſſo, exhibitione, petitioni illius Academiam Colonienſem acquieſcere præcepiſſe forſàn cenſeri poteſt; ità, ſi in negotio eo, vel à Colonienſibus ipſis, vel aliundè, aliquid ſubodoraſſet, quo Catholica Religio, vel in minimo lædi poſſet ſimulare, vel præterire potuiſſe, quis credet? Certè, cùm in allata Epiſtola, de hujuſmodi, ut apud Pontificem ſe purgaret, Maximilianus opus eſſe non duxit; de hoc allatam certè ad Pium de ſe querelam non cenſuiſſe putandum eſt. Nàm, ſi quid ſimile Pius, vel ſuſpicatus eſſet; quis ritè (inquam) cenſere poterit, ut Maximiliano aſſentiretur (quovis Indulto munitus eſſet,) rem diſſimulaſſe? Vel, ſi eorum aliquis, qui à Maximiliano eodem, ad præfatas Cathedras promoti fuerant, profeſſionem Fidei præſcripta formula, emittere abnuiſſet; putas nè id Pium præteriiſſe, eodem illo tempore, quo in Civitate eadem, ut mox dicetur, ob non emiſſam ejuſdem Fidei profeſſionem, Archiepiſcopum ſeſe Paſtorali munere abdicare coegit? Maximilianum quoque, cui, & Pii ingenium, & cuncta hæc optimè comperta erant, vel id tentare cogitaſſe, quis credet? Longè ſanè nimis ab hoc fuere, quæ pietatis, ergà Apoſtolicam Sedem, ac Catholicam Fidem reveverentiæ, hoc ipſo anno, Maximilianus idem ſpecimina dedit, quibus nos debitum laudis teſtimonium libentiſſimè promimus; nàm ſicut ejus, aliorumque vitia minimè diſſimulare intendimus, ſic æqua lance, virtutes commendare, ac explicare curamus, ut unicuique jus fiat, ac ſinceriſſima rerum relatione, æquitati ſimul ac veritati conſulamus. Unum tamen in præſens referre ſufficiat, quod ad res ipſas Germanicas ſpectet, cœteris reſervatis, ubi de Hungaricis agetur.

A Illud accipe, ex ipſius Imperatoris ſcripta, in hunc modum, ad Pontificem Maximum Epiſtola.

[Beatiſſime in Chriſto Pater,
Domine Reverendiſſime.

Poſt officioſiſſimam commendationem, filialis obſervantiæ continuum incrementum.

B *Cùm Divus quondam Imperator, Ferdinandus, Auguſtæ memoriæ, Dominus, ac Genitor noſter obſervandiſſimus, ſuperioribus annis, pro ſuo ſummo in Deum Opt. Max. cultu, ac conſervandæ, & propagandæ Catholicæ Religionis ſtudio, in hac quoque Civitate noſtra, & alibi Collegium Fratrum Societatis Jeſu, inſtituiſſet; aſſignaverat etiam eidem Collegio bona quædam, & proventus annuos, quæ olim ad deſertum Monaſterium Carme-* XVII. Ex Originali.
C *litarum, quod hic fuit, pertinuerunt. Quam quidem aſſignationem, & Collegii erectionem, atque adeò univerſam prælibati Divi Domini Parentis noſtri diſpoſitionem, & fundationem, unà cum privilegiis eorum, & præſertim dicti Monaſterii in Collegium translatione, poſteà nos quoque, ut Princeps Patriæ, conſiderata ejuſdem Societatis eximia pietate, ac honeſtate, nec non inculpata, & exemplari, quam ducunt, vita, benignè confirmavimus, atque*
D *corroboravimus. Quoniam autem dictæ Societatis Fratres, qua ipſorum eſt ergà Sanctitatem Veſtram, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, ſumma obſervantia, exiſtimant, ſibi omninò incumbere, imò planè neceſſarium eſſe, ut ſuper hac Divi Domini Genitoris noſtri fundatione, ac præfati Carmelitarum Monaſterii, ad Societatem antedictam applicatione, ac Inſtituti commutatione, habeant benignum S. V. conſenſum, atque confirmationem, nè quid hoc, poſthabita*
E *Sanctitatis Veſtræ authoritate, factum videatur, & propterea nos magnoperè rogaverint, ut Sanctitati Veſtræ hoc confirmationis negotium commendatum redderemus: non potuimus equidem, huic pio, & benigno ipſorum deſiderio deeſſe. Itaque Sanctitatem Veſtram enixè rogamus, ut dignetur eis, non ſolùm petitam confirmationem clementer concedere, quò rectiùs, commodiùſque poſſint,*
etiam

etiam in poſterùm inſtituto ſuo vacare, etsi quidem tàm in ſcholis, quàm in Eccleſiis, indefeſſo doctrinæ ſtudio, jugitèr ac vigilanter incumbunt; ſed eoſdem etiam, aliis in rebus omnibus benignè commendatos habere, ſicuti Sanctitatem Veſtram, pro ſua in eos propenſa voluntate, ac ipſorum meritis, ultrò quoque, ſed ad hanc noſtram officioſiſſimam interceſſionem multò libentiùs facturam eſſe non diffidimus. Id quod erga Sanctitatem Veſtram, mutuis filialis noſtræ abſervantiæ officiis, ſedulò promereri contendemus. Quam, ut Deus miſericors, pro beneficio ſuæ Eccleſiæ ſalvam, ſoſpitemque conſervet, etiam, atque etiam optamus. Datum in Civitate noſtra Vienna, die V. Decembris, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum; Romani Sexto, Hungarici quinto, Bohemiæ verò decimonono.

S. V.

Obſequens filius
Maximilianus &c.]

Sic Epiſtola. Colonienſia reliqua proſequamur. In majoris ponderis
XIX. etiam negotio, nempè Archiepiſcopi, de quo nonnulla paulò antè, & præterito anno innuimus, fideli Colonienſi Urbi minimè defuit Omnipotens Deus, quin eam peculiari ſua protectione tutaretur; nàm hoc anno tandem Fridericus Comes à Veda (id erat electi Archiepiſcopi nomen) Archiepiſcopatui huic ſpontè ſeſe abdicavit. Ut autem hujus abdicationis cauſa potiſſimùm agnoſcatur, ſciendum eſt primùm, inter innumeros, qui in Germania, in Eccleſiaſticis inoleverant abuſus, non minimum illum fuiſſe, quòd, qui ad Eccleſiaſticas dignitates promovebantur, poſtquàm in Epiſcopos eligi obtinuiſſent, ac à Romano Pontifice eorum electionem ratam haberi aſſecuti eſſent; nil deinceps ſollicitos eſſe conſueviſſe, ut conſecrationis munus acciperent; ita ut non rarò contra Sacrorum Canonum ſtatuta, non dies modò, vel menſes, ſed anni etiam elaberentur, quibus electione contenti, Cathedras occuparent, ac verè Epiſcopi, nec quidem charactere, eſſe vellent.

XX. Præcipui inter hos, hoc tempore recenſebantur Archiepiſcopus, ac Elector Trevirenſis, Epiſcopus Oſnabrugenſis, ac Archiepiſcopus, & unà Elector Colonienſis. At cum iſto, præ aliis plùs negotii fuit, quòd non tantùm conſecrationem diſtuliſſet, verùm etiam, quòd ipſius electio, à Capitulo, & Canonicis Colonienſis Eccleſiæ de more facta, Apoſtolica authoritate comprobata minimè eſſet, neque eam ratam habere velle Pius ſignificaſſet, niſi Electus, ex Sacroſancti Concilii Tridentini præſcripto, Fidei profeſſionem priùs emitteret; quam ipſe facere abnuens, Epiſcopatui tandem potiùs cedere, ut diximus, maluit.

Quod autem in re Epiſcoporum, ac præcipuè Trevirenſis, ac Oſnabrugenſis actum fuit, Pio præcipiente, minimè prætermittendum duximus; illud verò accipe ex Cardinalis Commendoni Epiſtolis ad Cardinalem Alexandrinum, Kal. Aprilis, præterito anno, Auguſta datis, quas in hunc locum rejecimus, ut ſimul totam negotii Epiſcoporum ſeriem, quam impudentiſſimè calumniarè aliquis auſus eſt, daremus. XXI.

Ait ergo:

[In mandatis, per Præſulem Lancellottum à te ad me miſſis, inter cætera imperaſti, ut diligenter huic incumberem, ut Electi conſecrationis munus obirent. Inter hos præcipuus, Trevirenſis Elector recenſetur, qui, ut accepi, priuſquàm huc Auguſtam perveniret, Romam ſcripſit, & a Summo Pontifice officiosè facultatem petiit, ſuſcipiendi conſecrationis munus, cum abſolutione &c. quam, ut à Cardinali Auguſtano intellexi, nondùm obtinere potuit. Quapropter hæreo animo, incertus, qua ratione cum eo me gerere debeam: nàm, ſi de hac re ipſum non alloquar, ſed cum aliis priùs egero, certiorem ferè reddere videor, quod poſtulat, nequaquàm eum conſequi poſſe. Si verò alloquar, reſpondebit ſtatim, id in votis habere, & per ſe non ſtare; & fortè mirabitur, me ipſum ad illud hortari, quod iſtic minimè impetrare valet. Gravem fateor, eſſe culpam, conſecrationem, tot annis diſtuliſſe, ac pro ea non levem eſſe injungendam pœnitentiam, & inſuper abſolutionum hujuſmodi facili nimis elargitione, reſtitutioni, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationi, nil prorſùs utilitatis accedere; nihilominùs, talis, ac tanta eſt præſens infirmitas, ac imbecillitas in religione hominum, quod multoties Bibliot. Cand. Spad. M. S. n. 83. pag. 380.

remediis, morbo levioribus uti neceſſe videtur, ac compati infirmitatibus fratrum, at medicamenti vis ipſa modicam illud virtutis, quod in aliquibus ſupereſt, penitùs non extinguat. Trevirenſis iſte, ut in aliis ad te miſſis ſcripſiſſe memini, ſummæ prudentiæ, ac roboris vir ab omnibus habetur. Inter Eccleſiaſticos Principes primus, & dempta una hac conſecrationis dilatione, in reliquis optimi ſemper zeli ſpecimen dedit. Horum autem temporum infirmitas talis, tantaque eſt, ut in hoc ipſo, quod poſtulat, optimi ejuſdem zeli ſpecimen etiam præbere exiſtimabit. Quòd ſi id, quod petit, minimè impetrabit, infauſtiſſima quidem vereri nolo, ſed tamen minimum, quod hinc expectari poſſet incommodum, illud erit, quòd Epiſcopatui ſeſe abdicet; quam abdicationem jam meditatum fuiſſe, illud oſtendit, quòd pluriès, inter loquendum, ſe conſecrationem diſtuliſſe mihi aſſerueris, quòd muneri cedere vellet. Id autem, ſi accideret, maximum, ac ſummum damnum inferret; nàm, propter Præſulis hujus auctoritatem, reliquæ illius operationes in diſcrimen evaderent, vel multos ſaltem ſectatores habebit, qui libentiſſimè ipſius inhærebunt veſtigiis. Quò autem Electorum, qui conſecrari renuunt, augebitur numerus; eò ſe viciſſim tuebuntur, eòque magis pertinaciùs adhærebunt, quò remediu haud facilè conſequi poſſe exiſtimabunt. Ad hoc verò ut leges in ſuo robore, ac obſervantia vigeant, nil magis forſitan perpendendum eſt, ac devitandum, quàm, nè quæ priùs erant paucorum ſingularia delicta, plurimorum communia evadant; tunc enim in ea animadvertere, impoſſibile, illudque tentare in nimium legum paritèr ac Magiſtratuum contemptum vertitur, ac inexcogitabile potiùs Eccleſiæ incommodum affert.

Grave inſuper, ac moleſtum negotium nobis nunc eſt, de confirmatione alterius Electoris, quod, ſi præfato Trevirenſi addatur, utriuſque exitus difficilior erit; nàm licèt diverſo ex capite eorum quæſtio procedat, nihilominùs cauſam communem unà ſe habere exiſtimabunt; & quamvis res confirmationis Colonienſis Electoris optatum exitum obtineret; incertum tamen eſt, an Trevirenſi haud conſecrato, conſecrationem ipſe ſuſcipere vellet. Olim, cùm per Treviros tranſire contigit, diù, multumque hac de re cum ipſo Trevirenſi Electore diſſerui, & quamvis multas excauſationes obtenderit, nullarum tamen his me fateor ſatisfactum fuiſſe. At, cùm modò polliceatur, ac ſtatuiſſe tandem oſtendat, in his Comitiis conſecrationem ſuſcipere; fateor, me cenſere, facultatem, eam ſuſcipiendi ipſi concedi poſſe; appoſita tamen conditione credentiali ad Cardinalem Auguſtanum, vel ád eum, & ad me ſimul directam, ut unà ipſum admonentes, ageremus, ut culpam agnoſceret, pariterque cum ea, ſummam Pontificis benignitatem, qui ei indulget; & ſic tandem aliquandò conſecraretur, nàm ſi id efficeretur, priuſquàm Comitiis finis imponeretur, magnum certè ex hoc commodum, in hoc præcipuè loco, atque hoc tempore, & in tali, tantaque perſona, quænam eſt iſta, Electoris.

De hac ipſa ferè conſecrationis cauſa, ſupplicem ad te libellum miſi, pro Electo Oſnabrugenſi, fratre conſanguineo Svetiæ Regis; præſertim tamen reſponſum deſideratur, & in eo, facultas, ut, aſſiſtentibus duobus Abbatibus Inſulatis, conſecrari poſſit; idque, tùm ob paucitatem Epiſcoporum, tùm ob nimiam, eos unà cogendi, difficultatem. Præſul hic, unà cum Trevirenſi in culpa eſt, conſecrationem protelaſſe. Multotiès admonui, ac impuli, tùm verbis, Oſnabrugi, tùm literis, ut conſecrationem ſuſciperet, idemque cum eo egit P. Caniſius, qui pariter mecum cenſet, utrique, Trevirenſi, nempè, ac huic Oſnabrugenſi, poteſtatem concedi poſſe, quam petunt] Sic Epiſtola Cardinalis Commendoni.

At, cùm appareat ex literis à Joanne Andrea Caligario, Româ ad eumdem Commendonum, Auguſtam ſcriptis, ſub die decima octava Maii ejuſdem præteriti anni, Pontificem, facultatem ſuſcipiendæ conſecrationis concedere diſtuliſſe, itaut ea nequaquàm uti poſsent, ut in præfatis Comitiis conſecrarentur, ideò poſteà dumtaxàt fuiſse impertitum dicendum eſt; & quidem probabilitèr, hoc tantùm anno, quo potiſſimùm Eccleſiaſtica hujuſmodi negotia, abdicatâ à Colonienſi Archiepiſcopali dignitate, compoſita fuere. XXII.

Quanto

XXIII Quanto autem ſtudio, ac labore connixus fuerit Pius, per Legatum ſuum, ut ad emittendam Fidei profeſſionem, juxtà Tridentini Concili Decretum, Colonienſem perduceret; evidentiſſimè apparet ex præfati Cardinalis Commendoni literis, ad eumdem Pontificem Kal. Maii præteriti anni, exaratis, quæ hujuſmodi fuere.

[*Proximis ſuperioribus diebus Colonienſem Septemvirum inviſi, cique obculi Sanctitntis Tnæ Epiſtolae, quas ſeorſim cnm Conſiliariis ſuis, ex Germanorum more, examinandas accepit, poſtque multa urbanitatis, ac obſequii verba, erga Sanctitatem Tnam, ac Apoſtolicam Sedem, tandem de propria confirmatione verba facere cœpit, ſuccintè tamen, quòd, oblato ſcripto, quod coràm me legi juſſit, de re fuſiùs diſſereretur. Humillimis ſanè verbis ego reſpondi, cique tantùm innnere ſtudui, hanc profeſſionis Fidei petitionem, non ab eo tantùm depoſci, nec ex eo, quòd aliquid mali de ipſo ſuſpicaretur; ſed nb omnibus exquirendam deincept fore, qnorum electio rata habenda eſſet; nt jam actum fuerat, cum univerſis Poloniæ Electis, qui nnà omnes, nullo prorsùs contrndicente, cam emiſerant.*

Alteri libelli parti reſpondere tunc diſtuli, tùm nè negotium ſtatim è conſpectu exacerbarem, tùm uc libellum ipſum obcinerem, facultatemque hac ratione nſſequerer, ſcitè, ac commodè de eo cum Conſiliariis agendi; ideòque eum exoravi, ut libellum concederec, quòd ſingulis, quæ in ipſo continebantnr, reſpondere poſſem; eo tamen animo, ut qnovis valerem modo, ipſi obſecundarem. Conceſſit libenter ille quod petii, ac inter nos convenimus, ut heri Conſiliarii ejns me accerſerent, uti fecernnt, et ego ſingnlis, in libello comprehenſis articnlis, ſic reſpondi, nt fateri tandem compulſi faerint, Electorem mutare debere ſententiam, ac parere; idqne effecturum ſperare indicarunt. Et quia inter loquendum innuerunt, Electorem ipſum in ſuſpicionem veniſſe, do eo malè Sanctitatem Tuam cogicare, camque ab ipſo hanc Fidei profeſſionem expetere, tamqnàm errorum abiurationem, ex qua perpetuam dedecus nomini, ac famæ ejus inurendum ſit; quod jurè erat ipſos edocere ſtudni, eiſque me obtuli, poſtquàm paruiſſet, ejnſqae electionem Sanctitas Tua ratam habuiſſet, te ſpeciale aliquod, ac pnblicum benificientiæ, ac und benevolentiæ munns in eum conferre, me curaturum, ſpeciali etiam conceſſione Indulti. Ob qnod ſummas mihi gratias egerunt.

Hodiè ad me reverſi ſunt, & ut agnoſcere potni, iniquo nnimo fernnt, Electorem conſilium mutare noluiſſe; ejnſdem idcircò nomine Sanctitatem tuam exorarunt, nt jam olim aſſuetum jurejurandum reciperet; cnm ipſe anno 1562. electns fuerit, quo nimirùm tempore, Tridentinum Concilum nondùm fuerat abſolutnm, quod niſi obtinere poſſit, cum nihil à ſe ipſo ſtatuere valeat, enm Sanctitatis Tuæ petitionem in Comitiis relaturum dixerunt, ut ibi, quid agendum eſſet, decerneretur. Sereno vultu, & abſqne nllo pertnrbationis animi indicio, hæc andivi, deindè rursùs ipſis oſtendere connixus ſum neceſſitatem, ac utilitatem hujus profeſſionis; tùm Electorem facilè ipſam emittere poſſe, cùm res ad Fidem pertinens ſit, quæ ab ipſo tantùm, non autem ab aliis pendeat; nec temporalia, aut mixta, ſed Spiritualia dumtaxàt comprehendat, in quibus de ſententia, præter ſummum Pontificem, ac Univerſale Concilium, nullus rogandus eſt; deplorandum enim nimis fore edixi, tot Sectarnm Germaniæ Principes impunè mittere conſuevíſſe, vel Genevam, vel alibi, nt Catechiſmos, ac improbns fidei profeſſiones, pro eorum libitu, faciendas ſeligere poſſent; illam verò dumtaxàt, quam Apoſtolica Sedes, ac Univerſale Concilium probaſſet, laicornm judicio eſſe ſubjiciendam; qui, licèt Catholici ſint, nil tamen in hac re immiſcere ſe debent. Hinc multa prolognutus, tùm de his, qnæ Sanctitas tna, ex impoſito ſibi onere expetere tenebatur, tùm de his, qnæ Elector præſtare debebnt; Conſiliarios monens, ut ſeriò perpendere Electorem ipſum ſuaderent, quid ageret, & ex his, qnæ nam mala oboriri poſſent, eos dimiſi.]

Sic Epiſtola Cardinalis Commendoni. At hæc, ut dictum eſt, anno præterito, poſt quæ nequaquàm deſtitit Pius, ut hominem opportunè, ac importunè commonefaceret, ut Fidei eam profeſſionem emitteret. Verùm inanes fuere cuncti hi Pontificis conatus cum Viro duri cordis, qui rem XXIV.

in

in dies ſemper diſtulit, quam unquam opere complere pervicaciſſimè ſtatuerat: itaut Pius detrectantem, per ipſum Maximilianum, haud ſemel compellere coactus fuerit, licèt fruſtrà. Inultum igitur crimen diutiùs pati nequivit, ideòque, vel parere juſſit, vel Eccleſiam dimittere. In arcto autem poſitus homo pervicax, potiùs Colonienſem Cathedram abiicere, quàm præſcripta forma Fidem profiteri, maluit; æternoque dedecore notatus apparuit qui in Fidei confeſſione ſe dedecorandum pertimuit. Ut autem ex Apoſtolica benignitate mitiùs, quàm poſſet, cum eo ageretur, factum eſt, ut ultrò dignitati cedere videretur, qua invitus etiam ſpoliari debuiſſet; & ita Colonienſis Eccleſia à demente, nè dicamus ſuſpecto Paſtore libera evaſit.

XXV. Quanto autem gaudio Pontifex affectus eſt, quòd Eccleſiam hinc tanto periculo eruerit, tantam poſtmodùm ſollicitudinem geſſit, cùm ſtatim de ſufficiendo in Friderici locum digno, ac Catholico Paſtore, agendum fuit, ut liquidò apparet ex ipſius Epiſtolis, & ad Maximilianum Imperatorem, & ad Decanum, & Capitulum Colonienſe datis, quæ ejuſmodi fuere.

[Dilectis Filiis Decano, & Capitulo Eccleſiæ Colonienſis.

Dilecti Filii ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem,

Apud Gerb. l. epist. 27.

NOn parva animi moleſtia, ac ſolicitudine liberati fuimus, poſtquàm ex literis Nuncii noſtri, apud Majeſtatem Cæſaream reſidentis, cognovimus, eum, qui à vobis electus Archiepiſcopus fuerat, ſuo tandem jure ceſſiſſe. Gaudemus admodùm, & Deo gratias agimus, quòd jam de integro poteſtas ad vos delata ſit, novum Archiepiſcopum eligendi. Hortamur autem in Domino, & omni ſtudio vos admonemus, ut officii veſtri memores, matura deliberatione adhibita, & eo, quo decet conſenſu, ejuſmodi perſonam eligatis, ut electionis veſtræ, & Deo, & hominibus rationem reddere poſſitis. Agitur, ut videtis, honor Dei, agitur animarum ſalus, agitur officium, & exiſtimatio veſtra. Cogi- A *tate, quàm hæc turbulenta ſint tempora: mementote, quanto in periculo aliàs iſta Eccleſia verſata ſit; quanta damna, & detrimenta acceperit quorumdam Præſulum culpa. Si unquàm Capitulum iſtud, in eligendo Archiepiſcopo, curam, & diligentiam adhibuit, nunc multò majorem, quàm anteà, adhibeat neceſſe eſt. Proindè Dei tantùm obſequium, & animarum ſalutem, atque utilitatem Eccleſiæ, propoſitam ante oculos habete, & eligite, ſeù po-* B *ſtulate virum, cujus exploratum, & planè compertum habeatis Catholicæ Fidei zelum; qui prætereà vita, & moribus, & rerum uſu, atque prudentia, ad tantæ Eccleſiæ regimen, non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus maximè aptus, atque idoneus ſit. Talem, ſi, ut ſperamus, veſtra fide, probitate prudentiaque confiſi, elegeritis, Electio veſtra Deo grata, Eccleſiæ ſalutaris erit. Vos autem judicii veſtri, non ſolùm à No-* C *bis, & ab omnibus aliis magnam laudem, ſed à Deo etiam præmium conſequemini*. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Novembris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

AD MAXIMILIANUM.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Maximiliano, Ungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

D

PIUS PP. V.

Chariſſime &c.

GRavi admodùm cura levati fuimus, poſtquàm certiores facti ſumus, Electum à Capitulo Colonienſi, electionis ſuæ juri ceſſiſſe. Quæ in re, ſicut M. T. perſuaſum habemus functum eſſe officio, quod ipſius ſapientia, ac pietate dignum erat, ità confidimus curæ ei quoque futurum eſſe, E *ut ad Eccleſiæ tantæ regimen, ejuſmodi perſona a Capitulo eligatur, cujus integritas Fidei, ac Religionis Orthodoxæ zelus, cum vitæ, & morum honeſtate conjunctus ſit, quæque prætereà ætate, ac rerum uſu apta ſit, ad tantum onus ſubeundum. Etenim, ſi unquàm*

unquàm adhibita, in eligendo, cura fuit, hoc maximè tempore curandum, & providendum eſt, ut quàm optimo Præſuli, ac Paſtori ea Eccleſia committatur, ad quod Nos quidem diligentèr, pro eo ac debuimus, ipſum Capitulum hortati ſumus: ſed ſperamus, ut diximus, M. T quoque ſtudioſè curaturam, ut in hac re, Dei Omnipotentis honori, & animarum ſaluti, quàm optimè conſulatur. Quod cùm faciet, gratiſſimùm Dei obſequium præbebit, & maximam ab hominibus laudem merebitur. Da- B tum Romæ, apud S. Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die VI. Decembris 1567. Pontificatus noſtri ann. 2.]

XXVI. Aures obſequentiſſimas ſalutaribus monitis, præbuere Capitulum, ac Colonienſes Canonici, ſumma omnium gratulatione in Archiepiſcopum eligentes Salentinum, Comitem Iſemburgicum, doctrina, morum probitate, & pietate inſignem, necnon prudentia, aliiſque virtutibus prædítum, quarum præſidiis ſuffultus, Colonienſem Eccle- C ſiam, unà, ac ditionem ità moderatus eſt, ut temporalia, ac ſpiritualia ſimul, ſub eo, non ſecuritatem modò, ſed novum etiam incrementum acceperint.

XXVII. Cùm autem Pius ab his, qui in Epiſcopos eligendi erant, non modò Fidei teſtimonium expeteret; verùm etiam conſecrationis munus, ut conſueverant, eos effugere pati impoſterùm nollet; hinc eſt quòd eum fruſtrà Halberſtadenſis Canonici deprecati ſunt, ut Julium Henricum, Henrici D Brunſuvicis Ducis infantem bimum, in Epiſcopum ab illis electum, Apoſtolica authoritate confirmaret, & incaſſum hoc ipſum ab eo obtinere idem Dux Bruſuvicenſis contenderit. Sano quidem conſilio Eccleſiæ ipſi conſuluiſſe, hac electione iidem Canonici exiſtimaverant; nàm, cùm præteritis temporibus ad Majorum retinendam Fidem, ac defendendam à violentis Hæreticorum incurſibus Eccleſiam ipſam, ſe ære alieno, à prioribus Epiſcopis con- E tracto, gravaſſent; optimum cenſuerunt, ut eo ſe levarent, præfatum puerum eligere, qui mille tantùm Joachimis, quotannis contentus, reliquos Eccleſiæ redditus, ad æs alienum diſſolvendum, dimitteret. Cautum quoque hac ratione Fidei incolumitati arbitrati ſunt, dùm Catholicæ domus germen elegerant, quòd ſanè à piiſſi- A mo Majorum inſtituto minimè unquàm declinaturum judicarunt.

At Pio, Eccleſiaſticæ diſciplinæ XXVIII. acerrimo defenſore, quique humana non ſpectans, Dei honorem, ac Canonum ſcita præ oculis dumtaxàt habebat, res alitèr viſa eſt: nàm præpoſteræ prudentiæ, ac domeſticæ parſimoniæ commentum, nullatenùs admittendum cenſuit, ubi ſpiritualia periclitarentur. Incerti ſiquidem adhùc ingenii puerum, in Epiſcopum confirmare ſe nullatenùs poſſe palàm confeſſus eſt; cùm Eccleſia eos dumtaxàt recipiendos ſtatuat, quorum Fidem, vitam, ac doctrinam multis teſtimoniis comprobaverit, ac diuturno experimento didicerit; pueri autem cùm anceps eſſet, vel in ſcientiis profectus, vel probitas morum, vel in Fide conſtantia; ipſius idcircò electionem ratam habere, nullatenùs poſſe dixit; cùm à majorum probitate, ac Religione incautam ſobolem non raro aberraſſe contigerit. Et quidem Prophetico afflatum ſpiritu hæc pronunciaſſe, ea procul dubio ſuadere videntur, quæ poſteà ſunt ſubſecuta; nàm, cùm tandem (ut alibi innuimus) enixis, importuniſque precibus Halberſtadenſes Canonici ab Apoſtolica Sede, electionis ab ipſis factæ comprobationem obtinuiſſent, & Henricus Julius Epiſcopatum adeptus eſſet; degeneri mox ſcelere, cùm adoleviſſet, in Proteſtantium doctrinam delapſus, Epiſcopatum deindè graviori ære oneravit. His omnibus, quæ ab eo confirmando Pii animum avertebant, illud quoque, ut innuimus, addebatur, electos ulteriùs diù conſecrationem minimè differre ſtatuiſſe, quam tamen hic, ob puerilitatem, protelandam neceſſariò fore, ſi ejus electionem ratam habuiſſet, agnovit. Ad excuſandum igitur juſtum hoc ſui animi propoſitum, tùm ad Halberſtadenſe Capitulum, tùm ad Henricum Brunſvvicenſium Ducem, ſequentes dediſſe epiſtolas reperimus.

[Di-

[Dilectis Filiis, Præpoſito, & Decano, & reliquo Capitulo Eccleſiæ Halberſtadenſis.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

POſtquàm, lectis veſtris, & poſtulatiane veſtra cognica, nobiſcum de ea re cegitare cæpimus, non potuimus non admirari, his tàm calomicoſis temporibus, ad ejuſmodi vos conſilium deſcendiſſe. Attendimus quidem, quæ vos rationes impulerint; ſed ea in re vidimus, vos plùs neceſſitatem Eccleſiæ, quoad temporalia attinet, quàm quoad Spiritualia reſpexiſſe. Brunſuvicenſem Ducem amamus Nos, ut Principem Catholicæ Religionis ſtudioſum, & erga S. Sedem Apoſtolicam obſervantia excellentem; omni à Nobis eum honore dignum eſſe ſcimus, favemus ejus Nepoti, eumque, tali Avo dignum evadere cupimus. Sed ita eos diligimus, ut conſcienciam noſtram, & exiſtimationem hujus S Sedis minimè lædendam eſſe putemus. Nimis abſurdum, nimis alienum ab inſtituto Pontificatus noſtri foret, nimis, non Catholicos modò, ſed etiam Eccleſiæ adverſarios, & hujus Sanctæ Sedis inimicos offenſurum, ſi puero, illa ætate, Eccleſia iſta, Nobis approbantibus, committeretur. Quam Deo racianem, in cremendo Judicii die, facti noſtri reddere poſſemus? Quid, non modò Catholici, ſed ii etiam, qui ab Eccleſia receſſerunt, dicturi eſſent, ſi poteſtate, Nobis, ad ædificationem data à Deo, abuteremur? Requiſivimus, hac in re ſanè, prudentiam veſtram: illud tamen probavimus, quòd, veſtri officii memores, poſtulationem ueſtram, poſtquàm ejus rationem addidiſtis, arbitrio noſtro permiſiſtis. Sed vellemus, vos oculos potiùs ad ſpiritualia, quàm ad temporalia intendiſſe. Cùm dilectus Filius, nobilis puer, Henricus Julius, Deo dante, adoleverit, tùm quos illi honores Apoſtolica Sedes, pro dignitate illius familiæ, & pro avi ſui meritis, habere poterit, habebit. Nunquàm hæc Sedes benignitatem ſuam, & gratam voluntatem, erga benemeritos Principes deſiderari paſſa eſt: hoc autem tempore conſulendum eſt ſummæ iſtius Eccleſiæ neceſſitati. Proindè hortamur Vos, & pro noſtro officio, authoritate Apoſtolica monemus, ut nihil, niſi Dei honorem, & Eccleſiæ utilitatem reſpicientes, maturo judicio eligatis, in demortui Epiſcopi locum, talem virum, qualem tàm calamitoſa tempora efflagitant; qui Catholicus ſit, qui, & vitæ honeſtate, & literarum ſcientia, tanto muneri aptus ſit, atque idoneus. Agitur conſcientia veſtra. Agitur ipſius Eccleſiæ ſalus. Quid prodeſt conſulere temporalibus, ſi ſpiritualia negligantur? At verò, ſi Eccleſiæ in ſpiritualibus præcipuè proviſum fuerit, ſi vir ad ea tuenda idoneus deligetur, Deo favente, is temporalia quoque conſervabit, atque tuebitur. Sed eum à vobis deligi oportet, qui morum, ut diximus, honeſtate commendetur, cujus vita ſit ad imitandum omnibus, quibus præſit, propoſita: cujus ad mores, tamqàm ad normam quamdam, Clerus mores ſuos corrigat, ac reformet. Quàm Nos certiſſimam rationem eſſe reprimendarum hæreſum judicamus; ſicùt eis excitandis, & augendis, & bonis Eccleſiarum temporalibus amittendis, Prælatorum, & aliorum Eccleſiaſticorum pravos mores, præcipuam cauſam dediſſe conſtat. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 31. Martii 1567. Pontificatus noſtri ann. 2.

Ad Ducem verò Brunſuvicenſem.

(Dilecto Filio, nobili viro, Henrico Seniori, Duci Brunſuvicenſi.

Dilecte Fili, nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ACceptis literis tuis, ſuper negotio Halberſtadenſis Eccleſiæ, *Vt ſupra Epiſt. 15.* *recordati continuò ſumus, quanta, & quàm inſignis, & quàm multis rebus teſtata fuerit tua in Catholica Fide conſtantia, & erga Apoſtelicam Sedem pietas, atque obſervantia. Quo nomine te, & antè Pontificatum, ſingulari ſtudio proſecuti fuimus, & poſtquàm hujus ſervitutis onus, Deo ità diſponente, ſuſcepimus, omnigeno honore, quatenùs noſtra, & hujus Sanctæ Sedis dignitas pateretur, dignum judicamus. Cæterum, quò pluris te facimus, & quò propenſiore erga te voluntate ſumus, eò moleſtiùs ferimus, non eſſe hanc rem hujuſ-*

hujuſmodi , in qua deſiderio tuo , ac noſtro erga te ſtudio , ſatisfacere poſſimus . Qua in re nobilitatem euam rogamus , ut ſecum diligentiùs conſideret , quid officium noſtrum requirat , quid hæc tempora poſtulent . quid Halberſtadenſis Eccleſiæ neceſſiteas poſcat , quanto , & quàm gravi ſcandalo , non Catholicos modò , ſed etiam Eccleſiæ inimicos offenſuri eſſemus , ſi puero illius ætatis , authoritate noſtra , Eccleſia committeretur . Certè non ſine pudore , & rubore poſſemus , de hac re , verba cum fratribus noſtris facere . Cogitemus , dilecte Fili , utrumque noſtrum Deo rationem reddere debere , quamquàm es tu multò ſenior , etiam , quàm Nos . Quam quæſumus in tremendo illo judicio rationem reddere poſſemus promotionis adeò immaturæ , adeò contra ſacros omnes Canones factæ ? Cùm in Nepote tuo , præter generis nobilitatem , nulla prorsùs earum rerum ineſſe per ætatem poſſit , quæ ab ipſis Canonibus requiruntur ? Speramus quidem de eo illa , quæ ſunt ſperanda de puero , tali genere nato ; ſed expectanda eſt maturitas ætatis ; aut ſi diſpenſatione aliqua ſuper ætate opus fuerit , expectandum ſaltem eſt tempus , dùm adoleſcat , ut certiùs ſuſcipiendi oneris magnitudinem , & quid profeſſurus , quibuſque ſe legibus obſtricturus ſit , intelligere poſſit . Cùm ad talem ætatem , Deo dante , pervenerit , tùm , ſi apparebit , eum Majorum ſuorum , tuique in primis Avi ſui , tàm Catholici Principis imitatorem fore ; confidere potes , ſanctam hanc Sedem , quoſcumque poterit honores , pro veſtræ familiæ dignitate , ac pro tuis , erga Catholicam Religionem , meritis , illi habituram eſſe . Quo circa hortamur , & petimus , ut hæc tecum diligenter perpendens , deſiſtas id à Nobis petere , quod nec Nos , ſine graviſſima Dei , & hominum offenſione , concedere , nec tu ſine animæ tuæ periculo impetrare poſſes , quodque , non modò Eccleſiæ illi , ſed nè ipſi quidem Nepoti tuo expedit . Illud multò magis pietate erga Deum tua dignum eſt , ut dilectis Capitulo Halberſtadenſis Eccleſiæ gratiis actis , pro ſtudio , quod erga te , & Nepotem tuum declararunt , eos horteris , ut Eccleſiæ ſuæ neceſſitati conſulant , aliquo Catholico viro , & vitæ honeſtate , ac literarum ſcientia prædito , quæ à ſacris Canoni- A *bus requiritur , ad Eccleſiæ ſuæ regimen , in demortui Epiſcopi locum ſufficiendo . Ad quod Nos quoque , pro officio noſtro , diligenter eos hortamur.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris , die 21. Martii 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo]

Nihilominùs, tùm Capitulum Halberſtadenſe , tùm Brunſuvicenſem Ducem in ſententia electi in Epiſcopum pueri perſtitiſſe, nec Pii monitis , ac conſiliis cedere voluiſſe ; ex his, quæ B ſequenti anno dicenda erunt, perſpicuè apparebit . Quod verò ad ipſum Pium ſpectat, quòd videlicet præfatum Brunſuvicenſem puerum tandem repellere non potuerit , nè Sacerdotio fungeretur ; ex eo potiſſimùm proceſſiſſe arbitramur , quod alterius Catholici Principis, Alberti, nempè , Bavariæ Ducis filio Erneſto , Friſingenſis Eccleſiæ in temporalibus adminiſtrationem , ægrè licèt , hoc ipſo fermè tempore commiſerit. Erat ſiquidem tunc , (& C utinam non modò) ea temporis conditio , ut, non pro perſonarum , meritorumque diverſitate , Apoſtolicas gratias , vel munia , uti bonos decet diſpenſatores , Pontifices Summi dividere poſſent ; ſed indiſcriminatim , ea propemodùm conferre compellerentur , quòd illatam ſibi injuriam Principes cenſerent , collatum alteri beneficium, ſi ſibi quoque illud non impertiri contigiſſet ; amoreque partium abſtractum , illuſumque Pontificem dolerent, ſi quod uni dediſſet, alteri quo- D que, imò cæteris omnibus non conceſſiſſet : nil propemodùm conſiderantes , nec omnia omnibus convenire poſſe , ac fidelem Eccleſiæ diſpenſatorem , etiam prudentem eſſe debere, qui idcircò quid , quibus , quovè tempore, Eccleſiaſtica munia diſtribuere debeat, ritè cogitare debet ; vel quòd nec æqualia omnium ſint merita , ac pro cujuſque tantùm virtute , pro Eccleſiæ bono diſtribuenda ſint, quibus ſuperlu- E cretur talenta ; nè fortè contingat , (uti in Branſuvicenſi præfato) accepto talento aliquem abire , fodere in terram, & abſcondere pecuniam Domini ſui.

XXIX. *Vid. de hoc Epiſt. 3. l. 1 apud Surium*

XXX. De committenda verò Friſingenſis Eccleſiæ temporali adminiſtratione , Erneſto Filio, ut anno præterito diximus , Romam miſerat Albertus [Bavariæ Dux , Oratores ſuos ,

Magiſtros Joannem Piſterium, Friſigenſem Canonicum, & Martinum Eiſenbrein, ut cum Pontifice agerent. Negotio autem eo feliciter abſoluto, Piſteriùs Pontifici expoſuit, nondùm, uti oportuiſſet, executioni demandata fuiſſe, quæ præcipuè de conſtruendo Friſingæ Seminario ipſe imperaverat; quòd Apoſtolica auctoritate operi attributi redditus, ſat non fuiſſent, ut ei optatus finis imponeretur. Piſterii petitioni acceſſiſſe quoque piiſſimi Principis Alberti ſtudia, ambigi non poteſt; nam qui novi Seminarii ferendo oneri in primis ſeſe ſubjicere jubentur (juſtis adeò precibus Pio annuente) Monachienſe Capitulum, ac Canonicos extitiſſe, ex eo, quod hic damus ejuſdem Diplomate, manifeſtè colligitur.

[Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis, Monachien. Diœceſis Friſingen.

PIUS PP. V.

Dilecti Filii &c.

Ex Arch. Vati. *Cùm Sacrum Tridentinum Concilium providè admodùm ſtatuerit, ut in unaquaque Eccleſia Cathedrali inſtituatur Collegium, tamquàm Seminarium Clericorum futurum, in quo alatur, pro modo facultatum, & Diœceſis magnitudine, certus puerorum, & adoleſcentum numerus, qui ſpem afferant, ſe utiles Eccleſiæ evaſuros, ac benis moribus, ac diſciplinis Eccleſiaſticis, ad pietatem, & Religionem diligenter informentur, & inſtituantur. Nos, qui talia Seminaria, cùm aliarum nationum Eccleſiis, tùm præcipuè Germaniæ utilia admodùm, ac potiùs neceſſaria eſſe novimus, propter bonorum & idoneorum Sacerdotum penuriam, Eccleſiæ Friſingenſis bono regimini conſulere cupientes, mandavimus nuper dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis ipſius Eccleſiæ, ut, ad erigendum hujuſmodi Seminarium, in Civitate ſua, unum Canonicatum & Præbendam ex illis, quæ vacant in illa Eccleſia, auctoritate noſtra ſupprimant, ejuſque fructus, & redditus, ipſi Seminario attribuant, atque applicent. Sed, quia unius Præbendæ fru-* A *ctus, ad id Seminarium erigendum, ac tuendum minimè ſuffecturos eſſe ſcimus; de Præbendis, & Canonicatibus aliarum Eccleſiarum Collegiatarum, Diœceſis Friſingenſis, in quibus Canonici non ſint pauciores duodecim, connumeratis Dignitatibus, idem faciendum eſſe decrevimus, ut in ſingulis Eccleſiis unius Canonicatus, & præbendæ fructus, ipſius Seminarii inſtitutioni aſſignentur. Ut igitur tàm pium, tàmque utile opus perfici poſſit, præſentium vobis* B *tenore permittimus, ut unam de Præbendis Canonicalibus Eccleſiæ veſtræ, ſivè jam vacantem, ſeu quamprimùm quomodocumque vacare contigerit, auctoritate Apoſtolica ſupprimatis, & extinguatis, fructuſque, & redditus ejus omnes Seminario, in Civitate Friſingenſi erigendo, aſſignetis, & applicetis; idque, ut omninò faciatis, mandamus, atque præcipimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus Capitularibus, juramento confirmatis, Apoſtolica, vel* C *quavis firmitute alia roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, in ipſorum Canonicatuum erectione, vel aliàs quomodocumque, & ſub quavis verborum forma quomodolibèt conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda eſſet, tenores eorum, perindè ac ſi de verbo, ad verbum præſentibus inſerti eſſent, pro ſufficienter expreſſis, habentes, illis aliàs in ſuo* D *robore permanſuris, hac vice dumtaxàt, ſpecialitèr, & expreſſè derogamus. Contrariis quibuſcumque &c.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die IX. Februarii 1567. Pontific. noſtri anno ſecundo.

XXXI. At diplomate ſimili Friſingenſis Seminarii conſtructioni, Collegiatas ejuſdem Diœceſis Eccleſias omnes adiutrices manus porrigere, deindè Pontificem coëgiſſe, unius ferè Piſterii, & merito, & precibus motum; ipſemet Pius E diſſertè aſſeruit, cùm, videlicet, ab Alberto Duce, in Piſterii ejuſdem commendationem, acceptis literis, iiſdem reſpondit. Quæ ab Alberto ad Pium ſcriptæ ſunt, hujuſmodi fuerunt.

(Bea-

(Beatiſſime Pater, ac Domine, A Domine Clementiſſime: Humillimam Beatiſſimorum pedum exoſculationem, ac ſui devotiſſimam commendationem.

Ex Origin. *QUa ſit Orator meus, Doctor Joannes Piſterius, qui jam, poſt Friſingenſis negotii expeditionem, ex Urbe diſceſſum parat, pietate, ac integritate, quovè judicio, rerumque uſu præſtet; non dubito S. V. ex his, quæ meo nomine in Urbe propoſuit, atque egit, intelligere. Ego ſanè, cùm candorem ejus ingenii non ignorem, ac fidem, & induſtriam, pluribus rebus perſpectam mihi teneam, non ſolùm modò, optimè illi cupio ipſe, ſed Sanctitati quoque Veſtræ commendatiſſimum eſſe exopto: dignus enim ſanè eſt, tùm ob ea, quæ commemorata ſunt, tùm ob inſignem erga Sedem Apoſtolicam, C Sacroſanctamque, noſtramque Catholicam Religionem, pietatem ejus, atque devotionem, quem S. V. ſingulari favore, & benignitate complectatur. Quod, uti, pro ſua in omnes bonos, & Catholicos paterna clementia, facturum non ambigo; ita affirmare benè auſim, S. V. quamcumque etiam liberalitatem, ac paterni animi conteſtationem, in illum ipſum Oratorem meum, optimè collaturum. Qui certè, D ſi plurimos haberent Germanica Collegia, & Eccleſiæ ſimiles Canonicos, meliùs ageretur, & cum Republ. & Religionis afflictiſſimæ negotiis. Quamobrem, ſi apud S. V. commendationi meæ locus eſt, ſi ipſa integerrimi, & optimi viri pietatem, atque devotionem, & Beatiſſimæ Sedi, & Religioni devinctiſſimam cupit; obnixè, & humilitèr oro, ut in eum paternæ ſuæ benignitatis, atque clementiæ, argumentum aliquod, & mea expectatione, & E ejus virtutibus dignum edat. Ità certè fiet, ut ego, qui me totum anteà S. V. debeo, magna aliqua gratia ornatum me putem, & Orator meus, pro ea, qua eſt, integritate, atque fide, S. V. iſtamque beatiſſimam Sedem perpetuò veneretur humillimus, & devotiſſimus.* Monachii, ipſo die D. Antonio Sacra, ſub initium anni 1567.

S. V.

Obſequentiſſimus Filius Albertus Dux Bavariæ)

His literis reſpondens Pius, quæ in laudem Piſterii Albertus ſcripſerat, ipſe quoque confirmat, ejuſdemque etiam intuitu, (ut innuimus) ſe potiſſimùm libentiſſimè præſtitiſſe, quæ, pro Friſingenſis Eccleſiæ utilitate, petierat, diſſertè aſſerit. Cœterùm, cùm præcipuum, quod Alberti ejuſdem nomine Piſterius cum Pontifice negotium egerat, ac feliciter abſolverat, illud, ut diximus, Friſingenſis B Eccleſiæ adminiſtrationis, ejuſdem Alberti Filio Erneſto demandatæ, extitiſſet, eamque ægro propemodùm animo Pius conceſſiſſet; hinc quod magis urgendum, apud ipſum Albertum duxit, præfati Erneſti educatio fuit, dùm nihil utilius Eccleſiæ Friſingenſi accidere poſſe exiſtimaret, quàm, ſi qui ei præfuturus eſſet, vita, ac moribus tanto munere dignus evaderet. En Pii Literæ:

(Dilecto Filio, Nobili Viro, Alberto Duci Bavariæ.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili &c.

Ex Archiv. Vatic. *MAgiſtrum Joannem Piſterium, qui Friſingenſe negotium apud Nos tractavit, dignum teſtimonio tuo cognovimus. Non parva enim Nobis ſigna dedit egregiæ probitatis, integritatis, ac religionis ſuæ. Itaque, cùm tuo nomine, tùm etiam ſuo, gratus admodùm, & acceptus fuit Nobis. In eo, cùm alia multa amavimus, tùm inſigne ſtudium, quo nobilitatem tuam, & inclytam Domum tuam totam proſequitur, quod, in ipſo negotio Friſingenſi procurando, facilè perſpeximus. Cujus rei teſtimonium illi apud Nobilitatem tuam impartiendum duximus, ut quem ſponte ſua antea dilexit, eum poſthàc, propter noſtrum de eo judicium, aliquantò habeat chariorem. Quæ is, Friſingenſis Eccleſiæ cauſa, à Nobis poſtulavit, in eis concedendis propensè, ac benignè admodùm, pro ejus ſtudio, ſatisfecimus. Sed nulla re melius ipſi Eccleſiæ conſuli poſſe putamus, quàm ut dilectus Filius, nobilis Vir, Erneſtus, diligentia tua, & probatiſſimorum Virorum opera, ità inſtituatur, ut cùm Eccleſiæ regimen ei per ætatem committi poterit,* ad

ad id ſuſcipiendum, ac ſuſtinendum. A *iis, & moribus, & diſciplinis inſtitutus ſit, quæ tantum munus requirit, ac poſtulat. Reſpuendæ ſunt ab iis, qui Eccleſiis præfecturi ſunt, Mundi illecebræ, ac pompæ, ac vanitates: Qua in re, ſi ſuperioribus temporibus, Germaniæ Prælati diligentiùs officio ſuo conſuluiſſent, non tàm facilè tanta hæreſum peſtis orta, nec tàm vehementer aucta, & corroborata fuiſſet. Sed certum habemus, Nobilitatem tuam, nullum eſſe officium intermiſſu-* B *ram, quo natum ipſum, talem Nobis præſtet, qualem evadere eum optamus, atque etiam ſperamus. Reliqua, quæ ſcribere omittimus, ex ipſo Oratore tuo cognoſces, quem cum benedictione noſtra dimiſimus.* (Datii Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris XV. Febr. 1567. Pontific. noſtri ann. ſecundo.)

XXXIII. Pridiè autem, quàm iſta ad Ducem Albertum Pius ſcriberet, Epiſtolam alteram dediſſe ad Simonem Tadeum Echium, ipſius Alberti Cancel- C larium, ac Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimum reperimus. Habetur, intèr editas à Franciſco Gaubau Apoſtolicas Pii Epiſtolas, pag. 24. n. 5; ac in ea, inter alia: (*Relatum* (ſcribit) *Nobis fuit, nullo te loco Catholicæ Religioni deeſſe: ſed quocumque ſtudii, & efficii genere poſſis, eam adversùs Hæreticos tueri, atque defendere. Lætamur admodùm, & Deo gratias agimus, quòd ſuperſunt adhuc viri, vetere Germania digni, quos nulla Ec-* D *cleſiæ procella, nullæ Hæreticorum fraudes potuerunt ab Eccleſiæ corpore abducere, ac ſegregare &c.* (Et poſt nonnulla.) *Quia verò Catholicorum reliquias in iſta nobili natione, quanta maxima poſſumus diligentia, pro commiſſo Nobis officio, tueri, & conſervari cupientes, plurimùm expedire duximus, in Eccleſia Friſingenſi, cujus, ut ſcis, adminiſtrationem in temporalibus commiſimus dilecto Filio Erneſto, ipſius Ducis filio, Seminarium, juxtà* E *Sacri Concilii Tridentini ſaluberrimum Decretum, erigere: devotionem tuam hortandam in Domino duximus, ut, ad eam rem perficiendam, & ad omnia, quæ in illa Eccleſia, atque Diœceſi reformanda fuerint, quidquid poteris ſtudii, & auxilii, propensè impertias. Quod, & ſi te, pro tuo Divini honoris ſtudio, etiam ſine hortatione noſtra facturum eſſe confidebamus; tamen, te ex iis literis intelligere volumus, talia tua officia Nobis quoque grata eſſe futura, ſicut ex dilecti Filii Magiſtri Piſterii, Canonici Friſingenſis, & Sedis Apoſtolicæ Protonotarii relatione cognoſces, quem officio ſibi commiſſo prudenter, & diligenter admodùm functum, ad ipſum Ducem cum noſtra benedictione remiſimus.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 14. Februarii 1567. Pontific. noſtri anno ſecundo)

Eidem etiam Piſterio, haud XXXIV. multò poſt, epiſtolas alias deferendas Pius tradidit, quòd ei ſpes facta fuiſſet, ut quamprimùm Diœceſana Eccleſiæ Friſingenſis Synodus cogenda eſſet: quibus Abbates, Capitula, Canonicos, ac Clerum Univerſum, ad ſuſcipienda Sacri Concilii Tridentini, pro morum reformatione, Decreta, hortatur, & ad Seminarii inſtitutionem ſubſidia ſubminiſtrari imperat. Ejuſmodi ſunt.

(Dilectis Filiis, Abbatibus, Capitulis, Præpoſitis, Canonicis, & Clero Univerſo, in Friſingenſi Diœceſana Synodo congregandis.

Dilecti Filii Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRæter alia, quæ in Sacro OEcumenico Tridentino Concilio, Epiſt. XIV. lib. 1. *ad tollendos abuſus, & reformandam Eccleſiaſticam Diſciplinam, utilitèr admodùm, & providè ſtatuta, ac ſancita fuerunt, nemo eſt, qui non intelligat, quantoperè decretum ejus, de Diœceſanis Synodis habendis, ſalubre, & hoc tàm calamitoſo Eccleſiæ tempore neceſſarium fuerit. Itaque vos omnes, & ſingulos, in Domino hortandos duximus, ut ipſius Eccleſiæ neceſſitatem, vobiſcum reputantes, in veſtra Synodo celebranda, fidelitèr, & diligentèr officium veſtrum Deo, ipſique Eccleſiæ præſtetis; & quæ juxta Canones Sacros, ipſiuſque Tridentini Concilii decretum, in tali Synodo agenda, conſtituenda, corrigendavè fuerint, ita agatis, conſtituatis, & corrigatis, ut ipſa Eccleſia fructum, quem optamus, ex hujuſmodi Synodi celebratione percipiat, Noſque religioſum, & pium ſtu-*

ſtudium veſtrum collaudare in Domino debeamus. Quia verò Seminarium, ſicùt idem Concilium decrevit, in eadem Eccleſia inſtituere in primis expedit, atque adeò neceſſarium eſt, in quo, pro Diœceſis Friſingenſis magnitudine certus puerorum, & adoleſcentium numerus, bona ad virtutem, & pietatem indole præditorum, qui ſpem afferant, ſe Eccleſiæ, ipſique Diœceſi *eſſe utiles evaſuros, ſub virorum, Fidei, vitæque probatiſſimæ cura, atque regimine alatur, & bonis moribus, ac diſciplinis Eccleſiaſticis inſtruatur: ad eos autem alendos, quia non parvis ſumptibus opus eſt; veſtrum officium eſt, ut pro rata veſtrorum Eccleſiaſticorum redditium portione, ſubſidium aliquod annuum, in tàm pium, & utile opus propensè conferatis. Quod, ut faciatis, vobis in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus. Qua eadem de re vobiſcum, mandato noſtro coràm aget dilectus filius, Magiſter Joannes Piſterus, Canonicus Friſingenſis, qui has vobis literas reddet: ejus Orationi fidem habeatis.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die ultima Februarii 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.)

XXXV. Tertiam demùm Epiſtolam ad quorumcumque Ordinum Abbates, ac Præpoſitos ſcripſiſſe Pontifex agnoſcitur, ut ad melioris vitæ frugem eos revocaret; qui namque, abjecta regulari obſervantia, ad ſæculi pompas, vanitates, & voluptates dilapſi viderentur; & licèt, ut alibi diximus, ea illius mens fuerit, ut Regulares in Seminariorum, vel conſtructionem, vel conſervationem, nil conferre tenerentur; cùm tamèn in Friſingenſi Diœceſi conſtituti, bonis, non modò neceſſariis, ſed etiam ſuperfluis abundarent, iiſque malè uterentur; ideò æquum duxit, ut ipſi, in opus illud, aliquid conferrent; & quidem, non compellendo, vel imperando, ſed tantùm hortando, hæc ad eos ſcripſiſſe reperimus.

(Dilectis Filiis Abbatibus quorumcumque Ordinum, & Præpoſitis, in Friſingenſi Diœceſi conſtitutis.

Dilecti Filii Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cùm nobiſcum ipſi cogitamus, quæ res materiam præbuerit tot, tantiſque peſtiferis hæreſibus, quæ in Germania ortæ, per univerſos poſteà ferè Chriſtiani nominis Provincias popagatæ fuerunt; tanti mali cauſam præcipuè fuiſſe judicamus, corruptos Prælatorum mores, qui Officii ſui immemores, ac ſalutis obliti, Eccleſiaſticorum bonorum fructus, & redditus, non in pios, & honeſtos, ut debuerant, uſus convertentes, ſed ad voluptates ſuas, ad luxum, ad pompas, & vanitates ſæculi abutentes, eandemque vivendi licentiam, iis, quibus præerant, permittentes, & exemplo eos ſuo corrumpentes, maximum apud laicos odium, contemptionem, & invidiam non immeritò contràxerunt. Ità enim factum eſt, ut populos, eorum vitæ nequitia vehementèr offenſos, Hæretici facilè hæreſum ſuarum venenis infecerint, eiſque quidquid voluerint, quamvis impium, & Catholicæ veritati apertè repugnans, perſuaſerint. Quod cùm ita ſit, huic malo nullum conſtat aptius, nec magis neceſſarium adhiberi poſſe remedium, quàm, ut ii, qui licentèr, & inhoneſtè ad hoc tempus vixerunt, de ſalute ſua, & de commiſſo ſibi officio diligentiùs cogitantes reſipiſcant; & ſeſe, & vitam ſuam corrigant, recordantes, ſe actionum ſuarum in tremendo Judicii die rationem eſſe æterno illi Judici reddituros. Itaque de veſtra, & eorum ſimul, quibus præeſtis, ſalute ſolliciti, in Domino vos hortamur, & paternè admonemus, ut unuſquiſque veſtrum in vitam, & mores ſuos diligenter inquirens, in ſe ipſo corrigat quidquid corrigendum eſſe, ſua eum conſcientia monuerit; & dùm poteſt, dùm tempus habet, præteritas culpas, & negligentias, pœnitentia, ac morum mutatione redimere properet, & cùm vitæ honeſtioris exemplo, tùm etiam hortando, monendo, arguendo & increpando eos, quibus præeſt, corrigere, & ad bonam, Epiſt. XII. lib. 1.

ut

ut dicitur, frugem reducere ſtudeat, quidquid in eis emandandum, & reformandum noverit, ſecundùm ſacros Canones, & Ordinis ſui regularia inſtituta emendans, atque reformans. Etſi autem communitèr aliis literis omnes, qui Diœceſanæ Friſingenſi Synodo interfuturi ſunt, hortati ſumus, ut ad Seminarium in Civitate Friſingenſi, ex decreto Sacri Concilii Tridentini inſtituendum, de redditibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum conferant; tamen his quoque literis vos propriè hortamur, ut prompto animo in opus tàm pium, quantum æquum fuerit, pro modo redditum veſtrorum, conferatis, cùm nullam in rem, vel Deo gratiorem, vel Eccleſiæ, ac toti Diœceſi ſalubriorem, eam pecuniam erogare poſſitis. Datum Romæ, apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die ultima Februarii 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.)

XXXVI. At licèt Piſterius Seminarii conſtructioni, quo pollebat zelo, totis viribus incubuerit, & inſuper Synodi coactionem urgere haud deſtiterit; tamèn penè inſuperabiles offendiſſe difficultates, diùque rem utramque dilatam fuiſſe, quæ ſequentibus annis dicenda erunt, oſtendent.

XXXVII. Non modò in Pontifice, circa Germanicas res, ſed etiam in Imperatore, Catholicæ religionis zelus (ut ſuprà innuimus) hoc anno enituit; nàm, cùm Poſſonium in Pannonia Vienna veniſſet, Hungari ab eo petiere, ut per Delegatos, tàm Hungaros, quàm Germanos, qui ad utramque Danubii ripam mitterentur, de bonis iniuſtè antiquis poſſeſſoribus ademptis, agnoſceret; in graſſatores, ac peculatus reos animadverteret; vectigalia, ac portoria nova amoveret, & hujuſmodi alia. Sed præcœteris illud potiſſimùm ab eo obtinere connixi ſunt, ut Auguſtana Confeſſione iis qui vellent, uti, liberum eſſet; quod item, [ut narrat Thuanus] & aliis Comitiis, & priore, & hoc anno coactis, petitum fuit. Sed neutiqàm piiſſimum Principem aſſenſum præbuiſſe, refert; quòd fortè intelligeret, hac ratione turbulento illius gentis ingenio, turbas excitandi, ut alibi contigerat, majorem fomitem miniſtari. Addit Tarcagnotta, ſummo, eximi oque ſtudio invectum fuiſſe in illos, qui hæreſim, vel clàm, vel palàm profitebantur, ac inter alios puniri ſeverè admodùm mandaſſe Ludi quemdam Magiſtrum, quòd de Pontifice obloquutus eſſet; ac dignitatibus exturbaſſe Miniſtros nonnullos, qui inter loquendum, nonnulla pronunciaverant, quæ à Romanæ Eccleſiæ Fide erant aliena. Epiſcopo etiam cuidiam imperavit, ut cui praverat Urbis Senatum, publicæ ſupplicationi intereſſe compelleret, quæ quotannis in ſolemnitate Corporis Chriſti fieri conſueverat; quòd proximè præterito anno id facere detrectaſſet: & demùm taliter ſeſe Maximilianus geſſit, ut verè Catholicum Principem, ac veræ Religionis eximium defenſorem ſeſe præbuerit; nàm Eccleſiaſticas Præfecturas, non modò Hungaris tantùm, ſed etiam dumtaxàt idoneis conferri voluiſſe, refert ab Iſſelt; & Senatum Poſſonii in præfata ſolemnitate Corporis Chriſti, ſe ſuoſque Proceres ſequi imperaſſe, idem tradit.

Coëgerat autem Maximilianus in ea urbe Hungarorum Comitia, quia adhùc de induciis cum Turcis incertus, imparatus ab hoſte aggredi verebatur. Hac ipſa de cauſa, Ratiſponæ, Erfordiæ, & Pragæ non contemnenda auxilia ei fuere decreta, dummodò exercitus contra communem hoſtem eſſet educendus. Et hic quoque Poſſonii ipſi Cæſari non minora ſubſidia promiſſa ſunt. At Svendius, poſt diſceſſum exercitus barbarorum, & Tranſylvani, auctis copiis in apertum exierat, medioque hyeme Zatuarium obſederat. Id ad Georgium Berbecium, hominem nefarium pertinebat, qui penè primus, turbarum auctor fuerat, & inter Cæſarem, & Tranſylvanum inimicitias fovebat, & conſcientiæ tunc punctus aculeo, nè, caſtro expugnato, in Maximiliani manus veniret, contempto uxoris, familiæque periculo, quam in ipſo Caſtro reliquit, fugâ, propriæ ſaluti conſuluerat. Aliquandiù, in obſidione toleranda, quos ipſe poſuerat, præſidiarii nihilominùs perſtitere, ſed tandem, ad extremam redacti deſperationem, Uxori, ac Familiæ Berbecii, ſibique ſalute pacta, Svendio Caſtrum, medio menſe Januarii hujus anni tradiderunt. Proximè verò ſequenti Februario, Moncazium Svendius idem oppugnat, & hinc Hunſtianam obſi-

obſidione cinxit: quod graviter ferens, A
non Tranſylvanus modò, ſed & Purpuratus Budenſis, datis ad Maximilianum frequentibus literis, hortari non deſtitit, ut à cœpta obſidione Svendium revocaret, nè inchoatum pacis componendæ negotium interrumperet; cùm tamen uno, eodemque tempore rationem exquireret, qua vi, & armis obſeſſis ſubveniret. Itaque ſivè Cæſaris juſſu, ſivè rei difficultate permotus, tandem Svendius obſi-
XXXIX. dionem ſolvit, & Caſſoviæ ſe recepit. B

At licèt Budenſis multotiès fidem obligaſſet, ſe juſſurum palis transfigi eos omnes, qui per Cæſaris fines excurrendo, damnum aliquod intuliſſent; tamen, vix Svendio digreſſo, Tranſylvanus, ut ſpem pacis pertubaret, impreſſione inopinata, Dedenſem Arcem Riſuarum, & Thermas, quas Rivulos Dominorum appellant, occupavit. Verùm, ubi factum innotuit Rubero, Svendii Legato, mox cum juſtis equitum, peditumque copiis accurrit, & C
hoſtibus, inexpectato ſuo territis, adventu, in fugam actis, Riſuarum, ac Rivulos ſtatim recuperavit.

XL. Ipſe autem Budenſis, ad comprimendum Svendum, non tantùm copias contraxerat, ſed de iis etiam, quæ idem geſſerat, ad Sultanum Selymum retulerat, qui indignatus, Pertavum Baſſam, exercitum ſuum, cum Romaniæ Beglerbegi copiis conjunctum, in Hungariam traijcere præceperat. Utrumque tamen ab inſtituta expedi- D
tione mox revocavit, cùm intellexit, Antonium Verantium, Agrenſem Epiſcopum, & Chriſtophorum Tieſenbachium Baronem, Vienna Conſtantinopolim Legatos ad ſe contendere. Eduardus ſiquidem Carnovichius, ut narrat Thuanus, vel, ut Natalis Comes cenſet, Georgius Hoffetutus, ſeù, ut alii, Odoardus quidam, nobilis Mantuanus, ad eam Urbem, ad pacis rationes ineundas, à Maximiliano jampridem miſſus, cùm rediiſſet, ac pro E
certo aſſeruiſſet, Selymum novas copias parare, quibus rursùs Pannoniam aggrederetur, atque in ea Caniſſæ expugnationem decreviſſe; commonuerat tamèn, quòd, ſi qui Legati, de pace acturi, illud properè mitterentur, futurum, ut Turcæ a ſententia diſcederent: quibus permotus Maximilianus, quos diximus, Legatos Bizantium miſerat, quò, Undecimo Kal. Septembris, incolumes pervenerant. Benigne, pro gentis barbaræ conſuetudine, recepti, negocium tamen pacis uſque in annum ſequentem protractum fuiſſe narrat Thuanus. Quæ verò ad ea, quæ pacis erant, quærenda, Selymi animum inflexerint, fuiſſe dicunt, ipſius ad voluptates potiùs, quàm ad arma propenſum ingenium; vel quòd ad Melitenſes reſpiceret, cùm iniquiſſimè, tùm ipſe, tùm proceres illius ferrent parvam Inſulam, ſummo eorum dedecore, potiſſimam Claſſem, totque tormentorum vires, tantos inſignium copiarum impetus, totque præſtantiſſimorum Ducum ingenia eluſiſſe. Neugebavarus tamèn ſcribit, ad eam ineundam, Tyrannum fuiſſe compulſum, quòd omnis ferè Arabia ab eo deficere cum finitimis populis cœpiſſet.

Cùm verò in Pannonia pacis rationes cum Chriſtianis Barbari inirent, XLI.
cunctis barbaris deteriores Hæretici, Deo, ac Unigenito filio ejus bellum, jam indictum, acriùs proſequebantur; itaut ritè ipſis aptari potuiſſe cognoſceretur Ambroſianum illud [*Mare habet otia ſua, tu nunquàm tua.*] Nàm Tranſylvanici Trideiſtæ Miniſtri, qui ab anno ſuperiori Divinitatem Chriſti ſacrilego auſu impetere cœperant; hoc anno, ut refert Reſcius, librum contra ejuſdem Incarnationem ediderunt. Inter horrendas alias blaſphæmias, in eo contentas, cùm ea verba Joannis primo (*In principio erat Verbum*) explicarent, hæc protulerunt lib. p. cap. 11. Non ſignificari videlicèt per ea initium creationis rerum, ſed tantùm innovationis per Chriſtum factæ; quapropter legendum, ac intelligendum dixerunt. *In principio renovationis Eccleſiæ, Verbum, hoc eſt, Chriſtus homo, erat quidem in Mundo, quia jam erat natus ex Maria, ſed erat apud Deum, quia erat occultus hominibus, & ſoli Deo notus, donec à Joanne manifeſtatus eſt*], Et capite tertio. [*Chriſtum propterea vocari à Joanne Verbum dixerunt, quòd verba Dei prædicaverit.* Utraſque hujuſmodi blaſphæmias Poſſevinus etiam recenſet.

Reſcius in Atheis. de Symb. cap. 1. pag. 19.

In fine verò præfati libri, triginta, & ſex argumenta coacervarunt, quibus-

Idem Reſc. Cap. 3. pag. 43.

bus pueros baptizandos minimè eſſe
comprobarent; in iiſque, baptiſmum
parvulis collatum, ſæpè, nefario ore
vocant ſuillum balneum, lutulentam
lotionem, cœnum ſœtidum, & Monachorum
impoſturas: & dùm ad ſuſcipiendum
baptiſmum, actualem Fidem
neceſſariam eſſe oſtendere contendunt,
horrendis blaſphæmiis Fidei
fundamenta prorsùs evertiſſe
agnoſcuntur.

XLII. Interim in Livonia Poloni à Succico
Duce, Nicolao Horſelio, oppreſſione
Polonici præſidii, in Oppido
Lenſal, irritati, cum Svecis congreſſi,
in finibus Wichiæ, inſignem
victoriam, ad duo milia hoſtium cæſis,
reportarunt. Menſe autem Martio,
Maximilianus pacificationem inter
Svecum, & Danum tentaverat;
ſed fruſtrà, cum Svecum ad conventum,
in quo de pacis negotio agendum
erat, neminem poſſe mittere reſpondiſſet:
hinc menſe Aprili in Norvegiam
erumpens, Arcem Aggerſahuſen
oppugnaverat; ſed miſſis Hafnia
copiis, Sueci repulſi, atque Arx conſervata.
Poſt quæ, quid Sveco ipſi
Regi acciderit, accipe ex Ræmundo,
ex quo rem altiùs repetendam duximus,
his verbis.

Ræmund. Hiſtor. Hæreſ. lib. 40. cap. 16. pag. 350.

(*Henricus Rex Sveciæ, mortuo Guſtavo Patre, religionem eodem in ſtatu
reliquit, quo eam invenerat. Joannes
verò ejus frater, Finlandiæ Dux, non
vulgare Catholicæ Religionis ſtudium
ſemper oſtendit. Erat quidem Henricus
multis animi, & corporis docibus, ac
tanta fortuno dignis, virtutibus ornatus;
quas tamen Aſtrologiæ Judiciariæ,
ac Necromantiæ ſtudium valdè
deformavit. Cùm enim malis illis artibus
intellexiſſet, ſe ab uno ex Magnatibus
Regno expulſum iri; Joannem
Ducem Finlandiæ ſtatim ſuſpectum habere
cæpit, ac tantò magis, quòd is,
ducta in matrimonium Sigiſmundi Auguſti,
Poloniæ Regis Sorore, fæmina
Catholicæ religionis ſtudioſiſſima, nova
illa affinitate res ſuas valdè muniviſſet.
Hæc prima odii inter fratres
ſemina, quod, nonniſi cum vita ipſorum
extinctum.*

*Joannem enim è Polonia cum Coniuge
vix reverſum, Henricus in Arce
Wiburgenſi obſedit, ac tandem ad deditionem
coegit, inter alia bis centiès
millium aureorum jacturam paſſum.
Joanni cuſtodia incluſo, Orbejæ in Finlandia,
laudatiſſima Uxor, ſpreta,
quam Henricus ei offerebat, libertate,
perpetua comes eſſe voluit, in eaque
captivitate filium, & duas filias peperit;
ad eas, Georgii Perſoni potiſſimùm
malitia, uterque redacti anguſtias,
ut vix neceſſaria ſuppeterent,
quibus vitam ſuſtentarent.*] Hæc Ræmundus,
quæ quidem ſuperioribus
annis evenerunt; at quæ ſequuntur
ex Thuano, ab Iſſelt, & aliis, hoc
anno, poſt fruſtrà à Svecis tentatum,
ut diximus, Aggerſhauſen, accidere;
ſequitur enim Ræmundus, dicens.

Henrici erga Fratrem inhumanitas, XLIII.
*multorum Procerum animos ab ipſo
alienavit, & plurimorum ſuſpicionum,
ac perpetuæ diffidentiæ cauſa fuit. Deferebantur
ferè quotidiè nomina eorum,
qui contra Regem machinori aliquid
dicebantur, & falsò accuſati,
aut per formam juſtitiæ, aut per Sicarios
tollebantur. Quoſdam etiam Rex
ipſe manu ſua occidit, & inter alios,
pueritiæ ſuæ formatorem, hominem ſexagenarium,
à quo admonitus, ut manſuetiùs
ageret, nec ſe, Regnumque
ſuum perditum iret; tyrannus, ipſa
Nerone crudelior, homini, optimè de
ſe merito, pugionem in pectus adegit.
Ab eo tempore nunquàm mentis illum
compotem fuiſſe ferunt, manibus Præceptoris
ab ipſo pœnas exigentibus, &
veluti alterum Oreſtem in furorem
agentibus, qui illi perpetuus ad mortem
uſque fuit comes. Ajunt, in ipſo,
oculos ità ſcintillantes ſæpè viſos, ut
eorum aſpectum nemo ferre poſſet, nec
propiùs quiſquam accedere auderet.*

*Inter hæc, animo variis curis diſtracto,
præter omnium opinionem,
Henricus, exacto ſeptennio, quod periculoſum
ſibi fore, ex fatidicis cognoverat,
veluti omni periculo defunctus,
Fratrem Joannem in carcerem accedit,
eumque amantiſſimè, non ſine lacbrimis
complexus, rogat, ut ignoſcere
ſibi velit, eductumque, & libertati
reſtitutum, Regni Gubernatorem pronunciat.
Joannes, actis quamhumillimè
Regi gratiis, oblatum munus recuſat.
Rex nihilominùs Stocholmiam reverſus,
in Conventu Procerum, Joannem,
Regni Gubernatorem iterùm
deſignat; cui tamen illi, quibus Regis
ingenium perſpectum erat, apertè contradi-*

tradicunt, ac nullius, præterquàm ipſius Regis imperium ferre ſe poſſe, aut velle dicunt. Rex tamen in ſententia perſiſtens, Joannem Gubernatorem Regni iterùm pronunciat, & ad ſe vocatum magno honore excipit, omnibus parere ei juſſis.) Hæc Ræmundus.

XLIV. At Natalis Comes rem aliter narrat, nàm Svecorum Regem repentino quodam caſu exagitatum, mentis captum delirio, atque inſania refert; ideoque publicis tractandis negotiis inepto, & in vincula neceſſariò conjecto, fratrem vinculis abſolutum ſuffectum fuiſſe. Verùm, quæ ex Ræmundo propoſuimus probabiliora cœteri Scriptores teſtantur, inter quos Thuanus hæc eadem ferè habet:) *Henricus mense inſequenti (nempè Aprilis) in Norvegia, Ad Aſlojam, cum exercitu erupit, Arcemque Aggerſanſenam irrito conatu oppugnavit; nàm, cùm Præfectus Loci, ut obſeſſoribus incommodaret, Aſſojam Oppidum incendiſſet, miſſi interim Hafnia a Dano copiis, Svevi repulſi ſunt, ſolutaque obſidione, Arx ſervata eſt. Inde Svecus, quaſi ſatis non eſſet foris hoſtem habere, etiam intùs ſibi fecit, aut invenit; nàm mox, quaſi furore adactus, præcipuos Conſiliarios, ex levi ſuſpicione, in crimen vocatos, Svantonem Sturam Comitem, cum duobus filiis, Nicolao, & Henrica; Abrahamum Guſtavi filium, Juarum Juari filium, & ut ſceleri impietatem admiſceret, Dionyſium Burgium, præceptorem ſuum, inſtigante Petro ab epiſtolis, accerrimo turbulenti Regis ingenii incentore, quaſi conſpirationis contra ſe initæ reos, inauditos Upaliæ à ſatellitibus interfici mandavit. Qua cæde perpetrata, pudore, ac conſcientia intùs exagitatus, ut aliqua facto contrario crimen dilueret, Joannem Fratrem, quem cum conjuge captivum, jam aliquot annis cuſtodierat, carcere emittit, ut eſſet, qui tot innocentium immanitèr occiſorum ultor, ipſum de Regni culmine deturbatum viciſſim in carcerem coniiceret.*) Sic ille, & alii paſſim. Ita effectum eſt, ue Svecorum Regno, prætèr omnium expectationem, Rex Catholicus rursùm præficeretur, crudeli Tyranno deturbato. Pontificem, ubi intellexerat Joannis Finlandiæ Ducis, & Uxoris captivitatem, ut eos in libertatem, & cum ipſis in Svecia profligatam Catholicam Religionem reſtitueret, literis, & nunciis Sigiſmundo Auguſto inculcaſſe, atque auxilia nbtuliſſe, ut bellum in Henricum, tàm juſtum, quàm neceſſarium ſuſciperet; ſcribit Bzovius: verùm, cùm diù, ante adeptum à Pio Pontificatum, Joannis, & Uxoris captivitas accidiſſet, ex ſequuta eadem captivitate mutum Pium ipſum, ad ea peragenda, quæ Bzovius refert, nemo facile credet; eò magis, quòd longè probabilius appareat, peractum inter Polonos ac Svecos bellum, à Svecis potiùs in Polonos quàm à Polonis in Svecos fuiſſe ſuſceptum, cum patentèr Thuanus, aliique aſſerere videantur, illos ab Henrici temeritate primùm irritatos. Minùs etiam veritati conſonum agnoſcitur, quod de Baſilio, Magno Moſcoviæ Duce, qui unà eum Svecis Poloniæ Regno inſultabat, Scriptor idem affirmat; nàm ideò narrat, Polonos Baſilium aggredi decreviſſe, quòd Sigiſmundus Auguſtus Rex, Joannem Finlandiæ Ducem, tradita ipſi in Uxorem Sorore, ſibi prætuliſſet, cùm illam ipſe ducere cogitaſſet; nàm, cùm diù ante, inter Finlandiæ Ducem, ac Sigiſmundi ſororem, nuptias has (ex quibus plures filii, ut diximus, nati ſunt, dum captivi ſimul tenerentur) celebratas fuiſſe conſtet; veritati idcircò conſentaneum minimè æſtimatur, hac de cauſa præſens hoc bellum Polonis à Moſcovita fuiſſe illatum; cùm præterea tradant Auctores, controverſiam, de finibus Lituaniæ, potiſſimùm fuiſſe illam, quæ inter utroſque hujuſmodi concertationibus fomitem miniſtravit, ac perſpicuè intelligatur, exortoprimùm inter Danos, & Svecos bello, his Moſcovitas, illis Polonos ſe dumtaxàt poſtmodùm addidiſſe; ita ut invicem iſti, ab illorum potiùs diſcordia, quàm à ſingulorum propria provocati, inter ſe pugnaſſe, meritò cenſendi eſſent.

Thuan. Hiſtor. lib. 41. pag. 445.

Intereà Daniel Zanzoviva, Militiæ Danicæ Præfectus, menſe Octobri hujus anni, per fauces anguſtas, vulgò Caveas dictas, Sveciam ingreſſus, & aliquot menſes impunè incendiis ac direptionibus latè graſſatus, ad Vaſtenum uſque pervenit, ingentique præda parta, & ſui latè terrore ſparſo, ad ſuos incolumis reverſus eſt. Quo eodem tempore inter Polonos quoque, & Moſcos, ad Sitinum lacum commiſſum eſt prælium; ex quo Poloni victores XLV.

ctores evaſere, multis hoſtium interfectis, & optimis ipſorum ſpoliis potiti. Nec multò poſt, ut vult Thuanus, nempè prid. Id Decembris, juxta Arcem Vieliſſam cum iiſdem feliciter, fauſtèque etiam congreſſi, & ipſorum plurimos ceciderunt, & alios ad fugam adegerunt, quorum partem Duina Flumen abſorbuit; ex primaria quoque nobilitate multis comprehenſis. Verùm hæc, & à Thuano, & à cœteris Scriptoribus in ſequentem annumrejiciuntur. At antequàm hæc evenirent, vel quòd Moſcovitarum potentiam Poloniæ Regno exitialem pertimeſceret Pontifex, ſivè quòd ad deterrendum a propoſito, Pannoniam, vel alias Chriſtianorum regiones Turcarum tyrannum in vadendi, opportunum agnoſceret, ſi in eum inſurgeret, miſit, ut narrat Gabutius, qui de Magni Moſcorum ejuſdem Ducis conſiliis cognoſcerent, agerentque cum eo, ut ſeſe Chriſtianis cum Principibus communi fœdere conſociaret, ſeque potiùs ad bellum adversùs Turcam, hoſtem ſuum pro viribus compararet; quin etiam, ea de cauſa, cum Polono pacem conficeret, ob quam ineundam, ſi opus fuiſſet, Pius ad ipſum Moſcum Oratorem miſſurus eſſet.

Gabut. Vit. Pii cap. 10.

XLVI. Et fortè Pontificis induſtriæ, ac labori non immeritò tribuendum, quòd hoc ipſo anno, ut Campana, Tracagnotta, aliique referunt, Magnus idem Moſcorum Dux, pro pace legationem ad Poloniæ Regem decreverit, de qua hæc habet Natalis Comes. [*Lithuani magnoperè inſtiterant Polono Regi, ut intereſſet quibuſdam Comitiis, quæ habebantur Petricovii, qui cum Polonis Proceribus re conſulta, pollicetur ſe interfuturum. Præmittit octo equitum millia interim, nè Lithuani, repentino hoſtium adventu opprimerentur, quia intellexiſſet, ipſum Moſchum, cum magnis viribus, ac multis millibus armatorum eò contendere. Verumtamen, ut ipſe audiret legationes hoſtis de pace, Lithuaniam proficiſcitur, nè videri poſſet bellum, vel honeſtæ paci prætuliſſe, vel parùm gratam habuiſſe populorum ſalutem, & tranquillitatem; eum tamen facilè cognoſci poſſet, ex apparatuum magnitudine, rem, non ad pacem, ſed ad moleſtiſſimum bellum ſpectare. Accedunt Legationes Ducis Moſcovitarum ad Polonum, cum duobus millibus equitum, ac multa Co-*

Natal. Com. Lib. 9 Hiſtor. p. 405.

A *mitum magnificentia, & veſtium ornatu. His procedunt obviàm tria millia equitum Polonorum, qui, ubi conveniſſent, neutra legatio prior ad ſalutationem vult ex equo deſcendere, nè altera alteri cedere videretur. Conveniunt denique, ut ambo, uno tempore deſcenderent. Factis ibi mutuis ſalutationibus, dein ad Polonorum Regem perveniunt. Proponunt Legationes; ſuum Magnum* Ducem, *tot populorum cladibus utrinque cæſorum commotum,* B *facilè pacem eſſe amplexurum, ſi antiquum ſuum patrimonium Tauroſcytharum, Prutenorumque regio ſibi dederetur, ac redderetur; ſic enim acceptarum injuriarum ſempiternam oblivionem poſſe fieri, omnemque illarum memoriam penitùs ex animo obliterari. Hiſce reſponſum eſt, Polonum Regem pacem amare, ſi honeſta quidem ſit; ſed tamen bellum quoque non aſpernari, ad quod eſſet, ſi iniquè inferatur, jam paratus. Se velle Ploxum tantùm* C *reſtituere in finibus Lithuaniæ, de cæteris Locis fruſtrà ſermonem haberi. Quæ, dùm tractantur, ad pacem ſpectantia, Præfectus Ploſcui eum tribus millibus equitum, finitimum quoddam Oppidum tentat: Sed à Polonis circumventus, multis è ſuis amiſſis, vix ipſe in tutum ſe recipit. Miſſa ſunt, & ſex equitum, & duo peditum millia in Regione Thauroſcytharum, ad reprimendas Scytarum incurſiones, quorum circitèr quadraginta millia in* D *unum convenerant, ad prædam, uti dicebatur. Scythæ, ubi audiviſſent, miſſas eſſe Legationes, de pace a Moſcovitis, & ipſi mittunt Legationes, profiteturque, ſeſe Polono Regi adversùs Moſcovitas militaturos. Hortantur Polonum; ut è Livonia, cæteriſque Locis occupatis hoſtem eiiciat, ad quod tàm honeſtum facinus, pollicentur ultrò ſe opem ferre. At Polonus, quia ſuſpectæ eſſent vires Scytharum, cùm propter magnitudinem ipſam copiarum, tùm propter* E *multos Scythas Moſcovitis militantes, rejecit potiùs humaniter eorum auxilia, quàm accepit. Illis igitur immortales gratias egit, pro tàm propenſo, tàmque liberali in ſe animo, ſeque perpetuam memoriam tanti beneficii habiturum, inquit, & ſervaturum, quod, vel ultrò obtuliſſent; ſed tamen eorum auxilia in magis opportunum, magiſque neceſſarium tempus reſervare; cùm tantas nunc haberet vires,*

res,

res, ut poſſet eſſe hoſte multò ſuperior. At in finibus Lithuaniæ, quia Moſcovitæ populabundi, & palantes vagabantur, Palatinus Romanus, collectis viginti quinque equitum millibus; tanta impetu, tantiſque viribus illos invadit, ut, cæſis non paucioribus ſeptem millibus hominum, & duobus ampliùs millibus captis, in proxima palude ſuffocatis ſex millibus, reliquis in fugam verſis, glorioſam, maximèque venerabilem victoriam reportaverit.

Poſt cladem illam acceptam, Legationes, quæ priùs pacem, per graves propoſitas conditiones, diſtrahebant, nunc apparent placidiores; at contra Lithuani inſtant Polono Regi, ut legationes dimittat. Hortantur, nè tantam opportunitatem rei præclarè gerendæ, prætermittat, quam Deus, & fortunæ benignitas conceſſiſſet; non eſſe humanæ facultatis, cùm prætermiſſa ſit, aliam conſimilem revocare &c.) Hactenùs ille.

XLVII. Verùm, ut ſcribit Tarcagnotta, Rex minimè ulteriùs bellum pſoſequendum exiſtimavit, quòd cum hoſte potius congreſſus fuiſſet, ut eum è propriis finibus pelleret, non ut repulſum, domo etiam ſua deturbaret. Ab eo quoque bello eum, longè antè revocare contenderat Stanislaus Cardinalis Hoſius, qui, cùm Regem videret, remiſſiùs, quàm opus erat, agere, in Hæreticos Elbingenſes, eorumque punitionem in dies protelare, à conſilio contra Moſchum incedendi abſtinere admonuerat, niſi priùs iram Dei, hæreſibus extirpatis, placaſſet, literis pluribus, ſed præcipuè, tanto Sacerdote digna, præclara hac Epiſtola.

Epiſt. 80. Inter Oſii Epiſt. pag. 218.

[*Quod Majeſtas veſtra facturam ſe promittit, ſimul, ut ab iis tantis occupationibus liberior fuerit, ſe cauſam, quæ mihi eſt cum hædis meis Elbigenſibus cognituram; non parvam, ex his literis Majeſtatis veſtræ, conſolationem accepi. Sed cuperem tamèn ad rem aliquandò verba conferri, cùm non videam, cur aliis cauſis cognoſcendis vacare magis debeat Majeſtas veſtra, quàm iis, quibus illius brachium contra violatores Divinorum jurium imploratur.* Primùm quærite Regnum Dei, *dicit Scriptura*, & cœtera adiicientur vobis. *Nunc nos, & cætera tantùm quærimus, de Regno Dei, vel nullam, vel certè perexiguam ſollicitudinem gerere videmur. Vehementer metuo, nè deſinat ipſe quoque Deus pro nobis eſſe ſollicitus. Verùm ego bona ſpe ſum, facturam tandem aliquandò Majeſtatem Veſtram, ut re præſtet, quod verbis mihi totiès promiſit, neque commiſſuram, ut in ea opinione homines veniant, quidquid fiat de cauſa Chriſti, deque Religione, nihil ad ſe pertinere putet: quam, ſi prorsùs everti paſſa fuerit, ſicut jam ex magna parte factum videmus, non eſt qui exiſtimet, everſo Chriſti Regno, ſuum Regnum ſtare poſſe diutiùs. Nàm,* ſi Deus pro nobis, *dixit ille*, quis contra nos? *Si verò erit Deus contra nos, quis erit pro nobis? Ego verò metuo, nè flagellum iræ Dei, ſit ille ipſe, contra quem bellum ſuſcipere nunc Majeſtas Veſtra dicitur, & erit Majeſtati veſtræ valdè durum contra ſtimulum calcitrare. Mitto Majeſtati Veſtræ, quæ mihi ſcripta ſunt ex Lithuania, de nunciis illius Tyranni, quales erga quemdam Lutheriſtam, vel Calviniſtam ſe geſſerint. Quamvis autem non dubitem, quin pridem hæc ſint ad Majeſtatem Veſtram perlata; tamen in hoc eadem illi nova mittenda putavi, ut videret, etiam barbaros homines iſtorum blaſphæmias ferre non poſſe, quos apud nos augeri cernimus, & honeſtari. Quid autem putat Majeſtas Veſtra, non iſtos facilè contempturos omnem illius bellicum apparatum, cùm graviter peccatis noſtris Deum offenſum, & prorsùs à nobis averſum videant? in quo, cùm illi ſpem ſuam collocatam habeant, etiamſi Schiſmatici ſint; minùs tamen d Chriſti Fide aberrantes, quàm ex noſtris multi, valdè metuo, nè de nobis dictum ſit:* Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent & noviſſima providerent. Quomodò perſequebatur unus mille, & duo fugabant decem millia? Nonne ideò, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? *nevè, quod in Levitico ſcriptum eſt, ſicùt in ſcheda Majeſtas Veſtra videbit, de nobis impleatur. Audio, quòd in iis Comitiis Majeſtas Veſtra majora, quàm proximis ſuperioribus temporibus, pietatis erga Deum ſuæ, Religioniſque documenta dederit, & exempla; quæ res non mediocrem animo meo conſolationem attulit. Sed hæc Sigiſmundo quidem ſatis eſſent; verùm à Rege Sigiſmundo plus aliquid requiritur; is enim, non ſuam tantùm ſalutem, ſed & co-*

& eorum, quos imperio ſuo ſubjectos habet, Fidem, & Religionem, exemplo Sancti ſui Patris, Majorumque ſuorum, integram, & inviolatam Deo præſtare dignetur. Cùm non ſolùm pro ſe, verùm & pro illis rationem ſe redditurum certè ſcire debet. Si verò tales erunt præfecturis etiam & dignitatibus aucti, & honeſtati, quid reſponſurus eſt, cum ab eo ratio villicationis ſuæ exigetur? Ego verò Majeſtatem Veſtram hortor, ac moneo, ſupplex etiam oro, ſi ſe, Regnumque ſuum & adjunctas illi terras ſalvas eſſe vult, ut ab hoc bello ſibi temperet, quin illud pace commutet, quali quali. Aliquid retinere ſatius fuerit, quàm, & ſuam, & Regni ſalutem in ſummum diſcrimen, irato nobis Deo, adducere: quem ego ſupplex precari non intermitto, ut miſereatur noſtri, illuminet vultum ſuum ſuper nos, convertat, nos, & auertat iram ſuam à nobis. Vehementer enim terrent me comminationes illæ, quæ ſunt in Levitico, quæ mihi quaſi propriè contra nos factæ videntur: Iterùm atque iterum Deum precor, ut miſereatur noſtri. 5. Julii Heilſpergæ 1567.] Sic Epiſtola.

XLVIII. Quænam verò fuerit cauſa, quam cum Elbigenſibus habuit Hoſius, apparet ex ipſo Hoſio, qui ejuſdem Acta conſcripſit; nàm ex ipſis colligitur, ab anno 1553. vel paulò antè, Elbingenſes hæreticis opinionibus adhæſiſſe, ac Catholicam Religionem abiicere meditatos fuiſſe; ſic enim incipiunt: [*Cum veniſſem Elbingam, abſolutis Terrarum harum negotiis, de quibus alii Conſiliarii conſultaturi venerámus; congregandum curavi Senatum & populum Elbingenſem, qui, cùm in Prætorium conveniſſent, in hanc ſententiam ad eos verba feci. Cùm in his Terris præſens adfuiſſet Majeſtas Regia, me præſente, & audiente, petitum ab illa fuiſſe, purum ut Evangelium prædicari permitteret. Ex ea re magnum animo meo me dolorem accepiſſe; qui, cùm Paſtor & Epiſcopus eſſem Civitatis hujus, non modò nihil à me poſtulatum fuerit, ejus generis, ab ovibus meis; verùm etiam pro Turca aliquo, & infideli habitus eſſem, ut qui curſum Evangelii impedire conarer. Hac me ſuſpicione perſtringi, non potui, non graviter, & moleſtè ferre &c.*]

Extant inter Oper. Hoſii ſub anno 1551. To. 2. pag. 70.

XLIX. Sub annò autem 1565. inter eum- A dem Hoſium, ac præfatos Elbingenſes, nova rursùs exorta eſt contentio; nàm, cùm ipſe gravibus, magniſque ſumptibus Academiam in Civitate Braunſperk inſtauraſſet, quæ, non tantùm Pruſſiæ terris futura erat ornamento, ſed & cum Regno Poloniæ utilitatem conjunctam, communemque habitura; tanti verò ad eam ſuſtentandam ſumptus requirerentur, ut Cardinalis, neque per ſe ſolum, neque etiam cum Capitulo Varmienſi ipſos ferre, & ſu- B ſtinere valeret; cùm Rex cognoviſſet in Civitate Elbingenſi plurima, eaque non exigua Beneficia, & Eccleſiaſticos proventus exiſtere, atque illos omnes, ex legitimo uſu, cui initio deſtinati fuerant, in peregrinum, longèque alium, quàm debitum uſum, fuiſſe translatos; juſſit omninò ea ipſa Eccleſiaſtica bona cum proventibus ſuis, ad utilitatem Scholæ Braunſpergenſis tradi: quod quidem, ut fieret, nuncius Cardinalis, tùm à Regiis Commiſ- C ſariis, tùm à Senatu Elbingenſi ſtatim poſtulavit. Senatus autem, communicato, ex more, cum delectis quibuſdam civibus conſilio, de eorum ſententia hoc modo reſpondit: ut ſpem haud dubiam faceret Regiæ Majeſtatis voluntati ſatisfactum fuiſſe, atque Cardinalem in eo eſſe acquieturum. Accidit autem, ut præter omnium expectationem, medio eo tempore, ſeverum mandatum Regis, per ejuſdem Cubicularium Senatui exhiberetur, quo ſe- D riò Rex mandabat, ut Senatus Civitatis Elbingenſis, de bonis ipſis Eccleſiaſticis, aut intra unum menſem, mulcta denum millium florenorum Ungaricalium, amicè cum Hoſio decideret, aut decimoquinto menſis Martii, apud Majeſtatem Regiam, cauſam diceret. Hoc mandato, Senatus, ac primores Civitatis non leviter ſunt conturbati; ideòque viſum eſt illis, ex ſuis duos deligere, qui Cardinalem, ejus nomine accerſerent, & primùm quidèm Ci- E vium omnium debita officia, ac voluntatem obſequentem deferrent; deindè quàm officioſiſſimè peterent, dignaretur Cardinalis gratioſè apud animum ſuum exigere, & cogitare, quòd, quantùm quidem ad vacantia Eccleſiaſtica bona pertinebat, earum jus, & diſpenſationem, omni ſemper tempore, poſt hominum memoriam, etiam cùm adhùc penès Crucigeros poteſtas rerum

Ex actis ann. 1565. inter Opera Hoſii To. 2. pag. 100.

rerum eſſet, ſemper ad Senatum, primoreſque ſuos ſpectaſſe; idque jus, Majorum ætate, ſemper hoc pacto uſurpatum, & ad extremum, privilegio Caſimiri Regis Poloniæ confirmatum, & renovatum fuiſſe. Deindè illam etiam ſemper fuiſſe illorum proventuum Eccleſiaſticorum conditionem, ut bona pars ex ipſis ad Fraternitates eſſet inſtituta; nàm, cum pecunia hæc à civibus tantùm eſſet collata, ea jam obſervabatur ratio, ut, ſi civium aliquis ad egeſtatem recidiſſet, ex ipſa pecunia iterum ſublevaretur, cùm aliorsùm, quàm in illum tantùm uſum proventus iſti reſervarentur, neque in illud uſque tempus, à Senatu, & primoribus quidquam ex redditibus illis in privatum emolumentum fuiſſet averſum, ſed omnis ea pecunia in mercedem Miniſtrorum Eccleſiæ, & ſtipem pauperum collocatam; cujus rei quotannis ratio referebatur. Proindè ſe, Senatus, & primorum ſuorum nomine, quanto poterant ſtudio, & diligentia petere à Cardinali hac informatione eſſe contentum, ſuaque privilegia, libertates, & jura ſarta, tectaque conſervare, ac tueri; ei viciſſim officia, ſtudium, & obſervantiam ſuam offerentes.

L. Ad hæc Cardinalis reſpondit: nihil ſe magis cupere, quàm, ut ſalva cuique eſſent ſua jura, ac privilegia, ac tantùm ab eo ſe remotum eſſe, ut ea vellet Elbingenſibus labefactata, ut quidquid à ſe præſtari poſſet, ad ea tuenda, & conſervanda, nihil eſſet unquàm curæ, diligentiæ, laboris prætermiſſurum. Cœterùm, quod ſibi Elbingenſes fieri nolebant, id alieri quoque non facerent; quin, ſicùt ſua ſibi, ſic Epiſcopo quoque ſua Jura, ſalva ut eſſent, velle deberent; utpotè qui, non de Civitatis juribus violandis, à qua cogitatione, quàmlongiſſimè aberat, ſed de ſuis tuendis, & conſervandis ſollicitus eſſet; quia, quod ſibi Magiſtratus Elbingenſis erepta volebat, ea demùm cauſa exiſteret, ob quam ad Regiam Majeſtatem pro jurium ſuorum defenſione ſibi confugiendum eſſe putaverat. Certum eſſe bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem, non ad profanum, ſed ad Eccleſiaſticum pertinere Magiſtratum, nec fuiſſe, vel Imperatores, vel Reges, vel Principes ullos ſæculares, qui quidem Catholici eſſe videri voluiſſent, A qui ſibi in ea, juris quicquam vindicarent; ſed omnem eorum liberam diſpenſationem Epiſcopis permiſiſſe. Quo magis ſe mirari dixit, auſos eos dicere fuiſſe, quòd bonorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio ſemper ad Senatum pertinuiſſet, præcipuè cùm hoc docere nunquàm poſſent. Nec minùs temerè ab iis dictum oſtendit, à Rege Caſimiro privilegium hujuſmodi confirmatum, ac renovatum fuiſſe; nàm, cùm in omnibus Eccleſiis, tùm Regni, tùm B omnium Terrarum, quæ illi eſſent adjunctæ, nunquàm ſibi Rex ullus Poloniæ, poteſtatis hac in parte quicquam uſquàm uſurpaſſet, ſed liberam bonorum Eccleſiaſticorum diſpoſitionem Epiſcopis, ad quos ſempèr ſpectaverat, permiſiſſet, & tunc quoque permitteret; non erat certè undè, quod ipſe ſibi Rex licere non voluerat, id eis permiſiſſe, probarent, cùm nullam omninò ejus rei poteſtatem unquàm ſibi vindicaſſet.

LI. C Sicut autem fuerat à Diabolo Scriptura contra Chriſtum allegata; ſic ab eis dixit allegatum Caſimiri privilegium, quòd partem ejus protuliſſent, partem verò, quæ Regis ſententiam explicabat, omiſiſſent; nàm ubi ſcriptum fuerat Juſpatronatus, ibi ipſos ſcripſiſſe allodia, monſtravit; quorum nulla prorsùs in eorum privilegio erat mentio. Sibi enim Rex Juſpatronatus Eccleſiarum Parochialium in veteri, & nova Civitate reſerva- D verat; cœterorum Sacerdotiorum Juſpatronatus illis conceſſerat. Uti autem ipſe, cùm eſſet Patronus utriuſque Parochialis, non ſibi permittebat, ut de Parochialium illorum bonis, & proventibus diſponeret; ſic & illis, qui Regiæ Majeſtatis beneficio, aliorum Sacerdotiorum Patroni erant, minimè permiſiſſe, ait, ut in eorum proventus, quicquam ſibi juris vindicaſſent, cùm hoc tantùm eorum eſſet (uti & Regis Officium) ut E Sacerdotes nempè, aliquos, Epiſcopo, ad vacantia Sacerdotia præſentarent, à quibus, quæ ad cultum divinum pertinuiſſent (in quem uſum proventus collati fuerant) peragerentur.

LII. Exprobraverat deindè illis, & Sacerdotium, & Sacrificium, per impios quoſdam Satanæ Miniſtros, apud eos fuiſſe everſum; imò ipſum Chriſtum in ordinem coactum, & quod fuerat

fuerat à piis hominibus, ad Sacerdotes, qui precibus, & Sacrificiis Deum placarent, collatum; id in Satanæ Miniſtros fovendos, & in Sataniſmum propagandum fuiſſe translatum: quod idcircò, non in pium, ſed in impium potiùs uſum dicendum erat converſum. Eccleſiæ, quam OEcumenicum Tridentinum Concilium repræſentaverat, hinc authoritate compulſum ſe dixerat, ut de bonis, ac proventibus Eccleſiaſticis, ad Seminarium inſtituendum diſponeret; quod quidem Concilium in Conventu Parcovienſi, in frequenti Senatu, ab Apoſtolico Nuncio oblatum, Regia Majeſtas reverenter receperat: & demùm validiſſimis argumentis, cùm ſingulas Elbingenſium cavillationes Hoſius rejeciſſet, eorum legatos dimiſerat.

LIII. Ab eo tempore, res ad Regium judicium delata eſt, à Rege dirimenda. Verùm Sigiſmundus ſententiam in Elbingenſes dicere diſtulit, quòd fortè hac ratione novos, in, aliàs turbulento Regno, tumultus excitare pertimeſceret; quas humanæ prudentiæ artes, quibus Divinis humana præponi videbantur, ægrè ferens Hoſii zelus, quam propoſuimus, ad illum ſcripſit Epiſtolam, qua, juxtà Divinum Oraculum: (*Anathema in medio*
Joſu. 7. 13 *tui eſt Iſrael: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis*) niſi Deo placato, ac Elbingenſibus in officium redactis, à bello contra Moſcum abſtinere monuit.

LIV. Intereà Elbingenſes, vel, quòd, pro Hæreticorum conſuetudine, novis facinoribus cauſam ſuam, ac præreptum jus tueri optimum cenſuerint; vel, quòd ad ſeditionem nati, hæreſum Miniſtri, eos, ad nefaria illa ex more incitaverint, non Divino modò, ſed regali etiam ſpreto judicio, ipſa veneranda Deo dicata Templa, quorum bona jam ſibi uſurpaverant, nefandis ſceleribus contaminare veriti non ſunt, uti jam in Gallia, ac in Belgio feciſſe narravimus: à Rege inſupèr poteſtatem in comitiis ſibi factam, Auguſtanam Confeſſionem ſequendi, aſſerere ſunt auſi; cùmque hoc tempore Hoſius, unà cùm Parocho Catholico, à Rege, ad quem ſpectabat, miſſo, Franciſcum Sunerium, & Joannem Aſtenſem, Concionatores Jeſuitas deſtinaſſet: Elbingenſis Senatus,

A miſſum à Rege Paſtorem ſuſcepit, concionatores item ab Epiſcopo miſſos recepturum ſpopondit; ſi tàmen conſentanea Auguſtanæ Confeſſioni loquerentur; & claves Sacrarii, nè Sacrum Catholico ritu fieret, tradere recuſavit. Jeſuitæ tamen, qui neceſſarium apparatum ſecum detulerant, Sacrum publicè, quod longo intervallo omiſſum erat, ambo fecerunt; & quoniam erat dies, Apoſtolo Bartholomæo ſacra, concionati quoque ſunt.

B Verùm, rursùs cùm Aſtenſis verba Dei miniſtraret populo, is, ſua & ſpontè, hæretica jam pravitate imbutus, tùm Sebaſtiano quodam, errorum præcone, inſtigante, primùm tumultuari, & pedibus, manibus, crepitaculis ſtrepitum ciere, ac infeſtis clamoribus terrere; deindè pomis, ac ſaxis impetere cœperunt, miranda conſtantia omnia hæc Dei Sacerdote perferente, atque pro Fide, temporalem mortem non reſugiente. Quæ, nempè facino-

C ra, ut Hoſii dolori dolorem addidere, ita congeminatis literis Regem de iis, quæ anteà, & tunc acciderant, commonere impulerunt; à quibus tandem Rex expergefactus, ſerò licèt, & ad ipſum datam, quinta die Julii, & ad poſteriores Epiſtolas, unico hoc reſponſo ſatisfeciſſe reperimus.

[*Quæ proximè acta ſunt Elbingæ in Templis illius Civitatis, partim ex literis P. Veſtræ, partim ex ſermone* Extant inter Hoſii Epiſt. Tom. 2. Opuſculorum pag. 228. Epiſt. 91.

D *Rereverendi Viceeancellarii Regni noſtri intelleximus, remque ipſam, pro eo, ac debuimus, graviter ſanè tulimus. Non dubitamus enim hac tanta, & tàm impia temeritate, non ſolùm Divinam Majeſtatem, quod tamen omnium maximi facimus, offenſam eſſe; nec ſolùm contemptam Reverend. P. Veſtræ auctoritatem; verùm etiam noſtram ipſam dignitatem regiam eſſe violatam. Cui quidem, quò magis neceſſitatem Divinitùs impoſitam eſſe videmus, tùm divinæ ipſius Majeſtatis atque gloriæ conſervandæ, tùm omnis, tàm ſacri, quàm politici ordinis in*

E *Regno noſtro tuendi, atque defendendi; hoc magis dolemus, hæc omnia uno eodemque tempore in illa Civitate tantoperè labefactata eſſe. Sic enim judicamus, offenſa Divina Majeſtate, à qua profluxit dignitas ipſa noſtra Regia, ſpreta etiam, & neglecta P. Veſtræ juriſdictione, quæ cùm ex noſtra pri-*

primùm nominatione promanaſſet, fuit poſteà auctoritate S. Sedis Apoſtolicæ, cui nos ſtudium, & obſequium noſtrum libenter dicavimus, confirmata, ipſam quoque dignitatem noſtram offenſam, & ſpretam, ac neglectam eſſe. Atque etiam hoc magis, quòd ei ipſi temeritati prætexi illic ſcribit P. Veſtra, authoritatem quarumdam literarum noſtrarum Warſchovien., quas nos, cùm omnia nobiſcum illorum Comitiorum Acta in memoriam revocavimus, non poſſumus meminiſſe, volentibus, aut etiam ſcientibus nobis, umquàm emanaſſe. Quamobrem, & ſi non ignoramus, qua animadverſione res ipſa tanta, & ad tantam rerum violationem inſtituta, digniſſima eſſe videatur; tamen hoc tempore, pro bonitate ac moderatione naturæ, ingeniique noſtri, ſimulque pro ſingulari ſpe, & opinione noſtra, quam de illius Civitatis Magiſtratu conceptam in animo noſtro habemus; fore ut in eo, in quo P. Veſtram offenderunt, abundè illi deinceps ſatisfaciant, commiſimus generoſo Joanni Koſcha Caſtellano Gedanen totius negocii procurationem, nonnullaque addidimus, quæ interim occupationes noſtræ permittere videbantur, uti ex illius literis, quas Paternitati Veſtræ mittimus, cognoſci poterit. Confidimus profectò, illos imperata, præſertim tàm æqua, & ſalutaria facturos eſſe. In quo, ſi nos fortè, quod non arbitramur, ſpes noſtra fefellerit, alia remedia ex communi jure, & legibus deſumpta, adhibere profectò non prætermittemus, in eoque nè dubitet Paternitas Veſtra: & Deo Opt. Max. & Paternitati Veſtræ, & officio etiam noſtro ſatisfaciemus. Atque hæc quidem Paternitati Veſtræ, ex itinere jam noſtro ad bellum profecturi, ſcribebamus, à quo nos bello ſæpius per literas Paternitatis Veſtræ avocatos, & retractos fuiſſe meminimus. Et profectò pro eo, uti nunquàm fundendi Chriſtiani ſanguinis cupidi fuimus, ſed omnia conſilia noſtra ad pacem, quoad maximè licuiſſet, direximus: ità ab hoc quoque bello, ſi nobis per hoſtium iniquitatem, atque inſolentiam, & per noſtram præterea dignitatem licitum fuiſſet, facilè abſtinuiſſemus. Verùm tanta fuit earum conditionum, quæ nobis ab hoſtium legatis, ad pacem proponebantur, iniquitas, atque indignitas, ut non obſcuro nobis indicio eſſent, nullàm eos pacem ex animo velle, ſtudium modò ejus ſimulare, reverà ſanguinem noſtrum, & dominationem, atque tyrannidem in plurimas ditiones noſtras appetere; quod quidem vix victo à victore tolerandum videretur. Itaque, cùm à bello abſtinere, propter & dignitatem noſtram, & populorum noſtrorum ſalutem, atque libertatem, non poſſemus, neceſſitate magis, quàm ulla voluntate noſtra, ad conſilium hujus belli deducti ſumus, quod conſilium in Dei nomine, quem juſtitiæ, & moderationi noſtræ non eſſe defuturum planè confidimus, exequi cupientes, iter hoc ſuſcepimus, & ad bellum proficiſcimur. Poſtulamus autem à Paternitate Veſtra, ut inſtitutum hoc noſtrum approbet, & precibus ſuis, ſuorumque omnium Domino Deo, qui omnium bellorum æquus & ſummus eſt arbiter, etiam, atque etiam commendet, & benè valeat. Datum Trabis 26. Septembris 1567. Regni noſtri 38.

Iſta ad Hoſium, quæ quidem ſcripta agnoſcuntur, priùſquàm Palatinus Romanus ingentem eam Moſcovitarum cædem patraſſet: poſtquam, ut diximus, ad componendam pacem, ipſorum legati æquiores, ac mitiores conditiones propoſuerunt. Quò verò ad Elbingenſes, à præfato Joanne Koſcha, Regis nomine, eis centum millium Hungaricorum dicta eſt mulcta, ni delegatos, tùm ab ipſo Rege, tùm ab Hoſio, Divini Verbi, & ſacrorum Myſteriorum diſpenſatores excepiſſent; quapropter quietiùs poſtmodùm illi auditi. Verùm, cùm rem iniquiſſimo animo Senatus ferret, legatos ad Regem inſtituiſſe, dicetur anno ſequenti, ubi etiam ſpem Cardinali factam, quòd facilè illos ad Catholicam Religionem revocare poſſet, narrabitur. LV.

Quanto autem ſtudio, non in Varmienſi duntaxàt Diœceſi, verùm, & toto Poloniæ Regno Catholicæ Religionis res ageret Hoſius; ex ipſius aliis epiſtolis educi valet, ex quibus Apoſtolicum illud monitum, (*argue obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina*) apprimè impleviſſe deprehenditur; & ex his facilè intelliges, quæ ad Ioannem Demetrium Solikovulskii Regium Secretarium ſcripſit. LVI.

(*Oſten-*

Epiſt. Hoſii to. 2. pag. 228. Epiſt. 29.

(Oſtenderat mihi Dominatio veſtra ſpem, ſe feſta Pentecoſtes nobiſcum celebraturum potiùs, quàm in terra aliena, in qua non benè cantatur Canticum Domini. Cæterùm, quid in cauſa fuerit, neſcio, quòd mutaveris ſententiam. Suſpicaretur aliquis, qui Dominationem Veſtram non ità benè noſſet, ut ego, quòd in duas partes claudicet: ſed abſit, ut mihi unquàm hoc de illa cogitare in mentem veniat. Sed ſolet Aula, ſic Deum colere, nè Diabolum offendat, apud quam Adiaphoron eſt, intrà, an extrà Catholicam Eccleſiam Deus colatur, ſicùt etiam nunc apud multos Lutheriſtas, credere, vel non credere, ſit verum, necnè, quod Chriſtus dixit: Hoc eſt corpus meum, *Adiaphoron eſt. Nàm qui nunc ſedem illam obtinet Philippus Melanchon, in qua fuit aliquandò Saxonicus Papatus, a Sathana fundatus, quem nunc everſum eſſe Sacramentarii gloriantur, negat, condemnandos, & ejiciendos ex Eccleſiæ ſuæ ſocietate Sacramentarios, etiamſi mendacii Chriſtum, qui veritas eſt, arguant. Et videntur hoc jure facere. Prior enim illum arguit falſitatis primus ille, ſi Diis placet, Papa Saxonicus Lutherus, cùm non dicit, ſicut Chriſtus loquitur:* Hoc eſt corpus meum, *ſed hic panis eſt corpus meum; undè ſumpſerunt argumentum Sacramentarii: ſi panis, ergo non corpus. Itaque prima ſunt Fidei Chriſtianæ dogmata, ſi neget unus, ajat alius, nunc adiaphoron cenſetur; ac licet fortaſsè reperire non neminem, qui cenſeat, & hoc* ἀδιάφορον *credere. Naturâ nè ſit Chriſtus, an adoptione, Deus, & Dei Filius; ſic multò maximam partem mortalium, inter Adiaphoriſtas numerari videmus. Sed vellem tamen, quorum errores non probat, ut eorum communionem, ſacris præſertim in rebus, defugere, & apertum ſe Chriſtianum, hoc eſt Papiſtam eſſe profiteretur. Neque enim hoc ignominioſum putari debet, ſi quis legitimæ poteſtati, quæ à Deo eſt, ſe ſubiectum agnoſcat. Ego verò cum primis me glorioſum eſſe puto, ſi quis me Papiſtam vocet, & Regiſtam. Videtur enim laudare me, quòd eam Fidem, quam debeo, poteſtati ſublimiori præſto; ſed neque Duciſtam, neque Conſuliſtam appellari quemquam pudere debet, qui vel Duci, vel Civili Magiſtratui ſubditus eſt. Nullum autem turpe magis & ignominioſum nomen homini Chriſtiano tribui poteſt, quàm ſi vocetur, & ſit, vel Lutheriſta, vel Calviniſta: vel Blandraiſta, vel Gentiliſta. Quamobrem titulo Papiſtæ gloriari Dominationem veſtram cupio, & eorum, qui Saxonico, vel Islebin, potiùs, quàm Romano Papæ credere, & obedire malunt, communionem, in rebus præſertim Sacris, defugere* Helis: perg. 18. Maii 1567.)

LVII. Sat inſuper zelo Hoſii minimè extitiſſe, Catholicos in Fide, ejuſque profeſſione confirmare; ni etiam ad veram Eccleſiam erroribus irretitos revocare contenderet, Epiſtolæ teſtantur, & à Joanne kotkienſiez Samogitiæ Capitaneo ad Hoſium ſcriptæ, & viciſſim ab Hoſio ad eumdem Joannem miſſæ, in quibus ſumma ſapientia, doctrina, ac lenitate ſimul ipſum erudire ſtuduit, ac tenebras, quibus inſipiens illius cor obſcuratum erat, veritatis lumine pellere curavit.

Inter Hoſii Epiſtolas Tomo 2. pag. 242. & 243.

LVIII. Eandem verò ſollicitudinem, quæ de Poloniæ Regno erat in Hoſio, etiam in corde Pii extitiſſe, & illæ quæ paulò antè propoſuimus, ſignificant, & ex Epiſtola, quam ad Regem Sigiſmundum hoc tempore ſcripſit, intelligitur. Præſtitum enim, per Oratorem ejus, Petrum Barzæum, obedientiæ officium, poſtquàm ſe grato animo accepiſſe, dicit; ac ejus commendationis intuitu, Petro Miſcovio, Coadiutori Placenſi, Regni Vicecancellario, ut Cracovienſem Decanatum retinere poſſet, ſicut rogaverat, indulſiſſe profeſſus eſt; ut Hæreticis amotis, probis, ac Catholicis Adminiſtris uti vellet, Sigiſmundum ipſum ſequenti epiſtola hortatus eſt.

(Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro,
Sigiſmundo, Regi Poloniæ
Illuſtri.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter,
ſalutem, & Apoſtolicam
Benedictionem.

Apud Gonb. Epiſt. 7. lib. primi pag. 18.

EX obedientia, quam, per dilectum filium, nobilem Virum, Petrum Barzæum, Oratorem tuum, Nobis, & Apoſtolicæ Sedi, more, inſtitutoque omnium Catholicorum Regum

Regum, reverentèr admodùm præſtitiſti, libentiſſimè agnovimus devotionem, ac pietatem, qua Majorum tuorum, piæ memoriæ Regum exemplo, Sanctam hanc Sedem proſequeris, at tale officium, grato, perindè ac debuimus, animo accepimus. De dilecto Filio, Petro Miſcovio, Coadiutori Plocenſi, Regni tui Vicecancellario, Majeſtatis tuæ deſiderio, & tuæ commendationis cauſa, & propter ejus virtutes, ac merita, libenter ſatisfecimus. Indulſimus enim, ut Decanatum Cracovienſem retinere poſſit, ſicùt rogaſti; ad Sedis tamen Apoſtolicæ beneplacitum, quam confidere debes, non revocaturam gratiam ſuam, iiſdem manentibus cauſis. Libentèr ex literis tuis intelligimus, quàm grata tibi, & opportuna ſit ejus opera in illo munere obeundo. Talium Miniſtrorum vehementer experemus habere te copiam magnam; multò enim meliore loco res iſtius Regni eſſent. Eſt autem prudentiæ tuæ, viros tali fide, & probitate præditos, & cùm honoris tui, tùm Catholicæ Religionis ſtudioſos diligenter conquirere, atque provehere; eiſque potiſſimùm, officia, Præfecturas, & Magiſtratus committere, atque mandare. Id ad continendos in Religione Catholica, & fide, & devotione erga Majeſtatem tuam populos, remedium omnium utiliſſimum experieris; ſicùt è contra nihil poteſt inutilius eſſe, nec perniciosius, quàm eorum opera in Magiſtratibus uti, qui hæreticæ pravitatis labe polluti ſunt; tales enim Miniſtri poteſtate ſibi commiſſa, ad depravandos populos, & diſſeminanda hæreticæ pravitatis zizania, abutuntur. Non honorem, non famam Regiam diligunt; ſui ſimilibus, hoc eſt Hæreticis favent; bonos, & Catholicos inſectantur, & opprimunt; Eccleſiaſticis verò perſonis in primis inimici, atque infeſti ſunt. Quocircà hortamur, ut in hac re, quammaximam potes, ſemper diligentiam, ac circumſpectionem adhibeas; & ſi quos minùs tibi, quales eſſent, cognitos, ullis officiis nimia quadam facilitate præpoſuiſti, eos quamprimùm poteris, removeas, aliis in eorum locum, qui Catholici ſint, ſuffectis, & omnibus aliis remediis, quibuſcumque potes, ſicut cæteros quoſque Reges, & Principes hortari non deſiſtimus, enitere, ut hæreticæ pravitatis peſtem in Regno tuo reprimas. Illud enim, Chariſſime Fili, ſemper cogitare debes, quod admonere quoque alios Reges conſuevimus, ità poteſtatem Regiam tibi, & cæteris Regibus ab illo Rege Regum datam fuiſſe, ut actionum, & operum veſtrorum rationem ei reddituri ſitis. Hæc brevi Majeſtatem Tuam admonendam duximus, quia Nos quoque de officio noſtro, & de te, & de cæteris Principibus rationem reddendam fore meminimus. Quæ paterno animo à Nobis dicta, Majeſtatem Tuam non dubitamus ipſam quoque eſſe pio animo accepturam, Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Januarii 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Sic Epiſtola.

LIX. Nè tamen hac tantummodò ratione Polonici Regni utilitati conſuleret Pontifex, Iulium Rogerium, ut ſcribit Gabutius, Protonotarium Apoſtolicum, eruditum, ac prudentem virum, jam à ſuperiore Pontifice deſtinatum, Internuncium Apoſtolicum, optimis conſiliis, ac mandatis inſtructum, ad eumdem Sigiſmundum decreverat; & in primis Regem ipſum in officio continere juſſerat, eique denunciare, quicumque Religionem contempſiſſent, eos (quod perpetuò res ipſa docuiſſet) Divino judicio graves in hac vita pœnas dediſſe, præter æterna, quæ poſt mortem eis manſerant, atrociſſima ſupplicia; atque ex immutatione Religionis, Regnorum excidia ſequi conſueviſſe. Tridentinum Concilium, ab ipſo Rege jam receptum, in uſum induci, ſacram Juriſdictionem ſalvam, & integram conſervari, Templa, Cœnobia, aliaque ſacra loca, vel ab Hæreticis diruta, vel hominum negligentia collapſa, renovari, ſarctaque tecta præſtari, Chriſtianæ diſciplinæ leges priſtinum in ſtatum revocari, inter Sacrorum Antiſtites controverſias componi, ac dirimi curaret; ſe Catholicorum Patronum, vindicemque præberet, ac profiteretur; ſuaſque Sorores, Principibus nuptas Viris, per homines pios Catholicæ veritatis, in officio retineri ſtuderet; & Tranſylvaniæ Principem, ejuſdem Sigiſmundi Regis Sororis filium, à moribus, & conſuetudine Hæreticorum, eum ſeducere conantium, atque ad Eccle-

Eccleſiaſticam omnem ibi delendam diſciplinam impiè cohortantium, omninò, ut ſejungeretur, elaboraret; Iſta ex Gabutio.

LX. At, vel Fidei propagationem, vel Tridentini Concilii receptionem, vel morum emendationem, non ſic totis viribus curare, in Poloniæ, vel aliis Europæ Regionibus viſus eſt Pius; ut cœterarum Orbis partium ſollicitudinem idcircò prætermiſiſſe cenſeretur. Paſtor vigil, illa curavit, & iſtarum nihilominùs ſtudium non prætermiſit; nàm vix ad Pontificatum aſſumptus, Tridentini Concilii decreta, ad longinquas eas regiones, obſervanda tranſmiſerat, novarum plantationum vineæ Domini, in eis conſtitutarum, providus Agricola curam omnimodam gerens; & eò majorem, quò ſibi videretur (peccatorum noſtrorum pœnâ) Eccleſiæ vineam quodammodò à noſtris hiſce partibus, tamquàm ab Ægypto, a Domino fuiſſe tranſlatam, & in longinquis Indiæ plagis plantatam. Id ipſius teſtantur Epiſtolæ, hoc eodem anno, ad Gaſparum Archiepiſcopum Goanum, & ad Proregem, & Conſiliarios Portugalliæ, & Algarbiorum Regis, in partibus Indiæ Orientalis, ſcriptæ, quas meritò hìc duximus apponendas, ſuntque, ut ſequitur.

[Ven. Fratri noſtro, Gaſpari, Archiepiſcopo Goano.

Ven. Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apud Gabut. Hpiii. in Epiſt. l. 1. *PErveniſſe ad te literas noſtras, und cum volumine Detretorum Sacri Concilii Tridentini, libentèr ex tuis literis cognovimus. De injuncto Nobis officio, quod Nobis, aliorum more, gaatularis, Fraternitas tua vicem noſtram potiùs dolere debet: ſuſtinemus enim onus, & meritis, & viribus noſtris longè impar; ſed non deficimus animo, in tot, tantiſque laboribus, de Domini miſericordia confiſi, qui eos, qui laborant, & onerati ſunt confugientes ad ſe non deſerit. Gratum Nobis fuit, quod de ſtatu iſtius Provinciæ Nos breviter certiores feciſti. Non ſine maxima conſolatione intelleximus, auctam eſſe Eccleſiam Catholicam tot Gentilium millibus, ad Fidem Chri-*

A *ſti converſis, & quotannis novorum filiorum acceſſione treſcere. Benedictus Deus, qui tot, & tantas, at tàm disjunctas Nationes, in tenebris ambulantes, reſpicere, & illuminare dignatus eſt. Sicùt lugemus, & aſſiduè deploramus Eccleſiæ damna, quæ in Europa propter Lutheranam, & alias hæreſum peſtes fecit; tantum ejuſdem incrementis, in iſtis Orbis terrarum partibus gaudemus, atque lætamur. Illud optandum eſſet, pro magnitudine*
B *meſſis, operariorum copiam ſuppetere. Quòd dilectum filium noſtrum, Henricum, Portugalliæ Cardinalem laudas, cujus diligentia ſcribis, Officium Inquiſitionis hæreticæ pravitatis, apud vos vigere, ejuſque vigilantia multùm, & ſæpè profectum fuiſſe, libenter agnovimus ejus inſignem, ac præſtantem Catholicæ Fidei, ac Religionis zelum: nec dubium habemus, quin is, pro ſua pietate, tibi, & reliquis iſtarum partium Epiſcopis, quidquid potuit opis,*
C *& auxilii ad tolendam, & augendam Vineæ Domini partem ſtudioſè, & anteà tulerit, & ſemper laturus ſit. Ad quod eum, quamquàm currentem, ut dicitur, noſtra ipſi quoque hortatione incitabimus. Cæterum, quòd, commemoratis laboribus, & moleſtiis tuis liberari te ab onere Archiepiſcopatus, ſuppliciter admodùm poſtulas, deſiderio tuo ſatisfieri minimè expedire putamus. Pro fraterna quidem charitate, dolemus, te, iſta ætate, tot laboribus*
D *fatigari, tot periculis obnoxium eſſe; ſed memento Frater, per multas tribulationes neceſſe eſſe in Cæleſtem nos Patriam pervenire. Non eſt deſerenda ſtatio, in qua Domino Nos conſtituere placuit. An non putas in tot, tantiſque occupationibus, curis, & moleſtiis, quibus, pro ſuſcepto hoc munere indeſinenter fatigamur, Nos quoque interdùm tædere vitæ, & optabiliorem Nobis videri illum priſtinum ſtatum noſtrum? Sed jugum, quod Dominus fer-*
E *re Nos voluit, non excutiendam Nobis, ſed ferendum forti animo eſſe ſtatuimus, quoad ei placuerit, his Nos vinculis corporis exſolvere, ac liberare. Depone tu quoque cogitationem iſtam, & ad quod officium invitus, ut ſcribis, vocatus fuiſti; in eo obſequium, & fidem tuam Domino probare perſevera, pro iſtis brevibus laboribus æternum tibi præmium redditura. Quòd Nos hortatus es,*

es, ad concedendum iſtarum partium Epiſcopis facultatem diſpenſandi cum his, qui matrimonio inter ſe in gradibus à jure prohibitis contraxerunt, vel in poſterùm contrahere contigerit: Nos, *ſaluti animarum conſulere volentes, & conſiderantes, quàm difficile ſit, ac longum, ex tàm remotis Orbis Terrarum partibus, ab Apoſtolica Sede hujuſmodi abſolutiones, & diſpenſationes petere, facultatem eam duximus eſſe concedendam, ſicùt ex aliis noſtris literis intelliges. Poteſtatem etiam tibi, & Epiſcopis tuis, ac ſucceſſoribus veſtris elargiendi Chriſtifidelibus, quotannis, feſtis diebus, quibuſdam maximè ſolemnibus, Indulgentias quaſdam dedimus; cujus conceſſionis quoque literas ad te, und cum his literis mitti juſſimus. Antidotum illud, quod ad Nos te miſiſſe ſcribis, nondùm accepimus. Id gratum futurum eſt Nobis, non quia opus eo Nobis futurum eſſe putemus, ſed quia tale tuæ erga Nos charitatis indicium, non poteſt Nobis non eſſe vehementer gratum.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die VII. Octobris 1567. Pontificatus noſtri ann. 2.)

LXI. Ut paucitati igitur Operariorum, qui tantæ colligendæ meſſi ſedulò incumberent, suppleret Pontifex, paucis ab hinc diebus, piiſſimis Sebaſtiani Luſitaniæ Regis obſecundans votis, ejuſdem, Patruo Henrico tit. Ss. Quatuor Coronatorum, Cardinali Infanti, & aliis nonnullis ampliſſimam facultatem attribuit, qua ſuffulti, Monaſteria quædam Ordinum, qui à primæva Regulari obſervantia aberraſſent, ad Ordinum Mendicantium Fratres, & Societatis Jeſu alumnos, ea lege transferre poſſent, ut ſingulis annis, quiſque ex tradito ſibi Monaſterio, idoneos aliquot miniſtros ſuppeditare teneretur; qui, prout Regi plùs expedire viſum fuiſſet, vel in Indiam, vel in regiones alias, quæ in Gentilitatis tenebris verſarentur, traiicerent, iſta ad Sebaſtianum ipſum ſcribens: *Quia verò tibi admodùm gratum, & optatum fuiſſe intelleximus, ſi aliquot Seminaria in Regno tuo inſtituerentur, ut idoneorum Miniſtrorum copia ſuppeteret, ad Gentiles à Simulacrorum cultu, ad ſalutarem, & Sanctam Religionem noſtram convertendos; Nos, hujuſmodi Seminariis inſtituendis, Divino honori ſimul, ac animarum ſaluti multùm conſultum iri videntes, ſupplicante Oratore tuo, decrevimus, ut Monaſteria quædam Ordinum, qui aliis noſtris literis nominabuntur, in quibus regularem obſervantiam defeciſſe cognovimus, ad Fratres Ordinum Mendicantium, veluti S. Dominici Regularis obſerventiæ, & aliorum, ac Societatis Jeſu, dato hoc negotio Cardinali Patruo tuo, & aliis quibuſdam, authoritate Apoſtolica transferantur, ea conditione, ut debeant quotannis ſubminiſtrare aliquot idoneas perſonas, de ſuo cujuſque Conventu, mittendas in Indiam, & in alias Religiones, quæ à Gentilibus incolantur, prout Regi plùs expedire viſum fuerit, ad curandam ipſorum Gentilium converſionem. Intelleximus enim ex ipſo Oratore, & aliorum etiam graviſſimo teſtimonio, multam in illis partibus meſſem eſſe; Operarios autem ſanè quàm paucos. Laudamus autem hujus rei piam curam tuam, & ut ei quàm intenſiſſimè ſtudeas, Majorum tuorum inclytæ memoriæ Regum veſtigiis inſiſtens, hortamur. Ad hujuſmodi opera, noſtra tibi ſemper authoritas, noſtrumque auxilium paratum erit. Tuæ vero res, tua dignitas, tua Jura, & commoda ità Nobis commendata erunt; ut, ſicuti in obſervantia, devotione, ac pietate tua acquieſcimus, ità ipſe cogniturus ſis, neminem eſſe hodie in Terris, Regum, ac Principum, ad quem ornandum, & altiùs Majeſtatem augendam, propenſiores, quàm ad tuam ſumus.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 27. Octobris 1567. Pontificat. noſtri ann. 2.]

Hoc autem anno, ex Tridentini Concilii decreto, (cujus volumen jam, ut audiſti, anno ſuperiori illùc Pius miſerat) Goæ, à præfato Gaſparo Archiepiſopo, primum Provinciale Concilium celebratum fuiſſe, ſcribit Sacchinus, ac in eo, de tribus præcipuè capitibus actum eſſe refert, primò de adducendis ad Chriſtianam Religionem Æthnicis, 2. de Eccleſiaſticis rebus; poſtremò de moribus corrigendis. Inter alia verò, viſum fuiſſe Synodo, aſſerit, ubi præſidia Luſitanorum exigua eſſent, ex Religioſis hominibus, unius Ordinis, ſatis fore, unum; quòd ità commodiùs, per varia loca, ad meſſem multam colligendam, LXII.

dam, operarii pauci dividi poſſent. Quòd verò ſubjungit, Goam, nimirum, hoc pariter anno, quinto Idus Septembris appuliſſe Henricum Taveram, è Sacro Dominicanorum Ordine, Cocinenſi, Eccleſiæ futurum Paſtorem, loco Georgii Ræmundi, qui in Goanam ſuccedebat Sedem, cui ſe abdicandæ Gaſpar Archiepiſcopus veniam à Pontifice Maximo obtinuerat; omninò commentitium, ex allata Pii Epiſtola deprehenditur; ex qua intelligitur, tantum abfuiſſe, quòd facultatem, Paſtoralem curam dimittendi ei tribuerit Pontifex, quin potiùs, ſtudio omni, ab ea cogitatione Gaſparum revocare contenderit.

LXIII. Nec tantùm, hoc anno, (ut ex ipſamet Epiſtola habetur) Epiſcopis, qui in Indiarum illis partibus morabantur, diſpenſandi cum iis, qui matrimonio inter ſe, in gradibus à Jure prohibitis contraxiſſent, vel impoſterùm contrahere voluiſſent, poteſtatem Pontifex fecit; ſed eam inſuper Societatis Jeſu ſodalibus, qui Infidelium converſioni, eximio zelo inſudabant, benignè, ſequenti dato Diplomate, elargitus eſt,

[Generali Societatis Jeſu aliiſque Præpoſitis.

PIUS PAPA V.

Ex Archiv. Vatic.

Cùm gratiarum omnium largitor Altiſſimus, veſtris cordibus tantum honoris ſui amorem, tantumque ſalutis animarum ſtudii impreſſerit, ut ex Societate veſtra plurimi propagandæ Religionis Chriſtianæ, & homines Gentiles, Idolorumque cultores, ad ſui Creatoris, ac Salvatoris cognitionem adducendi cupiditate flagrantes, non itinerum, non navigationum laboribus, aut periculis territi, ex his Europæ partibus, in Æthiopiam, Perſidem, Indiam, uſque ad Monlucas, & Japoniam, ac alias Orientis Inſulas, & Regiones alias, à nobis remotiſſimas, & in extremo Orbe Terrarum poſitas, adire non dubitent: deſideriis veſtris libenter annuimus, in iis, per quæ ſcandala tolluntur, & infirmi, ac recens in Eccleſia adſcripti, tamquàm parvuli, nondùm habiles ſolidiori alimoniæ, lacte alendi, molliuſque tractandi ſunt. Cùm igitur, ſicut Nobis exponi curaſtis, accidere ſæ- A *pè ſoleat, in Regionibus, & Locis, quæ à Gentilibus incoluntur, ut multi Neophiti, conſaguinitate, vel affinitate conjuncti, in gradibus à Jure prohibitis, propter priſtinàm conſuetudinem ſuam, inter ſe matrimonia contrahant, diſpenſatione non petita; ſeù quia in eis Locis Epiſcopi nondùm fuerint conſtituti, à quibus ipſam petere poſſint, ſeù, ſi ſint, commodè eos adire non poſſint, qui ſine gravi ſcandalo ſeparari non poſſent. Nos hujuſmodi Neophitis,* B *aliquid de Canonum rigore remitti aquum eſſe cenſentes: Veſtræ Societatis Provincialibus, & aliis Preſbyteris, qui de veſtra Societate à Generali, vel Provincialibus, vel eorum Vicariis fuerint deputati, in Æthiopia Arabiæ, Perſidis, Indiæ, Regione Synarum, in Japponia, Braſilia, & aliis Orientis Regionibus, aut Oceani Inſulis quibuſcumque, à Gentilibus habitatis, ad quas eos pervenire contigerit; cum Neophitis, in quocumque,* C *non tamen à Jure Divino prohibito, conſanguinitatis, & affinitatis gradu, ut matrimonia inter ſe contrahere, vel in contractis permanere, aut ea ſolemnitèr, in faciem Eccleſiæ, de integro contrahere, liberè, & licitè poſſint, diſpenſandi, abſolvendique èos in utroque foro, à ſententiis, cenſuris, & pænis, in quas propterea inciderint, & prolem ſuſceptam jam, ac ſuſcipiendam, legitimam declarandi: itá demum tamen, ſi aut proprium Epiſcopum non-* D *dùm habeant, aut ſi habeant, commodè eum adire non poſſint, quòd indè non minùs ducentis milliaribus Italicis diſtet, facultatem, Apoſtolica authoritate, tenore preſentium, damus, atque concedimus. Admonentes eos tamèn, ut hac facultate non utantur, niſi ubi expedire viderint, in quo eorum conſcientiam oneramus: mandanteſque, ut Neophitos ipſi diligenter admoneant, ut ab hujuſmodi matrimoniis, Canonica lege prohibitis ſe abſtineant. Non ob-* E *ſtantibus præmiſſis, & quibusvis Apoſtolicis, ac in Poovincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut tranſumptis harum literarum, manu alicujus publici Notarii, ſi adſit, vel alicujus Provincialis, Præpoſitivè Collegii, ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ, in dignitate Eccleſia-*

ſiaſticâ conſtitutæ munitis, fides habeatur in Judicio, & extra Judicium, perindè, ac ſi præſentes exhibitæ forent, & oſtenſæ; quas poſt quinquennium ab hac die computandum, minimè valere, nulliuſque roboris, & momenti eſſe decernimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XX. Decembris 1567. Pontificat. noſtri ann. 2.]

LXIV. Præter etiam facultatem, quam Archiepiſcopo Goano, ac Succeſſoribus ejus, Pium dediſſe ſcripſimus, ut nimirum, Solemnioribus quibuſdam diebus, Indulgentias quaſdam elargiri poſſent: Indulgentiarum etiam, hoc anno, munera propoſuiſſe invenimus iis omnibus Chriſtifidelibus, qui in Indiarum partibus, ad Catechumenorum ædificandas, vel alendas, Domos, aliquid, vel ex teſtamento, vel aliàs ſuppeditaſſent, vel in iiſdem, Catechumenis inſerviſſent. Et, ad fovendam, augendamque fidelium eorumdem, erga Deo dicata loca, venerationem, iis, qui Eccleſias Societatis Jeſu, cura, & opera in India, Æthiopia, aliiſque locis, ſeu erectas, ſeu erigendas devotè viſitaſſent, alias inſuper Indulgentias clementer conceſſit. De utraque re, quas Pius expediri, Apoſtolicas literas, mandavit, hic damus.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Arch. Vatic.

SAncta Romana, & Apoſtolica Sedes ſpiritualium donorum, & gratiarum premiis, pro diſpenſatione ſibi credita, Chiſtifideles ad ea opera incitare libenter conſuevit, per quæ Eccleſia Catholica augetur, & ſaluti conſulitur animarum. Cùm itaque Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Sebaſtianus, Portugalliæ, & Algarbiorum Rex, more Majorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum, de Chriſtiana Religione optimè meritorum, converſioni Gentilium intentus, ut qui eorum ſalutari baptiſmate ablui voluerit, habeant undè alantur, donec Orthodoxæ Fidei myſteria perceperint, cupiat, ſicut ex ejus Oratore cognovimus, in Civitatibus, Oppidis, & Locis celebrioribus, ad ejus Regnum in India pertinentibus, Domos ædificare, in quibus Catechumeni alantur, & inſtruantur:

A *Nos tàm pium ejus deſiderium, Apoſtolico favore proſequi, & tàm ſalutare opus, ad Dei Omnipotentis laudem perfici cupientes, de Omnipotentis Dei miſericordia confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, in partibus Indiæ conſtitutis, qui ad Catechumenorum Domos edificandas, manus porrexerint adiutrices, vel in alimenta eorum aliquid de ſubſtantia ſua fuerint elargiti, in teſtamentovè legaverint, Contritis, & Confeſſis decem annos. Illis verò, qui*
B *Catechumenis, in ejuſmodi domibus deſervierint, quotieſcumquè Contriti, & Confeſſi ſacram Communionem perceperint, ſeptem annos, de pœnis, quocumque modo debitis, relaxamus, præſentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, ut harum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſcriptis, ſubſcriptiſvè, ac ſigillo, & ſubſcriptione munitis perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, fides habeatur, perindè ac ſi præſentes forent exhibitæ.*
C *vel oſtenſæ.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Octobris 1567. Pontific. noſtr. an. 2.)

Diploma aliud ſic ſe habet.

PIUS PP. V.

Ad futuram rei memoriam.

Ex Archiv. Vatic.

CUpientes, pro diſpenſatione, Nobis à Deo Omnipotente cre-
D *dita, licèt ſupra vires, & merita noſtra, Eccleſias, & Cappellas in honorem Dei, & Sanctorum ejus erectas, & alia pia Loca, à Chriſtifidelibus, honore, & devotione congrua viſitari: ac fræquentari: eorum devotionem, ejuſmodi præmiis, veteri hujus S. Sedis inſtituto, excitare, & invitare conſuevimus, quæ ipſorum ſint animabus profutura. Quocircà omnibus, & ſin-*
E *gulis Chriſtifidelibus, in partibus Æthiopiæ, Indiæ, & Moulucis, Japponiæ, & aliis quibuſcumque Oceani Inſulis, aut Synarum regione, aut Braſilia conſtitutis, præſentibus, & futuris, qui contriti, & confeſſi quamlibet Eccleſiam, & Cappellam, ſeù quodlibet Xenodochiam, in eis partibus, Dilectorum filiorum Præsbyterorum, & Miniſtrorum Societatis Jeſu cura, & opera erectum, aut in poſterùm erigendum, devotè viſitaverint,*

ac

ac pias ad Deum preces, pro converſione Infidelium, & pace, & tranquillitate Eccleſiæ fuderint: quotieſcumque ea ità viſitaverint, quadraginta dies, & ſemel quolibet anno, alio die feſto, quem Miniſter Provinsiæ ejuſdem Societatis, qui pro tempore fuerit conſtituerit: ſeptem annos, & totidem quadragenas de vera Indulgentia, Apoſtolica, authoritate, in perpetuum miſericorditèr in Domino elargimur, atque concedimus. Volumus autem, ut harum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici, vel alicujus ejus Ordinis Provincialis, aut Collegii Præpoſiti ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, fides perindè habeatur, ac ſi præſentes exhibitæ forent, & oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XV. Decembris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

LXV. Veterum tamen Chriſtianorum vitæ exemplum, ac erga eos, qui vel jam converſi fuiſſent, vel quorum ad Chriſti Fidem converſio curabatur, verè Chriſtianam benignitatem, ac charitatem; præ omnibus ferè, vel ad eos firmandos, conſtabilendoſvè, vel ad alios illuminandos, qui in Gentilitatis tenebris adhùc ſederent, valere Pius exiſtimavit. Quapropter, ut Gabutius ſcripſit, ſeriò admonebat [*Quod ſi veteranis, Tyronibuſque Chriſtianis unum eſſet domicilium, caverent illi, nè hos pravis ſuis perderent moribus, & exemplis: quinimò ità ſatagerent, ut eorum perpetua vitæ ſanctitate, infideles impietatis puderet ſuæ, & ad Chriſti Fidem ſuſcipiendam, magis, ac magis incitarentur. Si verò Chriſtiani jam adulti publicè vitam degerent iniquam, præſtare eos publicè pœnas dare, quàm iis diù toleratis offenſionem, peccandique occaſionem, Neophitis, Ethniciſque præbere. Crapulam, intempeſtivaque convivia, & alia, quibus illi Populi dediti erant, vitia, ſceleraque nefaria, quibus humana ſocietas omnis corrumpebatur, prorſùs abolenda, Infideleſque, ad cuſtodiendum naturæ leges, adigendos eſſe, nè qua Mulier plures haberet maritos, ſed Chriſtiani matrimonii legem, in mores inducerent. Nec Regii Miniſtri, mancipiorum loco, ſervitio uterentur Indorum, ſed eorum, qui ſervire ſua ſpontè voluiſſent, iiſque pactam mercedem tribuendam eſſe, neque eos immoderatis vectigalibus onerandos eſſe. ſed qua par eſſet æquitate omnes habendos.* Iſta Gabutius, cui Catena, aliique concordant; abſolutiſſimèque comprobant, à Pontifice ipſo ſcriptæ, hoc anno ſequentes Epiſtolæ:

[Dilecto Filio Noſtor Henrico, Titi
SS. Quatuor Coronatorum Præsbyt.
Cardinali Infanti Portugal:
Apoſtolicæ Sedis, de
latere Legato.

PIUS PAPA V.

Dilecte &c.

Quanta Portugalliæ Regibus, conſanguineis tuis laus debeatur, quorum ſtudio, cura, & animi magnitudine, Deo, pios eorum conatus juvante, Chriſtiana Fides, uſque ad ultimos Indiæ fines propagata eſt; & ipſi prædicare ſolemus, & cunctæ Chriſtianæ Gentes, Nationeſque noverunt. De quibus Eccleſiæ Catholicæ incrementis, gratias Deo agere non deſiſtimus, ita maximis, & variis curis noſtris, ex converſione tot infideum, maximo animum noſtrum ſolatio ſentientes. Sed quia in tàm ſanctum opus, omni diligentia incambendum eſt, & quidquid illud impedire poteſt removendum: idcircò vehementer optamus, Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Sebaſtianum Regem, Nepotem tuum, te hortante, Proregi Indiæ & Conſilio Regio, aliiſque, quibus opus fuerit, mandare, ac præcipere, ut Gentiles ad Chriſti Fidem converſos, cùm cæteris in rebus benignè tractent, tùm diligentèr à militum injuriis tueantur, & protegant, & ſcandala omnia tollenda, atque removenda curent, quibus Gentilium animus, à ſuſcipienda Chriſti Fide deterreri poſſit, atque ut ad eorum converſionem, Prælati, & alii Religioſi Viri auxilium, & favorem ſuum ſtudioſiſſimè impertiant, ad quos, petimus quoque, ut circumſpectio tua diligentiſſimè ſcribat: quod officium non dubitamus opportunum admodùm forè, & plurimùm profuturum. Erit autem Deo, & Nobis vehementer gratum, teque, & ipſo Rege dignum. Cùm autem meſſem multam ibi eſſe acce-

Ex Archiv. Vati.

accepérimus, operarios autem, pro im- A *menſa camporum maguitudine, nimis paucos, dolendum eſt, eorum inopia fieri, ut minùs multi ad Orthodoxam Fidem convertantur. Nos autem non habemus, quos hinc mittamus. Circumſpectio Tua faciliùs ipſa rationem invenire poterit, qua tanto Incommodo medeatur. Quam curam, ut ſuſcipiat, vehementer ab ea petimus, & requirimus. Nos, præterquamquòd Dei honori, & animarum ſaluti inſervire, atque conſulere debemus, &* B *tàm iis, qui longè, quam iis, qui propè ſunt, Nos eſſe intelligimus debitores; ipſius quoque Regis laudem, ac merita, ac tua ſimul apud Deum, & homines, creſcere cupimus.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die IX. Octobris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

LXVI. Quamvis verò Pius, pro Indis, apud Proregem, ejuſque Conſilium, quod audiſti, officio, Henricum Cardinalem perfungi curaverit; non ideò C tamen apud eoſdem ipſemet illud peragere prætermiſit: quod quidem, biduo poſt, ad ipſos ſcriptæ, quæ ſequuntur, literæ oſtendunt.

[Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MIſericordiarum Patri, & Deo totius conſoiationis gratias agere non deſiſtimus, qui in maximis. & multiplicibus curis, quas pro ſuſ- D *cepto officio aſſiduè ſuſtinemus, reficere Nos, & conſolari dignatur jucundiſſimis nuntiis, qui ex iſtis Indiæ partibus afferuntur. Audimus enim, quantoperè iſtic jam Eccleſia Catholica creverit, quantuſque Gentilium numerus quotannis, ab Idolorum cultu ad Chriſti Fidem converti ſoleat: ex quibus Eccleſiæ incrementis, & tot animarum ſalute, tanta cor noſtrum lætitia exultat, ut eam non facilè explicare poſſimus. Quanta vero hoc nomine laus So-* E *reniſſimis Porcugalliæ Regibus debeatur, cuncti Chriſtiani populi, Nationeſque noverunt, eorum enim cura, ſtudio, & admirabili animi magnitudine perfectum eſt, (Deo pios illorum conatus, & cœpta juvante) ut uſque in ultimos Orbis Terræ fines, Sacrum Evangelium pervenerit, & iis, qui in tenebris ambulabant, lucem veræ Religionis aſpicere, ac Creatorem, & Salvatorem ſuum agnoſcere cœperint. Quia verò tàm iis, qui longè, quàm iis, qui propè ſunt, debitores ſumus: ardentiſſimè cupientes negotium converſionis Gentilium quammaximè urgeri, & tot animas, quæ perituræ eſſent, augeri, ac diligentiſſimè ſervari, deuotioni veſtræ tàm ſanctum, & pium opus duximus eſſe commendandum. Si ſola Domini noſtri Jeſu Chriſti gloria ageretur, deceret, tàm Catholicos Viros, pro ejus honore, etiam ſanguinem, ſine ulla dubitatione profundere, qui ſuum ipſe pro noſtra ſalute, in ara Crucis effudit; ſicuti veſtræ nationis plurimi, ſumma ſua cum gloria profuderunt, qui nunc meritorum ſuorum fructum pertipiunt. Sed præter Dei honorem, præter animarum ſalutem, agitur quoque Chariſſimi Filii noſtri, Regis veſtri gloria, agitur veſtrum, & veſtræ inclytæ Nationis decus. Quò plures enim Gentiles Chriſti Fidem ſuſceperint, eò Regis nomen glorioſum, glorioſius reddetur, imperium ejus in iſtis partibus firmiùs ſtabilietur, majores acquirentur vires, ad barbaras nationes, Divino auxilio, ſubigendas, & Regno Portugalliæ adiungendas; veſtra porrò, & veſtræ Nacionis laus, & in Religionem Chriſtianam merita creſcent. Quæ vos diligenter attendentes, oportet, quidquid poteſtis auxilii, quidquid poteſtis ſtudii, ac favoris, operariis, in Vinea Dominica laborantibus, Prælatis nimirum, & reliquis quorumcumque Ordinum Religioſis viris, promptiſſimo animo præſtare. Illud verò in primis neceſſarium eſſe, pro veſtra prudentia, intelligitis, ipſos Gentiles à militum injuriis diligenter defendi, ac protegi, impedimentaque, ac ſcandala omnia removeri, ac tolli, quibus eorum converſio quocumque modo impediri, aut retardari poſſit. Quod, etſi vos facere, & facturos eſſe confidimus; tamen, ut id acriùs & diligentiùs faciatis, vos coràm Deo Salvatore noſtro, obteſtamur, atque in remiſſionem peccatorum veſtrorum vobis injungimus.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XI. Octobris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.)

At, cùm haud multò poſt, amoto eo, qui Proregis munere fungeba- LXVII.
tur,

tur in ipſius locum, Ludovicum de Athaide, à Sebaſtiano Rege ſubrogatum fuiſſe intellexiſſet, ſtatim ad eum, quo fervebat Fidei zelo, & animarum ſalutis ardentiſſimo deſiderio, ſalutaribus monitis conſertam Epiſtolam dediſſe invenimus, in qua, poſt nonnulla, hæc habet.

Magnoperè gavisi ſumus, poſtquàm audivimus, Te, à Chariſſimo in Chriſto Filio Rege, Viceregem in Indiam deſtinatum fuiſſe. Dilectus, enim filius, nobilis Vir, Alvarus a Caſtro, B *Regius Orator, multa Nobis de tuis virtutibus, retulit, ipſius Regis judicium de te magnopere commendans; cujus tàm luculento teſtimonio, non parvam in ſpem venimus, præſentiam, & operam tuam in illis partibus opportunam admodùm fore, cùm ad alias res, quæ ad Dei obſequium pertinebunt, tùm in primis ad ipſos Gentiles convertendos: cui rei tàm piæ, tàm glorioſæ, & tàm Deo gratæ, ut quàm intentiſſima cura ſtudeas, Nobilitatem Tuam* C *paterna charitate noſtra duximus excitandam: ſimul enim, & Regis gloriam augebis, & Regis Regum honori inſervies, tantique meriti mercedem à Deo, non in altero modò ſæculo, ſed in hoc etiam recipies. Illud quoque te, pro tua prudentia; intelligere ſcimus, quò plures, pro tua ſedulitate, Chriſtianam Fidem, ac Religionem ſuſceperint, fore, ut, Deo favente, imperium Regis in illis partibus, & firmiùs* D *ſtabiliatur, & longiùs propagetur. Quocirca quidquid poteris ſtudii, atque auxilii, Prælatis, & quorumvis Ordinum Religioſis viris, præſtare debebis; qui, quò plus proficere in converſione Gentilium poſſint, erunt Gentiles diligentèr à militum injuriis tuendi, ac protegendi, & ſcandala omnia, quibus offendi poſſint, & à Religione Chriſtiana deterreri, tua, & dilectorum filiorum Conſilii Regii cura, removenda, atque tollenda. Ipſi verò Neophiti* E *benignè admodùm, & liberaliter tractandi erunt, honoribus afficiendi, & ad munera civilia, atque officia publica aſſumendi. Quæ omnia quantoperè profutura ſint ad lucrandas animas, ſicuti te optimè noſſe certum habemus; ità ſtudiosè quoque credimus, hæc, & quidquid aliud Gentilium converſioni, propagationi veræ religionis, utile & opportunum eſſe intelliges, pro tua pietate, ſeduló eſſe facturum. Ut alacriore autem animo, ſialicujus prælii periculum pro Dei honore ſubeundum erit, id ſub eas; nobilitati tuæ, & omnibus, qui tecum unà, pro Sancta Religione noſtra, in aliquam adversùs Infideles expeditionem ibunt; quos contigerit in ejuſmodi bello decedere, Contritis, atque Confeſſis, omnium peccatorum indulgentiam, & remiſſionem, & veniam, de Omnipotentis Dei miſericordia confiſi, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium miſericorditèr elargimur, atque concedimus.* Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Decembris 1567. Pontif. noſtri anno 2.

Quia verò plenariam peccatorum abſolutionem, omnibus, qui contra Infideles decertando occubuiſſent, hic à Pontifice impertitam audivimus; haud abs re, vel incongruum eſſe videtur, addere, ipſum, hoc eodem anno, abſolutionem ab Apoſtaſia, & plenariam item conceſſiſſe Indulgentiam, Chriſtianis, qui à fide defeciſſent, atque in Infidelium poteſtate conſtituti eſſent, ſi in Eccleſiæ gremium quamprimùm potuiſſent, ſeſe recipere in voto haberent, ac aliquo demùm præclaro beneficio, ac facinore, Rempublicam Chriſtianam affeciſſent, quòd non minùs ei cordi eſſet, ut novas Chriſti oves ovili aggregaret, quàm ut deperditas revocaret. Diploma ſuper hoc ab ipſo confectum, hujuſmodi fuit. LXVIII.

PIUS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Noverint omnes, & ſinguli, ad quorum notitiam præſentes noſtræ pervenerint, quòd Nos æquum eſſe cenſemus, ut qui aliquo beneficio Rempublicam Chriſtianam afficiunt, ipſi quoque hujus S. Sedis erga ſe benignitatem, & gratiam experiantur. Idcircò quicumque eorum, qui ab Infidelibus capti, ſeu quocumque modo in eorum poteſtate poſiti, Chriſtianam Fidem abnegarunt, pœnitentia ducti, cupiunt, ſtatuuntque ad Eccleſiæ gremium, cum primùm potuerint, reverti: iis, ſi quo inſigni facto, de Republica Chriſtiana benè meriti fuerint, pro tali ſuo merito, authoritate Apo- Ex Arch. Vatic.

ſto-

ſtolica, tenore præſentium, miſericorditèr in Domino remittitimus peccatum ſuum Apoſtaſiæ, & aliorum peccatorum omnium plenariam abſolutionem elargimur. Quòd ſi eos decedere ex hac vita contigerit, antequàm ex Infidelium manibus evadere poſſint, ſciant ſibi ſufficere votum ſuum, & Nos abſolutionem eis, ac plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam, eâdem authoritate elargiri, atque concedere, perindè, ac ſi more, & ritu Eccleſiæ, communioni fidelium reconciliati, ac reſtituti fuiſſent. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, X. Novembris 1567. Pontific. noſtri ann. 2.]

LXIX. Apoſtolica hac benignitate præcipuè Pontificem eos proſequi voluiſſe, qui apud Turcas Chriſtianam Fidem ejuraſſent, ut hoc eis propoſito præmio, ad aliquod Reipublicæ Chriſtianæ præſtandum commodum alliceret; veroſimiliter putandum cognoſcitur. Nihilominùs, cùm Turcas eoſdem ſpeciatim ipſe non memoret, & generatim, quotquot ad Infidelium errores transfugæ demigraſſent, expreſsè notet: eos etiam idcircò, qui hujuſmodi in Indiarum partibus extitiſſent, comprehenſos voluiſſe, haud immeritò putandum. At videamus, an Pontificis ſtudiis, votiſque, quæ in Orientali hac India, hoc anno, acciderunt, reſponderint. Ea accipe ex Sacchino his verbis:

LXX. [Idola, (inquit) unà cum eorum delubris, Franciſcanorum Patrum opera, in Bardiſiis terris, Sociorum, in Salſettis, everſa. Ad id, quod indignum erat, in Catholici ditione Regis, regnare palàm, colique Diabolos, vehementer Ethnicorum ſuperſtitionem firmabant publica illa munimenta, & officinæ impietatis, nec levitèr, obverſantia quotidiè ante oculos priſtini cultus argumenta, Neophitorum quatiebant animos. Itaque, quod ſæpè ante, ex occaſione cœptum erat, hoc demùm anno expreſſum ab Antonio Noronia Prorege, ut funditùs Idola, & Fana omnia aboleri juberet. Debetur egregii operis ſua non exigua portio, Jacobo Fernandio, Salſettanæ Arcis Præfecto; quippè, & literis fatigavit Proregem, & ſimul facta ab eo poteſtas eſt, ſtrenuè, adversùs infera monſtra, ſuſcepit bellum; favitque Deus, ut res tanta, quanta, ſuperioribus annis, vix conci-

Sacch. Hiſtor. Societ. Ieſu lib. 3. par. 3.

pi votis poterat, quamquàm ſummo cum gentis, ac Brachmanarum, ante omnes, dolore, tamen pacatè, ac ſine ullo prorsùs tumultu, transfigeretur.

Initium factum Nonis Martii, ab omnium principe fano, Meretrici impuriſſimæ dedicato, Mardor id nominabant. Publicâ illic impensâ, gregem fœminarum cujusvis libidini gratis proſtitutarum, alebant. Structura erat Fani magnifica. Itaque quærenti materiam Proregi, ad Bombardarum falera, ſuggeſſere Patres, ex eo fano auferri optimam eſſe. Inde Sacrarium infame illud impudicitiæ, Jacobo Fernandio demoliendi negotium datur. Illicò is, & Pater Ludovicus Goes, cum idonea manu profecti, ſcorti ſimulacro, (magna erat moles) in fruſta comminuto; Fano in præſens, tecto dumtaxat, materiæ cauſa, ſublato, parcunt. At paulò poſt, cognito, Brachmanas cum Luſitano quodam id agere, ut reliquias à Prorege, illas, ac ſitum emeret, ipſis poſteà, ad novi Proregis adventum, quem faciliorem ſibi ſperabant, quo pretio vellet revenditurus; funditùs everſum eſt. In area media, ubi tumulus aliquot gradibus aſſurgebat, procera Crux, impudicitiæ trophæum, omniſque vexillum Sanctitatis locata.

Firmiſſimo hoc propugnaculorum Dæmonis ſolo æquato, aliis paulatim omnibus vaſtitas infertur. Præter exigua penè innumerabilia, juſtæ magnitudinis ducenta octoginta, in quibus quædam ſanè magnifica, vel igne, vel manu corrupta fana: intra quæ Idolum, anguſta cella, & tamquàm ſpecu tenebricoſo, graveolenti, ſpurco, ſpurciſſimum ipſum condebatur; planè ut congrueret habitatori domus. Nec Idola ſolùm, ſtabulaque eorum deleta, ſed & Mahometicæ duæ ædes dirutæ, in quibus à Mediterraneis profecti impii, Pſeudoprophetam ſuum colebant, ſenſimque venenum impuræ ſectæ ſpargebant, ut, niſi celeriter occurreretur, haud æquè facilè, olim vitiatæ ea peſte indigenarum mentes, puriſſimis Chriſti Domini Sacris imbuerentur.

Hac Idolorum ſtrage repoſita eſt in India clades Diabolo, quam hoc anno ipſe in Gallia, & ſuperiore in Belgio, Imaginibus ſacris, & Templis Catholicis, per Hæreticorum furorem intulit.] Sic Sacchinus, qui infrà narrat, ſublatis Dæmonum poſtribulis, ad extruenda

vero Deo Templa, ſtudia fuiſſe converſa, multis indigenarum, in Salſettis commorantibus, ad Evangelii lucem traductis. In Goana quoque Inſula, non magno negotio multum fuiſſe profectum. Alexandrum Vallam cum aliis, ad Arcem Pangim, per anni curriculum, bis mille circitèr, & octingentos Idololatras, ſacro fonte expiaſſe. Centum, Franciſcum Petrium, è Sinis revocatum, in Travancoridis ora. Quadringentos quadraginta in Commorenſi; alioſque in aliis illarum partium regionibus, Chriſto nomen dediſſe, ſcribit.

LXXI. Multis verò prodigiis, ac ſignis tenellam hanc Indiarum fidem, ex more coaleſcere, Dominum voluiſſe, idem tradit, inter quæ hæc recenſere ſufficiat. Ex Sanctarum numero Virginum, S. Urſulæ ſodalium, unius cranium Româ detulit Joannes Baptiſta Ribera, è Societate Jeſu, eo animo, ut Malacam locupletaret. Idem ipſi verò, cum à Goa illùc petit, horribili, noctis tempore, tempeſtate exorta, ſcapha, à puppi ad proram, trajecta, graviſſimè, undarum impulſu, ad navim allidi cœpit; cui malo, dùm nautarum ars, in procella, ac tetra caligine tenebrarum, occurrere haud valeret, rogatur Ribera, ut, ſi quid Reliquiarum haberet, in mare dimitteret. Mirum dictu! Statim ac incerti nominis nonnullis, quas deferebat reliquiis, maris undas tetigit, continuò tum illæ, tùm ventus ſtetit, & facta eſt tranquillitas magna;ità ut commodiſſimè abjungi ſcapha potuerit, ac noctis reliquum, tamquàm in tranquillo portu, traduci. Sic Sacrarum Reliquiarum virtutem, quam impiè Hæretici inſectabantur, ab inſenſibilibus creaturis experiri, ac quodammodò fateri Deus voluit.

LXXII. In Inſulis verò Gothi, ea fuit in priſcis illis fidelibus in Deum Fides, & amor, ut ex morbis penè incurabilibus, nulla Medici, nulla medicamenti ope, fide dumtaxàt, in Chriſti Jeſu benignitate fixa, multi convaleſcerent. Quin & illud memorabile accidiſſe narrant, ut, cùm alibi per Japoniam, & præcipuè in hac Gothi regione, belluarum magna vis cicurum, ferarumque morbis interiret; quidam Chriſtianorum ſuis bobus, vel cruciculam è collo, vel Candelam, die Purificationia Deiparæ, conſecratam appenderent: alii ſua ipſi manu ſuprà eorum capita, ſignum crucis formarent: quorum virtute, ſtupentibus vicinis & Ethnicis, belluæ ſervabantur illeſæ.

LXXIII. Quia tamen Eccleſiam Dei, oportet humilitate creſcere, ac preſſuris, & tribulationibus augeri; ideò, uti Romana Mater Eccleſia jam creverat, neceſsè fuit, hanc filiam ejus perſecutoribus, ac curis incrementa ſumere, ut deinde glorioſum Martyrum fructum gigneret. (*Tonus*, (inquit Sacchinus) *qui, ad hanc uſque diem, non alienum ſe Chriſtianis præbuerat, à Bonzio quodam infatuatus, vehementer divexare eos, atque ad deſerendam Fidem, minis urgere cæpit. Regulus Bartholomæus, re cognita, revocare hominem ab diro cæptu conatur; ſed nequicquam: Tonus quippè reſpondit, omnia ſe, ejus cauſa, facturum, de Chriſtianis ſtare ſibi ſententiam, vel è vivis univerſos auferre, vel ad vetuſta ſacra retrahere. Hæc ubi compererunt fida pectora, Chriſti milites, domos; patriam, fortunaſque omnes deſerere, quàm in defectionis impiæ neceſſitatem, adduci maluerunt. Itaque cum uxoribus, liberiſque, partim maritimo, partim pedeſtri itinere Cocinocum, ubi P. Coſmus (Torres) habitabat, migrarunt. Ximabaranus Tonus fugitivorum domos publicari juſſit, intentaque cuſtodia vias obſideri, nè reſiduis fugæ locus pateret; è quibus tamen non pauci, magno cum vitæ diſcrimine, ad tutiora animis loca evaſerunt. Porrò Cocinonenſes, in excipiendis profugis, hoſpitaliterque habendis, egregia præbuere documenta ejus mirificæ charitatis, quæ in primævæ Eccleſiæ fervere alumnis ſolet.*) Sic ille.

LXXIV. Bartholomæum autem, quem, ob Chriſti Fidem ſuſceptam, à dira perſecutionis procella, præterito anno, jactatum vidimus; Fidei hoſtes, hoc tempore, vel ejus conſtantiam admirati, vel ipſius fortitudine ac robore perterriti, quieſcere paſſi ſunt. Ipſe verò hac pace uſus eſt, ut majus cum Inferno bellum committeret, ac Diaboli laqueis irretitas animas, ejus faucibus abriperet; nec ſpes defuit, quòd ipſe Aximarus Jacata, ejus frater, quem anteacti belli formido deterruerat, Chriſtianam Fidem ſuſciperet. Suſcepere verò, ex ipſius proceribus non-

nonnulli, qui Cocinocum petentes, ibidem ſacro fonte expiari meruerunt.

LXXV. Quò vero ad Occidentales Indias, in eamdem etiam præcipuè incubuit curam Pontifex, nè pauperes incolæ, vel adhùc in Gentilitatis tenebris degentes, vel jam ad fidei lumen converſi, opprimerentur; quòd, eo ſcelere, in Cœlum exclamante, (ut Divina teſtantur oracula) ira Cœleſtis maximè provocari conſueverit, dùm miſerabilibus pauperum clamoribus, ac gemitibus permotus Deus, in Reges ipſos animadvertere ſoleat. Nè igitur tanto facinore, à Chriſtianis patrato, Ethnici perculſi, Chriſtianos unà, ac eorum fidem execrarentur; eos ad Chriſtianam ſuſcipiendam religionem, non barbara vi compelli, ſed benignè potiùs, ſacra doctrina, & quod plùs valet, piis exemplis attrahi mandavit. Hoc ipſius teſtantur Epiſtolæ, ad Mexicanum Archiepiſcopum & novæ Hiſpaniæ Proregem datæ; & ad Archiepiſcopum quidem, ab anno ſuperiori, Sacri Tridentini Concilii decreta ſollicitum miſiſſe, apparet, ex ſequenti ad eum ſcripta.

(Ven. Fratri noſtro, Alphonſo, Archiepiſcopo Mexicano.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Epiſt. XIX. ut ſupra.

CRedimus, allatas eſſe ad te literas noſtras, quibus te, ſicùt reliquos quoque iſtarum partium Fratres, anno proximè præterito, de noſtra, ad Apoſtolicæ Sedis regimen aſſumptione, fecimus certiores; & ad te, & ad illos officio fungentes, quod fraternæ charitati, & ſuſcepto muneri, tali tempore conveniebat, miſimus ſingulis ſingula Sacri OEcumenici Concilii Tridentini; feliciter, ſub noſtro Prædeceſſore felic. Record. Pio IV. peracti, volumina. Nuper autem literas abs te accepimus, duodecima Martii datas, gratulantes Nobis de officio, ad quod vocati ſumus: cujus Nos oneris magnitudinem ſentientes, conſolationem pariter, & auxilium piarum precum à Fratribus noſtris expoſcimus potiùs, quàm gratulationem expectamus. Illud cuperemus, Nobis, de ſtatu Provinciæ, & an Sedis hujus auxilio, & auctoritate opus tibi, & Suffraganeis tuis eſſes, ſignificaſſes. Nos enim, & tibi, & illis, in iis, quæ ad bonum veſtrarum Eccleſiarum regimen, & ad propagationem Divini cultus, ac Chriſtianæ Fidei pertinebunt, deeſſe nolumus, nec debemus. Illud fraternitatem tuam coràm Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto obteſtamur, ut Gentiles ad Fidem Chriſtianam converſos, à militum injuriis quàmdiligentiſſimè defendas, ac protegas, & Suffraganeos tuos, noſtro etiam nomine, ut idem faciant, ſedulò admoneas, & horteris. Verendum eſt enim, nè, propter talia ſcandala, nomen Dei in gentibus blaſphemetur, & minùs multi Chriſtianam Fidem ſuſcipiant, Chriſtianorum peccatis offenſi, injuriiſque deterriti. Datum Romæ, apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Ottobris 1567. Pontificatus noſtri ann. 2.)

Ad Proregem verò.

(Dilecto Filio, Nobili Viro, Marchioni de Falces, Novæ Hiſpaniæ Proregi.

Dilecte Fili, nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Epiſt. XX. ut ſupra.

TE unà cum dilecta in Chriſto filia nobili muliere, Marchioniſſa, Conjuge tua, proſpera admodùm navigatione, in commiſſam tibi Provinciam, novam Hiſpaniam perveniſſe, libenter admodùm ex tuis literis cognovimus. Deum autem precamur, ut qui te iſtùc adeò feliciter perduxit, ad iſtos populos regendos, nobilitati tuæ ſemper adſit, detque, & concedat, ut S. Eccleſia in iſtis partibus, ſub tuo felici regimine, ad Divini ſui nominis gloriam, & animarum ſalutem propagetur, & creſcat. Cui rei non dubitamus, nobilitatem tuam toto animo intentam fore. Nullum certè, tàm Catholico Regi obſequium gratius præſtare, nihil ſe ipſa dignius facere, nulla re divinæ gratiæ auxilium certiùs promereri poterit. Nihil autem æquè neceſſarium eſſe, pro ſua prudentia, intelligit, ac Chriſtianos novos diligentèr, à militum, & aliorum Chriſtianorum injuriis tueri, atque defendere, & Con-

Gentiles ità tractare, ut nè a ſuſcipienda Chriſti Fide deterreantur; ſed potiùs modis omnibus alliciantur. Quia verò quam grata tibi, & aliis fuerint ſuperiora ſpiritualia munera ſignificaſti, mittenda ad te duximus alia, inter eos, quos tibi viſum fuerit, diſpertienda, quibus debita devotione geſtatis, adversùs pericula muniamini. Omnipotens Deus te, & nobilem mulierem, uxorem, Marchioniſſam, incolumes cuſtodiat; Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Otobris 1567. Pontific. noſtri ann. 2.

LXXVI. Et quidem ſi Hiſpani mitiùs ſe in iis regionibus gerere, ut par erat, ac Chriſtianos decebat, didiciſſent; grave admodùm minimè pertuliſſent damnum, quod hoc anno eis primùm commoliri cœpit, & ſequenti tandem intulit, Gourgueſius Aquitanus, vir nobilis, acer ingenio, & manu promptus, qui in Italico bello, ab iiſdem Hiſpanis captus, vel contra fidem datam, ut aliquis ſcripſit, vel ſaltem certè contra belli inter Fideles leges, indignè ad remum addictus fuerat. Nàm ab aliàs memorato Romagaſſio, Hieroſolymitano Equite, libertati reſtitutus, tanta erga Hiſpanos, ex accepta injuria, odium concepit, ut nihil magis animo, quàm hoſtibus injuriam rependere agitaverit. Cùm verò ad privatam acceſſiſſet injuriam, publica illa de Ribaldo, Gallo quodam, injurioſè, biennio ante ab Hiſpanis cæſo: ſumptibus propriis, tribus navibus inſtructis, expeditionem in Floridam, cum ducentis ſelectis militibus, præter nautas, ſuſcepit; diſſimulato tamen conſilio, & in Braſiliam ire, quò aliàs navigaverat, fingens. Undecimo igitur Kal. Septembris hujus anni, è portu Bordigalenſi ſolvit, ac proſpera navigatione in Floridam appulit, ubi, tùm à barbaris Regibus, qui olim cum Gallis amicitiam contraxerant, & ab Hiſpanis ſediriſſimè habitos querebantur; tùm præcipuè è Saturoniæ Regulo, qui acceptas ab iiſdem injurias, vita ſua commutare cupiebat, à quibus, ſervilibus contumeliis reſperſus fuerat, benigniſſimè exceptus, renovato cum iis, adversùs Hiſpanos, fœdere, eoſdem inſequi cœpit.

LXXVII. Tres Arces, in Ripis Maii, quadringentis militibus munitas, hi conſtruxerant, ac obtinebant; è quibus tamen, anno proximo ſequenti, decima quinta die Aprilis, deturbati ſunt, ad unum omnibus, præter nonnullos, occiſis Hiſpanis, qui ſervati ſunt ad ſupplicium; & poſt exprobratam iis à Gourqueſio immanitatem, ac perfidiam, qua in Gallos, ante triennium uſi fuerant, ad eaſdem arbores ſuſpenſi ſunt, ad quas ipſi Gallos ſuſpenderant, hac Ephigraphe (*Pendent, non quia Hiſpani, ſed quia latrones, & homicidæ.*) Tormentis verò bellicis, ac præda navibus impoſita, Rupellam appulit, una tamen deperdita navi, cum viris octo, & nobilibus aliquot, qui in Arcium expugnatione occubuerant. Reverſus tamen in Galliam diù latere compulſus eſt, iniquè admodùm tantum facinus Philippo Hiſpaniarum Rege ferente, & pretium in ejus caput, tamquàm in graſſatorem, fruſtrà licèt, pronunciante. Quæ autem egregia patraverint, ad Fidem Chriſti diſſeminandam, tùm in hac Floridæ Inſula, tùm in Canariis, tùm in Regno Peruano, aliiſque novæ Hiſpaniæ partibus, Patres Societatis Jeſu, illùc à Pontifice, & S. Franciſco Borgia, tunc Societatis Jeſu Generali Præpoſito, miſſis: cùm fuſiſſimè præfatus Sacchinus narret, & ad privatam potiùs ejus Ordinis hiſtoriam, quàm ad univerſalem totius Eccleſiæ pertinere videantur, idcircò tu eum conſule. LXXVIII.

Ad præſentem verò annum, ex eodem Sacchino ſpectare cognoſcitur, quòd, in Vita Pii, Gabutius, his verbis refert, & longè lateque toto Orbe diffuſam Pontificiam ſollicitudinem oſtendit. (*Erat per id tempus in Æthiopia Andreas Ovidus, Caſtellanus, ex Societate Jeſu, ſummus Sacrorum Antiſtes, Sedis Apoſtolicæ miſſus, Patriarchali dignitate, ſingularique vitæ ſanctitate, ac doctrina præditus. Is, cùm maximis laboribus, periculiſque perfunctus, in illis gentibus, ad Chriſtianam Fidem perducendis, diù, multumque inſudaſſet, cùmque, aut votis eventus, aut laboribus fructus parùm reſponderet, bellis inibi cum Turca continentèr ardentibus, Regeque illo, pro ſua barbarie, veram deteſtante Religionem, atque adeò Patriarcham, ac Socios ejus inſectante; ad eum Pius Diploma dedit, omnibus prudentiæ, & paternæ charitatis plenum officiis, qui-*

A *quibus Dei Miniſtrum, graviſſimis ærumnis, & cladibus affectum, benignè conſolatus, ad munuſque ſuum ſtrenuè præſtandum cohortatus eſt; ei, præter cætera, præcepit, ut ſi operam ſuam inanem ibi eſſe perſpiceret, relicta Æthiopia, quod tamen commodo ſuo, tutòque fieri poſſet, in Japonem, Synaſque tranſcenderet; ibique paſtoralibus muneribus, Catholico ritu obeundis, ad æternam illarum gentium ſalutem incumberet. Ad eum Sacri Concilii Tri-* B *dentini Decreta, Apoſtolico munita ſuffragio, miſit, ut ea potiſſimùm, quæ ad Fidei doctrinam pertinerent, exequenda, uſuque retinenda, in illis oris ſtudiosè procuraret.*

Andræas verò, Pontificis ſe literis ad diſceſſum non urgeri, certumque in via ſibi, ſi diſcederet, ab hoſtibus vitæ diſcrimen imminere proſpiciens, ſpe quadam etiam allectus, fore, ut tùm factæ, tùm etiam faciendæ, Evangelicæ ſementis fructus meteret uberiores in C *Æthiopia, ſi ſe contineret, ſatius eſſe duxit; ubi, nec ita multò poſt, variis moleſtiis, & calamitatibus affectus, ad æterna laborum ſuorum præmia tandem emigravit.*) Sic Gabutius. Sacchinus verò Apoſtolicam vivendi rationem Oviedi ſpeciatim deſcribens, narrat, eum, ac Socios ab Jomache Iſacco Barnagazio (Hoc reguli cujuſdam in Æthiopico Regno peculiare eſt nomen, compoſitum, ut Franciſcus Alvarez in ſuo Æthiopiæ itinere docet, ex D Æthiopicis dictionibus, *Hagaz*, quæ *Regem* ſignificat, & *Bar*, quæ *mare* indicat; ita ut *Barnagazius*, *Rex maris* intelligatur) in ora Tigrai maritima, ſoli aliquid, ubi ſedem figerent impetraſſe, ita ut, confluentibus eò Luſitanis, aliiſque Catholicis, duo pagi conflati fuerint; quorum is, cui *Tremona* nomen, feliciùs adoleverat. In his, tunc quidem (nàm paulatim aucta fræquentia) circiter trecentos fuiſſe verſatos refert, quibus Patri- E archa, ac Socii, fidelium, atque prudentium Paſtorum officiis præſtò erant, victum ipſi manu quærentes; adeò ut Oviedus, nec grave ſibi, nec indignum Patriarchæ perſona duceret, inter eas anguſtias, agreſtia ferramenta tractare, & ruſticum opus facere, ſed præcipua cura, aſſiduitate, & charitate in agri laboribus verſabatur.

Franciſ. Alvarez. in Itine. Æthioph. cap. 24. apud Jo. Bap. Ramus to. 1. pag. 119.

A Pontificis autem conſiliis potiùs, quàm mandatis, quibus Æthiopiam deſerere hortabatur, Oviedi fuſiùs reſponſa referens, dicit: primùm, permagni momenti eſſe, reſcripſiſſe, non ſolùm propter tot animarum ſalutem, quæ in Abbaſſia eſſent; ſed etiam, ad vires Turcarum infringendas, atque tutandam Indiam, expeditionem Æthiopicam ab Luſitano Rege non amitti. Infinitam ex Æthiopia adoleſcentium vim abduci ad Turcas, & B inſtitui bellicis artibus, firmiſſimum indè contra Chriſtianos robur. Ad hæc, eſſe multas in Æthiopia Ethnicorum Provincias, qui ſimplices præ ſe animos ferant, tractabileſque, nec magno negocio Religionis ſemina ſuſcepturi ſint. Abaſſinis prætereà ipſis, magna jam ex parte, cùm diſputationibus Patrum, tùm libris, gentis lingua vulgatis, cognitas aſſe Catholicas, res: non abhorrere à veritate eos ſi ſit, qui ab injuriis adverſantium tuea- C tur. Iſaacum verò Barnagazium, præpollentem opibus, haud obſcurè profiteri, ſe Catholicum fore, ſi bellici motus conſidant. Id verò facilè fieri poſſe, ſi vel modica Luſitanorum claſſis auxilio veniat, ſexcentos, aut plures deſiderari, qui arma ferant. Id ſe maximo, quanto poſſet, ſtudio precari ab ejus Sanctitate, ut cum Rege Sebaſtiano tranſigeret. Deindè, quod ſe jubeat Pontifex ex Æthiopia demigrare, id ſine certo vitæ diſcri- D mine, cùm per illa maria Turcarum volitarent navigia, latèque maritimos occuparent aditus, fieri nullo modo poſſe; neque verò ſuum animum pati, ut illius commodi ſui reſpectu, quas habebat oviculas, in luporum faucibus deſtitueret, quamvis etiam numero pauciores haberet; (*quia Bonus ille*, inquit, *& Sanctiſſimus Paſtor, qui Animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, Chriſtus Dominus noſter, ſi unam ſolam vidiſſet perditam, non uti-* E *que eam deſeruiſſet, ſed impoſuiſſet in humeros ſuos; & hoc idem vult, ut nos faciamus omnes, tùm ſua cauſa, tùm proximorum. Quid enim, ſi nos diſceſſerimus, ac vel unum reliquerimus, dicturum cenſemus eum, qui mortuus eſt pro omnibus, atque, ut unum confirmaret Thomam, oſtendit ei fixuras clavorum, ſeque attrectandum præbuit? Quod quidem ad me atti-*

tinet, Pater Sanctiſſime, paratus, per A *Dei gratiam, ſum, veſtram ſequi voluntatem; ſivè manere in Æthiophia, ſivè ire in Japoniam jubeatis, ſivè mittatis ad Turcas, ſivè deponatis à Dignitate Patriarchali, ut Patribus meis de Societate, vel vobis in Coquina, aut in quocumque volueritis miniſterio ſerviam.*) Sic ille, Apoſtolicorum victorum, atque laborum fidelis ſectator.

XXXX. Ejuſdem authoritatis, & argumenti, quibus præfatas ad Oviedum, B Apoſtolicas quoque literas dediſſe Pium ad Melchiorem Carnerium Luſitanum, ex eadem Societate, electum Nicænum Epiſcopum, idem Gabutius tradit. Hunc, ex decreto Julii III. Romani item Pontificis, unà cum ipſo Oviedo, atque aliis ſociis, in Æthiopiam dimiſſum, illi in ea miſſione ſucceſſiſſe ſcribit: deinde addit, Pii literis acceptis, ejus juſſa facturum, ad Amacanum, Luſitanorum Emporium, haud longè à Sinis, qua C patet ad Japonem aditus, tranſmeaſſe, ibique Japonicos, Sinoſque Chriſtianos, ad ſe confluentes, ſacris initiaſſe Sacramentis, ac Pontificiæ poteſtatis officia ritè per aliquot annos præſtaſſe, ac demùm, dùm in Japonem iter adoriretur, ſummis laboribus, curiſque defunctum, de re Chriſtiana optimè meritum, Sanctitatis, cæterarumque virtutum gloria clarum, exceſſiſſe. Verùm, ſi Oviedus ſe in Æthiopia continere ſatiùs duxit, nec D Pio, diſceſſum ſuadenti, aſſentiri voluit, & è contra Carnerius, ejuſdem argumenti literis ſtatim obtemperavit, ut ipſe dicit, confirmatque Sacchinus, qui hoc eodem anno Malacam perveniſſe Carnerium ſcribit; qua ratione Gabutius in Æthiopica miſſione eumdem Carnerium Oviedo ſucceſſiſſe aſſerit? Dicendum igitur meliùs videtur, non quidem Oviedi loco Carnerium ſuffectum, ſed ea lege miſſum in E Æthiopiam Oviedum cum Carnerio à Julio Pontifice, ut ſi fortè unquàm contigiſſet, quod è vivis ſubtraheretur, vel alio fortè infortunio, miſſionis oneri ferendo impos Oviedus evaſiſſet, ejus locum ſtatim Carnerius obtineret.

In Hiſpania Valentinum Conci-
LXXXI. lium, quod Martinus de Ayala, Archiepiſcopus coegerat, atque tandem abſolverat, anno præterito, correctum, atque emendatum Pontifex confirmavit, datis, ad Ferdinandum Antiochenum Patriarcham, novum Archiepiſcopum Valentinum, loco Ayala, qui eodem anno è vivis deceſſerat, Apoſtolicis hiſce literis.

[Ven. Fratri, Ferdinando, Patriarchæ Antiocheno, Archiepiſcopo Valentino.

PIUS PP. V.

Ven. Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRovinciale Concilium Valentinum, ſuperioribus annis celebratum, quod, correctioni noſtræ ſubjiciens, miſit ad Nos bo. mem. Prædeceſſor tuus, vidimus, & à Venerabilibus Fratribus noſtris, quos ad interpretationem Sacri Tridentini Concilii aſſumpſimus in conſilium, quoad ejus in præſentia fieri potuit, emendandum curavimus. Quæ autem corrigenda, de ipſorum etiam Venerabilium Fratrum ſententia, nunc viſa ſunt, ea hic infraſcribi juſſimus. Porrò Fraternitati tuæ, tuorumque Coepiſcoporum officium erit, illa diligenter animadvertere, & ut ad ea ipſa Concilium iſtud omninò accomodetur, & conformetur, ſedulò curare. In his verò etiam, quæ deinceps iſtic, Deo approbante, Provincialia Concilia habebuntur, earumdem infraſcriptarum correctionum noſtrarum ſemper meminiſſe; itaut ab illarum ratione, atque ſententia nullo unquàm tempore diſceſſiſſe videamini. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die quarta Novembris 1567. Pontific. noſtri ann 2.)

Hoc anno, inter Eccleſiæ Doctores Pius meritò retulit nitidiſſi- LXXXII. mum illud Catholici Orbis lumen, S. Thomam Aquinatem, ex ſuo ipſius Ordine Prædicatorum, ejuſque Feſtum, uti illud quatuor aliorum Eccleſiæ Doctorum, de cœtero celebrari mandavit; Tertio Idus Aprilis hujus anni, edita Conſtitutione, in qua ſe id ſtatuiſſe aſſerit, quòd Omnipotentis Dei providentia factum eſſet, ut Angelici ejuſdem Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex

eo

eo tempore, quo Cœleſtibus civibus adſcriptus fuerat, multæ, quæ A
deinceps exortæ erant, hæreſes, confuſæ, & convictæ ac diſſipatæ extitiſſent; quod & anteà ſæpè, & liquidò nupèr, in Sacri Tridentini Concilii decretis apparuerat. Idque officium, præter beneficia, ex illius ſalutari diſciplina, in diem magis profecta, in Sacroſanctæ Eccleſiæ filios, ad quorum Paſtoralem, paternamque curam, Dei benignitate, humilitatem ſuam evocare placuerat, aliqua etiam B
ex parte poſtularet ejuſdem Prædicatorum Ordinis ſocietas, & communio; undè, imparibus licèt meritis, ipſe quoque, tamquàm ex fonte, profluxerat. Primùm itaque, in Civitate & Regno Neapolitano, quod in eam Provinciam, quæ ad ſalutarem omnium gentium inſtitutionem, ex nobiliſſima Familia Aquinate, clariſſimum hoc edidit Eccleſiæ Dei lumen, tantum indè laudis, decoriſque Divina Bonitas redundare voluerat, die C
Nonarum Martii, qua præſtantiſſimus Doctor in Cœlum migraverat, poſthàc univerſis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ab omnibus vetitis, ac ſervilibus operibus, laboribuſque abſtinere juſſit, ac feſtum D. Thomæ ſolemniter ſub duplici majori officio, ſicùt cœteras ejus generis ſolemnitates, quæ de ipſius Eccleſiæ præcepto ſervabantur, celebrari voluit. In aliis verò Orbis Terræ partibus, quem- D
admodùm Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum feſtivitates, Bonifacii Papæ VIII. præcepto, celebrabantur, ſic D. Thomæ Feſtum impoſterùm venerari, Apoſtolica authoritate decrevit.

LXXXIII. Ut verò etiam S. Doctoris memoriæ, majoris cultus pietate, ac ſtudio, & debita adhiberetur veneratio, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in ipſo S. Thomæ feſtivitatis die E
Sacellum, vel Altare, in Eccleſia S. Dominici, Neapoli ſitum, in quo Angelici Scriptoris doctrina, (ſicuti pia teſtabatur hiſtoria) Salvatoris Crucifixi ore mirabilitèr fuerat probata; à primis ejus diei Veſperis, uſque ad occaſum Solis, ſequentis, devotè viſitaſſent, ex injunctis ſibi pœnitentiis ſeptem annos, & totidem quadragenas, Apoſtolica benignitate relaxavit.

In cœteris autem Orbis terræ partibus, iis, qui eumdem feſtum diem ſolemniter celebraſſent, & ad Eccleſiam, Sacellum, aut Altare, ſub ipſius S. Thomæ invocatione, piè ac devotè acceſſiſſent; quoties id feciſſent, totiès centum dies, de injunctis iiſdem pœnitentiis misericorditèr in Domino indulſit.

Hoc demum anno, & eo ipſo fermè tempore, quo ſceleſtiſſimi Iconoclaſtæ, in Gallia, & Belgio, ſacras imagines infringere, incendere, penituſque delere connixi ſunt, ſacrarum earumdem imaginum venerationem, ac cultum firmatum magis Divina bonitas voluit, præclaro prodigio, quod, ſub die ſecunda Auguſti, Faventiæ in Æmilia patratum fuiſſe, publicæ ejuſdem Eccleſiæ tabulæ teſtantur. Erat ibi, extatque adhùc, modica tunc, magnifica modò, Deo, in honorem S. Cœciliæ Virginis, & Martyris dicata Eccleſia, ac Monialium Ordinis Sancti Dominici Cœnobium, ad quas, finitimæ exiguæ quædam ædes, exterorum uſui addictæ, ſpectabant. In earum igitur altera, ad ſummum tecti culmen, in quo ligna plurima ſervabantur, noctu parva candela adhibita, puer, Carolus nomine, aſcendit, ibique ſomno correptus eſt. Eo ſic dormiente, dilapſa (ut creditur) in ſubjectas quaſdam paleas candela, iiſque incenſis, haud multò poſt, lignorum ſtruem ignis invadit, & domus tectum, & muros, & cœtera adoritur. Jam undequaque diffuſa flamma erat, cùm tandem expergefactus puer, non ſine protegentis Dei peculiari beneficio, ex incendio proſilire viſus eſt, adeò incolumis, ut ignis eum omninò non tetigerit, neque contriſtaverit, nec quidquam moleſtiæ intulerit; licèt in locum, in quo ipſe obdormierat, (eratque tabulatum inferius ſiti cubiculi) flammæ irruiſſent, ipſumque, & cubiculum, haud multò poſt, voraciſſimè abſumpſerint. Habitaculum id erat pauperculæ, ac ſimplicis viduæ, nomine Paulæ, quæ ad cubile ſuum, Dei Genitricis, filium geſtantis, iconem ligneam (quam vili ſex denariorum pretio, à muliere altera, quæ ab extero quodam Heremita, pretio eodem, ſe illam emiſſe affirmabat) clavo muro affixam, ac ſerico rubei, & viridis coloris funiculo pendentem, devotè ſervabat. Furentibus LXXXIV.

tibus idcircò circumquaque flammis,ac longè,latèque omnia vaſtantibus,muri, laqueare,trabes,& multò magis quidquid ſuppellectilis obvium habuit, vorax ignis conſumpſit. Una fuit nihilominùs,quæ in medio ignis non eſt æſtuata; ſacra, nimirum, quam prædiximus, imago, nàm,licèt à flammarum impetu hinc inde agitaretur, licèt clavus, quo à muro pendebat,candens adeò evaſiſſet, ut poſtridie conceptum adhùc ardorem ſervaret:licèt ſerico,ut diximus, funiculo ſuſpenſa eſſet: licèt demùm colliquefacta imago quædam ſtannea, ignito ſuperimpoſita clavo: tamen,cum proximè eidem adhærente,ſiloq.alligata, ſtannea item Cruce, illæſa, intactaque adeò permanſit,ut,nec fumi denſiſmus vapor, aut odor ignis in ea fuerit.

LXXXV. Quæ,ad incendium reſtinguendum, frequens accurrerat turba, factum primùm animadvertere, deinde mirari, poſtremò, uti miraculum, prædicare occepit. Aderat, cum Nobilibus plurimis etiam Præſul Corradus, Urbis Gubernator, qui,cùm, ex injuncto ſibi munere, locum omnem,quem vaſtabat incendium,ſtudioſè luſtraret, inter furentes eos flammarum globos, neſciò quid ſibi videre viſus eſt, quod flammis ipſis nitidiorem ſplendorem emitteret, ſuſpicatuſque, muliebre fuiſſe ſpeculum: En tandem (inquit)harum mulierum ſpeculum ignis conſumet.Verùm, haud multò poſt, ſubtiliùs re indagata, ſacraque icone inter flammas illæſa perſpecta, ab ipſa quoque inſuetam eam, nitidioremque lucem, quæ nil commune cum ignis lumine habere videbatur, emiſſam deprehendens; prodigium & ipſe miratur, ac fatetur.

LXXXVI. Ad cohibendum intereà incendium, nè latiùs ſerperet, unum ſupereſſe tantùm videbatur remedium; ut dejectis, videlicet, incenſarum ædium muris, ipſarum ruinis opprimeretur, ac injecta deindè aqua, extingueretur. Verùm circumpoſiti putei, aqua prorsùs expertes deprehenſi ſunt. Faciliori negotio muri diruti omnes: nihilominùs, cùm ad illum ventum eſt, à quo ſacram Iconem ſuſpenſam pendere diximus, quamuis, is præ aliis, ab igne, non tantùm conſumptus, ſed ferè in

A cinerem redactus; atque, a ſummo ad imum, magnis hiatibus pateret, totiſque niſibus ipſi deiiciendo incumberetur; fruſtrà tamen ſemel, & iterùm, ac demùm ſemper impetitur; &, ac ſi murus ille æreus exiſteret, quem memorat Jeremias, impetus omnes, & conatus impellentium eluſit; adeout, obtinendi quod vellent, ſpe fruſtati impulſores, animum deſponderint, à cœptis deſtiterint, remque infectam prætermiſerint. LXXXVII.

B Ubi tot ſignis divinitùs decoratam, ſacram Imaginem, cujuſvis conditionis homines tandem deprehendiſſent: æquum erat, ut reſtingueretur incendium,quod ad eam honeſtandam permiſſum excitatumque viſum fuerat. Et id etiam novo miraculo, quo anteactorum fides adſtrueretur, cœlitùs effectum. Proximarum ſiquidem ædium putei omnes, quos arentes, exſiccatoſque repertos, paulò antè diximus. poſt ea, quæ retulimus, viſi denuò re-

C cogniſtique, repentè affluenti adeò, ac inexhauſta aquarum copia referti inventi ſunt, ut ex eis abundè extrahi potuerit, quo tandem incendium omne ſuffocaretur.

Æmiliæ Præſes tunc erat aliàs à nobis memoratus Mons Valentis, aderatque prætereà hoc ipſo tempore,Faventiæ, à quo cum ejuſdem urbis Epiſcopo,Joanne Baptiſta Segicello,juris ordine ſervato, res tota,proùt retulimus, cognoſcitur, riteque comproba-

D tur,& inde præcipuj, peculiareſque ſacræ Imagini decernuntur honores;quibus clementiſſimè Deipara reſpondens, fideles innumeris propè gratiis proſequuta eſt: autenticis namque tabulis conſignatum habemus,claudos greſſum, cœcos lumen, ægrotos ſalutem, ac vexatos demùm à ſpiritibus immundis liberationem eſſe conſecutos. Noſtrum non eſt,hæc omnia per ſingula recenſere: uti noſtrum fuit,quæ hucuſque di-

E ximus, commemoraſſe, tùm quòd hoc anno acciderint; tùm grati ergo animi, erga hanc Dei Matris, omni veneratione digniſſimam Imaginem, quam a puero ſedulò venerari, ac devotè inviſere didicimus, & conſuevimus. LXXXVIII.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM.

A

Abbas Commendatarius Caſamarii, Fulvius Philonardus, Pag.32 t. n.27.
Abbatibus duobus inſulatis aſſiſtentibus, conſecrari poſſe petit electus Epiſcopus Oſnaburgenſis pag.420. n.22.
Abſolvendi in foro conſcientiæ Hæreticos reſipiſcentes in Belgio; facultatem à Pio petunt, & obtinent Dominicani, pag.374. n.40. & ſeq.
Abſtinentia Pii, & jejuniorum obſervantia, pag.8. n.21.
Abſtinentiam ad ſervandam caſtitatem neceſſariam, docet Pius V. pag.8. n.22.
Abſtinentia Pii commotus, interrupta jejunia S. Franciſcus Borgia reaſumit. pag.8. n.21.
Achilles Statius. Vid. Statius *Achilles*.
Adiaphoriſta maxima mortalium pars in his, quæ ad fidem ſpectant, credendis, vel non, pag.440. n.56.
Adiaphoron eſt Aulæ. vel intra. vel extra Eccleſiam, Deum colere, pag.440. n.56.
Adoleſcentes nobiles. qui Genevæ, ſive in Germania pravis ſe opinionibus imbuerant, primi tumultuum Belgicorum Auctores. pag.268. n.3.
Æthiopiæ Patriarcha Andreas Oviedo. Vid. Oviedo.
Ætnæ montis terribilis irruptio in Sicilia, pag. 93. n.189.
Affinitatis impedimentum, quale ex Pii Conſtitutione. pag.39. n.89.
Affinitates, & in gradibus à jure prohibitis diſpenſandi facultatem, Indiarum Epiſcopis tribuit Pius, pag.443. num.60. Eandem conceſſit etiam Ieſuitis, Miſſiones ibidem exercentibus, pag.444. n.62.
Agriculturæ artis juriſdictionem Pius amplificat. pag.74. num. 149.
Albanus Dux *Ferdinandus* Belgii Gubernator eligitur. pag.351. n.3. Cum exercitu in Belgium ſe confert. Ibid. n.4.
Albani Ducis in Belgium, cum exercitu ingreſſus, primaque facinora. pag.355. n.15., & ſeq. Ejus juſſu Comites Hornanus, & Egmondanus, aliique, in carcerem truſi. pag.356. n.15. Arcem Antuerpiæ conſtruit. pag.357. n. eod.
Albani Ducis unum nomen, Belgicos tumultus rurſus accendit. pag.358. n.16. 17.
Albani Ducis ac ejus exercitus in Belgas æquè Catholicos, ac Hæreticos ſævities. pag.359. n.19.
Albertus *Albertacchus* Ducis Florentiæ Orator, ob inſignem ſolertiam, à Solymano ejectus. pag.165. n.67.
Albertus Bavariæ Dux intereſſe vult, cùm purpureum galerum à Cardinali Truxio, Cardinalis Commendonus accepit. pag.107. n.5. Præclara ejus avita pietas, & Catholicæ religionis zelus. pag.108 n.6. Cardinalem Commendonum hoſpitio excipit. Ibid. Item Maximilianum Cæſarem. Ibid. Arcana inter ipſos colloquia. Ibid.
Albertus Bavariæ Dux, omnium primus ad Auguſtana comitia ſe confert. p.116. n.11.
Albertus Bavariæ Dux, Maximiliani nomine capita in Auguſtanis comitiis tractanda proponit. pag. 117. num. 12.
Albertum Bavariæ Ducem hortatur Pius, ut auxilio Epiſcopis, Eccleſiaſticorum reformationi incumbentibus eſſe velit. pag 145. n.40.
Albertus Bavariæ Dux, pro filio Erneſto Friſingenſis Eccleſiæ adminiſtrationem petit à Pio. pag.150. n.50. ægrè fert Pius Alberti petitionem. Ibid. Omnium Principum nemini ſe debere ac Alberto, Pius profitetur. Ibid. Alberti Oratores Ioannes Piſterus, & Martinus Eiſenberein. pag.151. benignè à Pio excepti. Ibid. De Friſingenſi negotio agunt.
Alberti Bavariæ Ducis ad Pium Epiſtola, qua neſcio quid, ab ipſo obtinere deſiderat. pag.152. n.52. Pii erga ipſum comitas. Ibid.
Alberti Bavariæ Ducis Epiſtola ad Pium, de præclaris Othonis Cardinalis Truxenſis geſtis, ac virtutibus. pag.157. n.59. & ſeq.
Alberti Bavariæ Ducis Orator apud Apoſtolicam Sedem Andreas Fabricius, de vita, & doctrina Michaelis Baii relationem Cardinali S. Severinæ Inquiſitori exhibet. pag.365. n.22.
Alberti Bavariæ Ducis ad Pium Epiſtola pro Gaſparo Franco, ab hæreſi converſo, & Sacris Ordininibus initiari cupiente. pag.408. n.18.
Alberti Bavariæ Ducis Epiſtola ad Pium, pro Ioanne Piſterio Canonico Friſingenſi, Oratore ſuo pag.427. n.31.
Albertus Brandeburgicus, abolito Theutonico Ordine Boruſſiam occupat. pag.210. n. 27. quiſnam fuerit. Ibid. Ob ætatem bis puer, impiorum fraudibus circumventus. Ibid. Teſtamentum factum, & Regis Poloniæ auctoritate firmatum, reſcindit. Ibid. A Poloniæ Rege miſſi Commiſſarii novum teſtamentum delent; perfidoſque Conſiliarios morti adiudicant. pag.211. n.27.
Albertum Brandeburgicum inter, ac Boruſſiæ Ordines tranſactio facta, in qua de inſtauratione Epiſcopatuum Sambienſis, & Pomeſanienſis. pag. 211. n. 29. Quænam fuerit. Ibid. Hæretici dogmatis Miniſtri præficiuntur. Ibid. Conſiliariis Principis, ſimul ac ei, juriſdictio Eccleſiaſtica tota tributa. Ibid. Synodos congregandi jus eis datum: & alia pſeudohierarchiæ Eccleſiaſticæ capita. Ibid.
Albret *Ludovicus* Epiſcopus Laſcurenſis. Vid. Epiſcopus Laſcurenſis.
Alburquerque Ducem, Mediolanenſem Gubernatorem Pius hortatur, Epiſtola ad ipſum data, ut Sabaudiæ Duci Equites conſcribere ſinat, ut ſuppetias Galliarum Regi contra Hæreticos ferre poſſit. pag. 387. n.24.
Alexander Cardinalis Farneſius Pii V. in Pontificem creationem curat. pag. t. n1.
Alphonſus Ferrariæ Dux à Pio monetur, ut in vitiis extirpandis Epiſcopos adiuvet. pag.36. n.84.
Alphonſum Ferrariæ Ducem, miſſo ad eum cum mandatis Narnienſi Epiſcopo ad ſuppetias Galliarum Regi ſuppeditandas, Pius ſollicitat. pag.384. n.17.
Alphonſus Salmeronus. Vid. Salmeronus.
Altamiræ Comes Turcarum Navem capit. p.70. n. 144.
Altaria in Anglia everſa, ac dejecta. pag 233. n.7. Altaria Angliæ à S. Io: Chryſoſtomo commemorata. pag. 233. n.7.
Alterius *Baldaſſar* Apoſtata, & Hæreticus Lutheranus, cum Hæreticis Germaniæ Principibus commercium habet; librorumque monopolium exercet. pag. 325. n. 40. Petrus Carneſecchius Hæreticus ei familiaris. Ibid.
Amſtelodami, & in aliis Olandiæ Urbibus, qua ratione, quibuſve articulis turbæ compoſitæ. pag.218. n.24.
Anabaptiſtis, & Arianis, contra Catholicos ſe jungere curant in Polonia Calviniſtæ, & Lutherani. pag.192. n.2. Diſputationem cum illis inſtituunt. Ibid.
Anabaptiſtæ, inter Hæreticos Belgium inficientes. pag.277. n.23.

Anconæ defenſionem ſuſcipiunt BriſacciusComes,Philippus Strotius, aliique. Hieroſolymitani Equites Pii devincti liberalitate. pag.80. n.167.

S. Andreæ in Scotia Archiepiſcopus. Vid. Archiepiſcopus Sancti Andreæ.

Andreas Fabritius. Vid. Fabricius *Andreas*.

Andronicus Imperator, Iuſtinianæ familiæ Chium Inſulam tradit. pag.78. n.158.

Andegavenſium Dux. Vid. Henricus Dux Andegavenſium

Anglia crinitum Cometem,& alia horribilia videt,cùm Pius V. Pontifex eſt creatus. pag.4. n.10.

Angliæ Regina. Vid. Eliſabetha Angliæ Regina.

Angliæ Altaria commemorata à S. Io: Chryſoſtomo. Ab Hæreticis everſa. pag.233 n.7.

Anglicanum Rituale primum quando compoſitum. pag.231. n.2. à Zuinglianis exaratum. Ibid. Quinam huic operi deſtinati. Ibid.

Anglicanum Rituale primum, uti Spiritus Sancti opus Parlamentario Decreto approbatum; tamquam ſuperſtitionibus, fabuliſque refertum, ab eodem damnatur. pag.232. n.5.

Anglicanum ſecundum Rituale, duo tantùm Sacramenta agnoſcit, Baptiſmum, & Cœnam pag.232. n.6.

Anglicanum ſecundum Rituale, à Petro Martyre, Bucero, Cromero, ac etiam Calvino exaratum. pag.233. n.6.

Angliæ, Epiſcopi, & Preſbyteri, nomine tantùm, poſt abolitum à Zuinglianis, & Calviniſtis Ordinis Sacramentum. pag.233. n.8. Quænam eos ordinandi forma. Ibid.

Angliæ Epiſcopi, & Presbyteri ordinationum ſuarum inſufficientem formam agnoſcentes, juxta Rituale à Zuinglianis exaratum, illud corrigere ſtudent. pag.234. n.8. Quidnam ei addiderint. Ibid Nullam ex ea additione utilitatem aſſequuntur. Ibid.

Anglicani Parlamenti de Ordinationibus ineptum, decretum. pag.235. n.10. Exhibetur. Ibid.

Annibal Altaempſius quinquaginta millia aureis à Pio donatur. pag.7. n.XIX.

Annibal Auricellarius. Vid. Auricellarius *Annibal*.

S. Antonii Abbatis die feſto Pius V. natus, eodem Pontificiam thiaram accipere voluit. pag.3. n.7.

Antuerpiæ excitatus ab Hæreticis tumultus. pag.273. n.15. in Primario Templo Deiparam horrendis blaſphemiis impetunt, ejus Imaginem confringunt. Ibid. Crucifixi alteram comminuunt, cœteras alias, delent. Euchariſtiam horrendis contumeliis afficiunt, & toto triduo cuncta Vrbis Templa, Monaſteria, ſacella diripiunt. Ibid. Templa etiam, ac Monaſteria, extra Urbem poſita vallant. pag.274. n.15.

Antuerpienſis Magiſtratus tumultuum, direptionumque futurarum conſcius. pag.274. n.16., & ſeq.

Antuerpienſium tumultuum Orangius Auctor,& conſcius. pag.275. n.17.

Antuerpienſi tumultu perterrita Margharita Parmenſis,Montes in Hannonia adire ſtatuit,pag.275.n.18.

Antuerpienſe peſſimum exemplum, plures Urbes aliæ in ſacrorum direptione imitantur. pag.275. n.20.

Antuerpienſes Hæretici, tumultuum Auctores, ubi ex ſententia rem non eveniſſe noverunt; libellum Magiſtratui ſupplicem offerunt, quo obedientiam profitentur. pag.275. n.22. Quam ſimulatè egerint. Ibid.

Antuerpiæ novas turbas excitare ſtudet Berchmontius quidam. pag.277. n.23. antea direptum dein reſtitutum Templum Deiparæ occupat. Ibid. Capitur, & cum ſociis pœnas ſceleris luit. Ibid. Antuerpia Hæreticos omnes recepit. pag.278. n.24.

Antuerpiæ habitum conventiculum Lutheranos, inter, ac Calviniſtas. pag.285.n.38. Prævalent Calviniſtæ. Ibid. Diſputatum de Domini corpore in Cœna. pag.286. n.38. Re infecta diſſolutum. Ibid.

Antuerpia Regium præſidium admittit. pag.353. n.7.

Antuerpiæ à Duce Albano Arx conſtructa. pag.357. n.15.

Apamiæ Epiſcopus. Vid. Epiſcopus Apamiæ.

Apamiæ tumultus Reginæ Navarræ jure adſcripti. pag.248. n.20. Thuani de illa ſilentium. Ibid.

Apamenſis Catholicorum cædes, quænam ad Regem Galliarumque Reginam Pium ſcribere compulerint. pag.255. o.33.

Apologeticus M. Antonii Flaminii Hæretici. Vid. Flaminius. Vid. Liber Apologeticus.

Apoſtatas fovet Petrus Carneſecchius. pag.325. n.39. & ſeq.

Apoſtatæ Religioſorum Ordinum, quàm improbi; pag.263. n. 38. Ex his ferè Hæreſiarchæ omnes. Ibid.

Apoſtatis à fide & aliquo facinore de Republica Chriſtiana benemeritis, Apoſtaſiæ, & omnium peccatorum indulgentiam concedit Pius.pag.448. o. 68.

Apuljæ oras Pialis depopulatur. pag.80. n.165.

Aquæ Virginis eruptio lacunas conficit, ex quibus aer corrumpitur. pag.73. n.147.

Aquæductus Aquæ Virginis ſarciri Pius jubet. pag.73. n.147.

Aquenſis Archiepiſcopus. Vid. Archiepiſcopus Aquenſis.

Aragon *Alphonſus*. Vid. Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus.

Arauxonenſis Princeps. Vide Orangius.

Arcem in Romano Portu Pius conſtruere facit.pag.68. n.141.

Archi Comes *Proſper*, apud Pium, Maximiliani imperatoris Orator, ejuſdem nomine, ſubſidia à Pontifice, contra Turcas petit. pag.106. o.2. Ea Pius præſtare recuſat; & cur? Ibid.

Archiepiſcopus Santandreanus,Ioannes Hamiltonius, Scotiæ Primas, inaugurationi Iacobi,Filii Reginæ Mariæ intereſſe recuſat. pag.403. n.20.

Archiepiſcopus Aquenſis,*Joannes de Claramont*, Hæreticus, pag.258. n.34. Declinat ad Hugonotos Lugduni. Ibid. Hæreticos, & Apoſtatas concionari facit. Ibid. Negat Purgatorium. Ibid.

Archiepiſcopum Biſuntinum *Claudium*, Epiſtola ad ipſum data monet Pius, ut Tridentini Concilii Decreta ſuſcipiat, ac executioni mandet. pag.264. o.44. Epiſtola alia ad ipſum, qua redarguit, quòd nondum Concilium Tridentinum ſuſceperit: improbè vivat, hæreſeſque ſerpere ſinat; miſſoque Iulio Surrentino Archiepiſcopo, qui in eum inquirat, ei parere jubet. pag.265. n.45.

Archiepiſcopo Biſuntino, munere ſuo negligenter perſuncto Pius Romam ſe conferre præcipit.pag. 392. n.31. Ea de re Capitulum, & Canonicos Biſuntinæ Eccleſiæ monet, Epiſtola ad ipſos data. Ibid. Quamdiù Romæ manſerit. pag.393. n.32.

Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus *Alphonſus de Aragon*, Concilium Provinciale habet. pag.293. n.12.

Archiepiſcopus Cameracenſis *Maximilianus à Bergiis* Concilii Tridentini decreta in mores induci exoptat. pag.353. n.7. Capitulum Cameracenſe indultum ei quoddam obiicit. Ibid. Ea de re Archiepiſcopus commonet Pium. Ibid. Pii reſponſiva ad ipſum Epiſtola. Ibid.

Archiepiſcopi Cantuarienſis [ſic perperam dicti] *Matthæi Parkeri* tàm Ordinatio, quàm Ordinatores Calviniſtæ extiterunt. pag.234. n. 8. Quinam fuerint, nempe jam antea inter Catholicos tantum Presbyteri, & deinde Puritani. Ibid. Ex

iſta

Digitized by Google

iſta invalida, & ſacrilega Parkeri pſeudordinatione, Anglicanæ cœteræ derivarunt. Ibid.

Archiepiſcopo cum Colonienſi Electo, Friderico Comite à Veda, quanta cum comitate ſe Pius geſſerit. pag. 158. n. 54.

Archiepiſcopus electus Colonienſis, *Fridericus*, à Sede Apoſtolica, ob duo capita confirmationem non obtinet. pag. 153. n. 54. De ipſo Pii Epiſtola ad Maximilianum Imperatorem. Ibid. reſpondet Epiſtolis in Auguſtanis comitiis, per Commendonum Legatum, a Pio ad ſe miſſis. pag. 154. Alia Epiſtola eum Pius ad emittendam fidei profeſſionem hortatur. pag. 155. Reſcribit ad Pium, & obedire renuit. pag. 156. n. 56. Commendoni Legati officiis minimè acquieſcit. Ibid. Alia amoris refecta ſenſibus Pii ad eum Epiſtola, ut reſipiſcat. Ibid. juxta formam à Sacro Tridentino Concilio præfinitam, fidei profeſſionem emittere recuſat. pag. 419. n. 20. Acta cum eo à Cardinali Commendono, ut ipſam emitteret, ſed fruſtra. pag. 421. n. 23. Archiepiſcopatui ſeſe abdicare compellitur. pag. 422. n. 24.

Archiepiſcopus Colonienſis eligitur *Salentinus* Comes Iſemburgicus. pag. 423. n. 26.

Archiepiſcopus Compoſtellanus *Gaſpar de Zuuica*, & *Avellaneda* Salmanticæ Concilium Provinciale habet. pag. 293. n. 11.

Archiepiſcopus Eborenſis *Joannes de Melo* Concilium Provinciale cogit. pag. 293. n. 12.

Archiepiſcopum Gneſnenſem *Jacobum* Ukangium hortatur Pius, ut in Petricovienſibus comitiis contra Hæreticos ſe ſtrenuè gerat. pag. 194. n. 5.

Archiepiſcopus Gneſnenſis *Jacobus* Vkangius. pag. 204. n. 20. Eius ingenium. Ibid. Romani Pontificis auctoritate abiecta, ſe ſummum, ſacrorum Principem conſtituere cogitat. Ibid. Cum Commendono religionis zelum ſimulat. Ibid. Concilium Nationale molitur, in quo, Hæreticorum præſidio, ſuas machinationes ad exitum perducat. Ibid. Friſium quendam Hæreticum conſiliarium habet cum eoque, quæ meditabatur communicat. Ibid. Commodum votis ſuis accidit Tridentini Concilii, de cogendis Provincialibus Conciliis Decretum. pag. 105. n. 20. Petricoviæ indicit. Ibid. Ad illud Hæreticos invitat. Ibid. Commendoni tunc in Polonia Internuncii Apoſtolici ſolertia, machinationes Vkangii dejectæ, ac jubente Rege, Synodi coactio in tempus aliud rejecta. Ibid.

Archiepiſcopus Gneſnenſis pravis imbuit opinionibus Regem Poloniæ. pag. 205. n. 20.

Archiepiſcopus Gneſnenſis affectat apud Pium eximium religionis zelum; quo fine pag. 206. n. 21. Pii ad ipſum Epiſtola. Ibid. fraudibus ſuis Pium circumvenit, mandarique ſibi à Pontifice curat, ut Concilium Provinciale cogat. Ibid. Pius Concilium cogere ei mandat, ea tamen lege, ut ipſi, & Nuncius, & Cardinalis Hoſius interſint. Ibid. Epiſtola Pii ad illum. Ibid.

Archiepiſcopum Goanum, Eccleſiam dimittere cogitantem, ab ea mente revocare ſtudet Pius, Epiſtola ad ipſum ſcripta. pag. 442. n. 60.

Archiepiſcopus Goanus *Gaſpar* Provinciale Concilium cogit. pag. 443. n. 62.

Archiepiſcopus Granatenſis, *Petrus Guerrerus*, Concilium Provinciale habet. pag. 293. n. 12.

Archiepiſcopus Hibernus in vinculis in Anglia conſtitutus, novis ab Eliſabetha nominatis ad Epiſcopatum Pſeudoepiſcopis, conſtanter manus imponere recuſat. pag. 237. n. 13.

Archiepiſcopus Iconienſis *Joannes Caryophyllus* Opuſculum Nili Teſſalonicenſis Schiſmatici reiicit. pag. 372. n. 33.

Archiepiſcopus Magdeburgenſis *Joachimus Fridericus Brandeburgicus* Lutheraniſmum, amplectitur. pag. 146. n. 43.

Archiepiſcopus Mechlinienſis. Vid. Cardinalis Granvellanus.

Archiepiſcopi Moguntini *Danielis* Epiſtola ad Pium, qua benè acta in Auguſtanis comitiis Commendoni Legati recitat. pag. 137. n. 29.

Archiepiſcopus Narbonenſis *Simon Vigoreus*, contra Hæreticos diſputat, in diſputatione Pariſienſi à Duce Monpenſerin habita. pag. 238. n. 3.

Archiepiſcopus Neapolitanus *Marius Caraffa* maturè occurrit, & ſupprimit novam Hebræorum ſectam Neapoli exortam. pag. 332. n. 61; & ſeq.

Archiepiſcopus, Panormitanus *Octavianus Leſinæ Comes* Epiſtola ad Pium data, ad reformandas, componendaſque Eccleſiæ ſuæ res, ejus auxilium implorat. pag. 93. n. 188.

Archiepiſcopus Roſſanenſis. Vid. Caſtagna.

Archiepiſcopus Salernitanus, de non celebrato Provinciali Concilio apud Pium ſe excuſat, Epiſtola ad ipſum ſcripta. pag. 89. n. 181. Pii Epiſtola ad ipſum, qua Concilium celebrare jubet. Ibid. Concilium celebrat. pag. 90. n. 183.

Archiepiſcopus Surrentinus Julius Paveſius ad Margheritam Auſtriacam Belgii Gubernatricem, Pii Apoſtolicus Nuncius. pag. 251. n. 26. Pii ejuſdem nomine cum Auriaco Principe agit, de Hæreticis Auriaci ſe recipientibus. Ibid.

Archiepiſcopum Surrentinum *Julium* mittit Pius ad inquirendum contra Archiepiſcopum Biſuntinum. pag. 265. n. 45.

Archiepiſcopus Surrentinus *Julius* Apoſtolicus Nuncius in Belgium, à Pio miſſus. pag. 279. n. 27.

Archiepiſcopi Teſſalonicenſis *Nili* Opuſculum de Primatu Papæ. pag. 371. n. 33. In Florentino Concilio damnatum, & à Bellarmino, & Archiepiſcopo Iconienſi rejectum. Ibid. à Flaccio Illirico mirè corruptum. pag. 372. n. 33.

Archiepiſcopus Toletanus, *Bartholomæus Caranza* Hæreſis inſimulatus. pag. 288. n. 5. Abrahami Bzovii falſa narratio reiicitur. pag. 289. n. 5. Fidelior multò Gabutii relatio. Ibid. Gabutii relatio, ex ipſa ſententia in Caranzam à Pii Quinti ſucceſſore Gregorio XIII. lata pronunciataque confirmatur. pag. 290. n. 6. Petrus Camoianus hac de cauſa à Pio Quinto hoc anno, in Hiſpaniam miſſus. Ibid. n. 7. Cum quibus mandatis. Ibid. Eadem mandata Archiepiſcopo Roſſanenſi, Epiſtola ad ipſum data. pag. 291. n. 7. Tamquam Divino oraculo Rex Hiſpaniarum Pio obedit, & Caranzam tradit. pag. 292. Alia quædam in Gregorii ſententia expenduntur.

Arhiepiſcopum Trevirenſem *Jacobum*, data ad eum Epiſtola, ad Cleri reformationem Pius incitat. pag. 144. n. 39.

Archiepiſcopus Elector Trevirenſis, in longum nimis conſecrationem Epiſcopalem protraxerat. pag. 419. n. 20. Petiit à Pio facultatem, ut in Auguſtanis comitiis conſecrari poſſet. Ibid. Ea de re Cardinalis Commendoni votum. Ibid.

Archiepiſcopus Valentinut *Martinus Ayala*, Valentiæ Provinciale Concilium cogit. pag. 293. n. 11. Item Synodum Diœceſanam. Ibid. In eo Pii laudes recenſentur. Ibid.

Archiepiſcopi Valentini *Martini Ayala* Epiſtola ad Pium, qua Eccleſiaſticæ libertati vim illatam, præcipuè in Beneficiorum diſtributione, dolet pag. 295. n. 16. Ejuſdem Archiepiſcopi mors. 296. n. 17.

Archiepiſcopos, & Epiſcopos Panoniæ hortatur Pius, ut Concilii Tridentini Decreta ſuſcipiant. pag. 168. n. 70.

Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Angliæ ordinationes, in Comitiis Londinenſibus, anno 1566.

coa-

Digitized by Google

coactis, legitimæ declarantur. pag. 230. n. 1. Unde ipſis ritè detrahebant Catholici. Ibid. n. 2. Cæremoniæ in Sacrorum Ordinum collatione non ſervatæ, quid efficiant. Ibid. Invalida Ordinatio, quænam ſit. Ibid. & pag. ſequenti. 231.

Archiepiſcopi, & Epiſcopi Univerſi Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, ad Pium delati, quòd in Provincialibus Conciliis, contra Apoſtolicam Sedem, Tridentinum Concilium, Eccleſiaſticam libertatem, aliqua ſtatuerint. pag. 293. n. 13. Ad eos Epiſtolam commonitoriam Pius ſcribit. pag. 294. n. 13. Ipſorum ſumma religio. pag. 295. n. 15.

Arianus Jo: Valentinus Gentilis. pag. 100. n. 203. Vid. Gentilis.

Ariani cum Calviniſtis, & Lutheranis, Varadini diſputationem habent. pag. 167. n. 69. Ei Jo: Tranſylvaniæ Princeps præeſt. Ibid. Calviniſtæ nonnulli, in ipſius Principis gratiam Arianis adhærent. Ibid. Miros de Calviniſtis, & Lutheranis Ariani triumphos agunt. Ibid. Neſandi colloquii Acta conſcribunt. Ibid. Iuvenes mittunt, qui à Iudæis Chriſtum proſcindendi modum ediſcant, Ibid. Jacobo Paleningo Bibliam corrigendi poteſtatem faciunt. Ad hoc, ex Polonia Mathiam quemdam, & ex Germania quemdam Homerum accerſunt. Gregorius Pauli pictas tabellas profert. Vid. Varadienſis diſputatio.

Ariani MiniſtriGeorgius Blandrata, & Franciſcus Davidis. pag. 167. n. 69.

Arianus, ex Calviniſta ſit Joannes Tranſylvaniæ Princeps. pag. 167. n. 69.

Arianus Hæreticus Gregorius Pauli, primus in Poloniam eam ſectam invexit. pag. 168. n. 69.

Arianos, & Anabaptiſtas, e Poloniæ Regno Calviniſtæ, & Lutherani ejicere ſtudent. pag. 192. n. 1. Eorum defenſionem Cardinalis Hoſius ſuſcepit & cur. Ibid.

Arianorum, & Anabaptiſtarum cum Calviniſtis, & Lutheranis in Polonia diſputatio. pag. 192. n. 3.

Arianis, & Anabaptiſtis contra Catholicos Calviniſtæ, & Lutherani in Polonia ſe jungere ſtudent. pag. 192. n. 2. Diſputationem cum illis inſtituunt. Ibid.

Ariani in comitiis Petricovienſibus proponere audent: An Chriſtus ſit Deus? pag. 199. n. 11. Cum tantæ blaſphemiæ pœnas expetere neminem videret Hoſius. comitia deſerit. pag. 199. n. 11.

Ariani contra Calviniſtas, alioſque Hæreticos ſe impugnantes eodem argumento uti poſſunt, quo Calviniſta contra Lutheranos, Zuinglianos, alioſque Hæreticos uſus eſt. pag. 200. n. 12.

Ariani Lutheranorum diſcipuli. pag. 200. n. 12.

Ariani Tranſylvani contra Chriſti Incarnationem Librum edunt. pag. 431. n. 41. Eorum blaſphemiæ Ibid. In ipſo libro triginta & ſex argumenta coacervant, quibus pueros minime baptizandos oſtendunt mirifque, horrendiſque vocabulis Baptiſmi Sacramentum proſcindunt. pag 432. n. 41.

Arius univerſi Orbis judicio reprobatus: pag. 193. n. 3.

Aſculum, ad debellandos ſceleſtos homines, Torquatum Comitem Pius mittit. pag. 61. n. 127.

Aſculanus Epiſcopus. Vid. Epiſcopus Aſculanus.

Aſtenſem *Joannem* Jeſuitam, Elbingæ concionantem Hæretici ſaxis, & pomis impetunt. pag. 438. n. 54.

Avancon *Franciſcus*, Epiſcopus Gratianopolitanus. Vid. Epiſcopus Gratianopolitanus.

Avaritiæ, vel ſuſpicionem declinat Pius. pag. 30. n. 72.

Avaritiæ ſpeciem omnem Pius devitat. pag. 74. n. 149. Preclarum ejus dictum. Ibid.

Audientiarum Pii prolixitas. pag. 9. n. 23.

Audientiam pauperibus ſtatis diebus Pius dare conſuevit. pag. 55. n. 115.

Avenionem Hæretici occupare contendunt. pag. 250. n. 24. Eos detegit, meritiſque ſuppliciis afficit Cardinalis Armigniacus. Ibid. Regii Galliarum Miniſtri ſubſidia mittunt. Ibid.

Avenionenſi in ditione, Hæreſis ſuſpectis duobus, amotis, in eorum locum Epiſcopum Carpentratenſem, & alium ſubrogari Pius mandat, Epiſtola ad Cardinalem Borbonium Legatum data. pag. 393. n. 33.

Auguſtæ Epiſcopus. Vid. Cardinalis Truxius.

Auguſtæ Comitia in longum pretracta, ob Daniæ, Svetiæ, fratrumque Saxonum diſſidia. pag. 6. n. 3.

Auguſtam miſſurum, qui comitiis interſit, Maximiliani Oratoribus reſpondit Pius. pag. 6. n. 3.

Auguſtæ Vindelicorum comitia à Maximiliano Imperatore indicta. pag. 105. n. 1.

Auguſtæ Vindelicorum in comitiis, de rebus ad religionem pertinentibus agi, Hæretici ſtudent. pag. 106. n. 2.

Auguſtanum ad Conventum Pii Epiſtola. pag. 115. n. 10. non fuit tradita, & cur? pag. 116. Ibid.

Auguſtana ad Comitia quinam ſe contulerint. pag. 116. n. 11.

Auguſtæ, Carniſprivii tempore, comitiorum tempore quid actum fuerit. pag. 117. n. 11.

Auguſtanis in comitiis Capita propoſita. pag. 117. n. 12.

Auguſtanis in Comitiis Maximiliani Imperatoris oratio. pag. 117. n. 12.

Auguſtana comitia, quo tempore cœperint. pag. 117. n. 12.

Auguſtanis in comitiis decreta auxilia, Maximiliano contra Turcas præſtanda. pag. 117. n. 13.

Auguſtanis in comitiis quænam, juxta Thuanum, Proteſtationis faciendæ Pius dederit Commendono Legato mandata. pag. 118. n. 14.

Auguſtanis in comitiis, caput de religione, & alia, in tempus aliud rejecta. pag. 118. n. 13.

Auguſtanis in comitiis geſtorum à Commendono Legato, fidelis, ſinceraque relatio. pag. 119. n. 15. Unde, & quomodo accepta. Ibid.

Auguſtanis in comitiis Catholici Principes confirmationem pacis, quæ anno. 1555. inita fuerat, petunt. pag. 120. n. 15.

Auguſtanis in comitiis Proteſtationem nullatenus faciendam Theologi cenſuerunt. pag. 120. n. 15.

Auguſtanis in comitiis confirmatio Pacis anni 1555. Tridentino Concilio præjudicium non afferre Theologi cenſent. pag. 120. n. 15.

Auguſtanorum comitiorum occaſione quæſtiones plures propoſitæ, & Theologorum ſententiæ; videlicet Scipionis Lancellotti, Hjeronymi Natalis, Petri Caniſii. pag. 123. n. 17.

Auguſtanorum comitiorum res ad religionem ſpectantes, Commendoni Legati demum prudentiæ committuntur. pag. 134. n. 21.

Auguſtanis in comitiis Commendoni Legati ſolertia Hæreticorum molimina evertit. pag. 135. n. 23.

Auguſtanis in Comitiis, quàm præclarè Commendonus Legatus ſe geſſerit, Petrus Caniſius in Epiſtola ad S. Franciſcum Borgiam refert. pag. 135. n. 24.

Auguſtanis in comitiis, quam præclarè ſe geſſerit Commendonus Legatus, Archiepiſcopus Moguntinus in Epiſtola ad Pium refert. pag. 137. n. 19.

Auguſtanis in comitiis, plura dicta, & facta à Cardinali Commendono Legato commentitur Thuanus. pag. 138. n. 30. Refelluntur. pag. 139. & ſeq. n. 31., & ſeq.

Auguſtanis in comitiis, quænam contra Turcas ſubſidia Maximiliano Imperatori data. pag. 160. n. 60.

Auguſtanam Confeſſionem, quibus legibus Germanis Ferdi-

Ferdinandus Imperator permiſit. pag. 127. n. 16.
Auguſtanam confeſſionem Hæretici Auſtriæ, á Maximiliano fruſtra obtinere contendunt. pag. 189. n. 102.
Auguſtanam Confeſſionem fruſtra à Maximiliano Imperatore, Hungari obtinere ſtudent. pag. 430. n. 37.
Auguſtanam Confeſſionem ſequendi ſibi facultatem factam, Hæretici Elbingenſes jactant. pag. 438. n. 54.
Aula ſolet ſic Deum colere, ut Diabolum non offendat. pag. 440. n. 56.
Auriacenſis Princeps, *Gulielmus de Naſſau*, Pii literis reſpondens in avita religione tuenda, Auriaci, ſe elaboraſſe, elaboraturumque pollicetur. pag. 251. n. 26.
Auriacum Hæreticorum aſylus. pag. 250. n. 25.
Auricellarius *Annibal*, à Galliarum Regina miſſus ad Pium, ut ſubſidia contra rebelles Hæreticos ab eo inquireret. pag. 378. n. 8.
Auricellarius, Pii nomine, cum Hiſpaniarum Rege, & Sabaudiæ Duce, agit de auxiliis Galliarum Regi contra Hæreticos ſuppeditandis. pag. 286. n. 22.
Auſtriæ comitia Viennæ à Carolo Auſtriæ Archiduce habita. pag. 164. n. 66.
Auſtriæ in comitiis Auguſtanam confeſſionem fruſtra à Maximiliano Hæretici petunt. pag. 189. n. 102.
Azimæ Rex in Iaponia. pag. 300. n. 3.
Ayala *Martinus* Vid. Archiepiſcopus. Valentinus.

B

BAjanenſis Epiſcopus. Vid. Epiſcopus Bajanenſis.
Bajus *Michael* cum Joanne Haſſelio Auctores errorum à Pio, Bullâ damnatorum. pag. 364. n. 22. Quinam fuerint, nempe docti, & in ſpecie, pii. pag. 365. n. 22. In lectione SS. Patrum verſati. Ibid. Scolaſticorum, quo ad loquendi modum, contemptores. Ibid. De ipſis juridica Andreæ Fabritii relatio Ibid. Quo tempore errores ſuos ſpargere cœperint. Ibid.
Bajus Michael, & Joannes Haſſellus eo tempore errores ſuos ſpargunt. quo Lovanienſis Univerſitatis præcipui Magiſtri aberant. pag. 365. n. 22. Grave, ob id, in ea ſcandalum. Ibid. Ab Univerſitatibus Pariſienſi, Salmaticenſi, & Complutenſi, adnotantur. Ibid. Bullâ edita à Pio V. damnantur. Ibid. Bajus non modò eos non corrigit, ſed in pejus proficiens, circa Articulum juſtificationis, Concilii Tridentini Decretum arrodit. Ibid. Jodoci Tiletani de Bajo teſtimonium. Ibid. Aliud Guilelmi Lindani Epiſcopi Ruremondenſis. Ibid. In dubium vocatur, an Summus Pontifex ſit Univerſalis Eccleſiæ Paſtor. Ibid. Baii blaſphemiis pii, ac graves Viri calamitates Belgii tribuerunt. pag. 366. num. 22. Bulla Pii tanto malo remedium inefficax. Ibid. A Bajanis, imperitis Monachis tribuitur. Ibid. Variis calumniis, & Univerſitatum aliquot, & ipſum Pontificem Maximum impetere audent. Ibid. Cancellariatus munere Bajus honeſtatur.
Baii *Michaelis* ſocii, ac diſcipuli. Io. Haſſelius, Thomas Gozeus, aliique, ex novis Magiſtris: Ioannes Lenſæus Belleolaus. pag 366. n. 22. Ejuſdem impugnatores, quinam? pag. 367. n. 23.
Baii *Michaelis* vera effigies. pag. 367. n. 23. Ejus in errore pefidia. Ibid. n. 24.
Bajanæ propoſitiones à Pio Quinto damnatę à quibus, quantoque ſtudio examinatæ, ac perpenſæ. pag. 367. n. 24. Gabrielis Gerberoni Ianſeniſtæ, impoſturæ referuntur, ac refelluntur. Ibid. pag. ead. n. 25. Bajanæ propoſitiones, in Pontificum Bullis, nullo numero diſtinctæ. pag. 368. n. 26. De commate à Ianſeniſtis objecto, ut earundem propoſitionum damnationem rejiciant. Ibid. n. 27. Ipſorum Janſeniſtarum calumnioſa argumenta refelluntur. pag. 369. & ſeq. n. 27. 28. 29.
Bajanæ propoſitiones, jam ab anno 1564. ſub Pio Quarto examinatæ. pag. 368. n. 25.
Bajanæ propoſitiones, non omnes in ejuſdem Libris contentæ. pag. 371. n. 31
Baii proceſſus, ſub quo anno, quovè Pontifice confectus. pag. 371. num. 31. Quinam ei titulus. Ibid.
Baii *Michaelis* Hypocriſis. pag. 373. n. 35. Bullæ Pii ſeſe ſubiicere ſimulat. Ibid. n. 38.
Bajani. Vid. Ianſeniſtæ.
Balnei Comes à Pio præjudicium aliquod non accipit. pag. 65. n. 133. Erga illum optima Pii mens. Ibid.
Balnei Comes Pio commendatur, à Maximiliano Imperatore. pag. 66. n. 136.
Balnei Comiti Oppida reſtituta, ea lege, à Pio, ut potentioribus Principibus non vendat. p. 67. n. 138.
Banditi. Vid. Latrones.
Baptiſmi, & Ordinis Sacramenta cæremonias habent, quæ non ad validitatem, ſed ad ſolemnitatem ſpectant. pag. 230. n. a.
Baptiſmi Sacramentum, blaſphemiis pluribus ab Hæreticis in Diſputatione Pariſienſi impetitum. pag. 240. n. 5. & ſeq.
Baptiſmi in collatione materiam neceſſariam Hæretici nonnulli non adhibent. pag. 355. n. 13. Ea de re Theodori Bezæ error. Ibid.
Baptiſmum ab Hæreticis collatum, an reiterandum, juxta Spondanum, in Belgio dubitatur. pag. 355. n. 13.
Baptiſmi cæremonias, ab Hæreticis prætermiſſas, ſuppleri volunt Inſulenſes Matronæ. pag. 355. n. 14.
Baptiſmum, nunquam iterandum Eccleſia tenet. pag. 355. n. 13. Collatum ab Hæreticis, ratum habet. Ibid. Dubitatum, an materia neceſſaria in Belgio collatum fuerit ab Hæreticis ipſis. Ibid. Quid de ipſa materia ſenſerit Beza. Ibid. Belgarum dubium circa ſolas Baptiſmi Cæremonias ſe habuit. Ibid. n. 14.
Baptiſmum parvulorum, horrendis blaſphemiis Ariani Tranſylvani, Libro edito, impetere audent. pag. 431. n. 42.
Baptiſmum iterandum ab Hæreticis collatum, Belgæ, an dubitaverint? pag. 355. n. 13. Solas Baptiſmi cæremonias, ab Hæreticis prætermiſſas ſuppleri voluiſſe oſtenditur. Ibid. n. 14.
Baptiſmi cæremonias in Ruſticorum infantibus, ab Hæreticis prætermiſſas ſuppleri voluit Raſemgemus. pag. 355. n. 14.
Bapitandi modum & orandi Calviniſticum, Io: Monlucius Epiſcopus Valentinus introducit. pag. 257. n. 34.
Barbaſtus *Carolus*, Hæreticus, Apoſtata Carmelitanus ad diſputationem à Duce Monpenſerio Lutetiæ habitam, invitatus. pag. 238. n. 3.
